
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
20 — K
51

# DE FÆSTIS CHRISTI SERMONES GABRIELIS BIEL PROFESSORIS THEOLOGIÆ.










BRIXIAE
APVD THOMAM BOZZOLAM,
M. D. LXXXIII.



# INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN SERMONIBVS FESTORVM CHRISTI CONTINENTVR.

## A





## B



## C



✣ ✣

# D

# L



# M



# N



# O

# P



# R




# S

# T

# V



FINIS.



# INDEX SERMONVM
## DE FESTIS CHRISTI.






# SERMONES FORMALES, NOTABILES, ET MAGISTRALES DE FESTIVITATIBVS CHRISTI:

SPECTABILIS VIRI MAGISTRI Gabrielis Biel sacræ theologiæ licentiati, olim in ecclesia metropolitana sancti Martini Moguntinen. &c.

PRÆDICATORIS ORDINARII PER IPSVM ibidem, & alibi ad populum declamatoriè prædicati.

## IN VIGILIA NATIVITATIS domini.

### *SERMO. I.*



CVM esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent inuēta est in vtero habens de spiritu sancto. Math. 1.

De die Natiuitatis dñi quod lętus sit

Proximus est dies ille domini magnus,& gaudiosus,dies salutis,& propitiationis, dies, in quo delebitur iniquitas terræ,dies, in quo venturus est rex pacificus. Beatus,apud quē mansionem faciet. Cui vt dignè occurramus,admonet ecclesia in missę introitu:Hodie,inquit,scietis,quia veniet dñs,& mane videbitis gloriā ei⁹.Quiq; terrigenæ, & filii hominū,audite ait Ber.ser.2.de vigilia: Vos,qui in puluere estis,expergiscimini,& laudate,quia venit medicus ad ægrotos, redēptor ad venditos, ad errantes via,ad mortuos vita.Venit q(uip)pe,qui proijciet in (pro)fundū maris omnia peccata nostra,q sanat omnes infirmitates nr̄as,qui nos proprijs humeris ad (pro)priæ dignitatis reportat originē. Propter hāc siqdē diē dignè celebrādā, decurso aduētus t(em)pe laborauimus, nr̄ę purgationi intēdimus, veniēti dño habitationē aptauim⁹, si tñ vt fideles filij matri ecclesię noscōformauim⁹.Quod si fecimus,nō iō in nr̄is iustificationib⁹ cōfidamus,q(uonia)m nō sumus sufficiētes cogitare aliquid ex nobis,tāquā ex nobis Etsi negligentes in hoc sacro t(em)pe vsq; nunc inuenimur, non ideò in sordibus peccatorum diutius volutemur. Est via quam hodie nobis ostēdit ecclesia, qua hi & illi ad dominum deducentur, dumtaxat erigamur. Surgamus celeriter, quia prope est dominus iam clamor ecclesiæ factus est: Ecce spon-

Desponsata Virginis fęcūdatio.

ſus venit, exite obuiam ei. Arripiamus viam ſecuram, viam illam, per quā ſaluator aduenit, virginem .ſ. regiā, de cuius vtero proceſſit tanquam ſponſus de thalamo. Studeamus ergo (ait Ber.) ad ipſum per eam aſcendere, qui p ipſam ad nos deſcendit, per eā venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtrā miſeriam venit. Sed & fęcūditatē in hodierno euangelio nobis oſtendit eccleſia, cū ait: Cum eſſet deſponſa &c. De quibus Aue ma. Recitetur euangelium.

In hoc euangelio tria nobis veniunt conſyderanda .ſ. deſponſatæ virginis fęcundatio, ſponſi Ioſeph trepidatio, & & tertiò eiuſdem angelica conſolatio. Circa primum ait: Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, deſponſata nedum per verba de futuro vt eſſet ibi ſola pollicitatio de matrimonio cōtrahendo, ſed per verba de præſenti, q eos verè coniuges efficerent, ſicut & angelus coniugē ipſam vocat Virginē. Vnde & Augu. in de nup. coniu. & habet̄ diſti. 30. quarti. Inter Mariam, & Ioſeph perfectum fuit coniugiū. Perfectū quidē nō ſignificatione, ſed ſanctitate: Perfectum etiam ſecundū triplex bonū coniugij, prolem, fidē, ſacramentū. Prolē cognouimus ipſum dn̄m. Fidem, quia nullum adulteriū. Sacramētū, quia nullū diuortium. Solus nuptialis concubitus ibi non fuit. Nam deſponſata fuit mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, Ioſeph, ſed non in cōcupiſcentia iuncta, ait Orige. in homil. Ideò ait euangeliſta, antequā conuenirent .ſ. carnali copula, vt dicit glo. Non q poſtea conuenerint, ſed eſt tale dictū quale eſt illud, antequā pœniteret morte præuentus eſt, non ſequitur, q ideò poſt mortem pœnituit. Et ſimile dicim' antequam iſte me ſoluit, omnia bona ſua confiſcata ſunt, nō ſequitur q poſt rerū confiſcationem me ſoluerit. Antequam ergo conuenirent, non prius quā in ſponſi introduceretur domum. Hunc quippe morē tenebat antiquitas (ait Chryſ. in opere imperfecto homi. 4.) vt ſponſæ in ſponſorum domibus haberētur, quatenus corū (dicit Ber. ſup Miſeſt hom. 2.) ipſi eo ſibi pudicitiam curioſius ſeruarent, quo ſibi ipſi fideliores exiſterent. In domo itaq; ſponſi inuenta eſt habens in vtero. Inuēta primò ab angelis cuſtodientibus eā, deinde & à Ioſeph, vt dicit Orig. à Ioſeph ſiquidē inuenta eſt poſt reditum de Heliſabet manifeſtè grauida, ventris tumore id indicante. Et vt virgo omnē malignæ ſuſpicionis effugeret occaſionē, addidit euāngeliſta, de ſpiritu ſancto, in narrationis principio, hoc eſt ſpiritu ſancto operante, non materiam miniſtrante.

Sed circa hanc partē oritur quęſtio: Quomodo cū perfectione virginali potuit ſtare matrimonij veritas. Sic .n. hęreticus quidam, aduerſus quem Hugo de ſancto vict. libellū de perpe. virginitate Mariæ ſcripſit, aduerſus Virginē oblatrauit. Ait enim coniugium fine cōſenſu carnalis copulæ eſſe non poſſe. Conſenſum autem, illam mentis virginitatem neceſſariò violare, quare virgo Mariæ, aut non conſenſit, & ſic vera coniunx non fuit, aut conſenſit, & ſic licet carne, tamen mente virgo nō permanſit, propter quod eius virginitatē longè ſanctarum virginum .ſ. Agnetis, Agathæ &c. deſponſari nolentium inferiorem eſt mentitus. Sicq; virginis, cuius carnē non potuit, mentem temerare non pertimuit. Sed contra hunc cū Hugone (immo cum eccleſia) confitemur Virginem hanc coniugem factam poſtea matrem, & ſemper virginitatis propoſitum inuiolatum tenuiſſe, & virginitatis decus perpetuum regnaſſe cū pudicitia coniugis, & honore parentis. Virgo ſiquidē hęc glorioſa vt vult Augu. Ber. & ceteri) caſtitatem perpetuā ſeruare nedū propoſuit, ſed prima omnium vouit. Quod ex eius reſponſione, quod angelo dixit: Quomodo fiet illud quoniam virum non cognoſco, pulchrè clarèq; deducit Hugo vbi ſupra. Quo voto inuiolato, matrimonium contrahere potuit, nec tamen ideò in carnalem copulam conſenſit. Eſt enim in matrimonio datio mutua poteſtatis corporum ad carnalem copulam, non niſi ſub conditione implicita .ſ. ſi petatur, Vnde

Quomodo cū pfectione virginali potuit ſtare veritas matrimonij.

Eluidij hæreſis contra virginē.

Vnde contrahentes cum proposito sta tim vouendi castitatem, vere contrahunt, & propter hanc conditionem matrimonialis obligatio, castitatis voto non præiudicat, nisi conditio illa poneretur in effectu, vbi ergo certitudo simpliciter, q nullum petatur debitum, in nullo præiudicat matrimonium castitatis voto. Et ita fuit in virgine nostra. Ipsa siquidem prius edocta familiari Dei consilio, vt dicit magister dist. 30. quarti de perpetua Ioseph continétia. Cum .n. (ait Sco. ea. dist. q. 2.) angelus instruxit Ioseph dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, multò magis quasi indubitanter concluditur, q & virgini certitudinaliter dictũ est: Noli timere accipere Ioseph virũ iustũ in coniugẽ. Ecce .n. spiritus sanctus dabit eum tibi custodẽ, & testẽ virginitatis tuæ, qui tecũ pari voto contineat, & in multis ad custodiã virginitatis tuæ obsequatur. Nec mirũ, quoniã quicquid ostensum est Ioseph in visione angeli, propter Virginem factũ fuit quantò magis virgini. Ex quibus clarè patet, quomodo fuit verum matrimoniũ, & propositũ cõtinentiæ inuiolatũ.

Cur Maria sit desponsata S. Tho. Cur autem desponsata fuerit multas ponunt ad hoc sancti cõgruentias, quarum plures collegit sanctus Tho. in 3. parte q. 29. arti. 1. tam propter Christum, quã matrẽ, quã propter nos. Propter Christũ, ne vt illegitimè natus repudiaretur à iudæis, vel saltẽ, ne illud ꝑtendere possent, vt vult Amb. super Lu. vel secundũ bea. Ignaciũ vt diabolo sacramentũ hoc celaretur, minusq; cõtra eũ fraudis cõmenta machinaretur, & licet ex suis naturalibus virginis integritatem videre potuisset; non tamen permissus est, minusq; ad eius integritatẽ attendit, quã viro desponsatam nouit, vel etiã vt puerũ Iesum Ioseph nutriret, natiq; infantis curã gereret simul & matris, iens in Ægyptum ibi manẽs, vel inde rediens, vt dicit Orig. Propter matrẽ ex eadẽ causa, vt viri solatio sustentaretur, vt à pęna mortis liberaretur, & ab infamia, vt dicũt Orig. Hier. & Ambro. Propter nos, vt virginitatis Mariæ nobis approbandæ certissimus testis haberetur. vnde Chrys. in opere imperfe. homi. 4. Quando ille, qui precipuo cęlo posset ardere, cernitur non solum non abijcere sponsam nec eã ignominiæ denotare, sed etiam recipere in consortium, & honorare post partum, profectò manifestum est q nisi apertè nosceret ex operatione spiritussancti illum fuisse conceptũ, nũquã apud se, vel illã retinuisset, vel ei in omnibus quib⁹ indiguisset, ministrasset. Et secũdũ Ber. super Missus est homi. 2. Ego, qui in firmus sum, citius quidẽ crediderim Thomæ dubitanti, & palpanti, quam Cephę audienti, & credenti. Et de matris continentia facilius sponso eius custodienti, & experienti, quam ipsi quoq; virgini de sola sua conscientia se defendenti. Et etiam vt significetur vniuersa ecclesia, quæ cum sit virgo, tñ desponsata est vni viro, secũdũ Aug. in li. de sancta virginitate. Et vt in ipsius persona, & virginitas, & matrimoniũ honoraretur contra hęreticos alteri eorũ detrahentes. secundũ Thom. vbi supra. Ecce patet quare virgo perpetua fuerit desponsata. Et tantum de primo.

Ioseph sponsi trepidatio. Secundũ principale .s. sponsi Ioseph trepidatio tangitur, cum sequitur, Ioseph autem cum esset vir iustus secundum Chris. .i. in omni virtute perfectus modestus, benignus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere. Aliter hic sentiunt sancti cur occultè eam volebat dimittere. Nã secũndum Orig. & Bern. propter hoc voluit occultè dimittere eam, propter quod Petrus repulit dominum à se dicens: Exi à me domine quia homo peccator sum ego. Lu. 5. Propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat dicens: Domine nõ sum dignus, vt intres sub tectum meũ. Ita & Ioseph indignum, & peccatorem se reputans, dicebat intra se: Maior est eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati, vt dicit Orig. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem. Expauit Centurio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirũ Ioseph sicut homo, tanti miraculi no-

uitatem, tanti mysterij profunditatem quid mirum si Ioseph prægnantis sese consortio virgini iudicabat indignum, cum & Helisabet iam per miraculum grauida eius non posset perferre præsentiam, nisi cum timore, vnde & exclamauit: Vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me? Ob hanc ergo causam noluit traducere eam idest in coniugem ducere, matrimonium solennizando, sed voluit occultè dimittere eam. Quare occultè, & non palam? Respondet Bern. Ne diuortij causa quæreretur. Quid enim vir sanctus responderet populo duræ ceruicis non credenti, sed contradicenti? Si diceret, quod sentiebat, quod de eius puritate comprobauerat, nonne mox increduli, & crudeles iudæi subsannarent illum, & lapidarent illam? Quando nanq; veritati crederent tacenti in vtero, quã postea contempserunt clamanti in templo? Quid facerent needum apparenti cui postea impias manus iniecerunt etiam miraculis corruscanti? Hæc ille.

Cur occulte Ioseph voluit dimittere Mariam.

Aliter exponunt Augu. in serm. quodam de natiuitate, & Chryso. in opere imperfecto. Nam Ioseph videns Mariæ vterum grauidari turbabatur, quia eam, quam de templo acceperat, nec cognouerat, grauidam sentiebat, secumque æstuabat disputans, & dicens: Quid faciam, an prodam, an taceam? Si prodidero, crudelitatem, incurro, quia eã lapidandam esse cognosco. Si tacuero, malo consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo malum est tacere, peius est prodere, dimittam eam à coniugio. Ideò cum iustus esset, & nollet eã traducere ad publicum iudicium, voluit occultè dimittere eam. Notatur hic secundum Chri. magna viri mansuetudo quia viriliter dominabatur passione cæli, vt nedum coniugem damnare, aut publicare nollet, sed nec in minimo virgini inferre molestiam, manifestum vteri exprobrãdo tumorem. Neq; alicui alteri mæroris sui causam retexit, sed tacitus apud se cogitationum fluctibus æstuabat.

Mansuetudo Ioseph.

Quam in eo mentis modestiam, atque maturitatem haud dubium souebat sponsa castissima, ac omni religione plenissima conuersatio, quæ tantæ fuit pudicitiæ, quod ab omni suspicione se defendisset, nisi euidens tumor ventris hanc grauidam comprobasset.

Sed quare hunc viri cruciatum, ac mærorem virgo non abstulit, sermone mysterium indicando? Aut cur non angelus prius, quam vir intelligeret eam grauidam, vnde etiam grauida edocuit? Ad primum duplex est ratio. Prima secundum Lyram. Nam talia diuina mysteria reuelanda non sunt, nisi quatenus de hoc diuina sciatur voluntas. Prudens ergo virgo tacuit, firmiter tenens, quod sicut secretum hoc fuit reuelatum Helisabet, ita vel Ioseph, vel alijs competenti tempore secundum diuinæ voluntatis beneplacitum, reuelaretur. Alia secundum Chrys. in opere imperfecto. Quoniam virgo sibi nullo modo à sponso credendum putabat, si ad eum rem nimis nouam, suspectamq; deferret. Quinnimo magis in iram eum credidit concitandum si qua si crimen admissum videretur obumbrare figmentis. Angelus quoq; opportunius tempus expectabat, vt prius viri iustitia, & mansuetudo probaretur, & animi fluctuantis secretum, dum quod ab angelo recognoscitur, ad fidei eius proficiat augmentum, dum sic illum, qui cordis secreta perspicere se probauerit à Deo missum nullatenus dubitaret. Et vt rès oculis subiecta citius crederetur, quæ futura adhuc propter inauditam nouitaté dubitationé non aufugeret, sicut in Zacharia factũ euangelica probat historia. Et vt dum suspicio præhabita in viro tolleretur, omnis dubietas in nostris cordibus, qui hoc audituri eramus, sanaretur. Sicut de beato Thoma dubitanti supra est memoratum Virgini autem, cuius consensus requirebatur, vt mater fieret domini, necessariò ante factum, mysterium erat per angelum declarandum. Et tantum de secundo principali.

Cur Maria non abstulit mæroré à viro Ioseph.

Hæc

Ioseph prudens meruit ab Angelo certior fieri de sua dubitatione.

Hæc itaque eo cogitante modestè, & maturè, nihil præcipitanter, aut temere agente, meruit Angelica reuelatione certificari, & consolari. Ecce enim Angelus domini apparuit in somnis ei (Nec enim vir fidelis prorsus apertiore reuelatione indiguit, quomodo dubitans Zacharias, aut pastores agrestes, quibus opus erat clariore reuelatione) dicens, Ioseph fili Dauid, cui facta est hæc promissio, fili vtique carnali propagatione, & mansuetudinis imitatione. Noli timere, non ait, Noli dolere, noli zelo anxiari, sed noli timere tantò sacramento obsequi, cuius tu non autor es, non psalmator. Quod enim in ea natum est, à spiritusancto est. Noli ergo timere accipere Mariam coniugem, quoniam huius generationis minister eris, non largitor, seruus non dominus, propterea ministra, serua, custodi, ser curam, intende, & huic, qui nascitur, & huic, quæ generat. Hæc Origene. concorditer ad primam expositionem.

Vel quo ad secundam, Noli timere, prohibuit mansuetudo virum, ne traduceret, prohibuit timor domini, ne deū offenderet, si adulteram duceret, ideò occultè dimittere voluit. Sed ne iustus ignoranter peccaret. ne virgo dimissa turpi suspitione notaretur, ait Angelus, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Et ne premeret dubietas, quem commendabat æquitas, atque causa conceptionis intellecta, reuerentius se haberet ad virginem, subditur plena eius informatio, Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est, diuina operatione, non adulterina turpitudine. Tu ergo fili Dauid securus, & intrepidus accipe coniugem sic tibi nominatam, sed secundum nuptiarum coniunctionem longè alienam. Et quomodo accipiet, quam in domum nondum acceptam dimisit? Sed ab animo iam dimisit, voluitque quantum ad hæsitationem occultè dimittere eam. Ideò in animo recipe, in domo retine, secundum Chrys. Accipe ergò eam fili Dauid ait Origenes, sicut commendatum cœlestem thesaurum, sicut diuitias deitatis, sicut plenissimam sanctitatem sicut perfectissimam iustitiam. Accipe eam sicut vnigeniti mansioné, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut sposam cœlestis domini immaculatam. Accipe tibi commendatam, tuæ religiositati creditam, serua, ser curam, intende fugiens ab Herode, duc in Egyptum, & iterum remeans, post Herodis mortem reduc in terrā Israel. Pariet autem filium, non tibi, sed toto mundo. Ideò vocabis nomē eius Iesum. i. saluatorem. Ipse enim saluum faciet populum suū in eum crediturum non à temporali, ac breui seruitute, sed à peccatis eorū, quem perpetua comitatur seruitus. vnde claret hunc filium, quem pariet, verum esse Deum, cum à peccatis soluere illius est, cuius est vitam dare.

Laus eximia iusti Ioseph.

Ex quibus patet laus eximia huius iusti viri Ioseph. Qui ex omnibus hominibus electus est, vt esset conscius, & coadiutor cœlestis mysterii, nedum eñ (vt Bern. ait hom. 2. super Missus est) illius magni patriarchę Ioseph in Ægyptum venditi nomen sortitus est, sed & castimoniam adeptus, innocentiam assecutus, & gratiam longe copiosiore vt ille siquidem (vt de cæteris sileam) fidé domino suo seruans, noluit dominę cō misceri, ita iste dominā suam, domini sui matrem virginem, ipse continens fideliter custodiuit Fuit siquidem & virgo Ioseph ante desponsationem, ac virgo in ęuum permansit, sicut docet Hieron. contra Heluidium, & Hugo vbi supra. Ex hoc denique hoc claret, quia si dominus matri suę, iam ętatis prouectæ, neminem dare voluit custodem in cruce nisi virginem Ioannem, quantò magis hoc voluit in adolescentiore ęta te, & sicut voluit Deus à virgine nasci: ita nec nutriri nisi in puritate virginali. Et sicut virgo quia fomitem habuit vel pęnitus ablatum vel omnino debilitatum, nunquam ex conuictu, vel associatione viri, vel leuem sensit illecebram, ratione iudicium pręueniéte. Ita putandus est in Ioseph to-

mes originalis criminis repressus, vt ex Mariæ (licet pulcherrimæ) speciosita te. conuictu ac familiaritate nunquam motus sit ad libidinem. Sed longè magis ad castitatem, nedum ex proprij somitis repressione, sed ex Mariæ virtute,& merito,atque disciplinatissima cõuersatione, singularisque castitatis refulgentia. Quoniam tradunt Alexan. de ales in suo tertio.& dominus Bonauentu. in 30. distinct. tertij,quod nullus vir vnquam ex aspectu gloriosæ virginis (quamuis pulchræ nimis) vrebatur ad concupiscentiam,sed eam potius extinguebat, ille diuinus aspectus quasi frigidus quidam ex oculis virgineis ros spiraret,& efflueret à sua mente castissima. Nos igitur hanc virgineam faciem iugiter intueamur, eius mores,& vitam contemplemur,& eius vestigia imitantes per eam ad dominum ascendamus. Quem vt nobis pariat in hac sacratissima nocte ventura omni deuotione præparati, sacras celebremus vigilias, non in comessationibus, & ludis, sed in effusione spiritus nostri,ac cordis perfectione, vtque nostram imperfectionem suppleat, ac nobis venturum regem filium suum propitium faciat, ad ipsam oremus Virginem dicentes cum beato Bernard. per te habeamus accessum &c. Quod nobis conce. &c.

## *IN DIE SANCTISSIMO Natiuitatis domini nostri Iesu Christi Sermo II. in tres sermones subdiuisus.*

Inexplicabilis solemnitas Iesu natiuitatis.

GLORIA in altissimis Deo. Luc. 2. & in euan. primæ missę. Non potest sermone humano (dilectissimi) huius celeberrimæ diei festiuitas satis explicari, sed nec cogitari. Quis enim (ait propheta Malach. capitu. 3.) cogitare poterit diem aduentus eius. Ideò nimirum angelicus mittitur exercitus copiosus prædicare pastoribus diei huius gloriam. Vtinam & nunc adesset ex turba cęlesti vel vnus qui nobis sacramenta hodiernæ natiuitatis aperiret, dum enim ego peccatorum indignissimus, quæ vt cunq; cõcepi proferre gestio, fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus quoniam insueta nouitate relucent omnia,& omnia partui Virginis obsequũtur. Fiũt mirabilia in cœlo sursum, sed longè maiora in terra deorsum. In cœlo oritur sydus nouum, coruscant in aere sanctorum agmina angelorum, illuminantia quidem, quoniam illuminata. Sed lux non illuminata, fons lucis omnia illuminantis in terra oritur de virginea terra, de terra inquit, veritas orta est, habitantibusq; in regione vmbre mortis lux orta est eis Esa.9. Quod itaq; voce non valemus, saltem internis gaudijs celebremus. Ad hoc sanctus Leo Papa nos hortatur, dicens. Exultemus in domino dilectissimi, & spiritua li iucũditate lætemur quia illuxit dies redemptionis nouæ, reparationis antiquæ, fęlicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua reuolutione sacramentum ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursum erectis cordibus diuinum adorare mysterium, vt quod magno Dei munere agitur, magnis etiam gaudijs celebretur. Hoc est, quod cęlestis ille paranymphus Gabriel archangelus euangelizat. Qui (vt vult Aug. lib. 3. de mirabilibus sacræ scripturæ) omnes annunciationes ad Christi ortum pertinentes fecit. Ait enim. Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Non vtiq; carnale, quale sequunt homines vani qui etiam summis Dei beneficijs in occasione carnis abutentes, plus solito se hodie ingurgitarunt sed tale, quale angelorum multitudo iubilans, & exultans, docet. Gloria inquit, in alt. Deo Acsi apertè dicerent. Commune vobis, atque nobis debet esse gaudium, quibus communis saluator hodie nascitur Sic itaque gaudete quomodo nos glo-

ſtari videtis, vt qui gloriatur, & exultat, glorietur in domino, dicens nobiſcum corde,& animo. Gloria in altiſſimis Deo. De quibus &c. Aue Maria.

Quæ tătorũ nouitas gaudiorũ quam angeli canunt.

Gloria in altisſimis Deo Videndum primò,quæ tantorum gaudiorum nouitas, propter quam reſonare congruit gloriam Deo. Secundò quam nos Deo impendere tenemur pro tantis beneficijs gloriam. Nouitatem hodiernæ iucunditatis angelico diſcimus eloquio, quo ait. Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Ingreditur (inquit Leo) hæc mundi infirma filius Dei de cęleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine,quia inuiſibilis in ſuis viſibilis factus eſt in noſtris. Incomprænhenſibilis voluit compræhendi. Ante tempora manens, eſſe cępit ex tempore,vniuerſitatis dominus, ſeruilem formam obumbrata maieſtatis ſuæ dignitate ſuſcepit. Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis,& immortalis mortis legibus ſubiacere. O nouitas inaudita. O miraculum,cui nihil in diuinis actionibus ſimile reperitur. Creauit ſiquidem dominus in temporis initio creaturam, tam ſpiritualem, quam corporalem, quam bonitatis ſuæ (prout capere poterat quælibet) participem eſſe conceſſit, ita tamen vt incompræhenſibilis,infinitaq; maneret diſtantia creatoris à creatura,nihilq; idem eiuſdẽue perfectionis creaturæ compęteret, ac creatori. Sed naturam noſtram in qua hodierna die nouus homo, ſumma maieſtas apparuit, ita ſublimauit, ſeque illi contemperauit,vt nihil eſſet diuinę perfectionis, quod non homini communicaret, neque aliquid aſſumptæ naturæ infirmum, culpa, ignorantia, ac ſimilibus exceptis, quod non ſibi attribueret. Propter quod nouus homo noſter, natus hodie ex Virgine,nedum vocatur per gratiam ſed eſt illi⁹ akiſſimi

Pulcherrima Chriſti naſcẽtis explicatio.

per naturam. Quod angelus Virgini prædixit. Ideòq; & quod naſcetur ex te ſanctum, ab omni peccati macula innoxium, vocabitur altisſimi filius. Ità hodie genitus ex matre,vt non minus ęternus ſit ex patre,& homo,quem hodie virgo peperit, ipſe & Virginem, ac vniuerſa à principio creauit. Sicq; factum eſt per hodiernam natiuitatem vt Deus appareret modo genitus, infirmus,pauper localis pasſibilis, mortalis, & homo eſſet æternus,omnipotens,diues in omnes, incompræhenſibilis,impasſibilis,immortalis.Et vt Dama.c.5. ait. Idem Chriſtus eſt creatus,& increatus, pasſibilis, & impasſibilis mortalis. & immortalis non tamen ideò confuſæ ſunt ſubſtantiæ ſiue naturæ, ſed in eadem hypoſtaſi .i.perſona vnitæ. Vnde Athanaſius. Vnus non cõfuſione ſubſtãtiæ, ſed vnitate perſonæ

Duæ naturæ in Chriſto diuina, & humana.

Pro cuius intellectu aduertendũ, ꝗ in Chriſto ſunt duæ naturæ, diuina .ſ. quæ eſt æterna,& humana temporalis, compoſita ex vera carne de Virgine ſũpta,& anima rationali creata.Hæ duæ naturæ diuina, & humana vniuntur in perſona verbi, ſed non confunduntur nec permiſcentur,quia neutra in aliam conuertitur,vt dicit magiſter diſt. 7.li. 3. in fine. Non .n. humana natura trãſit in in diuinam, ita ꝗ ſuum eſſe perderet, ſed manet integra, & quo ad ſe inuariata,habens ſuas naturales proprietates illæſas ſed nunc per gloriam, perfectas, diſtincta realiter à diuina.

Vnio perſonarum hypoſtatica ſine confuſione.

Neq; ex duabus his componitur aliquod tertium puta Chriſtus,ſiue diuinum ſuppoſitum, quomodo ex anima rationali,& carne ſit vn⁹ homo. Homo ſiquidem non eſt ſine altero, anima,vel carne,& tamẽ nec eſt anima, nec caro, ſed quoddam totum ex illis duobus, ſiue inhæſiuè vnitis compoſitum. In propoſito autẽ perſona diuina,in qua vniũtur diuina natura, & humana eſſe poteſt & fuit ab æterno,ſine natura humana, hodie nata. Ipſa deniq; perſona Chriſti eſt realiter natura diuina in ſe ſimplicisſima, nullam habens partem. Non .n.diuina natura eſt pars eius,ſed

ipsamet persona diuina. Nec humana natura est pars eius, sine qua (vt dictũ est) esse potest. Et ita omnino non est persona verbi, quia aliud est, quod assũpsit, aliud, quod assumptum est. dist. 7. tertij. & sunt verba beati Ambr. lib. 3. de spiritu sancto. Et pro his sufficiat autoritas Damasc. in suo: 3. cap. 3. & habetur vbi supra. disti. 7. Inconuerse, & inalterabiliter vnitæ sunt duæ naturæ. Neque natura diuina excedente à propria simplicitate, neq; vtique versa humana in deitatis naturam, neq; ex duabus vna facta composita natura. Cõposita enim natura neutri earũ, ex quibus componitur homousion .i. consubstantialis existere potest, quia sic Christus neq; Deus esset, neq; homo, sed tantum Christus, vt infra deducit.

Quomodo natura humana assumpta é in vnitatem psonæ si non est pars eius

Sed quomodo tunc est assumpta natura humana in vnitaté personę, si non est persona verbi, nec pars eius? Dicit secundũ Sco. sententialiter, q sic est assũpta, q sibi derelicta posset in se personari. Nunc autem ad verbum dependet, & iam sustantificatur verbo longè nobilius, quam personaretur in seipsa, & longè nobilius est esse non personã, & dependere ad verbũ, quam esse per se & nulli inniti. Sicut si conceptus alicuius rei per possibile, vel impossibile posse esset extra omné intellectũ, & esse suppositum per se, longè nobilius esse habet in intellectu vbi nõ est suppositum, quã dũ est separatũ Separatum siquidé est imago mortua non cognoscens, sed coniuncta est actus vitalis intellectus. Sic dè anima posset ostendi. Per hanc autem vnionem sic humana natura incarnatur verbo vt omné denominationem, quam tribueret proprio supposito communicat verbo. Propter q verbum verè est homo, vt dicit Ioa. 1. Verbum caro factum est, & non cõmunicat illa verbo, quæ naturæ sunt, & non suppositi, vnde verbum non est natura humana, non est compositum ex anima, & carne, non est assumptum, & sic de alijs. Sic & natura diuina omnem suã perfectionem communicat, non naturæ humane, sed supposito humano, id est verbo, quod est homo. Et ita persona verbi, quæ est persona Christi, vna est, non duæ, quæ & Deus est, & homo, quia in duabus naturis subsistit, diuina .s. humana, vt dicit Aug. contra Maximum: Christus est persona geminæ substantiæ. Et secundum hoc cautè intelligendum est illud Athanasij. Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. Ita q similitudo referatur ad veritaté vnitatis, non ad modũ vnionis, sicut dicimus: ita Petrus est homo, sicùt Adam est homo, quia vtrobiq; verus homo, licet alter per propagationem genitus, alter à Deo ex terra immediatè formatus. Non vt similis sit vtrobiq; compositio, sed quia ita verè, imo verius Christ⁹ est vnus, id est vna persona subsistens in duplici natura, sicut homo compositus ex carne, & anima, vnus homo, non duo dicitur.

Ecce quantũ sublimata, atq; exaltata est humana natura, quæ nedum vt à peccato liberaretur est assumpta, nedũ priori dignitati est restituta, sed super omnes creaturas est exaltata. Hinc exclamat ecclesia. O culpa nimiũ beata, per quã redépta est natura. Ingreditur denique noua natiuitate, quia secundum Leoné immaculata virginitas cõcupiscentiã nesciuit, & ideò partus dolore caruit. Et Bern. in ser. de vigi. mutata est in Virgine maledictio Euæ. Sola siquidem à generali maledicto libera, & à dolore parturientiũ aliena. Nec mirum si dolorem non intulit matri, qui tulit dolores mundi.

Sublimitas naturæ humanæ.

Duo quippe sunt, quæ timet humana fragilitas, pudor, & dolor, vtrunque Christus tollere venit, vndè & vtrunq; suscepit, quando (vt cetera sileã) morte, & morte turpissima condemnatus, est ab iniquis. Et vt nobis fiduciã daret, quia hæc tolleret, id est auferret à nobis, prius matrem suam immunem ab vtroq; seruauit Nec solum conceptio sine pudore, & partus sine dolore, sed etiam mater est sine corruptione. O verè nouitas inaudita, virgo peperit, & post partum inuiolata permansit fecũ-

Cur in natura humana pudor & timor.

ditatis

fœcunditatis prolem cum carnis integritate,& gaudium matris habens cũ virginitatis honore. Hoc est, quod Esaias in spiritu præuidens supra modum admiratur,aitq; c. 66. Antequam parturiret,peperit,parturiret .i. partus dolorem sentiret. Et loco confirmationis idem repetit,antequã veniret partus.i. dolor ex partu, peperit masculũ. Quis audiuit vnquam talia, aut quis vidit huic simile? quasi diceret, nullus.

Sine dolore sed cum magno gaudio genuit virgo.

Nec modo sine dolore genuit,sed cũ ineffabili gaudio.Si gaudium magnum annunciatum est pastoribus ab angelo quantum putandum est fuisse gaudium Virginis de tanto filio? Si ad præsentiã Christi adhuc in materno lactentis vtero exultauit infans in vtero, exultauit & ipsa mater Helisabet, quanta lętitia mater virgo exultauit in editione fontis gaudiorum? Si in eius conceptione ipsa mater exultauit spiritu in Deo salutari suo, quantus dulcedinis torrens cordis intima impleuit,dum prima omnium corporalibus intuita oculis est filium vnigenitum infanté tenellũ, quẽ syncerissima fide omnipotentem credit Deũ. Ipsumq; prona, quem genuit, adorauit? Hinc exclamat Origen. in homil. de vigilia. O magnæ animi rationis gratia ineffabilis suauitas.O inenarrabile,magnumq; sacramentum. Ipsa eadem virgo, ipsa & mater domini, ipsa genitrix,ipsa eius ancilla,plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Quis vnquã hoc cogitare potuit,vt mater virgo esset? intacta generaret, quæ & virgo permansit,& virgo genuit?Sicut quondam rubus comburi videbatur, & ignis eũ non tangebat. Sicut tres pueri olim in camino inclusi habebantur, quos tamẽ non lędebat incendium,nec odor fumi erat in eis.Vel sicut Danieli in lacu leonum incluso, allatum est prandium ab Abachuc claustris nõ apertis.Ecce hæc sunt hodiernæ gaudia festiuitatis, propter quæ resonare debemus cum angelis: Gloria Deo in altissimis.Et tantum de primo principali.

Quantam, & qualem debemus altissimo gloriam in hac iucundissima filij sui natiuitate angelorum nos instruit exercitus.

Quantã Deo gloriam debeamus.

Quid est enim q̃ sacra angelorum turba cum celebri voce noua annuncians gaudia gloriam canit in altissimis Deo? Nunquid natum sibi annunciant saluatorem, qui salutem semel acceptam nunquã perdiderunt? Nõne statim post suam creationẽ, longè prius, quã Christus nasceretur, immo prius, quam homo produceretur iã saluati iã perfectè fuere beati? Nunquid aliam, vel maiorem expectabant beatitudiné, quã illã,qua irreuerberatis oculis gloriam vident indiuiduæ trinitatis,vt sibi natum gaudeant saluatorem? Certè augmentanda non erat essentialis eorũ beatitudo.Sed restabat nihilominus,vnde eorum gaudium cresceret, quoniam & beati erant angelici spiritus, non tñ omnes, quoniam draco ille antiquus, dum superbè se eleuauit supra se diuinã appetens similitudinẽ,cecidit,traxitq; secũ tertiam partem stellarum, magnã.s. multitudinẽ adhærentiũ sibi angelorum.Hãc ruinam grauem per hãc natiuitatẽ ex hominibus cognouerunt reparandam. Hinc exultent, hinc laudant,dicẽtes: Gloria in altissimis Deo

Angelorũ lętitia vnde.

Si ergo rectè consyderamus, nostram salutem suam deputant pro nostra liberatione Deo laudes canunt. Hinc Leo in sermone ait. Ab exultantibus angelis nascente domino: Gloria in excelsis Deo canitur,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis nunciatur. Vident .n. cęlestem Hierusalem ex omnibus gentibus fabricari.

De quo inenarrabili pietatis opere quantũ lętari debet humilitas hominũ cũ tãtũ gaudeat sublimitas angelorum. Nos ergo abiecti de paradiso extrusi,p longa exilia errãtes, quibus nulla erat spes viuendi,per hanc natiuitatem,potestatem accepimus ad auctorem nostrũ redeũdi, vt de seruis efficiamur liberi,de extraneis filij,longè maiora cõsecuti quã angeli, meritò confundimur de nostra negligẽtia,& ingratitudine,si nõ corde deuoto cecinerim⁹.Gloria in excelsis Deo. Sed quã gloriã reddemus ei,cui⁹ gloria super cęlũ, & terram ab

æterno perfecta, nullam respicit additionem, sicut nec diminutionē Quod consyderans propheta ait. Bonorum meorum non indiges. Sed licet gloria Dei in se infinita sit, nec augeri possit, Aliquid tamen ex nostra parte additur, cum nostra gloria diuinæ copulatur, in quo nos proficimus, & nequaquā Deus, dum videlicet in illo nos gloriamur, extra quem non est vera gloria. Sic enim iubet propheta. psal. 28. Afferte domino gloriam, & honorem, afferte domino gloriam nomini eius. Sic enim dominum glorificat, quisquis in domino gloriatur. Quid autem est gloriari in domino, nisi iucundari in domino? Laudare dominum, honorare eum? Dominum itaq; glorificamus, dum corde de eius gloria exultamus, secundum illud psal. Exultabunt sancti in gloria. Ore gloriamur, dum suam gloriam, ac impēsa beneficia laudamus, secundum illud Esa. 24. A finibus terræ laudes audiuimus gloriam iusti. Opere gloriamur, dum virtutum operibus Deum honoramus, secundum illud Mat. 5. Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestum, qui in cęlis est.

Deo nihil addi potest & si homo ei det gloriam.

Cum ergo diuinarum perfectionum cōsyderatione, ac beneficiorum suorum memoria permoti, lætamur in diuina bonitate toto corde, volumus Deum esse summum, perfectum, optimum, potentissimum, sapientissimum & simpliciter altissimum ac infinitum, atq; super omnia complacet nobis eum talem esse, quod etiam est Deum super omnia diligere, tunc corde iubilantes dicimus, Gloria, nedum in altis, aut altioribus, sed in altissimis Deo. Et quantò intensius summam, atque altissimā gloriam Deo volumus, tantò magis crescit in nobis gaudium, & lætitia, & ad impletionem desyderati sequitur lætitia. Hoc modo peccatores diuinę voluntati renitentes non glorificant Deum, quoniam non volunt hunc omnipotentem. Non enim volunt Dei voluntatē, sed suam fieri. Sic diuinæ ordinationi remurmurantes, aut sua peccata Deo occultari optantes, nolunt Deum esse sapientissimū. Qui verò creatura fruuntur, tanquam fine vltimo, eligentes magis delectari in creatura, quàm Deo, pręferentes prospera mundi ęternis bonis, haud dubium nolūt Deum esse omnipotentem. Quicquid enim sibi voluntas pręstituit tanquam finem vltimum id vult esse optimum, boni enim ratio, & finis coincidunt, ex. 1. Eth. Nullus horum canit dicens, Gloria in altissimis Deo. Sic cum diuinam gloriam ore pdicamus, eius beneficia magnificamus, nihil magis libet audire, aut eloqui nisi quæ Dei sunt, hinc prędicationi verbi Dei iūgimur cum auiditate, diuinis officiis cum delectatione intersumus, plus in his, quàm quorumcunque aliorum laudibus gaudemus, ore dicimus, Gloria in excelsis Deo. Si demum totos nos Deo reddimus, qui se totum hodierna natiuitate nobis dedit, omnes nostras operationes in Deum ordinando secundum illud Apostoli 1. Corinth. 10. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite, opere cantamus. Gloria in altissimis Deo. Hæc autem tantò facilius faciemus, quantò diligentius diuina beneficia hodie nobis exhibita recolemus. Quæ nos nunquàm obliuisci, sed cum gratiarum actione memorari dignè, & nunc, & semper nobis concedat dominus noster Iesus Christus pro nobis hodie natus cum patre, & spiritusancto in secula benedictus, Amen.

## *SECVNDA PARS SERmonis primi de Natiuitate. In die S. Stephani in ordine. III.*

ET in terra pax hominibus &c. Luc. 2. Luc. 2.

Pacis aduersarius diabolus à principio suæ creationis pacem in cęlo turbauit, inimicitias excitauit, bella mouit. Factum est inquit Ioan. Apoc. 12. pręlium magnum in cęlo, Michael, & Angeli eius pręliabant cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non

Quæ sit pax quā terrenis attulit Christi Natiuitas.

non valuerunt. Sed proiectus est serpēs ille antiquus qui vocabatur diabolus in terram, reddita pace cęlis, quæ exuperat omnem sensum. Sed væ terrę quomodo descendit sathan habens iram magnam, quam non potenter, sed exercens dolosè in hominem victus in cęlo, victor pessimus extitit in terra, dum decepto homine de terra pacem abstulit, hominem à Deo separauit, sed & Angelis Dei odiosum fecit. Vnde Greg. hom. 8. ait discordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate, atq; munditia per primę culpæ meritum, perque quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à domino, extraneos nos à suo consortio deputabāt Angeli ciues Dei. Sed venit princeps pacis, pater futuri seculi, cuius pacis non erit finis, venit in nostra carne, pacis inimicum debellauit, ac pacem, quàm in cęlo conseruauit, etiam terris reparauit, sicut ad Coloss. 1. ait Apostolus. Placuit per eum recōciliare, omnia in ipso pacificās per sanguinem crucis eius, siue quę in cęlo, siue quę in terra sunt. Item ad Eph. 2. Ipse est pax nostra faciens vtraque vnum, soluens inimicitias in carne sua. Et quia rex cęli terram nostræ carnis assumpsit infirmitatem nostram, illa iā Angelica celsitudo non despicit. Nec iam infirmitatem nostram contemnere ausi sunt, quam supra se. s. in cęli rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui supra se adorant hominem Deum. Ad pacem itaq; nato domino redeunt, intentionē prioris discordię postponunt, ac cum gaudio mortalibus pacem nunciant, dicentes. Et in terra pax hominibus. De quibus Aue Maria.

*Pax quid sit, & quotuplex.*

Et in terra pax hominibus. Primò videndum. Quæ sit illa pax, quam in terra nobis attulit saluatoris nostri natiuitas gloriosa. Præter hanc enim nobis summam illam pacem futurā, quā turbare nemo potest, meruit, de quo hic nihil dicendum. Secundò quibus modis illam pacem adipisci valemus, & tertiò quomodo illam tenendo beatus protomartyr Stephanus summam pacem acquisiuit. Quo ad primum, pacem in sua generalitate describit Augu. 19. de ciui. Dei cap. 13. dicens. pax omnium rerum est tranquillitas ordinis. Et quia inter malos ordo quidam est, licet peruersus. Sic etiam pax quædam est malorum, quæ opponitur paci bonorum. Pax bona est concordia ordinata hominis ad Deum, seipsum, & proximum, qua. s. inferiora consentiunt, & obediūt superioribus. Itaque ad Deum pax seruatur, dum in fide sub ęterna lege stat obedientia, vt ait Aug. vbi supra. Pax ad seipsum, dum fuerit ordinatę cognitionis, actionisque consensio, vbi supra c. 14.

Pax proximi est cum omni homine ordinata concordia, vt scilicet nulli noceat, & cum poterit, prosit. Vtriusq; pacis ad seipsum, & proximum fundamē tum est pax ad Deum. Quoniam secundum Aug. 19. de ciui. dei c. 14. Ne ipso studio cognitionis propter humanę mē tis infirmitatem in pestem alicuius erroris incurrat, opus habet magisterio diuino, cui certus obtemperet, & adiutorio, vt liber obtemperet. Et quia quādiu in isto mortali corpore peregrinatur à domino, per fidem ambulat, & nō per speciem omnem pacem ad se, vel proximum necesse est referat ad eam, quæ est hominis mortalis cum Deo, vt ei sit ordinata in fide sub ęterna lege obedientia. Duo enim pręcepta dedit magister Deus. s. de dilectione Dei, & proximi, in quibus tria inueniuntur. quæ diligat, Deum, seipsum, & proximū. Hęc itaque cum diligit veram pacem seruat. Et quia dilectio Dei ratio est dilectionis sui & proximi, sequitur quod communis pax hominis, quæ bona est, in Dei dilectione fundatur. Hinc propheta ait. Pax multa diligentibus legem tuam.

*Tria diligenda homini.*

Non hoc ignorauit pacis ille antiquus turbator. Ideò conatus est auferre pacem hominis ad Deum. Dum transgressionem primis parentibus suasit, qua ablata, sustulit & eam, quæ est hominis ad seipsum, & proximum. Cum malè

*Diabolus pacē conatus est auferre.*

malè suadenti serpenti consensit, iam bellum intra se sensit, atque frater fratri inuidens ipsum occidit. Sed & triplicem pacem detestabilem periculosius induxit, qua allectus homo nunquã ad veram pacem redeat .i. pacem cum diabolo, cum carne, & mundo. De prima dicitur Luc. 11. Cum fortis armat' custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. De secunda dicit Apostolus Roma. 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Sapere secundum carnem, est carni cõsentire, & ita pacem cum carne habere. De tertia ait Dauid psal. 72. Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Describens consequenter peccatoribus arridere prospera mundi, quæ est pax cum mundo. De eodem loquitur Salomon Proue. 1. Marsupium vnum sit omnium nostrum. Hanc triplicem pacem non venit saluator conferre, sed tollere vt ipse testatur Mat. 10. Non veni pacẽ mittere in terram, sed gladium. i. separationem. Et quantum ad pacem huius mundi, quæ est concordia peccatorum in malo, subdit. Veni separare hominẽ aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem &c. Qui enim amat patrem, aut matrem, filium, aut filiam plus, quàm me, non est me dignus. Quãtum ad pacem cũ carne, subdit. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Crux ista afflictio est carnis, vt dicit Apostolus ad Gal. 5. Qui autem sunt Christi, carnẽ suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis eius. Sed quantum ad pacem cum diabolo ait Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

*Quàm pacem Christ' attulit.*

Hanc pacem, quæ damnat, Christus, venit tollere, & pacem, quæ saluat, restituere. Pacem cum Deo reparauit, nobis peccata relaxando, quę diuiserunt inter nos, & Deum, vt ait Esaias 59. Pacem internam deduxit, gratiam conferendo, per quam fortificatur voluntas ad vincendum carnem legi mentis repugnantem. Vnde Apostolus ad Rom. 7. cum difficultatem vincendi sentiens exclamasset, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? statim consolatur se, dicens. Gratia Dei, quę est per Iesum Christum. Pacem cũ proximo innouauit ad rectas iustitiæ actiones sua conuersatione mitissima illuminando. Sic enim ait, Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Io. 8.

*Christus tres defectus venit tollere à nobis.*

Nec solum veni pacem hanc triplicem conferre, sed & triplicem defectũ in nobis remediari quibus facile redditam pacem violamus. Triplici enim miseria genus humanum laborat, ait Bern. sermone vlt. de aduentu. Nam faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum, & malum, decipimur. Si tentamus bonũ facere, deficimus. Si conamur resistere malo, deiicimur, & superamur. Per primum tollitur pax ad proximum, dum per indiscretionem iustitiæ limitem transgredimur. Per secundum aufertur pax ad seipsum, dum carnis infirmitate lassi, à bono, quod ratio dictat, voluntáte declinamus. Per tertiũ pax ad Deũ dissoluitur, dum tentati à diabolo ad peccatum consentiendo frangimur.

*Aduentus saluatoris necessarius nobis.*

Necessarius itaque nobis sic degentibus in regione vmbrę mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, fuit aduentus saluatoris, vt copiosissima sua dignatione in nobis per fidem habitans illuminet cecitatem nostram, nobiscum manens adiuuet infirmitatẽ nostram, & pro nobis stans fragilitate nostram protegat, & propugnet. Si enĩ ille in nobis, quis decipiet nos? Si ille nobiscum, quid de cetero non possumus in eo, qui nos confortat? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino, neque fallere potest. Fortis auxiliarius, qui nõ lacescat. Patronus efficax, quę & ipsum sathanam sub pedibus nostris velociter conterat, & omnia machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu in sit instruere ignorantes. Ipse Dei virtus, cui facile sit & deficientes reficere, & tum

eripere periclitantes. Ad hunc ergo tātum eruditorem in omni delibera: ione curramus. Hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione inuocemus, huic tam fido propugnatori in omni colluctatione cōmittamus animas nostras, qui ad hoc ipsum venit in mundū vt habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, tenebras nostras illuminādo, labores leuiando, pericula propulsando, pacē, quā perdidimus, restitueret secundū verbū euangelicū, In terra pax hominibus. Et tm̄ de primo.

Quomodo pax terris à nuncia-ta apprę hēdi pos sit.

Quomodo autem pax illa terris nunciata appręhendi, ac conseruari possit, nunc secundo loco restat consyderare. Quoniā licet pax omnibus per Christi natiuitatē sit oblata, nō tamen oēs eam acceptāt. Sunt enim vt in psal. 108. qui nolunt benedictionē, & elongabitur ab eis, vt non oēs, quibus pax offertur, sint filii pacis, vt designauit dominus Apostolis Luc. 10. dicens. Quamcunque domum intraueritis, dicite, Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescat sup eū pax vestra. Sin aūt reuertetur ad vos. Ideòq; cęlestes nūcij nō omnibus terrigenis pacē euangelizarunt, non eñ bestiis, aut bestialibus, vitā pecudū eligentibus, quales sunt voluptuosi, per omnia carni suę seruientes, vt dicit philosophus 1. Eth. sed hominibus, quibus dictum est. Gen. 1. Dominamini piscibus maris, volatilibus cęli, & vniuersis animantibus, quę mouentur super terrā. Quid eñ pisces maris, nisi fluidę carnis voluptates? Quid per volatilia cęli nisi summa petēs superbia? Quid deniq; per animalia, quæ super terra mouentur nisi cupiditas terrenis diuitijs inhærens intelligitur? Qui his bestiis dominātur, verè sunt homines. Tales significati sunt per pastores super gregem suum vigilantes, quibus primò illa pax nunciata est, quam & consecuti sunt, dum transeuntes festinanter videre verbum, quod factum est, quod dominus ostendit eis, inuenerūt Mariam, & Ioseph, & infantem positū in præsepio. Sic enim scriptum est. Reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum de omnibus, quæ audierant, & viderant. Ecce reuersi sunt pastores, haud dubium, quin simul, & concorditer, ecce pax ad proximum, glorificantes, & laudantes Deum, ecce pax ad Deum, de omnibus, quæ audierant, & viderant, ecce consensio actionis cū recta cognitione, quæ est pax ad seipsum.

Quilibet homo quomodo sit pastor.

Si non dissimiliter quilibet homo pastor est habens gregē sibi commissum. s. sensualitatis turbā, quam rectè bestias dixerim, quoniā habemus eā cōmunem cum bestiis. Sup quā, necesse est, vigilemus, ne post suas illecebrosas vagetur concupiscentias, incidatq; totus homo in rapinā lupis, & leonibus animas vorare cupientibus. Talibus pax promittitur, quàm consequuntur, si Mariam inueniunt & Ioseph, & puerum in prę sepio. Quid per Mariam, nisi carnis cōtinentia, per Ioseph verò nisi iustitia, per infantem in præsepio, nisi humilitas designatur? Sicut enim (ait Bern.) saluatoris infantia manifestam præcedit humilitatem, Sic per virginem continentia, Iustitia per Ioseph virum iustum, cuius laus est in euangelio, non incongruè designatur. Continentia verò debetur carni, iustitia proximo. Est enim iustitia virtus, quę, quod suum est vnicuique tribuit, & hęc necessaria est proximo. Humilitas autem Deo nos reconciliat, Deo nos facit esse subiectos. Itaque qui fornicatur, in corpus suum peccat qui iniuriosus est in proximum, qui extollitur, & inflatur in Deum. Habeamus itaque in nobis Mariam .i. continentiam, per quam carnem spiritui subiugemus, & habebimus pacem ad nosipsos. Sic enim hortatur nos Apostolus Col. 3. Mortificate inquit, membra vestra, quę sunt super terram, fornicationem, immunditiā libidinē, concupiscētiā malā, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentię. Mortificate inquit, Apostolus non carnem vestram, sed membra vestra, quæ sunt super terram. Membra vocat ipsa peccata, ex quibus homo vetus tanquam ex membris cōstituitur. Hæc sunt mortificāda,

& omnino abiicienda, sed non caro destruenda.

Caro potest domari vt non extinguatur.

Est autem caro castiganda moderatis abstinentijs,ne lasciuiens in delitijs spiritum extinguat,sed magis tempera te sota spiritui seruiat. Ideoque in tali valitudine corpus est conseruandum, in qua melius spiritui seruire comprobatur. Vnde Ambro. super illud Roma. 12. Rationabile obsequiũ vestrum, Cũ temperantia corpora vestra castigetis, vt non naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitijs mori. Nec tamen ad hoc conandum est, vt per abstinentias in cibo, potu, somno &c. ad hoc corpus redigatur, vt non sentiat homo motus inordinatos sensualitatis contra rationẽ. Lex enim membrorum, siue fomes, temperata abstinentia mitigari potest, sed in hac vita extingui non valet. Quis enim vel hodie abstinentius viueret Apostolo, qui sciuit esurire, & penuriam pati? ad Phi.4. Qui castigauit corpus suum & in seruitutem redegit, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur? 1. Corint.9. Nec tamen sic ad istam corporis pacem peruenit, vt carnis bellum non experiretur. Alioquin non ter rogasset dominum pro stimuli ablatione, qui tamen ad repressionem superbię ab eo ablatus non est. Hęc autem perfecta pax, vbi in nullo caro reluctatur spiritui, patriæ reseruatur, vbi reformabitur corpus humilitatis nostrę, ac configurabitur corpori claritatis Christi, vbi non aggrauabit animã, sed erit ei solatio. De hoc Aug. in retractationibus suis ait. Non potest in hac vita alicui prouenire, vt lex repugnãs legi mentis non sit omnino in membris, sed hoc pacificè agat domando cõcupiscentias carnis hic, vt aliquando ad pacem plenissimam perueniatur .s. in patria. Neque in hac concordia sensualitatis cum ratione principaliter consistit pax interna, sed principalius in consensione voluntatis cum recta ratione, qua stante, non est peccato locus quam sequitur conscientię puritas, quę est vera pax hominis ad seipsum.

Ioseph quomodo in nobis habere possit.

Habeamus in nobis & Ioseph, hoc est iustitiam, quę in proximi dilectione fundatur, per quam neminem circumuenire, neminem decipere, neminem nocere volumus, sed magis dum possumus prodesse, ac omnibus in bono consentire. Non enim vera est illa amicitia, quę non in virtute fundatur. Vnde Tullius in de amicitia. Nulla excusatio peccati est, si amici causa peccaueris. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis sit opinio, difficile est amicitiam manere, si à virtute defecerit. Cum itaque in virtute concordant voluntates plurimorum, vera est pax ad proximũ. Ad hanc pacem Aposto. nos hortatur ad Rom.12. Si fieri potest inquiens, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Dicitur autem vigilãter, si fieri potest, quod ex vobis est, quoniam frequenter mali bonis repugnant bonos infestant, & multipliciter persequuntur, nec quietè apud se viuere sinunt. Quantum itaq; ad istos, satis est bonis, si pacem tenent in se, & quantũ ad animi pręparationem, qua quantum in se est, parati sunt cum omnibus hominibus viuere quietè.

Puer Iesus quomodo habetur in nobis.

Habeamus denique in nobis & puerum in pręsepio .i. humilitatem in animo, per quam non coactè, sed voluntariè domino subijciamur. Non enim potest superbus domino subijci. Quoniã vt Bern. ait ser. de virgi. domini. Omnis superbus extollitur supra dominum. Sicut enim princeps superbię, vt Apostolus ait, extollitur super omne, quod est deus 2. Thes.2. ita & omnes filij superbię. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri voluntatem suam. Ecce æqualitas, sed attende malè congruam proportionem. Deus quidẽ in his tantum, quæ ratio approbat, suã vult fieri voluntatem. Superbus verò & cum ratione, & contra rationem. Non ergo superbus cum Deo pacem habet. Gloriam meam (ait dominus) alteri nõ dabo. Esa. 48. Sed superbus inquit, mihi eam licet non dederis, vsurpabo. Nec ei placet Angelica distributio dãs gloriam Deo, pacem hominibus, sed sibi vult dare gloriam. Nos itaque attenda-

da-

damus eum, cuius est orbis, & omnis eius plenitudo, pro nobis hominem factum, non ętate perfectum, sed infanté, qui stabulum elegit, ac pro lecto argenteo præsepium, vt gloriam reprobaret mundi, & seculi vanitatem. Hoc loquuntur omnia infirma circa ipsum in natiuitate sua ostensa, hunc amplectamur, hunc imitemur, & cum eo pacem veram habeamus. Eum colamus per pietatem, virginem Mariam imitemur, per sobrietatem, Ioseph, per iustitiam. Nam vt sic iuuemur, ipse venire dignatus est, & nos erudire, vt ait Apostolus ad Titum. 2. Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desyderia, sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum glorię magni Dei. Hęc est pax triplex, in vna fundata scilicet diuina dilectione, quam Angelicus nunciauit exercitus dicens. In terra pax hominibus. Tantum de secundo.

Stephanus prothomartyr pacé triplicé est assecutus.

Hanc triplicem pacem assecutus est protomartyr Dei Stephanus, quantum viatorem assequi decebat, secum quippe pacatus fuit. Nam tanta concordia actio voluntati respondebat, vt à fidei rectitudine, quam didicit, nulla potuerit humana ratione deterreri, quando eam disputando (etiam perfidis Iudęis) rectam ostenderet, ac pro eorum infidelitate acriter arguere. Ait enim Act. 7. Dura ceruice, & in circumcisi corde, & auribus vos semper spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri, sic & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui pręnunciauerunt de aduentu iusti, cuius vos nunc homicidæ, & proditores fuistis? Ad proximos quoque nedum amicos, sed inimicos, & occisores, tanta pace, & amore coniunctus est, vt inter cruentos lapidum ictus, pro eis oraret ad dominum, dicés. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Sed quis pacem eius ad Deum dignè prædicabit, quem tota anima, totis virib⁹ coluit, ita quod primus retribuere voluit domino, quod cum omni humano genere recepit à domino. Mortem enim, quam saluator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit saluatori. Et qui Apostolorum erat discipulus gradu, factus est omnium magister martyrio. Amen.

## *TERTIA PARS PRIMI sermonis de natiuitate domini in die sancti Ioannis euangelistæ. Sermo IIII.*

ET in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.

Luc. 2. Conscientia vitiis per turbata pacé nõ potesthabere.

Conscientię vitiis perturbatę vera pax esse non potest. Quoniam (vt philosophus ait) semper præsumit sęua perturbata cóscientia. Sap. 17. Hinc Esa. dicit cap. 48. Non est pax impijs, interior scilicet, licet exterius pacem habere videantur. Nam & tyranni vt Nero, & Decius, & cæteri rempublicá Romanam rexerunt, & magnam extrinsecus pacem habuerunt, quia plenam totius orbis, aut maioris partis obedientiam, sed minime secum pacati fuerũt. quos circunstans mundus venerabatur. De quibus Boe. lib. 4. de conso. Metro 2 loquitur. Quos inquit, vides sydere celso solii culmine reges purpura claros intenté septos tristibus armis, ore toruo comminantes &c. Iam videbis intus artas dominos ferre catenas. Hic enim libido versat auidis corda venenis. Hic flagellat ira mentem fluctus turbida, tollens mœror, aut captos fatigat, Aut spes lubrica torquet. Ergo cum caput tot vnum cernas ferre tyrannos. Non facit, quod optat ipse dominis pręssus iniquis. Cui consonat illud Augustini. 4. de ciuit. dei cap. 3. Malus etiam si regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed (quod grauius est) tot dominorũ, quot vitiorum. A quo enim (ait Petrus) quis superatus est, huius seruus est, secundę Petri secundo. Quo contra vera pax est conscientię securitas, etiamsi vniuer

uersa circunstantia sequiant Propter qd Salomon Prouerb.15.dicit, Secura mēs quasi iuge conuiuium. Ex quo satis patet, quod pax illa, quam illaturus erat Christus in eius natiuitate secundum prophetarum vaticinia, quia vera pax erat, fuit pax interior, non exterior, sicut & dominus ait de exteriori. Non veni mittere pacem. Hanc verò pacem interiorem significabat illa magna pax exterior, & temporalis, quæ fuit tempore natiuitatis Christi, cum (vt Lucas refert) describeretur vniuersus orbis, tanta vtique vt gladios in vomeres, & lanceas cōuerterent in falces. Esa.2. Quod vt clarè exprimeret Angelica contio, non vniuersaliter omnibus hominibus bonis, & malis pacis bonum nunciarūt, sed bonis tantum dicentes, In terra pax hominibus bonæ voluntatis Aue Maria.

Christus daturus pacē bonam in nomine exigit voluntatē.

Et in terra &c. Verbum hoc dilectissimi verbum est totius spei, consolationis, ac clementiæ, misericordię sinum omnibus aperiens, nullum excludens, nisi eum fortè, qui inuitatus, tractus, ac pulsus violenter vocationis gratiam refutat, resistit, recalcitrat. Si enim cęlestes dixissent Angeli, pax hominibus strenuæ actionis, iam nō immeritò terruissent infirmos magna agere non valentes. Si pacem optassent largas elemosynas facientibus, iam pauperes turbassent, vix sibiipsis sufficientes Si pacē nunciassent præsidentibus, & honoratis, pertimuissent subditi, & humiles ad hanc pacem venire desperantes. Sed vt omnes consolarentur, vt omnes accederent, vt subsisteret nemo, oblata est in terra pax omnibus bonæ voluntatis. Siquidem nihil magis est in nostra potestate, quam voluntas nostra, vt ait August lib. 1. retracta. Hanc æquè habet infirmus, & fortis, pauper vt diues, subditus vt prelatus, nec est, qui non possit velle, & nolle. Hanc ab hominibus exigit Deus, quibus suam pacem est daturus. Nonne & hoc voluit dicere Apostolus 1. Timoth. 4. Exercitatio corporalis ad modicum valet, pietas verò ad omnia, intelligens per exercitationem, corporis omnem exteriorem operationem, per pietatem verum Dei interiorem cultum. Est enim pietas vt Augu. ait.4.de ciui.Dei, cap.23.verax Dei cultus. Hic autem est, vt idem dicit lib.5. cap.20.de ciuita. Dei, credere, sperare, & diligere Deum, hæc in voluntate cō sistunt elicitiuè, vel imperatiuè quo ad credere. Ecce charissimi regnum Dei in nostra voluntate positū omnibus rectè volentibus, dabitur, vt inexcusabiles sint omnes impij. Nemo famelicum, oblatum cibum nolentem, aut excusaret, aut ei misericordiam impenderet. Ita nulla eis misericordia est futura, qui nunc quod maximè possunt, bonā voluntatem habere nolunt. Præparemus itaque voluntates nostras ad hāc pacem capiendam, quę etsi hic gestatur non tamen hic finitur. Quoniam ducit in illam perfectam, quæ nullo fine claudetur, sicut scribitur Esa.9. Et pacis eius non erit finis.

Voluntatis præparatio ad pacē in qno cō sistit.

Præparatio aūt ista voluntatis vt sit bona, & recta, consistit in conformitate ad diuinam voluntatem, quæ est prima & vniuersalis regula. Quam inobliquabilē esse constat, nec à rectitudine prorsus flexibilem. Quēadmodum tortuosa rectificantur per applicationem eorundem ad normam rectam. Hæc autem conformitas dupliciter attenditur secundum duplicem Dei voluntatem, q̄ nobis innuit scriptura, vt ostendit magister dist.45. primi. Non quod in diuina voluntate sit diuersitas, quoniam illa simplex est, & immutabilis, sed diuersitas est in locutione, quę nomine voluntatis diuersa accipit. Est itaq; voluntas Dei beneplaciti, & hæc est in Deo, & diuina essentia, qua efficaciter Deus vult aliquid esse, vel non esse. Et hæc quia omnipotens, impediri non potest, secundum illud psal. Omnia quæcunque voluit dominus, fecit in cęlo, & in terra Et Apostolus. Voluntati eius quis resistet? Rom.9. Alia est voluntas signi, & est aliquod signum, per quod cognoscimus Deum aliquid velle, vel pręcipere, aut consulere. Et ponitur à magistro quintuplex, scilicet præceptio,

magister lib.1. distinct.45

pro

prohibitio, consilium, operatio, & permissio. Hæc voluntas non est aliquid realiter in Deo existens, sed est signum circa nos, vel aliquis effectus Dei, quo gnoscemus aliquid circa diuinam voluntatem.

Ad volũtatem beneplaciti requitur nostra volũtatis conformitas

Quantum atque ad voluntatem beneplaciti hæc conformitas nostræ volũtatis requiritur, vt ab illa, dum cognita est, nunquam remurmurando aut absolutè, & deliberatè oppositum volendo discordet. Patet per illud Ecclesia. 39. Benedicite Deum in omnibus operibus suis. & sequitur. Et dicetis in confessione, opera domini vniuersa bona valde, & in omni corde, & ore collaudate. Non autem collaudat corde, qui dissentit, nolens ea fieri, quæ Deus vult fieri. Hoc ipsum quoq; charitas, & Dei dilectio exigit, quoniam amicorum (ait Tullius) est idem velle & nolle. Et dicitur notanter, dum hęc voluntas est cognita, quia dum voluntas Dei beneplaciti non est certè cognita, potest voluntas humana se difformare in volito oppositum volendo. Sicut filius infirmi patris mortem potest nolle, & pro ea differenda medicinas quærere, quámuis hunc Deus velit mori, dum hæc diuina voluntas non sit filio cognita, vt vult August. in Enchi. & habetur distinct. 48. primi.

Sed diceres, vnde constare poterit hæc voluntas Dei? Dicitur, quod vel per reuelationẽ quo ad futura, vel per factum aliquod iam inesse positum quo ad præsentia, & præterita. Vnde eo ipso, quod aliquis effectus inesse ponitur, scitur certè, quod Deus vult hanc rem esse, vel fuisse. Quoniam vt Augustinus ait 3. de trini. & habetur dist. 45. primi. Nihil fit, quod non de interiori, & intelligibili aula summi Imperatoris egreditur, secundum ineffabilem iustitiam. Et sequitur. Itaque verò non nisi Dei voluntas prima causa est sanitatis, ęgritudinis. præmiorum, atque pęnarum, gratiarum, & tribulationum. Hęc ergo sola est, vnde ortum est, quicquid est, sed ipsa orta non est, sed æterna est. Hęc ille.

Vnde dei voluntas nobis cõstat.

Peccant, qui friuole ore vel facto dei voluntati contra dicunt.

Ex quo patet, quàm grauiter illi peccant, qui dum ea, quę nolunt, contingunt, dũ aduersa accidunt, aut prospera tollũtur, statim diuinę remurmurãt voluntati, ita q̃ si possent, etiam contra Dei voluntatem oppositũ procurarẽt. Tales sunt, quicunq; ad pręcauendum hic sibi aduersa, vel ad abijciendum illata, quærunt media lege diuina prohibitã, vt suffragia diabolorum per incantationem, sortilegia &c. qui paupertatem fugare conantur vitiosa temporalium acquisitione, vt laudis vsuris. Quorum nonnulli ore confiteri non verentur, & dicere, vellem iuuari, vellem intentum obtinere, siue per Deum, siue per diabolũ, solum dum auxilium mihi impendatur. Quorum quandoque intantum crescit insania, vt etiam Deum blasphement, quasi iniustus esset Deus, qui talia sibi, vel suis infligeret. Contra quos ad Rom. 9. ait Apostolus. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? De quibus per prophetam dicitur, Confitebitur tibi cum benefeceris ei. vbi glo. Laudabit te o Deus, cum benefeceris ei, & solummodo in prosperis, sed blasphemat in aduersis. Non dicit cum Iob, Si bona suscepimus, mala autem quare non sustineamus? Et iterum. Dominus dedit dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, Sit nomen domini benedictnm. Et Augustinus super illud psal. Benedicam domino in omni tempore, ait. Benedic domino, quando ista dat, scilicet prospera, & quando ea tollit, benedic, quia illa dat, & illa tollit, sed seipsum à benedicente non tollit.

Difficile est nõ dolere quũ resoluitur dubium.

Sed fortè dicis, Difficile est non dolere, & non nolle damnum illatum. Dicitur, & si difficile est, solo damno considerato facilè tamen est, si attenditur, quia modicum est in cõparatione eius, quod adhuc tenet, scilicet Dei, quia se non aufert, cum temporalia aufert. Exemplum de prœuidite, qui perdit modicum straminis, nihil curat. Item fa-

cile est, si consyderatur, quia maius periculum vitatur. Sicut de proijcientibus merces in mare. Non si homo remurmurat, perdit vnam animę. Item facilè est, si consyderamus pręmiorum magnitudinem, quæ pro his accepturi sumus, si patienter sustinemus, sicut auarus libenter proijcit vnum, vt habeat decem. Dictum quoque est absolutè, quia in his, quæ Deus vult propter malum culpę in aliquo, vt sunt mala pęnę, potest quis sub conditione velle contrarium, & nolle pęnam, non autem absolutè. Potest enim velle non præcessisse culpam, in eo, qui demeruit illam pęnam sibi vel alteri. Culpa siquidem à Deo volita non est, & ita tunc nolle pęnam sub conditione, si non præcessisset culpa. Sic enim videtur dominus passionem suam noluisse, vnde orauit sub conditione in horto, Si possibile est, transeat à me calix iste Simpliciter autem voluit pati. Vnde sequitur, Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Dictum quoque est, & deliberatè, quoniam si subito constaret hominis diuinæ voluntas respectu alicuius tristabilis, vt de morte patris, aut alicuius nociui. Si homo iste subito indeliberatè quasi naturali motu refugiens nociuum nollet illud, quod tamen Deus vult, quia iam inesse positum est, non in hoc peccaret. Si tamen actu deliberato statim subiiciat suam voluntatem diuinæ, statim idest dum se recolligit, ac illud sibi tristabile tanquam à Deo inflictum intelligit. Et de hoc Augustinus ait, Qui recto sunt corde, si quandoque corde mortali priuatim aliquid velint, quod suæ causæ vel negotio, vel præsenti necessitati conuenit, tamen quam citò intellexerint aliud Deum velle, pręponunt voluntatem omnipotentis voluntati suę, & voluntatem Dei voluntati hominis.

Triplex homine voluntas vt in eo triplex cognitio

Et hæc, quæ dicta sunt, alii sub aliis verbis exprimunt, vt recitat Gerson in trac. de cordis directione. dicens, Distinxerunt aliqui triplicem in homine voluntatem, accepto largo vocabulo, secundum triplicem in homine cognitionem. Est enim voluntas, seu appetitus sensualis, qui ideò potest dici volūtas, quia appetitus natus est obedire rationi, vt dicit Philosoph. 1. Eth. Conformiter ad hoc dictum de Cain, subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Gen. 4. Secus est in appetitu sensitiuo in brutis. Est & alia voluntas, vel eadem aliter consyderata, quæ consequitur cognitionem rationis inferioris, quam appellant sancti velut mulierem respectu portionis superioris, quam virum dicunt. Hęc respicit leges temporales, & conclusiones, quę colliguntur ex sensibus. Sed portio rationis, quæ superior dicitur, conformatur ad leges æternas & secundum hac propriè dicitur voluntas rationis.

Consequenter dicunt isti, quod voluntas consequens iudicium rationis superioris, semper debet esse conformis diuinæ voluntati, ita quod nunquā in aliquo sibi remurmuretur, nec de damnatione hominum, nec de permissione peccatorum, nec de gratię subtractione. Sed dicat humili corde sine murmure cum propheta, Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Porrò quo ad voluntatem aliam duplicem potest fieri, quod bonus filius (sicut loquitur August.) velit patrem suum viuere, quem Deus vult mori, propter quendam naturę tractum, & colligationem ad ea, quæ temporalia sunt. Oportet nihilominus hanc duplicem voluntatem (si debet carere vitio) se resoluere tandem in eam, quæ sequitur iudicium rationis. Hæc Gerson. Quod nihil aliud est dicere, quam quod cum appræhendit ratio aliquem effectum, licet tristabilem, vt à Deo sic ordinatum secundū leges æternas. i. secundum suam voluntatem, quę est lex æterna, & immutabilis) contingentem, tunc tenetur saltem non remurmurare. Ratio enim sic appręhendens dicitur portio superior. Effectus autem aliquis apprehensus, vt nociuus, vel vt à causis secundis inferioribus procedens non habendo re-

ſpectum tunc ad Deum, ſicut appræhenditur ſecundum ſenſum, vel rationem inferiorem, ita poteſt eum voluntas, quę talem ſequitur appręhenſionem nolle.

Magnæ virtutis ſignum ſi homo habet cō placētiā deliberatam in diuinis operibus.

Verum eſſet laudabile, & magnæ virtutis ſignum, quod homo ſemper haberet ſaltem deliberatus complacentiam in diuinis operibus, ita vt quicquid aduersi ſibi inferret, totum cum gaudio ſuſciperet tanquàm volitum ab inobliquabili, & rectiſſima voluntate. Sicut Apoſtoli gaudentes ibant à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Chriſti contumeliam pati. Act. 5. Non tamen hoc de neceſſitate tenemur facere propter difficultatem, quam patimur ex rebellione carnis ad ſpiritum Sufficit autem ſecundum ſanctum Thomam in fine primi ſententiarum, in talibus non recalcitrare diuinę ordinationi, & non deliberatè contrarium velle, & non oportet in hoc gaudium experiri. Et ſic patet, qualis debet eſſe conformitas noſtræ voluntatis ad voluntatem Dei beneplaciti, vt ſit bona, & recta, & capax pacis Chriſti.

De volū tateſigni qualis eſſe debet, & q̄ ſint ſigna.

Quantum aūt ad voluntatem ſigni, patet ex dictis, qualis debet eſſe conformitas noſtræ voluntatis ad diuinam operationem, vel permiſſionem, quoniam hæc ſigna operatio, permiſſio, certè nobis ſignificant voluntatem diuinam beneplaciti. Quantum ergò ad alia tria ſigna, quæ ſunt præceptio, prohibitio, conſilium, dicitur quod talis debet eſſe conformitas voluntatis noſtræ ad diuinam, vt velit quicquid ſcit, quod Deus vult eum velle, non conſultiuè tantum, ſed pręceptiuè, & non velle, quæ Deus vult eum non velle prohibitiuè, hoc eſt velle implere diuina præcepta, quæ ſunt dictamina diuinæ iuſtitiæ. Hæc voluntatis rectitudo admittit aliquam obliquitatem, & hoc ex diuina miſericordia, quæ ſuperexaltat iudicium, quæ noluit obligare hominem ad punctalem iuſtitiam, quę ſtat in obſeruatione, & præceptorum, & conſiliorum omnium, & in nihil declinare ab omni eo, quod dominus vel præcepit, vel conſuluit. Condeſcendit ſiquidem noſtrę infirmitati, & iugum leue, onuſque ſuaue impoſuit, conformitatem noſtrę voluntatis, quæ eſt noſtra iuſtitia, ponens non indiuiſibili, ſed in certa latitudine, quæ eſt inter pręcepta, vt quocunque declinet citra præceptorum tranſgreſſionem, non dicatur iniuſta, ſiue mala.


Peccata venialia non ſunt cōtra rectitudinem pręcepti. ideo captibilia.

Compatitur ergo hæc conformitas ſecum peccata venialia, quoniam non ſunt contra rectitudinem præceptorū, ſicut nec contra charitatem, quam non extingunt, licet ſint obliquitates à mediis, per quę facilius, & rectius tenditur in finem. Et licet non tollat finis rectitudinem, tamen impediunt, ideò omninò conſulitur, vt quantum fieri poteſt, etiam ipſa caueantur, ne dum paſſim homo minima negligit, paulatim decidat. Eccle. decimonono. Ex illo iam patet, qualis debet eſſe conformitas noſtræ voluntatis ad voluntatē ſigni, quæ eſt conſilium. Non enim obligat conſilium ad ſui obſeruantiam, alioquin non eſſet conſilium, ſed pręceptum, obligat tamen ad non contemnendum tanquam inutile. De hoc dicit Sco diſt. 3. lib. quarti. quæſt. 4. dicēs. Notandum (inquit) generaliter, quod promulgatio facta de conſilio obligat ad non contemnendum, qui enim contemnit conſilium, contemnit conſulentem, inquantum conſulentem. Et ideò nolens ſeruare euangelicum conſilium quaſi contemnens illud tanquàm irrationabile, & infructuoſum, peccat mortaliter. Quapropter videant mordentes paupertatem euangelicam, nè fortè ſi nolint ſeruare, quia non eſt neceſſarium contemnant. Quoniam ſic paruipendētes contemnunt Chriſtum, qui hanc ſuaſit obſeruari tanquam meritoriam, & vtilē ad vitam ęternam.

Contemnens cō ſiliū euāgelicum peccat mortaliter.

Hæc Sco. Suo modo de his, qui variè obloquunt̄ de religioſis ac cæteris fratribus, quaſi ſint inutiles &c.

DOMINICA INFRA octauam. Natiuitatis domini. Sermo. V.



ERAT pater eius, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Luc. 2.

In salutifica domini natiuitate secundum sapientis Eccl. desyderium, innouauit dominus signa, immutauit mirabilia. Quibus auditis, & cognitis, cuncti in admirationem versi sunt, & stuporem, sicut ait euangelista, Omnes, qui audierunt, mirati sunt, sed omnibus magis miratur pater Ioseph, hoc est nutritius pueri. Honorauit siquidem spiritussanctus Ioseph patris vocabulo, ait Orige. quia nutriuerat saluatorem, quoniam secreta quædam nō dum mundo cognita angelica reuelatione cognouit. Maximè autem mater virgo omnia cognita, & audita in corde conferens miratur, mirabilia, & ineffabilia in se, ac puero certissima cognoscens experientia. Et quis non hodie miraretur super his, quę dicebantur de puero, immo videbantur? Miranda etenim, & adoranda vnio humanitatis cum deitate in puero, oppositis signis infirmitatis scilicet, & maiestatis seipsam mirabiliter propalauit. Ecce enim venturus dominus ad nostram salutem fœmineo sexu se concipi patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de masculo operatus est fœminam. Sed hanc humilitatem nascendi, virginalis matris sublimauit integritas. Natus quoq; pannis inuoluitur, ac in obscuro præsepio reclinatur, qui cum crearet omnia, terras lucę profudit, cælum syderibus adornauit, & ignea solem claritate vestiuit. Sed obscuritatem stabuli noua lucens è celo stella compensauit. Ac pannos humilians se Magorum, purpura exaltauit Nulla famulantium hominum stipatur turba, cui omnes ab initio obsequitur creatura. Sed eius curiam Angeli de cęlo frequentant, hanc quoque natiuitatem palam nunciantes præconizant, ac gaudium, atque pacem nunciant hominibus in terra bonæ voluntatis. Quæ verba inter alia miranda tractare cępimus. Nec tamen, obsistente temporis qualitate) in finem pręconceptum deducere poteramus. Quapropter dignum duxi, quę dimissa erāt nunc continuare, quod vt fieri valeat salubriter, inuocemus virginem, dicentes, Aue Maria.

Continuetur vbi proximè derelictū est. Addatur articulus secundus, qui nunc sequitur. Viso, quæ sit bona voluntas, cui pax ab Angelis nunciatur. Super attendite, quomodo decipiuntur quidam hac promissione confisi, putantes se habere bonā voluntatē, quam tñ non habēt. Horū quidā sunt, qui in hoc se bonę putant esse voluntatis, q̄a concipiūt aliq̄n statum mutare, societates declinare solitudinē, vel claustrum eligere, aut tale, vel tale tempus expectare, & tūc studiosè bonis operibus vacare. Multa quoq; apud se quotidie dispo nūt, q̄ñ ad huiuscemodi statū tēpus, vel locum venerint, Deo sedulū impendant seruitiū, sibiq;, ac aliis proficiant, nō nunq̄ etiā de aliorū regimine pertractāt, cū tamen nondū ipsi discipuli esse cęperunt Habent quoq; tædium viuere inter illos, quos dissolutionis arguunt, quo suffulti nihil bonę actionis perficere delectantur. Isti nimirum ad futura oculos reflectunt, nihil de præsentibus cogitant, nec statui, in quo modo sunt, aliquatenus satisfaciunt, sed omnis eorum delibera io stat ad futurum, nec tamen prosequuntur, quod cogitant, sed procrastinando semper manent in peccatis, putantes hoc qualecunque propositum emendandi vitam, sufficere, tanquam habentibus voluntatem,

Quomodo decipiuntur qui se putant bonam habere voluntatē.

Sed fatuū est hoc voluntatis propositū, & partim diabolicū. Quis enim non fatuus ab omnibus indicaretur, qui pręsentibus neglectis, futuris occurreret periculis? Sicut si cuius nūc domus arderet, extinguere incendiū negligeret, & pro futuris extinguēdis ignibus, instrumen-

Fatuum est propositum mutandi vitam, & nō mutare.

menta conficeret. Diabolicū quoq; est pro quantò stulto huic proposito confidentes perseuerant in peccatis. Contra illos loquitur Greg. hom. 9. super Ezec. Luce clarius patet dum malos portare renuimus, quam multum adhuc de bono ipsi minus habeamus. Neque enim perfectè bonus est nisi fuerit etiam cum malis bonus. Hinc de se Iob ait: Frater fui draconum, & socius strutionum. Sępe etiam dum de vita, proximorum quærimur, mutare loca conamur, & strepitum vitæ remotioris eligere, ignorantes, quia si desit spiritus non adiuuat locus. Nam Loth in Sodomis inter peccatores sanctus extitit, & in monte peccauit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui & in paradiso cecidit. Etsi locus saluare posset, sathan de cœlo non cecidisset. Tolerandi ergo vtiq; sunt proximi, quia Abel fieri nō valet, quem malitia Cain non exercet. Talibus denique posset dici illud, quod legisdoctori à domino quærenti: Quod est mandatum magnum in lege? Chryso. in homi. 18. respondet. Ille inquit, debet interrogare de maiori iustitia, qui minorem impleuit. Itaque primum est vt in statu inferiori, quæ illius sunt, diligenter exequatur, & sic cogitet de perfectiori. Qui autem in minori negligens est, & in paucis deliquit, in maiori statu, ac in multis quomodo iustus erit? Nisi fortè talis esset status, in quo salutem vix, vel nullo modo consequi posset, vtputa habens mortalia sibi annexa. Hinc enim continuò dimittendus est, ac in melius commutandus.


Locus non saluat.

Nec sic de die in diem procrastinanda est conuersio à peccatis. Sic enim pigro ait Salomon Prouerb. 21. Desyderia occidunt pigrum, noluerunt .n. quicquam manus eius operari, tota die concupiscit, ac desyderat. Et Eccle. quinto scribitur: Ne tardes conuerti ad dominum & ne differas de die in diem. Subitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Neque enim tempus conuersioni aptum expectare oportet, dicente domino: Tēpus vestrum est semper paratum: Ioan. 7. Habent ergo illi voluntatem tortuosam, & à voluntate Dei, cuius mandatis non se conformant recuruatam.

Conuersio à peccatis nō est procrastinānda.

Sunt & alij in hoc se putantes bonæ voluntatis, quia in multis rectè agunt, elemosynas largiuntur, ieiunijs se macerant psalmos multiplicant, sed in vno, vel paucis transgrediuntur, putātes elemosynarum, ac orationum multitudine hanc transgressionem velle recompensare. Et in his transgressionibus non formaliter ex contemptu Dei peccant, sed ex carnis infirmitate, aut ex quadam pietate inordinata, ordinantes hęc fore facta ad quædam alia bona opera, vtputa aliena retinent, aut cōtra legem mercantur, vt sic possint largiores facere elemosynas. Tales non attendunt q; qui in vno offendit, factus est omnium reus. Iacob. 2. Et quod modicum fermenti totam massam corrumpit: Galat. quinto. Talibus ait Grego. super Ezech. homil. 7. Quid prodest quod contra hostium insidias penè tota ciuitas cautè custodiatur, si vnum foramen apertum relinquitur vnde ab hostibus intretur? Adducitq; exemplum pharisei, de quo Luc. 18. Hic enim dum ieiunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi per circumitum in suæ ciuitatis custodia vigilauit. Sed quia vnum in se foramen superbiæ non attendit: ibi hostem pertulit vbi per negligentiam oculum clausit. Et hom. 11. super Ezec. contra huiuscemodi putantes peccata pijs operibus compensare, ait: Cum mala committimus, sine causa bona, quæ facimus ad memoriam reuocamus, quoniam in perpetratione malorum, nullla debet esse fiducia bonorum præceptorum, sic nec præsentium, si saltem præsentia bona de genere, bona simpliciter dici possint. Vnde & per Ezech. terribiliter dominus ait: Si conuersus iustus à iustitia fecerit iniquitatem, in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit, eiusdem 18.

Alij quædā bona operantes putāt se esse bnæ voluntatis.



Tertii se decipientes de bona voluntate.

Sunt adhuc tertii, qui ex hoc se putant bonę voluntatis, quia singularibus quibusdam obseruantiis, puta orationibus, ieiuniis, celebritatibus, cęterisque spiritualibus exercitiis intendunt, etiam laboriosè multum, sed exequi debitum suum, & ordinationem Dei, & ecclesię paruipendunt, & negligunt, tantò se meliores putant, quantò se vident agere, quæ alij non faciunt. Hæc singularitas valde vitanda est, quæ specialiter eis, qui in vinea domini laborant, insidiatur, secundum illud psal. Singularis ferus depastus est eam. Sed illi attendere debent, quia Deus bonorum nostrorum non indiget. Nec est, quod per nostram industriam ei placeat, voluntatem quærit obedientem, non sacrificium. Vnde & Saul contra domini præceptum pinguia offerens, audiuit a Samuele, Pro eo, quod abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex. Nunquid vult dominus holocausta, & victimas, & non potius vt obediatur voci domini? Sequitur, quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi zelus idolatrię nolle acquiescere 1 Re. 15. Oportet itaque primum diligentissime laborare quemlibet ad obseruantiam pręceptorum, se, ac suum statum concernentium. Et deinde si placet operam dare consiliorum obseruationi. Alioquin tantò peioris est voluntatis, quantò plus (à voluntate Dei præceptiua recedens) per quasdam singulares obseruantias populo sanctior iudicatur. Quia si pręceptis nos conformabimus, bonę voluntatis homines dicemur, etiamsi consilia transeamus, citra tamen contemptum, pacemque illam consequemur, quæ promissa est ab Angelis hominibus bonæ voluntatis. Quam nobis concedat. &c.

Elaborandum est ad obseruantiam præceptorum.

## *SERMO II. DE NATIuitate domini, in ordine. VI. prædicabilis duabus vicibus.*

BENEDICTVS, qui venit in nomine domini, Deus dominus & illuxit nobis psal. 117.

Communis & solennissima fęstiuitas cęlestium, terrestriumque, mundum hodie lętificat vniuersum. Noua enim, & admirabilis verbi æterni temporalis in carne hodierna natiuitas angelos cęlestes terrenis hominibus exultatione iucundissima sociauit. Nusquam alias Angelos, qui tam sedulò patribus apparuere, in tota veteri testamenti serie legimus cum tanta lucis claritate, ac lętitię canticis apparuisse. Nusquam tam generalia gaudia toti mundo nunciasse. Sed rectè hoc priuilegium huic tempori seruatum est, ait Bernard. in homil. quando exortum est in tenebris lumen rectis corde, quando benedictus ille, & super omnes benedictus qui venit in nomine domini, Deus dominus, & illuxit nobis. Tunc Angelus pastoribus vigilias noctis custodientibus astitit, & diuina eos claritate circumfulgens. Ecce inquit, Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo qa natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Et ne parua vnius Angeli videretur autoritas, post quàm vnus sacramentum nouæ natiuitatis edocuit, statim multitudo cęlestis militię affuit laudantium dominum, & dicentium. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quid est hoc fratres? Frequenter Angelum non Angelos missum legimus. Nam etiam ad expugnandum castra Ægyptiorum Exod. 14. similiter & Assyriorum 4 Reg. 19. Angelus vnus mittitur. Sed & Zachariæ Gabriel stàs à dextris incensi apparet, idemque ad virginem delegatur Luc. 1. Quid est, quod ad insinuandam nouam regis natiuitatem, post vnum Angelum tanta

De dono diuina charitatis per virginé elargito.

mul

Nam fuit locus diuinæ laudis in cęlo vt Angeli terrā peterent.

multitudo cęlestis exercitus apparet, iubilat, gloriam Deo canit? Nunquid non fuit diuinæ laudis in cęlo locus, vt ad laudes psallendas terram peterent? Sed nihil mirum Angelos de cęlo in terram descendisse, postquàm Angelorum rex, & creator per virgineum partum hodie nascitur in terra. Hęc quippe illa est sacrosancta natiuitas, qua cęlum ab initio ruinam magnam passum reparatur, homo in terra perditus saluatur. Meritò gaudium annunciatur omni populo, populo Angelorum, & populo hominum, quia natus est hodie communis saluator, redemptor hominum, reparator Angelorum, & eo Angelorum reparator, quo hominum redéptor. O natiuitas adoranda, quę cęlum terris inclinans terrenos cęlestibus pacificasti. O natiuitas semper extollenda, quæ durissimę captiuitatis tristitiam eliminans, cęlesti mundum gaudio repleuisti. O natiuitas omniū clarissima, quę longissimę noctis tenebris resolutis, lumen æternum in tenebris, & vmbra mortis sedentibus protulisti. Quid huius natiuitatis gloriam prędicare sufficit? cum propheta euangelicus, labiis (licet calculo de altari forcipe sumpto) purgatis, se imparem existimet dicens, Generationem eius quis enarrabit? Esa. 53 Quis tanti sacramēti mysteria euoluet, immo quis intellectu compręhendet, ad cuius prædicationem non vnus tantum, sed beatorū spirituum exercitus destinatur. Verum quod nondum possumus intellectu comprehendere, nec dignè verbis exprimere possumus cum sanctis pastoribus fideliter credere, ac creditum diuinum mysterium erectis, sursum cordibus adorare. Quodque vt beatus Leo exhortatur, magno Dei munere agitur, magnis ecclesiæ gaudiis celebrare, prophetico commoniti oraculo. Constituite diem solemnem in condensis (idest densa, seu multa populi congregatione) vsque ad cornu altaris, vt tota repleatur ecclesia, Christi natiuitate redempta. Hæc subiunxit propheta, postquam nascentem dominum benedixit, & benedicendo natiuitatem eius prophetauit, prætetitis propter prophetiæ certitudinem vtens pro futuris, dicens, Benedictus, qui venit in nomine domini, Deus dominus, & illuxit nobis. De quibus Aue Maria.

Quæ dona nobis Deus donauit.

Dona magna verius maxima, immo verò tanta, quibus maiora dari non poterant, dona salutaria, magnis gratiarum actionibus christiani suscipite, ac de oblata salute, salutem operari non cessate. Ecce Christus nascitur nobis, gloriamini, ait Greg. Nazanzenus in sermone huius festiuitatis. Christus è cęlis, occurrite, Christus in terris exultate. Et vt simul vtrunque complectar Lętentur celi, & exultet terra propter cęlestem, deinde etiam terrestrem. Quis non adoret primum, & nouissimum, initium, & finem? Idcirco omnes adorando corde, clamemus ore ad Cristum nobis natum, Benedictus, qui venit in nomine domini, Deus dominus nam illuxit nobis. Verum vt sit iucunda, decoraque laudatio, duo nobis attendenda conspicio. Primum est diuinæ charitatis donum nobis virgineo partu largitum. Secundum est gratitudo nostra pro tam ineffabili dono à nobis rependi debita. Vtrumque thema complectitur, primò in eo, quod præmittitur, Benedictus, qui venit in nomine domini, Deus dominus, secundum cum additur, & illuxit nobis. Ad quid? nisi vt cognita tanta gratia refluat per gratitudinem in suum principium, vt fluere iterum possit, nam & lucis radius obiecto obstaculo, reflectitur in seipsū.

Quod primum donū sit

Ad primum inuitat psal 55. Venite, & videte opera domini, quę posuit prodigia super, terram. Præmiserat enim dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Nobiscum quia susceptor noster i. nostrę humanitatis. Quæ prodigia? Respondet Cassiodorus quod virgo concepit, quod incorrupta parturit, quod stella Magis apparuit, quod Angelorum chorus natiuitatē domini prędicauit, quod pacem in vniuerso orbe edidit Hinc subsecutus psa. ait, Auferens bella vsque ad fines terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Cui, Esaię vaticinium consonat cap. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces Et Euangelica historia pacem ipsam exhibet, dicés, Exiit edictum à Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis &c. Quamuis ipsa temporalis pax, sub qua natus est Christus, non sit pax vera, sed figura verę pacis, cuius non erit finis, quam nobis attulit à diaboli potestate eruens, Christus, princeps pacis, pater futuri seculi &c. Esa. 9. Ad secundum hortatur ecclesia in prosa, Grates nunc omnes reddamus domino Deo nostro, qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate. Eia oportet vt canamus cum Angelis semper gloria in excelsis. Canamus etiam cum prophetis, & hebreorum pueris, Benedictus, qui venit in nomine domini, Deus dominus, & illuxit nobis, Primum hodiernus, secundum sermo crastinus pertractabit. Hæc concordant duobus, in quibus die festo exerceri debemus, quæ sunt diuinorum meditatio, & gratiarum actio.

Diuinarum meditatio & gratiarum actio sint nostra exercitia in hoc festo

Igitur multa nobis magna, & ineffabilia Deus summe bonus contulit, quippe summi boni est non solum esse bonum, sed & præstare bonum, ait Greg. Nazianze. Nam in primis hominem condidit, ad imaginem suam secundum animam formauit. Et duplici cum natura, spirituali, & corporali, visibili, & inuisibili, terrena, & cælesti confinxit, quasi alterum quendam mundum in breui magnum, in exiguo totum statuit, totumque, & magnum creatum mundum sibi seruire coęgit, cęlum, & terram, & elementa corporalia, omnia viuentia, eorumque dominum constituit, paradisum voluptatis plantauit, ipsum eius colonum intulit; vt sine molestia, sine defectu, sine labore, sine morte transferretur ad eum beatitudinis statum, in quo immobiliter Deo adhæens, etiam Deus efficeretur, imitatione, & gratia, non naturali essentia. Quæ omnia non idcirco minus fuere præciosa, quia ingratus, & rebellis homo propria hæc perdidit culpa Et vt breuiter omnia dicantur, omné creaturā nobis dominus dedit, Apostolo test. 1. Cor. 3. Omnia inquit, vestra sunt, siue mundus, siue pręsentia, siue futura. Omnia vestra sunt, vos auté Christi. Dedit itaque nobis naturā spiritualé, siue angelicam, nunc ad protegēdū, custodiendum, ministrandū, ad Hebreos. 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium &c. Corporalem verò dedit ad vsum nostrum, & nostram vtilitatem. De hoc 2. senté tiarum dist. 1. Verum hæc omnia, & si multa sunt, & magna, taliaque, qualia pręter Deum nemo donare potest. Tamen ad comparationem hodierni doni, non dico non magna sed pęnè nulla sunt.

Doni dignitas natiuitatis domini vnde colligitur.

Ad cuius doni magnitudinem vtcunque ęstimandam, confert attendere doni dignitatem nostram, quibus donatū est, in dignitate donationis quoq; modū, & finem. Donum igitur hodierna natiuitate per virginem nobis datum, verbum est ex summi, ac ęterni patris corde eructatum, ex Deo verò Deus, per quod facta sunt omnia, & nihil sine eo. In principio inquit Ioan 1. erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. & sequitur, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratia, & veritate. Item Angelus ad Mariam. Luc. 1. Ideòq;, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Esa. quoque capit. 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, cōsiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Item vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus, qui est Deus benedictus in sęcula. Rom. 9. Ecce Apostolico, prophetico, Angelico, & euangelico testimonio, puer nobis hodie natus est. Clarius autem ad Heb. 1. in epistola hodierna. Verbū pa-

tris vnigenit⁹ Dei fili⁹,simul & ipse de⁹.

Et quid est Deus? Respondet Dam. 1. sententiarũ Pelagus infinitæ substantiæ,hoc est. Esse infinitum,bonitas infinita,sapientia infinita,potentia infinita,perfectio infinita, & quicquid simpliciter laudabile,atque perfectum dici potest, idipsum est, sed infinitum. Hinc Greg. Nazanzenus vbi supra Deum describens ait,est insuperabile quoddam & sine fine substantiæ pelagus nullis terminis, limitibusq; circundatum,omnem super ingrediens sensum, omne tẽpus,atq; omnem naturã. Et quoniã infinitus est,indicibilis est. Parum est indicibilis,intelligibilis est,incogitabilis ẽ. Magnus dominus,& incompræhensibilis cogitatu,ait Hiere. 32. ca. Hinc Apostolus 1. Tim 6. Lucem habitat inaccessibilem,quem nullus homo videt,nec videre potest. Vere etenim deus absconditus est ab humano intellectu, vt pote qui posuit tenebras latibulum suum. Et Beatus Aug. 1. de doct. christiana sentẽtialiter. Eo ipso quod aliquid de Deo dicitur, certum est, quod Deus non est illud, quod dicitur, quia ineffabilis est. & Greg. Nazianzenus. Hoc solum est, quod ex deo comprehendimus, quia cõ prahendi non possit.

*Imperfectè homoloquitur aut cogitat. de Deo.*

Quamuis autẽ de Deo nihil dignè dici nec intellectu comprahendi, nec sicut est videri possit, imperfectè tamen, & ex parte de illo cogitamus & loquimur, secundũ nostrã intelligentię, ac vocis paupertatem. Hoc ergo vtcunque de ipso,& cogitamus, & loquimur, qa Deus est natura quædam excellentissima,& immortalis, principium ęternũ sine principio atque fine, quo melius nihil cogitari potest, omnia creans, omnia continens,omnia subiiciens,omnia disponens, omnia concludens, à nullo conclusus. A quo omnia bona,sine quo nihil,nõ modo bonum,sed omnino nec esse potest, & talis est pater, talis filius, talis spiritussanctus, quia hi tres vnus, & inseparabilis Deus, ex quo omnia, per quem omnia,in quo omnia,ipsi honor,& gloria,ait Apostolus Ro. 11. Nec tñ pater filius est, nec spiritussanctus, neq; filius pater est,nec spiritussanctus & spiritussanctus nec pater est, nec filius,Sed eadẽ tribus ęternitas,eadẽ incõmutabilitas, eadẽ maiestas,eadẽ potestas. Verba sunt beati Aug primo de doctrina christiana. Discretę igitur personę sunt, sed dignitas indiscreta. Et qm̃ sunt discretę,non pater,nõ spiritussanctus, sed filius solus nobis natus est ex virgine, sed talis,qui propter inseparabilem diuinitatem non minor est patre,non minor spiritusancto.

*Dignitas filii Dei ab Anselm. vtcunq; declaratur,*

Audi deuotum Ans. de dignitate filij non sicut est,sed quemadmodũ vtcunq; dici poterat,resonantem. O q̃ bonus inquit, & suauis es domine Iesu vberrime fons omniũ gratiarũ. Inclita proles summi Dei,summè Deus. O immarcessibilis decor Dei excelsi,& purissima claritas lucis æternę, vita omnẽ vitã viuificans,lux omne lumẽ illuminãs, in perpetuo splẽdore conseruãs mille millena lumina fulgurantia ante thronũ diuinitatis tuæ à primeuo diluculo. O æternũ,& inaccessibile clarũ,& dulce ꝑfluuiũ fontis abscõditi ab oculis omniũ mortaliũ. Cuius vnda sine ortu,cuius profundũ sine fundo, cuius altũ sine termino, cuius amplitudo incircumscriptibilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructauit te cor Dei altissimi, de suę profunditatis impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, Deus Deum,ęternus ęternum, immensus immensum, & per omnia sibi æqualem. Ex quo omnia tanquam ex nihilo, per quem omnia tanq̃ per medium, in quo omnia tanquã in fine. In Deo nanq; sũt omnia,antequã fierent ab eterno secũdũ esse ideale, quod factum est in ipso vita erat. Itẽ Coloss. 1. Omnia in ipso constant, exeunt au em in esse existentię per creationem, redeunt in idipsum per annihilationem, verius manent in ipso, non enim sic redeunt annihilata, quasi tempore suæ existentię reliquissent esse suum ideale in Deo, sed manet creatura semper, antequam producta est, dum producitur, & est, & dum esse desinit, annihilata, qua annihilatione redit in suum principiũ,qa præ-

*In Deo quomodo sunt omnia.*

præter esse ideale, quod æternaliter habet in suo principio nullibi manet. Quamuis & aliter creatura manẽs est in Deo tanquam in fine, finaliter, & beatificè quiescendo in Deo, si fuerit rationalis, aut finaliter ordinata in Deũ, saltem per Deum, de quo scribitur. Vniuersa propter seipsum operatus est Deus Prouer. 16.

Exẽplo ostendit omnia in Deo esse.

Exemplum aliquod adhiberi potest. Imaginemur speculum aliquod, in quo omnia non tantum obiecta, sed simul vniuersa, præsentia, & absentia, existentia, & non existentia, luceant perfectissimè, distinctè, ac semper. Quodq; speculum ipsum intelligat omnia hæc in se ipso, habeat quoq; speculum ipsum plenam, & sufficientem facultatẽ, quod libet relucentium in ipso producere, extra realiter in esse existentiæ. Istud productum secundum esse relucens, quod ideale dicimus præfuit in speculo suo producente, & per eius productionem non recessit à suo principio secundum esse, quod præhabuit in eo, & annihilatum seu corruptum in suo esse reali, quod accepit ex tempore, nihilominus manet relucens in speculo, sicut reluxit prius, quam produceretur. Tale itaq; productum esset ex ipso speculo, per ipsum, & in ipso, ita omnia ex Deo, per Deum, & in Deo. Ecce tale, & tantum bonum, nostra mortalitate tecum, summa Dei largitas nobis dedit.

Conditio humana añ & post peccatũ explicat.

Quibus nobis? Nobis certè diuina miseratione de nihilo productis, ad Dei imaginem formatis, olim paradisi incolis constitutis, dominis terræ stabilitis, Dei cognitione, & amore deitatis, superaq; Hierusalem ciuibus designatis, consortibus angelorum, cohęredibus supernarum virtutum. Nobis sic à domino à principio productis, prouisis, exaltatis. Sed heu proprijs exigentibus demeritis miserabiliter mutatis Nam honorem proprium non intelligentes, cõparati sumus iumentis insipientibus, facti similes vanitati, ad nihilum redacti. Nam damnati umus exilio, extrusi de paradiso, versi sumus in puluerem solum aridum, stipulam siccam, luteam, & fragilem testam, vaporem ad modicum parentem, pellem morticinam, putredinem, atq; vermem, & qui creatoris munere omnib' corporalibus fuimus prælati, nostra peruersitate sumus omnibus subiecti, facti confusionis filij ignorantes, & tenebrosi, sub peccato venundati, natura iræ filij, Dei inimici, mancipia diaboli, cibus inferni, vita indigni, morte duplici temporali, & perpetua condemnati. Ecce qualibus, quantum donatum donum?

Quomodo, & quo fine nobis datus Iesus

Sed libet animaduertere, quomodo quo ve fine tam miseris, & indignis, natus est, & datus tam excelsus & sublimis. Dantur vasa aurea, & argentea, ac supellex præciosa vt maneant, seruentur, & exornentur. Datur cibus, nõ quidem vt maneat, sed vt in melius conuertatur in substantiam viuentis, quod nutritur. Datur vestimẽtum, quod vsu consumitur, & quo plus vtimur, tantò plus vtentis vtilitati subtrahitur. Sed longè aliter noster paruulus nobis datur. Mansit quidem apud patrem, quod erat, assumpsit, quod non erat vt frequenter loquitur Aug. Assumpsit autẽ non maius se, nec simile, sed valde inferius, valde dissimile, valde autem nobis necessarium, & vtile. Ecce enim hac sacratissima natiuitate, qua nobis vnigenitus patris datur, æternus factus est tẽporalis, dierũ antiquus factus est puer diei vnius, fit creatura creator omnium filius pauperculæ mulieris, filius summi regis, dominus omnium fit minister conseruorum, fit omnipotens deficiens. Qui omnia virtutis suæ verbo portat, portante indiget Qui pascit vniuersa, matris lambit vbera. Qui solem vestit lumine, & cœlum syderibus, pannis inuoluitur vilibus. Qui habitationẽ præparauit angelis in cœlo, hominibus in paradiso, viuentibus in elementari loco, reclinatur in præsepio. Fit sapientia infans, doctor angelorũ regimini subijcitur hominum. Rector vniuersitatis, imperio subditur Ioseph, atq; matris, infallibilis conditor inuisibilium, ministerio corporalium vtitur sensuum Speculum sine macula paternæ claritatis,

velut obscurus, & incognitus nascitur in stabulo mutus, & elinguis. Qui sua bonitate replet omnia beneficijs, benefi cia expectat virginis matris. Gaudiũ angelorũ dat vagitus lachrymarum. In seipso æternaliter beatus, nostræ mise riæ subijcitur. In quo omnia viuunt, mortalis efficitur, impassibilis patitur, sanitas omnium infirmatur. Quid plura? Fit infirmus summus, quia homo Deus.

Cũ Deus sit factus homo quõ summus sit infimus factus.

Si dicis. Quomodo summus ex eo factus est infirmus, quia Deus homo factus, cum homo sit dignissima creaturarum, maximè corporalium? Sed ad hæc dicendum: Licet ita sit de homine in statu innocentiæ, secus tamen est de homine peccatore. Quoniam si per accessum ad Deum velut ad dignissimum æstimari debet rerum dignitas, & indignitas per recessum, quid indignius peccatore? Vnde audacter pronuncio, peccator in eo, ꝙ peccator indignissimus creaturarum est, est enim prope nihil. Nam si peccatũ nihil est, dicente Ioanne, sine ipso factum est nihil idest peccatum, secundum magistrum. Nonne sicut albedo facit album suum subiectũ, ita peccatum ad nihilum redigit peccatorem. Quod si iterum dixeris. Non assumpsit verbum naturam peccatricem, sed mundam, sed innocentem. Dicendum. Verum est, neq; decebat fonti puritatis tantam impuritatem, nec luci tenebras misceri. Peccatum igitur non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius. 1. Petr. 2. Assumpsit tamen naturam in similitudinem carnis peccati Rom. 8. Naturam scilicet Adæ, non quidem vt fuit in statu innocētiæ, sed vt erat post lapsum pęnalitatibus, ac defectibus subiecta. Hoc vult apostolus ad Hebr. 4. Tentatum per omnia pro similitudine absq; peccato Quid enim non passus est Christus? Ecce circunciditur, & legali hostia mundatur, vt peccator, perfert fraudes tentatoris, fugit persequentium lapides, famem patitur, dormit, & tristatur, laborat, & fatigatur, compræhenditur, & damnatur, crucifigitur, moritur, sepelitur. Hæc omnia patitur velut peccator, nihil commune habens cũ peccato. Huic respondet figura enæi serpentis Num. 21. In quo similitudo videbatur serpentis absq; veneno. Ita in Christo similitudo carnis peccati. i. carnis passibilis absq; peccato. Ioan. 3. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis.

Verbũ assumpsit nãm non peccatricem sed mundam

Quid si ostenderem Christum non solum hominem talem, qualis dictus est, narum, sed etiam nouissimum omnium, & vilissimum reputatum. Accipe in hoc, quod Esaias testatur ca. 53. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desyderauimus eum despectum, & nouissimum virorum. Vnde nec reputauimus eum &c. Hinc alius propheta in persona domini. Ego inquit, sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Et Gregor. 3. moraliũ Christum damnati hominis formam assumpsisse asserit, quia corpus assumpsit passibile, quo pęnas damnato homini debitas tolerauit. Hinc exclamabat beatus Ans. O miranda, O amanda dignatio. Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti. Dominus omnium conseruus seruorum apparere voluisti. Parum tibi visum est patrem nobis te esse, etiam domine frater noster esse dignatus es. Frater vtiq; & participes nostræ tribulationis. Sicut apostolus ait ad Hebr. 2. cap. Debuit per omnia fratribus assimilari, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari Ita ꝑ omnia fratribus assimilari voluit, vt nec peccati pęnam sustinere recusaret. Vnde scriptura teste, qui non est factus homo, peccator fieri voluit pro homine peccatum. Vnde 2. Cor. 5. apostolus ait. Eum, qui non nouerat peccatũ, fecit Deus pro nobis peccatum. Et ad Rom. 8. De peccato damnauit peccatum. Et quid indignius? peccator, an peccatum? certum est secundum Philo. regulam, ꝙ peccatum, quoniam propter quod vnum quodq; tale, & ipsum magis. Peccati verò indignitatem dũ latet,

Christus non solũ homo factus sed nouissimus omnium.

latet, pęna debita declarat, ficut suspendium, furtum, propter quod pęnæ opprobrium, & despectus nonnunquã magis, quam peccati vilitas æstimatur. Hinc est ergo, q Deus pater fecit Christum pro nobis peccatum, qui tamen peccatum non nouit, qui fecit eum hostiam pro peccato nostro, peccati nostri precium, peccati expiatione, dum vt pęnam peccato nostro debitam soluendo peccatum nostrum deleret, misit illum, vt sic de peccato. i. pœna pro peccato satisfactoria damnaret. i. religaret seu deleret peccatum nostrum. Attende, & intellige nunc summum factum infimum, quia Deus factus est homo passibilis, ac mortalis, homo despectissimus, ac confusus, & velut iniquissim⁹ peccator in pęnis pro nostris peccatis attritus, & morte opprobriosissima pro damnatis inter latrones publicè condemnatus. Eia homo tanto dono exaltate, & redempte, si minus te mouit doni inæstimabilis magnitudo, saltem modum donandi aspicito, & expauesce.

Quo fine & ad quã vtilitatem sit factus homo.

Si quæris, quo fine, qua vtilitate, quo fructu, tantum ac taliter summa illa maiestas se exinaniuit? Certè ea nostra maxima vtilitate, vt vniuersam nostrã miseriam, quam assumpsit, à nobis longè faceret, ac sua, quæ non deseruit, nobis daret. Hebr. 2. cap. Per singula, quę passus, potens eis, quæ talia patiuntur auxiliari &c. Faceret inquã, nos de terrenis cœlestes, de seruis reges, de corruptibilibus impassibiles, de mortalibus æternos, de miseris beatos, de hominibus deos. Hinc beatus Hierony. in sermone huius festi. Deus inquit, factus est homo vt homo Deus fieret. Formã serui dominus accepit vt seruum verteret in dominum. Cœlorum habitator, & conditor habitat in terris, vt homo colonus terræ migraret ad cœlos, locũ scilicet æternæ beatitudinis. Si peragis quærere: Et quomodo æternus Dei filius temporali sua natiuitate, qua homo factus est tanta nobis sua bona tribuit? Duplici hoc via egit. Et quia in assumpta carne Deo patri pro peccato

Æternus Dei fili⁹ quõ tata nobis do na dedit

damnationis generis humani satisfaciẽs chirographum decreti, quod aduersum nos erat, deleuit, & ipsum de medio tulit. Colo. 2. Clausum paradisum aperuit, beatitudinis locũ restituit, & omnia impedimẽta amouit. Sicq; eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ dilectionis suæ, dignos nos faciens sortis sanctorum, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, si tamen in fide fundati stabiles permanserimus, & immobiles à spe euangelij, quod prædicatum est in omni creatura, vt dicit apostolus ad Colo. 1.

Secundo vt sua conuersatione, & doctrina, qua in terris natus est, & inter homines conuersatus nos prępararet ad recuperatæ salutis consecutionem. Ad hanc enim vt statim dictum est, requiritur vt in fide fundati, charitate feruidi, spe immobiles, satagamus per bona opera nostram vocationem, & electionem certam facere, vt dicit beatus Petrus. Sic enim abundanter ministrabitur nobis introitus in æternum regnum domini nostri 2. Petri. 1. Nihil verò cogitari poterit, quo ita fides nostra roboraretur, erigeretur spes, charitas accenderetur, ac virtuosæ conuersationis vita formaretur, & visibili exẽplo dirigeretur, sicut per tam gratiosã Christi incarnationem, natiuitatem, atque talem inter homines conuersationem. Siquidem nihil dubitationis in altissimis fidei nostræ mysterijs relinquitur postquam illam nõ modo angelus, non propheta, non apostolus, aut quælibet alia creatura, quam vniuersam vanitati subiectam fore apostolus testatur Roma. 8. sed verbum Dei, sapientia patris, veritas infallibilis, & æterna in carne apparens, ore diuino perdocuit, ac potestate, qua cuncta creauerat miraculis, & prodigijs, & soli Deo possibilibus, demonstrauit. De hoc beatus Aug. 12. de ciui. Dei. c. 2. ait: Vt homo fidentius ad veritatem ambularet, ipsa veritas Dei .s. filius, humanam naturam assumpsit, & in ea fidem constituit, & fundauit. Quid deniq; mentes

tes nostras tantæ ad superna erigit, & ab immortalitatis desperatione liberat quam quod tantos fecit nos Deus, vt Dei filius immutabiliter bonus, manés id,quod erat,& a nobis accipiens,quod non erat,nostrum dignatus est inire cō sortium,veram carnem assumendo, ait August. 13. de trinit. Et Guil. in de fide & leg. Spes consecutionis veniæ collationes gratiæ, adeptionis gloriæ, ex alio tam firma generari non potest, sicut & notitia certè magnitudinis misericordiæ Dei, quam potissimè nobiscum fecit, & eam nobis ostendit, cum paruitatem nostram,humanam,scilicet naturam suæ immensitati vniuit, ipsā assumendo in vnitate personæ vt esset homo,& frater noster. Nulla vtiq; via magis suaderi potuit communitati humani generis, ꝙ Deus suæ nos gloriæ vellet habere participes, & consortes, quam per hoc, ꝙ ipse miseriæ nostræ inijt consortium,& propter nos voluit misere & pœnaliter viuere, ac pro peccatis nostris satisfacere, vt nos possemus cum eo beatè viuere.

Beneficia Dei attente meditata sunt fomenta diuinæ dilectionis

Similiter quoniam beneficia Dei attent. meditata fomenta sunt diuinæ dilectionis,maximè Dei beneficia,quę in filij sui incarnatione,ex nimia Charitate exhibuit, vehementius dilectionem accendunt. Siquidem propter nimiam charitatem, qua dilexit nos pater misericordiarum Deus,misit filium suum in hunc mundum,vt eum in nostra substantia similem nobis haberemus, quē nobis dissimilem in sua substantia nesciebamus, vt eum haberemus doctoré in doctrina superna ne erraremus in terrena,& sicut haberemus eum nobis cum viuentem in magistrum,ita moriētem in precium,& resurgentem,ac ascédentem in præmium. Hinc etiam Aug. in de cate. rudi. dicit. Quę maior est causa aduentus domini, nisi vt Deus ostenderet dilectionem suam coram nobis? Si ergo piguit amare, saltem non pigeat reamare eum, qui prior dilexit nos. Demum sua conuersatione in terris sanctissima vtique & perfectissima, exemplar totius virtutis nobis præstitit, & speculum clarissimum omnium nostrarū actionū directiuū. Fuit nanq; conuersatio eius omnium humillima, mitissima, cautissima, iustissima,fortissima, temperatissima, vtpote verbo, & opere docens terrena despicere, & cęlestia adamare. Hinc iterū Aug. in ser. huius festi. ait. Homo videri poterat, quo sequendus non erat. Deus sequendus erat,qui videri non poterat,vt ergo homini exhiberetur, qui ab eo videretur, & quē securè sequeret' Deꝰ hō factus ē.

Ecce patuit breuiter licet valdè insufficienter,quantum nobis immeritis donū pater misericordiarū,& Deus totius cōsolationis hodierna filij sui Dei in secula benedictus natiuitate contulit. Quod præuidens propheta vir secū dū cor dñi simul benedicendo, & prophetizādo cecinit in psalmi canticis: Benedictꝰ, q venit in nomine dñi,Deꝰ dñs,& illuxit nobis Cui cū donāte pře, & spiritu sancto,& nos grās ꝓferamus & laudes per secula immortales. Cum quibus viuit,& regnat Deus semper,& in æternum benedictus. Amen.

*Alia conclusio sermonis.*

Ecce charissimi quō omnia nobis bona,& necessaria ipse nobis cōtulit, nō qdā p aliū,sed p seipsū. Indigni eramꝰ, ꝓductione vt essemꝰ, reparatiōe cū lapsi fueramꝰ,eruditiōe ne p errorē, & ignorātiā viæ nō pueniremꝰ,beatificator vt pmia æterna recipemꝰ. Hæc oīa p verbū carnē factū accepimꝰ. Ipse nobis est creator qa oīa p ipsū facta sūt. Ioan. 1. Volūtarie genuit nos vt simꝰ initiū aliquod creaturæ eius. Iaco. 1. c. Ipse nobis est redéptor: Iesus Christus factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia & sanctificatio,& redēptio. 1. Cor. 1. Ipse nobis est magister, & informator. Magister vester vnus est Christus. Mat. 23. Ego sum via, veritas, & vita. Ioan. 14. Vos vocatis me magister, & dominus &c. Ioan. 13 Ipse nobis est beatitudo,& præmiator: Precinget se,& transiens ministrabit eis Lucæ 12. Ibi erit omnia in omnibus. 1. Corin. 15. Vitam æternam do eis, quibus .s. suis Ioan. 10

Peccatū hominé dignissimum fecit & à Deo alie n sū mū

Intro

### INTRODVCTIO PRAEcedentis sermonis de eodem.

BENEDICTVS, qui venit in nomine Deus dominus, vbi supra psal. 117. Quamuis in nomine domini Dei super omnia benedicti venire non potest nisi benedictus (Siqui dē benedicti patriarchæ, benedicti prophetæ, benedictus populus domini, benedictus tandem vir omnis, qui confidit in domino, vt Hier. ait. 17.) Super omnes tamē ille benedictus, est qui ita venit in nomine domini vt sit & ipse dominus Deus, quoniam & si à bono venire non potest nisi bonum, dicente domino: Non potest arbor bona ma. fruc. facere Matth. 7. Et si radix sancta & rami. Rom. 11. Similiter à benedicto in nomine benedicti venire nō potest, nisi benedictus. Multò magis illum necesse est esse benedictum, qui ita à benedicto procedit, vt tamen ab eo non recedat, qui ita visitat seruos vt non minus maneat, & ipse dominus, atq; Deus. Talis est natus nobis saluator Christus dominus in ciuitate Dauid. Hic venit in nomine domini patris æterni saluare peccatores, sed non recessit à patre formam serui assumpsit, & formam Dei non amisit, quia ita verbum caro factū est vt facta sit caro verbum. Dum audis caro, hominem cogitato, vis audire quia venit in nomine patris: Ego inquit, veni in nomine patris mei, & nō accipitis me, veniet alius in nomine suo & hunc accipietis. Ioan. 5. Item: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris eiusdem. 6. Quia autem in forma serui venit, testatur apostolus ad Phil. 2. Exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens; Quia verò formam Dei in qua fuerat, non deposuit, sed in patre mansit, & in eo pater, ipsum ausculata, cum inquit. Qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum. Ioan. 8. & cap. 16. Non sum solus, quia pater mecum est. Et ad Philippum. Non credis, quia ego in patre, & pater in me est Ioan. 13. In patre est, & in eo pater per circumincessionem, hoc est consubstantialitatem. Quorum autem eadem est diuinitatis substantia eadem est benedictio honor, & gloria. Quam propheta domini pronunciare cupiens futuris seculis ait: Benedictus, qui venit in nomine domini &c. Aue Mar. Continuet prædicator si placet residuum sermonis præcedentis, si quid propter eius prolixitatem superfuit. Ob hoc enim hæc introductio apposita est.

### SERMO III. DE NAtiuitate domini in ordine VII.

TRANSEAMVS vsq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est. Luc. 2. Historia natiuitatis Christi.

Tempus est loquendi omni carni, dū incarnatum verbum illibata natiuitate prodijt in hunc mundum. A laudibus nequaquam humana cesset mortalitas, cum ipsa soli immortali, & summæ vnita naturæ ex virginali aula procedens, hodie nascitur paruulus in tempore, cuius magnitudinis non est finis in æternitate. Qui nanq; delectatio est & gloria angelorum, factus est hodie salus, & consolatio miserorum ait Bern. ser. de vigi. qui incipit. Hodiernum siquidem. Et sequitur. Qui in ciuitate sua magnus, & sublimis valde, beatificat ciues, ipse in exilio paruus, & humilis valde, letificat exules, & qui in altissimis est gloria patris, factus est in terris pax hominibus bonæ voluntatis. Fons clausus in diuinitate, fons patens factus est in hodierna natiuitate. Siquidem Paulo teste. Apparuit hodie benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, quoniam & si potentia eius apparuit in rerum creatione, sapientia in eorundem gubernatione, sed benignitas tunc maximè apparuit in hodierna natiuitate. Hac enim non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit,

ad

ad Titum. 3. Prius autem, quam apparuit humanitas (ait Bern.) latebat benignitas. Siquidem & prius erat, nam misericordia domini ab eterno. Sed vn de tanta cognosci potuit? Hinc autem cognita est, quia cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, verbum quod erat à principio factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, verè patens, & ineffabilis misericordia, vbi à maiestate assumitur liberandi miseria. Magna benignitas vbi ad saluandum mundum magnus descendit medicus, sicut Augu. serm. 60. de verbis euange. ait Ægrotat humanum genus non membris corporis, sed peccatis. Iacet toto terrarũ orbe ab oriente vsq; ad occidentem grãdis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus, humiliauit se vsq; ad mortalem carnem, tanquam vsq; ad lectum ægrotantis, huius medici, atq; fontis effluentẽ, patẽtemq; misericordiam videntes spiritus angelici in sublimitate empyræi cœli se continere non valentes ad inferiora descenderunt, copioso lumine, noctis fugatis tenebris, cum exultatione gaudium magnum reparandis euangelizarunt, gloriam quoq; Deo in altissimis iucundis vocibus decãtarunt, & pacem terris restitutam per verbum, quod factum est in Bethleem nunciarũt. Eia quis nobis det pedes affectionum rectos quales in Ezech. c. 1. sancta animalia habuisse describuntur ad ambulandum in Bethleem? Quis det vt omnia membra nostra in oculos vertantur, fidei, ac deuotæ meditationis, vt pleni oculis ante, & retro, intus, & in circumitu videre mereamur hoc verbum carnem factum, hodie nobis à patre datum, hodie nobis ex virgine natum. Huius figura quandoq; in rubo ardenti, nec tñ consumpto, flammas emittenti, sed nõ comburenti Moysi famulo Dei apparuit, & accensus desyderio ait. Vadam, & videbo visionem hanc magnam, & prohibitus est ne vltra pergeret. Hodie apparuit veritas tunc signata, quia diuinum partum virgo edidit, nec dolorem sensit, nec integritatem amisit. Mirabile dictu, puerpera virgo, & ad hãc videndam inuitamur. Inuenietis (inquit angelus pastoribus) Infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Quibus incitati verbis: Transeamus inquiunt, vsq; in Bethleem, & vi. hoc ver. quod fa. est quod dominus ostendit nobis. Transeamus & nos sequamur primitiuos nostros duces in Bethleem, inueniemus ibi verbigenam Mariam matrem intactam Virginem puerperã, huius verbi fidelissimam dispensatricẽ, in qua verbum hoc factum est carnis suæ assumptione nouo ordine, ac per eam genitum noua natiuitate. Ad cuius pedes prouoluti ipsum verbum nobis donari rogemus salutatione angelica, dicentes. Aue ma.

Grandi ægroto grandi medico op^9 erat.

Transeamus vsq; Bethleem &c. De hoc verbo quantũ ad æternã geniturã, qua verbi nomen sine initio accepit pauca, quantum dominus dare dignatus est, vtcunq; balbutiendo locutum me memoror, placeat nunc de temporali huius genitura planiora audire, in quo doctiores necesse est simplicioribus cõdescendant audiendo historialia, sicut & patienter illi sufferunt cum tractari contingit profundiora. Nec tamẽ adeo hæc sunt humilia, vt altissima nõ exercere sufficiant ingenia, quoniam teste apostolo, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus 1. Corinth. 1. Manuducimur ad hoc angelica visione, qua Iacob in scala, cuius dominum summitati viderat innixum nedum ascendentes, sed & descendentes angelos vidit.

Primò itaque dominicæ natiuitatis prosequamur historiam, qua transeuntes in Bethleem oculis fidei videamus verbum noua natiuitate factum. Deinde eadem ad nostram instructionem tropologicam contractemus. Siquidem secundum Greg. hom. 11. super Ezech. doctrinam, prædicator prius ad fidem postea ad morum vitam trahat. Item homi. 2. super Ezech. prius historiæ radicem figat, & post fructus spiritus,

per

per signa, & allegorias quærat, ideò primò tractabitur historia, deinde addetur morum doctrina. Quantum ad primum ita euangelista Christi natiuitatem describit, quatenus ad fidei firmitatem ea obseruet, quæ assolent in tabulis contractuum obseruari. Hinc ait Ambro. super Luc. In descriptione euangelica habes omnia, quæ in contractibus esse consueuerunt, vocabulum summam illic potestatem gerentis, dié locum, causam, testes. Ait itaq; (Exijt edictum á Cesare Augusto vt describeretur vniuersus orbis) Ecce nomen terreni principis, ac tempus descriptionis, sub quo nasci dignatus est Christ' Autor pacis tempore pacis generalis in hunc mundum venire voluit Congruum siquidem erat q Christus princeps pacis ortu in suo quasi prænunciã pacem præmitteret, qui ad pacem humano generi cum Deo, & angelis restaurandam in primo parente amissam nasci voluit in hunc mundum. Complacuit, inquit apostolus per ipsum reconciliari, omnia in ipso pacificãs siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt, ad Col. 1. Hanc deniq; pacem postquam natus est, docuit, conuersando tenuit, atque de mundo exiens suis dilectoribus dereliquit. Pacem meam, inquit do vobis pacem relinquo vobis. Ioan. 14. Se deniq; pacis tempore venturum per suos seruos prophetas longè ante præfatus est. Hinc Dauid ait. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis psal. 70. Hinc Esa ait. Conflabunt gladios suos in vomeres, & laneeas, suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad præliandum eiusdem. 2. & Micheæ 4. Et iterum In pace factus est locus eius, & habitatio eius in Sion. psal. 75. Item Esa. cum dixerat. Egredietur virga de radice Iessè &c. addidit. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hedo accubabit. Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos &c. quæ sequuntur, quorum expositionem relinquere breuitas horæ cogit. Nullum autem potuit esse maius indicium pacis, quam vna descriptione totum mundum concludi Octauianus enim Augustus, postquam romano sub iugauerat mundum imperio. 42. principatus sui anno vniuersum mundum describi iusserat, vt sciret, quot prouinciæ, quot ciuitates, quot personæ, quatenus sic respublica melius regeretur, & pax acquisita conseruaretur. Hinc morale documentum accipimus, q verbum patris æternum non nascitur nisi in corde pacato singulorum, quia non nisi pacis tempore bene colitur pacis autor. Verum hæc descriptio tempore natiuitatis Christi non vacat a mysterio. Quid enim professio seculariũ ad natiuitaté domini pertineret ait Amb. nisi vt aduertamus hoc quoq; diuinum esse mysterium, quia dum professio secularis obtenditur, spiritalis impletur nõ terrarum regi dicenda, sed cœli professio ista fidei census animorum est. Abolito enim synagogæ censu vetusto, nouus census ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed auferret, & spiritualiter in typo plebs sua iã Christo nomina conferebat. Nihil in hoc cẽsu verear terribile, nihil immite, nihil triste, solum vnumquemq; fides signat Vis Christi audire censores. Iubentur incedere sine virgis, nec terrore, sed gratia plebem querere, recondere gaudium, non possidere aurum, talibus censoribus acquisitus est orbis. In hac descriptione nulla ætas distinguit, sed omnis adscribitur, nullus enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes puer martyrio confitentur. quem intra vterum positi exultatione testantur. Hæc Ambr. & beatus Greg. in homi Quid est inquit, q nascituro domino mundus describitur, nisi q hoc apertè monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.

(Hæc descriptio prima facta est à præside syriæ Cyrino) Ecce habes nomen præsidis quasi consulis sub quo nascitur Christus. (Et ibant omnes vt profiterentur in suam ciuitatem. Hæc enim

Duplex professio Iudæorũ Imp. Ro.

enim descriptio præcepta fuit fieri in principalibus ciuitatibus, & ibi conueniebant, qui inde originem habuere. Profitebantur autem dupliciter, se esse Romano subiectos imperio, scripto .s. quia eorũ nomina scribebãtur, & facto quia exoluebant censũ imperatori. Hac de causa [ascendit & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in iudæã in ciuitaté Dauid, q̃ vocabat Bethleẽ] de hac .n. Dauid oriũdᵘˢ fuit, vt hr 1. Reg. 16. iõ ciuitas Dauid appellat[eo q̃ esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cũ Maria desponsata sibi vxore prægnate] Desponsata quidem sibi, sed non in cõcupiscentia iũcta, vt ait Orig. Quod .n. in ea natũ est nõ de Ioseph semine, sed de spiritu sancto est, angelo teste Mat. 1. Et licet virgo beatissima nõ fuisset obligata tãquã pgnas pp viæ longitudiné, tñ Ioseph sic sollicita ipsius gerebat custodiam, q̃ postquã eam iussu angeli diuinũ conceptũ nunciantis in sua custodia suscepit, nec ab ea ad modicum discedere voluit, ideò eam secũ duxit, ac personaliter, & obsequiosè custodiuit. Quod & diuina dispensatione factũ est, vt prophetia impleret, quam Michæ. ca. 5. prædixit. Et tu Bethleem ephr. ta [sic .n. etiam dicta est alio nomine, vt habetur Gen. 35.] Paruulus es .s. locus, sed in milibus Iuda computaris respectu populi tui in dignitate, & multitudine, quia inde fuit tribus regia. Et quia ciuitatis nobilitas magis consistit in populo, quam spacio. Ideò Matthe. c. 2. allegauit illam autoritatem sic, Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Sequitur. Ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel. i. messias filius Dauid, glosa Ra Sa Et quantum ad eius diuinitatem Sequitur. Et egressus eius .i. emanatio ab initio idest à patre, qui est principium filij, à diebus æternitatis quia hæc emanatio æterna est. Semper enim nascitur filius a patre, & semper natus est, vt ait magister dist. 9. primi. Ecce locum natiuitatis, & causam, propter quam in eum ascenderunt Ioseph, & Maria.

[Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret] s. nouem menses à Conceptione. Et peperit filiũ suum primo genitum, immo patrẽ suũ, suum, atq; omnium creatoré, quia peperit verbũ, quod in principio erat Deus apud Deũ, per q̃ facta sunt omnia, eum vtiq; qui est splendor paternæ gloriæ, & figura sub stãtiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ, ad Heb 1. Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue potestates, omnia in ipso, & p ipsũ creata sunt, & ipse est an oẽs, & oĩa in ipso constant, in quo complacuit omnẽ plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare ad Col. 1. Hũc ergo filiũ Dei peperit, quo partu factus est filius hominis, nõ alius filius patris, atq; alius filius matris, sed vnus, ideq; genitᵘˢ ex patre ante secula, & genitus ex matre in seculo, ide vtriusq; filiᵘˢ, sed non secundũ eandẽ naturã, nec vnã natiuitatẽ. Sicut pulchrè attestat b. Aug. in lib. de fide ad Petrum di. Natus est de patre Deus verbũ, natus est de matre verbũ caro factũ, vnus est, atq; idem Deus Dei filius, natus ante secula, & natus in seculo, & vtraq; natiuitas vnius filius Dei est. Diuina, secundũ quam creator in forma Dei coæternus patri Deus est. Humana, secũdũ quã semetipsũ exinaniẽs, & formã serui acc ipiẽs, in cõceptione materni vteri, semet ipsum dũ hõ fieret, eadẽ seruilis formæ susceptione formauit. Et sequit. Sic ille oĩm spirituũ, omniũq; corporũ .i. omniũ naturarũ creator, & dñs creauit Virginẽ creandus ex virgine. Et cuiᵘˢ ip se factor est, matrẽ sibi fecit, q̃ñ de eius carne cõcipiendus, atq; pariendus, veram materiam Deus immensus, ac sempiternus accepit, vt & secundum veritatem formę seruilis Deus homo misericorditer fieret, & secundũ formã Dei naturaliter veritate idẽ Deus homo permanens nõ careret. Sic ergo Xp̃m Dei filiũ i vnã ex trinitate personã, Deum verũ crede vt diuinitatẽ eius de natura pris natã esse

Quem filium peperit virgo.

non dubites,& sic cum verum hominē crede,vt eius carnem non cęlestis, non aereæ,nō alterius cuiuscunq; putes esse naturæ sed eius; cuius est omniū hominum caro,quā tñ sine peccato suscepit, secūdū eā sine peccato natus. Et b. Ioa. Dama. ad idem ait. Duas Christi natiuitates veneramur,vnā ex patre ante secula, quæ est super causā, & ratione & tempus,& naturā,& vnam, quæ in vltimis temporibus facta est propter nos, secundū nos,& supra nos. Propter nos, quia propter nostrā similitudinem. Secundū nos,quia natus est hō ex muliere, & tempore Conceptionis .i. nomen nouē mensiū.Supra nos,quia non ex semine, sed ex spiritu sancto,& ex sancta Virgine supra legem Conceptionis.

Excellentia humanæ naturæ filii Mariæ.

Ecce qualem nobis filiū beatissima virgo peperit,cuius excellētiā nulla lingua etiam angelica potest edicere,non solum secūdū illud,quod Deus est,sed etiā secundū, q homo natus est ex virgine sicut Aug. vbi sup. testatur. Quib' ait verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius diuina est ex ipsa sui Cōceptione, persona cuius origo natiuitatis insolita, qua sic verbum caro factū est vt vna psona esset cū carne sua vnigenit', ac sempitern'? O adoranda natiuitas,qua Deus summus,spiritus inuisibilis in suis, in nostris apparuit corporalibus videnđ' oculis. Sicut in præfatione canitur. Quia per incarnati verbi myste.&c. O partus saluific' qui per perditam reparans naturā exaltauit,& filios hominum in Dei filios reparauit. O sancta,clarissima, castissima & illibata generatio,quæ humanæ generationis maculas abluit,matrisq; integritatem non minuit,sed sacrauit. O beatissima huius matris viscera,quæ diuinū solē circumcludere, & ad illuminationē sedentiū in tenebris, & vmbra mortis,edere meruerunt. O felix puerpera, quæ nouo ordine suum genitorē genuit, qui se,& vniuersum genus perditum reparauit. O virgo,& mater lætissima,quæ fęcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris cū virginitatis honore possides in æternum. Neq; enim sicut ceteræ matres cū gemitu,& labore, sed cum robore corporis,& mentis, gaudio ineffabili,gaudium peperit angelorum. In cuius argumentū notanter euangelista subdit [ & pannis eū inuoluit , & reclinauit eū in præsepio,quia non erat ei locus specialis in diuersorio. ]

Virgo Maria non hūit assistētes obstetrices in partu.

Non .n. alias in par e obsecundantes habuisse creditur mulierculas,quib' propter corporis sui debilitationē ceteræ indigent puerperæ. Sed sicut sola parientis ita & sola obstetricis gessit officiū. Sola quantū ad hominū misterium, sed non angelorū,qs dubitet nō affuisse angelorū copiosam multitudinē in partu,cū tot apparuere pastoribus in eius publicatione? hinc canit ecclesia : Gaude Dei genitrix,quā circūstant obstetricū vice cōcinētes angeli gloriā Deo Ipsa partū, quē edidit,priusquā tangeret,adorauit in pfūdo humilitatis abysso,genuflexō,procliua toto corpore super terrā,vt dicit Simon de Cassia li.2. ca.4. Deinde lętabunda pariter, & tremebūda suspēso in admiratione animo peregit nondū experta omne obsequiū noui partūs. Nā proprijs,sacratisq; manibus suscepit,ipsa pānis inuoluit, ipsa in præsepio collocauit,sicut & ipsa suis vberibus de cœlo plenis lactauit, cibauit, baiulauit,& cętera maternæ sollicitudinis officia deuotissimè exhibuit, & impendit,sicut cōtra Heluidiū testatur Hiero. Nulla ibi obstetrix,nulla mulierculatū sedulitas intercesit,ipsa pannis inuoluit infantem,ipsa & mater,& obstetrix. Quæ sententia, apochryphorū deliramenta conuincit,ac falsitatem eorum,quæ in libro, quem de infantia saluatoris dicunt, somniantur. Sed & illorum temeritatem,qui confingūt, in momento partus Virginem in mentis excessu constitutam,atq; à sensibus alienā ram filij egressum ignorasse, & tandem ad se reuersa genitum filium repperisse quasi immunda fuisset diuini germinis editio , & virginali detraxisset pudicitiæ, si vel egressū intuita fuisset ac suis manibus suscepisset. Non longo ab his rudibus , siue iudæis siue hæreticis, qui

Deū non debuisse viscerib' mulieris concipi, est hæreticum dicere.

dicunt Deū non debuisse in visceribus mulieris concipi,nec per eam corporis partē, quæ turpis reputatur,nasci,qua si Deus corporalibus posset sordibus inquinari. De quibus beatus Aug. in quodam ser.ait : Non desunt hæretici, qui cum ipsi sint immundi dicunt non potuisse fieri ꝙ Christus de Maria nasceretur,eo ꝙ illa pars corporis turpis esse putaretur. Sed frustra & ruditer errant,eo ꝙ in nullo est contra Dei dignitatem, neq; assumptam humanitatem in vtero tę minæ conceptam , quæ eiusdē speciei esse dignoscitur cum humanitate cuiuslibet alterius hominis. Nec suspicari oportet sordes in Maria, anima,& corpore castificata,& ab omni labe libidinis sancto obūbrante spiritu purgata. Vnde enim sordes in Virgine cuius vterum Dei filius sanctificaturus intrauit? Vnde sordes in Virgine quam spiritussancti operatio totā sanctificauit in corpore, & spiritu? Vnde sordes in Virgine, quæ sic singulari gratia præuenta est, atq; repleta , vt sicut sup. dictū est habueret ventris sui fructum, quem ex initio habet vniuersitatis dominum?

Nullæ sordes in Virgine Maria.

Et Aug. lib. contra quinq; hæreses. Vnde sordes ait in Virgine matre , vbi nō est concubitus cum homine patre? Vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem,nec pariendo passa est laborem? Vnde sordes in domo,ad quam nullus habitator accessit , sed solus ad eam fabricator, & dominus venit,vestē quam non habuit,humanā.s.naturā induit,processit de ea,quam sicut inuenit clausam,reliquit?Quod si de natura diuina quæstio est, ne corporalibus inquinetur sordibus , tā friuolum est ( dicit Magister dist. 37.primi ) vt nec responsione sit dignum,cū etiā spiritus creat* sordibus corporis etiā leprosi,vel quantūcunq; polluti, inquinari non possit. Sol quoq; radios suos sine sui pollutione effundat super loca munda & immunda. Hinc Aug. Si solis radius cloacarum sordes siccare nouit, eisq; inquinari non nouit,quantò magis splendor lucis æternæ , quo nihil inquinamenti occurit? quocunq; radia uerit mundare potest , ipse verò pollui non potest. Et in quodā sermone. Audi immunde heretice,vbi est anima tua impia,& infidelis,quæ ista confingit?Nūquid tm̄ est in capite,in manibus,in oculis, & nō etiā in intestinis tuis vbi sunt etiā stercora tua?Ecce stulte,anima tua nō inquinat̄ à stercore tuo,& De⁹ inquinari poterit ab opere suo . Sicut ergo nec deitas Christi nec humanitatis inquinationē ex immaculata hac natiuitate suspicari oportet. Ita nec pudicitiæ iacturā,si virgo editionis conscia oculis conspiceret & manibus cōtrectaret vnde aucta est puritas sicut non violata integritas. Quid .n. castius,quid syncerius,immo quid desyderabilius, quā contēplari in genere proprio castitatis auctorem mūdum procedere ex vtero tanquā ornatū spōsum de thalamo suo?Ex quibus animaduertere libeat quantū debitores sum⁹ huic beatissimæ genitrici,multasq; post Deū gratias agere debemus quæ saluatorem mundi nobis virgo concepit, nobis virgo peperit , nobis in gremio fouit,nobis aluit,nobis fascia cinxit,& materna solertia curauit. Hinc eam beatus Augustinus alloquitur in sermone de Assumptione, ita dicens. Lacta Maria creatorē tuum. Lacta panem cœli. Lacta precium mundi,præbe lambenti mammillam vt ipse pro te præbeat percutienti maxillam , tu illi, vt mater temporalem ministra substantiam vt ipse nobis , & tibi vitā tribuat sempiternam. Audistis verbum hodie in Bethleem pro nobis virginea natiuitate factum . Illuc transeuntes moremur hoc die deuote diuina beneficia contemplantes, ac gratias affectuosissimè persoluentes,donec historie residua die crastino audire , accensi desyderio mereamur. Ipso præstante,qui in cęlis sine matre, in terris ex matre sine patre genitus, cum eodem patre , & spiritu sancto viuit , & regnat Deus per omnia secula seculorum: Amen.

Magister lib. primo dist. 37.

### SECVNDA PARS SERmonis tertij de natiuitate domini, in ordine Sermo. VIII.

Gaudia natiuitatis Christi inenarrabilia.

TRANSEAMVS vsque Bethleem &c.

Gaudium, quod fidelibus æterni verbi temporalis attulit natiuitas enarrare quis poterit? Quippe ad cuius annunciationé vnus angelus non suffecit, nisi & cœlestis multitudo militiæ iucundis vocibus gloriã Deo decantarent, quis hominũ eloquatur? Quis deniq; æstimabit natiuitatis huius gaudia, quibus omnis timor, & angustia, languor & mentis inopia sunt ablata? Verbum .n. caro factũ habitauit in nobis, cuius gloriam vidimus, quasi gloriam vnigeniti à patre, plenum gratia, & veritate. Quis de sua humilitate, aut defectu quomodolibet contristabitur? Verbum hoc Iesus Christus est filius Dei, non fine salute Iesus non sine vnctione Christus, nec sine gloria venit filius Dei. Hinc Bern. in sermone quodam qui incipit: Sonuit vox lętitiæ. Respirate inquit, perditi, venit Iesus saluum facere, quod perierat. Morbidi conualescite, venit Christus, qui contritos sanat vnctione misericordiæ suę. Exultate, quicunq; estis grandia concupiscentes, descendit ad vos filius Dei vt regni sui faciat cohæredes. Præsente tanta consolatione, tristitia quomodo subsistet? quomodo mentis gaudio non cedet? Senserunt in seipsis gaudium, & exultationem spiritus pastores, post terrorem insoliti luminis annunciante angelo nouam diu cupitę salutis natiuitatem. Sed magis hanc videndo gustare desyderabant gaudium annunciatum, ideò relictis pecoribus, quorum pastu, & custodia prius sollicitabantur, transeamus inquiunt, vsque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est. De quo pro gratia. Aue.

Prosecuti sumus heri semper memorandam dominicæ natiuitatis historiã, vsq; ad eum locum, quo fęlix mater, & virgo filiũ suũ primogenitũ peperit pãnis inuoluit, & in præsepio collocauit. Nemo audiens primogenitũ scandalizetur. & cũ Hebione, Theodoro, & Heluidio hæreticis Mariã suspicetur etiã post genitos filios peperisse, cui⁹ perpetuã virginitaté Ezechiel propheta cognoscens ait. Hæc porta clausa erit nõ aperietur, & vir nõ transibit per ea, qm dñs Deus Israel ingressus est p eã, eritq; clausa principi. eiusdem. 44. Quorũ hæresim detestabilem b. Hieronymus solemniter scribens contra Heluidium confutauit, multis testimonijs ostendés nomine primogeniti in scriptura [non eum, post quem alij, sed ante quem nulli geniti sunt] designari: vnde & vnigenitos primogenitos esse constat.

Nemo scandalũ accipiat de nomine primogeniti Mariæ. Hebion. Theodorus. Heluidius hæretici.

Verum licet natura vnigenitus sit vtriusq; matris sine patre, & patris sine matre, nõ tamen vnigenitus est gratia adoptionis, sic .n. primogenitus est in multis fratribus, vt ait Apostolus Ro. 8. Ad hoc siquidé verbũ in carne descédit ait Orig. vt in ipsum caro. i. homo credens, per carnem ascendat in verbũ vt per naturalé filium vnigenitũ, multi efficiantur filij adoptiui, non propter seipsum verbum caro factũ est, sed propter nos, qui non nisi per verbi carnem potuissemus in Dei filios transmutari. Solus descendit, & cum multis ascendit, de hominibus facit deos, qui de Deo fecit hominem. Et infra. Verbum incarnatũ dominus Iesus Christus plenitudinem gratiæ secũdũ humanitaté accepit, qm caput est ecclesiæ, & primogenitus creaturę vniuersæ, hoc est toti⁹ generaliter humanitatis, q in ipso, & p ipsum sanata est. In ipso, qm maximũ, & principale exéplũ gratiæ, qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus ipse est, & in ipso primordialiter manifestum est. Per ipsum verò quoniã de plenitudine eius diuinitatis omnes accepimus gratiam deificationis pro gratia fidei, qua in eũ credimus, & actionis, qua mãdata eius custodimus. Hæc Orig. Ex quo etiã patet q virgo Maria nõ solũ Xpi mr é corporaliter, sed oim

nostrum mater est spiritualiter. Planè inquit. Aug. lib. de sancta virgi. mater est membrorum Christi, quæ nos sum' quia cooperata est charitate, vt fideles in ecclesia nascerētur. vnde pro filiis suis eccle. canit. Monstra te esse matrē &c. Et verè mater nostra est, quæ Dei filium corporaliter generando fecit nobis omnibus esse fratrem. Hunc autem genitum, ac pannis inuolutum in præsepio reclinauit. cuius causam euangelista subdit dicens, quia non erat ei locus in diuersorio, secundum Beda Diuersorium dicitur quasi diuersa habens orificia. i. duas portas, quibus itur ad vtrumq; proximū vicum. Fuit enim locus ille platea cooperta in publico, ad receptionē transeuntiū tempore calido, vel pluuioso. In hac ergo platea; & diuersorio publico manserūt nocte illa Ioseph cum Maria, secundum Chrys. eo quod propter multitudinem eorū, qui causa profitendi illuc venerant, habere hospitium nequiuerunt. Adduxerat autem Ioseph, vt dicit Nico. de ly. in illo itinere secum asinum ad vehendum, virginem prægnantem, & bouem ad vendendum in Bethleem, vbi erat magna populi congregatio, quatetus de precio solueret expensas in via, & censum regium. His autē duobus animalibus fecit præsepium iuxta se, in quo beata virgo reclinauit puerum Iesum, secundum quod prædictū fuit per Abacuc prophetam. Domine inquit, audiui auditum tuum, & timui, considerauí opera tua, & expaui, in medio duorum animaliū, secundum translationem septuaginta. Fuit .n in propheta admirationis pauor, quod in loco tam humili reclinaretur saluator. Hinc canit ecclesia. O magnū mysterium, & admirabile sacramentū, vt animalia viderent dominum natū, iacentē in præsepio, beata viscera, quæ meruerunt portare dominum Christum. Descripa aūt natiuitate domini, tēpore, loco, & circunstantiis fidelis euangelista testes non desijt annotare. Ait enim. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circūfulsit eos, & timuerunt timore magno, ex insolita. s. visione. Et dixit illis Angelus. Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo. s. Gabriele (secundum August. in de mirabili. script. multitudo militiæ cęlestis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Ecce quanta testimonia de cęlo habet natiuitas paruuli inter homines despecti, præter præsepium in diuersorio locum non habentis, lucis claritatē, angelicā pdicationē, iucundantiū Angelorū militiā, ac noui syderis sicut Matth. scribit, radiū fulgurantē. Vtriusq; natura aperta testimonia. Nā diuinam paruuli nostri naturā testatur gloria cęlorū Siquidē secundū hanc lucē habitare inaccessibilē testis est claritas Dei, quæ oculos pastorum terruit, & cōprehēdi non potuit. Hunc denique esse verbum patris, cęlestia verba designant, præsentia autem multitudinis canentium Angelorum, hunc dominum, ac regem spirituum profitetur, & beatitudinem electorum. Stella autem noua præter hoc, quod hunc cęli, stellarūq; creatorē, & rectorē esse significat, quia ita oculos magorū in admiratione suspendit, vt interiora illuminaret eorum corda, apertè denunciat hunc paruulum esse doctorem, qui nedum exterius sanando ministerium exibet, sed etiam intus docendo mentem æterna veritate illustrat. Ecce quadruplex testimonium de cœlo, regi cœlorum pręter humana testimonia, Zachariæ, Helisabeth, Simeonis, Annæ. Denique Mariæ, & Ioseph, pastorum, atque regum, seu magorum, si tamen humana, & non magis diuina, quia diuinę reuelationi subnixa, q̄ nūc (quia cuā

Natiuitas Christi habuit testimonia plurima

De cœlo quadruplex testimonium.

gelium præsens tacet) prosequenda nõ, sunt. Pariformiter humanæ substantiæ veritatem probant, teneritudo infantilis, infirmitas carnis, vagitus panni, præsepium, lactis potus,& matris obsequium. De quo beatus Ambr. super Lucam dicit. Alia natura carnis, alia diuinitatis est gloria, propter te infirmitas, propter se potentia, propter te inopia, propter se opulentia. Noli hoc æstimare, quod cernis, sed quod redimeris agnosce, quia in pannis est, vides quia in cœlis est, non vides. Et infra. An mediocribus signis approbatur, quod angeli, quod magi adorant, quod martyres confitentur. Ex vtero funditur, quod coruscat cœlo, terreno in diuersorio iacet, sed cœlesti lumine viget. Nupta peperit,sed virgo concepit, nupta concepit,sed virgo generauit. Et Bea. August. in lib. de symbolo. Parit mater, & virgo,fœta & intacta est, factor omnium fit inter omnia, portatur manibus rector orbis, lambit vbera regens sydera, tacet, & verbum est. Nec dum quis esset,demonstrabat, & vniuersa creatorem suum indicabant. Et in sermone de Epiphania qui incipit. Post miraculum virginei partus. idem ait. O infantia, cui & astra subduntur. Cuius est iste magnitudinis supernæ gloriæ, ad cuius pannos, & angeli excubant, & sydera obsecundant,& reges trepidant, & sectatores sapientiæ ingeniculant. O beatum tugurium. O sedes secunda post cœlum, vbi lucebat non lucerna, sed stella. O cœleste palatium, in quo habitat non rex gemmatus, sed Deus incorporatus. Cui erant pro mollibus thoris dura præsepia, pro laquearibus aureis, fumea culminum tecta, sed syderis obsequio decorata. Sequitur: Quis est iste talis, ac tantus? O natura confer mecum. Quis est iste? cui exhibes obsequium, & non habet tectum? Quis est iste, qui vagitibus præsepe replet? Responde mihi oro te, dic mihi, cui exhibes laudem? ne diu inquirat animus rationem. Stupeo enim cum video pannos,& intueor cœlos. Æstuo cũ inspicio in præsepio mẽdicum, & supra astra præclarum. Sed subueniat nobis fides, quia ratio naturæ deficit. Quæ igitur fides ad verba respondeat audiamus. Panni isti, vagitus, & infantia, humani generis est noua natiuitas, quia interierat hominis peccato natura. Stella verò fulgens, & magus accurrens, regis est natiuitas patens. Hæc Aug.

Audistis testimonium cœlestium spirituum: Placeat nunc audire confessionem hominum terrenorum. Sequitur enim [ Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsq; Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est,quod dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam,& Ioseph,& infantem positum in præsepio Videntes autem,cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero ] hoc est videntes corporis oculis puerum pannis inuolutum, & in præsepio collocatum. Mariam matrem eius pauperẽ in nulla terrena põpa refulgentem, & Ioseph vtriusq; custodem cognouerunt per fidem à Deo cordi infusam, ꝙ hic erat puer infans saluator seculi, de quo sermo angelicus erat factus. Et cęperunt prædicare Mariæ, Ioseph, & omnibus circumstantibus cuncta, quæ viderant, & audierant ab angelis de puero hoc. Vnde sequitur [ Et omnes, qui audierunt mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos ] Glo. Non solum mirabantur de incarnationis mysterio, sed etiam de tãta pastorum attestatione, qui velut simplices nescierunt fingere inaudita, sed simplici facundia verum prædicarunt. Omnino efficax ad fidem pastorum testimonium, sicut Ambro. ait: Non tibi mediocre fidei hoc videatur exemplum, nec vilis pastorum persona. Certè quo vilior ad prudentiam, præciosior est ad fidem. Non gymnasia Choris referta sapientium, sed plebem dominus simplicem requisiuit, quæ falerare audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desyd-

Testimonium ab hominibus de Christi nati.

dera

deratur. Nec contemnenda putes, qua si verba vilia pastorum: A pastoribus etiam Maria fidem collegit, à pastoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur. Vnde sequitur [ Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo ] scilicet cum his, quæ ab angelo audierat, quæ in prophetis legerat, quæ in seipsa experta fuerat, & in omnibus cernebat concordiam, & pertinens testimonium, quod verus Deus esset quem ipsa genuisset. [ Et reuersi sunt pastores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum fuit ad illos. ] Hæc sunt, quæ pastores transeuntes in Bethleem corporalibus viderunt oculis, & mentalibus de verbo, quod factum est, quæ & nos meditari non cessemus, laudantes, & glorificantes Dei misericordiam quam nobis in benedicti filij sui natiuitate ostendit, qua nos (sicut ecclesia canit) de potestate diabolica liberauit, cum quo viuit, & regnat in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum: Amen.

## PARS TERTIA SERmonis tertij de natiuitate domini, in ordine Sermo. IX.

TRANSEAMVS vsque Bethleem, &c.

Visio Christi incarnati est meritum & via ad patriam.

Sicut visio verbi quantum ad diuinitatem præmium est beatificum assumptorum ad gloriam, dicente Augusti. 1. de trinita. Visio est tota merces. Ita visio eius secundum humanitatem meritum est, & via ad patriæ beatitudinem Hinc 1. de doctrina Christia. dicitur: Fidei suæ cedit spes, fides visio est ænigmatica, secundum apostolum primo Corinth. decimotertio. Ad hoc denique verbum caro factum est, vt qui infirmi eramus ad visionem Dei verbi inaccessibile lumen paternum habitantis, visione verbi caro facti, ad eam conualesceremus. De quo idem Augustin. sermon. 39. de verbis euangel. ita dicit: Non mundato corde quid potuit misericordius donari ab eo, quam vt illud verbum, per quod facta sunt omnia, fieret, quod nos sumus, vt attingere possemus illud, quod nos non sumus? Non tantum Deus sumus, sed possumus mente, vel cordis acie interiore Deum videre. Hoc enim nobis promittitur, videbimus sicuti est ait. 1. Ioann. 3. Sed vt perueniamus, si nondum possumus videre Deum verbum, audiamus verbum carnem, quia carnales facti sumus, audiamus verbum carnem factum. Ideò enim venit, ideò suscepit infirmitatem nostram, vt possimus firmam locutionem capere Dei portantis infirmitatem nostram. Audire autem mente, videre est, oculo non carnis, sed fidei. Quia autem (vt perspectiui aiunt) vt fiat visio, certa requiritur propinquitas, & distantia oculi videntis ad visibile. Ideòq; ad videndum verbum pro nobis factum, illi appropinquare opportet, quo igitur ibimus? In Bethleem Iuda. Ibi enim natum cognouimus, ibi inuolutũ pannis, & in præsepio reclinatum. Viã autem iam certam fecere pastores, qui lætissimis nouæ natiuitatis rumoribus ab angelo auditis contenti non fuerunt sed & videre cupierunt. Vnde accepto signo dimissis gregibus festinanter ierunt, ad inuicem dicentes: Transeamus in Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est Pro gratia Aue Maria.

Xp̃s cur suscepit infirmitatem nostrã cur.

Vbi videatur Christus homo.

Audita dominicę natiuitatis historia, aduertamus nunc diligentius, quomodo nos in Bethleem transire possimus, vt verbum quod factum est vtique nobis videamus. Et quidem Bethleem ad literam, in qua dominum corporaliter natum cognouimus, viculus est paruulus terræ Iuda transmarinus. Sed ad hunc qualiter transire poterimus omnes? Nunquid transnauigare poterunt pauperes, naulo, victuque carentes, infirmi, & curæ reifamiliaris, aut subditorum alligati? Denique; Bethleem

Quomodo in Bethleem sit transeundum

hæc ab infidelibus occupatur, vt etiam à transeuntibus, magis Antechristi mu l ti, quam Christus videatur. Sed est aliud Bethleem spirituale nobis propinquissimum, quo nulli volenti negatur accessus, etiam si pedum exiltat priuatus officio, aut infirmitate qualibet prægrauatus, in quo verbum videre poterit quisquis voluerit. Hinc Moyses Deuter. 30. ait: Non est supra te neq; procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cælum condescendere, vt deferat illud ad nos? neque trans mare positum, vt dicas, quis nost rum poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & corde tuo. Ambulemus ergo vsque ad nosipsos, pedibus conuersionis, non corporis, agamus, vt ipsi simus Bethleem Iudæ, & in nobis videbimus, Christum. Vtinam [ ait Bernard ] inueniamur & nos Bethleem Iudæ, vt in omnibus quoque dignetur nasci Christus, & audire mereamur, quia nobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. Quomodo possunt hæc fieri? Certè possunt, si in nobis hæ conditiones spiritualiter inueniantur, quæ in Bethleem corporaliter cognoscuntur.

Bethleem viculus paruus erat Mich. quinto. Et tu Bethleem Effrata paruulus es, dictus domus panis, situs in terra Iuda, quod confessio, vel confitens interpretatur. Simus & nos paruuli, & domus panis, atque confitentes domino, & nascetur, ac requiescet in nobis Christus verbum patris. Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos. Esa. 66. Nisi enim paruuli fuerimus in oculis nostris non habitabit in nobis Christus. Nam ad Saul dicitur: Dum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxit te dominus in regē super Israel. Sequitur. Quia proiecisti sermonem domini scilicet superbiens contra dominum, proiecit te dominus, ne sis rex super Israel primo. Regum. decimo quinto. Israel videns Deum. Quomodo enim, qui de cœlo descendit, factus paruulus, ascendat in cor altum, & superbum? Siquidem humilia respicit & alta à longè cognoscit, humilibus dat gratiam. prima Petri primo. immo se ipsum gratiarum fontem, superbis autem resistit. Dum omnipotens nasci pro nobis temporaliter decreuerat, multæ orbis, magnæ pomposæ, multæ regum, multæ tyrannorum, multæ nobilium, atque secundum hunc mundum magnatorum erant vxores, & filiæ & nihil horum elegit. Sed dominus altiori consilio tanquam cœlestis, & non de mundo, mundi iudicium in omnibus reprobauit. Omnia, quæ mundus præciosa reputat, despexit. Despecta, ac humilia elegit, humilem locum, humilem matrem, humilem vestitum, humilem stratum, vt palam doceret, se non in altis, & pomposis, sed in humilibus, ac paruulis rebus, & mentibus delectari. Stultè ergo nimis agunt, qui in hac sancta festiuitate in vestitu, incessu ornatu, victu, superbè, ac pompo sè incedunt Non illi Bethleem, sed Babylon, sed Hierusalem se conformant, vbi stella, quæ in Bethleem corruscauit, non luxit, sed disparuit, non Christi natiuitatem honorant, quæ in paupertate, & humilitate prædicatur, sed Herodis, vbi Ioannes occiditur, qui est gratia Dei.

Simus quoque domus panis, quoniā Bethleem esse non potest, qui dicit illud Esai. 3. In domo mea non est panis. Panis autem (propheta teste) confirmans cor hominis, est verbum Dei. Confirma me (inquit idem propheta) in verbis tuis. In verbo enim quod procedit de ore Dei viuit homo, viuit in Christo, viuit in eo Christus. Ibi oritur (ait Bernard.) ibi apparet, nec omnino amat cor titubans, aut vacillans, sed stabile, & confirmatum. Sumus ergo Bethleem, si in tantum panis verbi Dei in nobis conualuit quod cor nostrum in bono proposito confirmauit, ita quod nequaquam redire libeat ad ea, vnde ad Christum conuersi sumus. Quo contra eodem Bernard. teste. Si quis mur-

muca-

mutauerit, si quis hæsitat, si quis nutat si quis cogitat reuerti in Ægyptum, reuolui in lutum, redire ad vomitum, mutare propositum, deserere votum, non est Bethleem ille, non est domus panis. Sola enim fames, & fames valida, in Ægyptum eum descendere, porcos pascere siliquas esurire compellit, vt post procul agentem à domo panis, à domo patris, in qua etiam mercenarij panibus abundare noscuntur. Non in huiusmodi corde nascitur Christus vbi deest fidei fortitudo, propositi firmitas. Quomodo enim in illo nascitur Iesus? quomodo salus oritur illi? quando quidem vera omnino, certaque sententia est, quod is tantum, qui perseuerauerit in finem, saluus erit. Quæ enim est societas æternitati, & tantæ mutabilitati eius, qui est cum eo, qui nũquã in eodem statu permanet? Hi .n. sunt qui obliti sunt comedere panẽ suũ, qui quacunq; facili suborta occasione obliuiscuntur domini Dei creatoris sui, & vt tractent, quæ sunt super terram, obliuiscuntur cęlestia, atendunt pręsentia, obliuiscuntur futura, amplectuntur, quæ videntur, obliuiscuntur, quæ non videntur, postremò quærunt, quæ sua sunt, obliuiscuntur, quæ sunt Iesu Christi, longè facti ab eo, qui ait. Prouidebã dominũ in conspectu meo semper, oblitus populum suum, & domum patris sui.

Confessio duplex. Cõsistamus deniq; in terra Iuda. Cõfiteamur domino duplici confessione, fraudis, & laudis. Confiteamur peccata nostra confiteamur domino, quoniã bonus. Non .n. simpliciter in Bethleem, sed Bethleem Iuda nascitur, dominus. Quantumlibet enim fortes in fide, & proposito firmi, quantumlibet panibus abundantes ipso largiente, cui quotidie orantes dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, necesse habemus addere consequenter. Dimitte nobis debita nostra. Alioquin si dixerim quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est, ait Ioan. 1. canonica. 1. A qua confessione deficiunt, qui excusant excusationes in peccatis culpam suam in alios transferendo, & quando, quod magis detestabile est, contra Deum quasi miustũ aut impium murmurando, sicut in Adã & Eua habes exempla.

Deniq; confiteamur dño confessione laudis, eũ magnificando, & laudando, non solũ ore, sed etiam corde, & opere vt toti pariter, & omni parte domino confiteamur. Quoniam seipsum exhortans ait propheta: Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Et iterum. Omnia ossa mea dicent, domine, quis similis tibi? Faciemus hoc, si omnia opera nostra opera sint domini, ex eis idest pręceptis, aut consilijs emanantia. Si omnia, quæcunque facimus in verbo, & operę omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facimus, gratias agentes Deo, & patri per ipsum. Colossen. tertio. Qualiter non operantur, aut confitentur, qui (vt apostolus ad Titum. 1. ait.) confitentur se nosse Deũ, factis autem negant. Simus ergo veri Iudæ in Iuda habitantes, vtraq; confessione domino cõfitentes, si corde nos confitemur dignos multis maioribus pęnis. Deum verò summè bonum, qui pro his leuib* & transitorijs pęnis æterna condonat supplicia, quæ meremur. Qui ita domino confitetur, patiens est, tranquillus est, & in tribulationibus vndecunque veniant, manet pacificus, & quietus, plus gaudens de flagellantis pij patris misericordia, quam de præsenti doleat pęna. Vultis scire, qui sic domino non confitentur. Audite Bern. serm. de vigi. qui incipit. O Iuda, & Hierusalem, ita dicentem. Quisquis ardenter non desyderat pœnitentiam, videtur operibus dicere non indigere se pœnitentia, & ita suam non confitetur culpam, quo ad primã confessionis speciẽ. Aut nõ posse prodesse ei pœnitentiã, & sic diuinã non confitetur bonitatẽ, quo ad secũdã Ecce habetis, qua via transeundum est in Bethleem Iuda. Transimus .n. si corde humiliamur, facti sicut paruulus iste. Si per Dei verbum in emendationis nostræ proposito, firmiter

Confessio laudis qualis.

mitter

miter perduramus. Si tandem duplici hac,quam audistis confessione,dominũ benedicimus,& laudamus, nisi quod non tam transimus vsque Bethleem, quam in efficicimur Bethleem Iuda. Cum itaque transimus vsque Bethlem, videamus verbum, quod factum est,videamus inquam,verbum non quid sit,secundum id, quod est; non factum, sed genitum est à patre sic enim posuit tenebras latibulum suum, sed secundũ id,quod factum est in sua exinanitione Videamus etiam,quomodo iam factum .i.quemadmodum ex matre genitum se habuerit in nouę vię ostensione,vt accensi desyderio per primum, viam vitę arripiamus docti per secundum. Videamus inquam, quid factum est in exinanitione, qua exinanitus apparuit in hodierna natiuitate, si tamen videre possumus,quia tanta sunt, & talia, vt vix fidei oculis attingi, ratione verò omnino appræhendi non possint. Videamus inquiunt, hoc verbum, quod factum est. Verbum vtique patris tactum carnem, hodie natum ex virgine in Bethleem Iudę. Videamus, & nos, quid est dicere verbum patris, quod factum est, verbum ex patris corde æternaliter eructatum,filius Dei est ex substantia patris æternaliter genitus, sermone 39.de ver Euang. Aug. Non factus forma,non formata, omnium formatorũ forma,incommutabilis,sine lapsu sine defectu,sine tempore,sine loco, manens in se,innouans omnia, per qué omnia facta sunt,& vniuersa,quæ facta sunt in ipso viuunt, superans omnia,& fundamentum,in quo sunt omnia, & fastigium, sub quo sunt omnia. Hoc inquam, verbum hodie temporaliter ex matre virgine natum, manens quidem in se, quod erat, factum est, quod non erat,homo videlicet infirmus, loco circumscriptus, tempori subiectus. Ipse, qui fecerat hominem, factus est, quod fecit(ser.65 )ne periret,quod fecit,faciens,& factus,creator & creatus, creator matris,creatus ex matre.ser 43 qui fuerat antequàm fieret,fecit sibi,in qua fieret. Sic propter nos temporalis effectus est temporum effector,propter nos in carne apparuit mundi conditor, verba sunt beati August in diuersis ser. Et beatus Leo in ser. qui incipit Exultemus in domino. Ingreditur inquit hęc mundi infirma filius Dei, de cęlesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens. Inuisibilis in suis,visibilis est factus in nostris,incomprahensibilis voluit compræhendi, ante tempora manens esse cępit ex tempore, vniuersitatis dominus seruilem formam obumbrata maiestatis suę dignitate suscepit impassibilis Deus non dedignatus est homo passibilis esse,& immortalis mortalibus legibus subiacere.Ecce quod factum est verbum hodierna natiuitate. Videtur enim (ait Bern. hom.2. super Missus est) longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans,aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas,potentiam regi,sapientiam instrui, virtutem sustentari. Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem. Videas,si attendas tristari letitiam,pauere fiduciam, salutem pati,vitam mori, fortitudinem infirmari, immo quod non minus mirum est, ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.

Christus duas naturas habuit.

Veruntamen non illa, quæ videntur contraria Christo secundum vnam naturam,vnam ve natiuitatem inesse credendum est. Duas enim in Christo naturas catholicè confitemur secundum Damas. & Aug. in de fide ad Petrum. Diuinam, secundum quam est patri naturaliter æqualis, & coæternus Deus. Humanam,quam pro nobis manés incommutabilis Deus suscepit temporaliter ex virgine matre, verus, ac plenus homo factus Duas quoque natiuitates, æternam videlicet, & temporalem, vt Maximus in sermone qui incipit. Hodie fratres charissimi Christus natus est declarat. Vnus inquit, idemque sine conceptione natus est Deus, & sine creante.i. generante patre factus est homo.

mo. Ibi illum ex semetipso genuit De⁹, hic eum virgo Deo operante concepit, ibi sine initio, hic sine exemplo, ibi natus est, vt conderet vitam, hic factus, vt tolleret mortem, ibi patri natus, hic hominibus procreatus, illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominẽ liberauit. Natiuitate ęterna pater cum sibi genuit naturaliter, & necessario. Natiuitate temporali se nobis ipse exhibuit misericorditer, & voluntariè. In ipsa nanque temporali natiuitate secundum prophetę testimonium misericordia, veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatę sunt. Quid enim misericordius cogitari potuit quàm qđ (vt Bern. dicit ser. de vigi qui incipit Hodie scietis) Venit medicus ad ęgrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Venit quippe qui proiiciat in profundum maris omnia peccata nostra, qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redemit de interitu vitā nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus dum nos proprijs humeris ad proprie dignitatis reportat originem. Magna est ista potentia, sed plus admiranda est misericordia, quod sic venire voluit qui potuit subuenire. Apostolus ad Titum. 3. Apparuit benignitas & humanitas.

Iustitia & pax quomodo sibi obuiauerint.

Sed quę iustitia, vt appareat, quemadmodum sese osculatę sunt pax, & iustitie in hominis reparatione, quę à se discordare videbantur in eius lapsu, & lapsus damnatione. Nostis charissimi hominem primum superbo, illicitoque assensu supra se in Dei similitudine serpentis suasu insipienter eleuatum, per inobedientiam præceptum sibi datum pręuaricasse, ac per hoc pacem interiorem perdidisse, & transgressionis suæ culpam in omnes à se concupiscentialiter propagandos trāsfudisse, seque cū illis ęternę mortis supplicio obnoxios reddidisse, à quo iustè solui non poterat, nisi per innocentis geniti humilitatem, & obedientiam mortis pęna solueretur, quam homo peccator soluere tenebatur. Et quia inter naturales Adę filios nullus innocens inuentus est, culpa originali omnes pariter inuoluente teste Iob. Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius vnius diei est vita super terram. Vnigenitus patris filius cum in forma Dei esset, ipsa Dei forma seruata exinaniuit semetipsum contra superbiam protoparentis, contra eius inobedientiam factus obediens patri immò & matri. Et vt carnem hominis peccatoris, & animam mundaret susceptione carnis, & animæ rationalis incarnatus est vt secundum Aug. in de fide ad Petrum. Peccatum, quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit, vt auferret, conceptus est nouo more De⁹ incarnat⁹ in virgine sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis, vt per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inuiolatus edidit virginis vterus, ablueretur peccatum, quod nascentes trahunt omnes homines. Solus ergo abstulit peccatum cō ceptionis, atque natiuitatis humanę Dei vnigenitus, qui dum concipere-tur, veritatem carnis accepit ex virgine, & cum nasceretur, integritatem virginitatis seruauit in matre. Ista causa est, qua Deus factus filius virginis Mariæ, & Maria virgo mater facta est vnigeniti Dei, vt quē pater genuit ex æternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore. Illa itaque virgo, quam Deus, qui de ea erat nasciturus, ita singulari gratia pręuenit, atque impleuit vt ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit vniuersitatis dominum, & ipsum sibi videret nascendi solemnitati subditum, quem in vnitate paternę substātię non solum ipsa, sed etiam Angelica creatura cognoscit, & adorat altissimum. Sic ergo hac quoq; iustitia peccatum, & pęna peccati, quę per scelus corruptæ mulieris intrauit in mundum, per inuiolatum virginis partum aufertur à mundo, vt quia in conditione generis humanī per mulierem, quæ de solo viro facta est, factum est, vt mortis vinculo teneremur obstricti. Hoc in redemptione generis humani diuina bonitas egit, vt per virum, qui de sola muliere natus est, hominibus

bus vita redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudinem sociauit, hic Deus humanā naturam in vnitate personæ suscepit. Ibi fęmina decepta est, vt fieret filia diaboli, hic virgo gratia repleta est, vt fieret mater summi, atque incommutabilis vnigeniti Dei. Ibi Angelus deiectus per superbiam seductę mulieris, mentem elationis veneno inflauit. Hic magni consilij Angelus virginis vterum ex ea nascíturus impleuit. Ibi homo per superbiam à sua dignitate lapsus sua hæreditate, ad quam creatus fuerat priuatur, hic naturalis filii Dei exinanitione supra hominem homo lapsus in Dei filium adoptatur. Ecce his Aug. verbis aliqua ncturum patere poterit, quā iustè, quàm cōgruè medicinalis domini natiuitas morbo correspondeat, vt salua veritate paternæ iustitiæ hominem liberet, dum dictante iustitia non sine satisfactione homo noxius reparatur, & non habenti, vnde satisfaceret liberalissimus satisfactor hodierna natiuitate reo misericorditer condonatur. Qui dum omne debitum etiam mortis pro damnato homine soluit, vt Leo ait in ser. quo supra. Redit in honorem suum ab antiquis contagijs purgata natura, mors morte destruitur, & natiuitas natiuitate reparatur, quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & generatio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.

Natiuitas medicinalis domini morbo respōdet

Quisquis ergo christiano nomine fideliter gloriaris (ait idem Leo) reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio, tibi enim quondam abiecto tibi extruso de paradisi sedibus, tibi per exilia longa erranti, tibi in cinerem, & puluerem resoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi, per incarnationem verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris autorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium, vt qui ex corruptili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiā, quod non habes per naturam. Hæc attendentes nos mortales, qui adhuc mortalibus rebus oblectamur, fugitiuam vitā [si fieri posset] tenere conamur. Spes longè clarior refulsit in terris ait Augustinus, vt terrenis promitteretur vita in cęlis. Aeterna itaque dona spe firmissima concupiscamus filii Dei esse, accepta potestate pręsumamus. An adhuc dubitamus, quòd faciat nos filios Dei, qui pro nobis nasci voluit filius hominis? Et ecce sanguine suo nos emit, reprobatos probauit, iniuriatos honorauit, redemit venditos, viuificauit occisos, & quomodo non paret nobis bona sua, qui vt iustè daret, suscepit mala nostra? Gaudeamus ergo, & toto corde exultemus, sed in domino, non in seculo, in veritate, non in iniquitate, in spe æternitatis, non in flore vanitatis. Et tantum de sermone isto.

Christianus perpendat gratiam reconciliationis

## DE NATIVITATE DOMINI. Sermo IIII. in ordine X.

MVLTIPHARIAM, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio ad Hęb 1.

Explanatio epistolę multiphariā multisq; modis.

Cęleberrimam dominicæ natiuitatis festiuitatem cum gaudio celebrantes diuinum deuotissimè adoremus mysterium. Ad quod beatus Leo in ser. 2. huius festi hortatur di. Exultemus in domino dilectissimi, & spiritali iucunditate lętemur, quia illuxit dies redemptionis nouæ, reparationis antiquę, fęlicitatis ęternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua reuolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum, in quo dignum est nos sursum erectis cordib⁹ diuinum adorare mysterium, vt quod Dei munere agitur, magnis ecclesię gaudiis celebretur. Et vt idem inquit ser. 6. Nihil celebrius, nihilque magis fidenter spiritali mens attingit intuitu, quā quod Deus Dei filius genitus de patre coæterno, idem etiam partu est natus hu-

Promissio ad patres.

humano. Sed hanc adorandā in cęlo, & in terra natiuitatem nullus nobis dies magis, quàm hodiernus insinuat. Non solum enim in memoriam, sed in conspectum quodammodo redit Angeli Gabrielis cum Maria stupente colloquium, & conceptione de spiritusancto tam mirè promissa, quam credita autor mundi editus est vtero virginali. Et qui omnes naturas condidit, eius est factus filius, quam creauit. Hodie verbum Dei apparuit, carne vestitum:& quod nunquam fuit humanis oculis visibile, cępit etiam manibus esse tractabile, hodie in nostrę carnis, animæq; substantia saluatorem Angelicis vocibus didicere pastores: & apud dominicorum pręsules gregum hodie Euangelizandi forma pręcondita est, vt nos quoq; cum cęlestis militię dicamus exercitu: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax ho. &c. Hęc ille. Venit enim Dominus Iesus Christus contagia nostra auferre non perpeti, nec succūbere vitijs, sed mederi. Venit, vt omnem languorem corruptionis, & vniuersa vulnera sordentium curaret animarum: propter quod oportuit, vt nouo nasceretur ordine, qui nouam impollutę synceritatis gratiā humanis corporibus inferebat. Oportuit; vt primam genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret: vt complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuit deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem, vt virginitas, quæ in alijs non poterat salua esse generando, fieret imitabis renascendo. Leo. Serm. 2. Impletum est in fine seculorum, quod erat ante tempora æterna dispositum: & sub præsentia rerum signis cessantibus figurarum lex, & prophetia veritas facta est, vt Abraam fieret omnium gentium pater, & in semine eius daretur promissa benedictio. Quod etiā Apost. ad Gal. 3. cōmemorat di. Abrae dictę sunt promissiones, & semini eius. Nō dicit seminibus, qua si in multis: sed semini tuo, qui est Xps. Hic est filius, in quo locutus est nobis diebus istis Deus pater: postquā olim multipharium multisq; modis locutus est patribus in prophetis. Pro gratia Aue Maria.

Multifariam &c. Adorāda nobis est sacrosancta nostri saluatoris natiuitas, ac toto charitatis affectu flāmigero, eū magnis gratiarū actionis vocibus collaudanda. Sed quomō ritè adoratur, qd non intelligitur? aut quibus verbis laudatur, quod lingua non exprimitur? qm vt dicit Glos. super epist. ad Heb. Nec ad loquendum dignè de Deo lingua sufficit, nec ad percipiēdū valet intellect⁹. Multa .n. de Deo intelligimus, quæ loqui penitus nō valemus: multa rectè loquimur, quæ intelligere nō sumus idonei. Ideò ne cognitionis inopia à laude deficiamus creatoris, de doctrina eius, qui ad tertium raptus cęlum, etiā ea cognouit, quæ ad nostram informationē scriberet, epistola legi statuta est, in qua nati regis nostri excellentia quantum humanum ingenium capere, & verbis exprimi poterit, Apostolus declarauit: cum ait: Multifariam, multisq; modis &c. Recitetur, si placet epistola ex toto. In hac epistola Apostolus primo proponit promissionem ad patres factam per Christi natiuitatem esse impletam. Secundò Christi nati ostendit excellentiam. Tertiò quę dixit, probat per veteris testamēti scripturā. Natiuitas Xpi adorāda

Circa primum innuit hāc conclusionem. Promissio patribus multifariam per Prophetas facta: tunc cum Deus pater locutus est nobis in Christo suo filio fideliter est impleta. Hoc est, q dicit mulrifariam .i. per diuersas figuras, & velamenta in sacrificijs, & sacramentis, & huiusmodi, quæ erant figuræ eorum, quę facta sunt per Christū. Multisq; modis loquendi, siue reuelandi. Aliquando per visionē corporalē, vt de articulis, & scriptura apparete Dario Dan. 5. Aliqn per visionē imaginariā: sicut Esa. 6. Vidi dñm sedentem &c. Aliqn per visionē tm̄ intellectualem: sicut Dauid. Aliquando per somnium

vt Danieli. Aliquando aperta voce: vt Moysi.

*Deus quõ loquatur.*

Olim loquens ex antiquo, & multo tempore: vt paulatim assuefaciendo crescerent in cognitione mysteriorum incarnationis, & veritatis, quæ per Christum facta est. Quibus angeli reuelabant occulta Dei, & ipsi vlterius populo. Vnde Angelus Moysi ex persona domini locutus est: vt habetur Act. 7. Hic est Moysem, qui fuit in Ecclesia in solitudine. Et ibidem. Accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis. Ad idem pertinet quod ca. 2. huius Epistolę Apostolus dicit. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus (ad Moysen .s.) est firmus &c.

Nouissimè diebus istis, .i. tempore gratiæ, & veritatis reuelatæ: locutus est nobis in filio .i. per filium incarnatum.

Sed videtur, ꝙ dictum Apostoli contrarietur dicto Prophetę Psal. 61. Semel locutus est Deus. & Iob 33. Semel loquitur Deus, & idipsum non repetit. Si ergo semel, quo modo multifariam, multisq; modis? Soluit Glos. in psalm. præfato. Apud homines multis modis, apud se semel: quia vnum verbum genuit, per quod, & in quo omnia facta sunt. Et Greg. in moral. super verbo præallegato. Loqui Dei est verbum generare: quia præter vnigenitum aliud non genuit verbum: hoc apud se sed apud homines per subiectas creaturas loquitur, per scripturas. Sed specialiter, & singulariter per filium incarnatum.

*Deus cur nouissime locutus sit.*

Sed quare non primo: sed nouissimè nobis locutus est in filio? Videtur enim maioris dilectionis opus fuisse, statim lapso subuenire: & non finem temporis expectare. Dicit autem Apostolus ad Ephes. 2. Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: cum essemus mortui peccatis: viuificauit nos in Christo. Charitas autem non tardat subuenire amico necessitatem patienti, secundum illud Prouerb. 3. Ne dicas amico: vade, & reuertere: cras dabo tibi. cum statim possis dare. Huius dilationis plures assignantur causæ: quarum aliquas tangit Beatus Thom. parte 3. q. 1. artic. 5. Prima, propter conditionem peccati, quod ex superbia prouenerat. vnde opus fuit liberando homini: vt recognosceret se liberatore indigere. Vnde Glos. super illud ad Galath. 3. ordinata per Angelos in manu mediatoris. Magno inquit Dei consilio factum est: post hominis casum non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus hominem in libertate arbitrij in lege naturali: vt sic vires naturę suæ cognosceret: vbi cum deficeret, legem accepit. Qua data, inualuit morbus: non legis, sed naturę vitio: vt ita cognita sua infirmitate, clamarēt ad medicum: & gratię quærerēt auxiliū. Etiam propter dignitatem venientis: quæ quo maior fuerat, præconum series longior ꝑcedere debebat: vt Glos. ad Gal. 4. Et ne feruor charitatis tepesceret temporis prolixitate: quia quo magis receditur à principio nostræ redemptionis, tāto magis refrigescit charitas multorū. Hinc dominus. Matt. 24. Refrigescit charitas multorum.

*Filij Dei excellentia vnde elici potest.*

Consequenter ostendit filij excellentiam: vnde elici potest hæc conclusio. Filius, per quem nobis Deus pater nouissimè locutus est diebus istis, excellentior est omnibus creaturis. Istam conclusionem deducit ex tribus. Per comparationem ad omnes creaturas, per respectum ad patrem per comparationē ad suprema .s. angelicam.

Primum ostendit secundum vtrãq; naturam Christi, humanam assumptā, & diuinam æternam.

Quo ad assumptam ait: quem constituit hęredem vniuersorum .i. possessorem, & dominum omnis creaturæ. Non enim iam portio domini est Iacob tantum, & pars eius Israel: sed omnes prorsus nationes mundi: ait Glos. Eoipso enim: ꝙ natura humana est à verbo assumpta in vnitatem suppositi, constituta est super omnes creaturas. Hinc dominus post resurrectionē ait: Data est mihi omnis potestas in cęlo,

&

& in terra. Matth. vlt. Hæc data est in instanti conceptionis autoritatiuè, sed executiuè post resurrectionem. Quantum ad naturam diuinam subdit. Per quem fecit & sęcula.i.secundum Glos. per verbum patri coæternũ fecit Deus pater non solum inuisibilia, & immutabilia,quę minus nobis sunt nota:sed & sęcula.i.visibilia,& mutabilia. De hoc beatus Ioannes in principio sui euangelij clarius loquitur.In principio erat verbum,& verbum erat apud Deũ &c. vsq;.nihil. Pater enim operatur per filium sicut per artem, quia secundum August. 6. de trini. verbũ est ars patris plena rationum omnium viuentium: quod tamen declarat 7. de trini.cap.4. eo.s. modo ars patris, quo sapientia patris, & lumen patris,lumen de lumine, sapientia de sapientia: quia ex sua processione est notitia declaratiua omniũ, quę sunt in mente patris, tam æternorum, quã factibilium, ideo sapientia, ideo ars.

Excellentia Xpi quãtum ad naturam diuinam ex quatuor ostenditur.

Per respectum ad patrem ostendit, excellentiam præsertim quantum ad naturam diuinam. Et hoc ex quatuor .s. Ex coæternitate, quia splendor gloriæ. Ex consubstantialitate, quia figura substantiæ eius. Ex æqualitate potentiæ,cum dicitur: portans omnia verbo virtutis suæ. Ex dignitatis perfectione,quia sedet ad dextrã maiestatis &c. Coæternitatem filij cũ patre designat Apostolus cum ait. Qui cum sit splendor gloriæ. Filius splendor patris dicitur propter coæternitatem. Sicut.n. splendor solis,aut ignis est coæuus soli,& igni: & tamen procedit à sole, vel igne:non econuerso sol aut ignis à splẽdore:ita à patre procedit filius, vt non sit prior duratione pater filio, sicut nec sol splendore. Dicitur autem filius splẽdor gloriæ. Gloria est clara cum laude notitia. Filius autem à patre procedit, notitia de notitia, sicut sapientia de sapientia. Hinc Sap. 7. dicitur de sapiẽtia genita, quę est Christus. 2. Cor. 1. emanatio quędam est claritatis omnipotentis Dei syncera. Candor enim est lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Sicut enim nunquam est pater sine notitia sui, immo cuiuscunq; : ita nunquam est sine expresione, quæ fit in imagine interiori : quæ verbum est, quod dicit siue eructat, in quo relucent omnia cognita per patrem. Sicut in nobis quandocunq; cognoscimus aliquid cognoscimus,aliquid intuitiuè,& clarè,producimus in nobis verbũ,imaginem cogniti in quo perfecte relucet quicquid cognitum est de obiecto : etsi cognitio esset nobis coæua, verbum nostrum esset coæuum. Sic in patre applica singula. Et quia semper pater cognoscit se,& omnia, semper producit verbum:hinc catholicè dicitur vtrũq;, & ꝙ filius semper nascitur à patre secũdum Orige. & ꝙ semper natus est secundum Greg. & Amb. vt declarat magister dist. 9. primi.

Consubstantialitatem autem innuit Apostolus cum dicit, figura substantiæ eius .s. patris, accipitur hic secundum Nic. de Ly. figura pro imagine. Filius enim est imago naturalis patris. Homo autem quasi imago artificialis, propter quod magis dicitur ad imaginem, quam imago. Sicut aliter est imago regis in filio suo naturali, & in statua eius artificiali: quia in ista est quædam remota similitudo accidentium foris in regẽ apparentium. In illa vero est communicatio naturæ patris. Nam filius eiusdem naturæ est secundum speciem cum patre. Sic filius in diuinis est imago naturalis patris. ideo dicitur figura .i. imago substantię .i. eiusdem substantiæ cum patre. Et quia illa est, indiuisibilis: per consequens est eadem numero in patre, & filio. Non autem sic in rege,& filio eius : quorum natura non est eadem numero, sed tantum specie. Accipe exemplum. Si quis seipsum quantum ad omnia sua interiora, & exteriora perfectissimè cognosceret, sic cognoscendo produceret imaginem sibi quantum ad interiora,& exteriora simillimam. Siquidem omnia in ea relucerent,quæ quocunq; sunt in se taliter cognoscente,&si talis imago habe-

Quomo verbum & ars patris Xps

ret esse reale, sicut tantum habet esse obiectiuum, nonne verius esset filius talis, quam filius naturalis ab ipso ex matre genitus, qui licet sit similis secundum naturam specificam, tamen plurimum dissimilis est secundum naturam indiuidualem, & circunstantias indiuiduales. Et quoniam talis imago, quia non habet nisi esse obiectiuum .i. tantũ in eo ꝙ intelligitur, suum esse est intelligi. Si haberet esse verum, & reale, nonne esset precise eadem res, quæ intelligitur, siquidem ea intelligitur res ipsa non alia? Nec maneret tunc aliqua distinctio nisi producentis, & producti, hoc est: ꝙ sic cognoscens seipsum produceret imaginem: immo quicquid ipse est in imagine: & imago illa esset producta? Sic in diuinis pater perfectissimũ se cognoscens, imaginem suã producit: non tantum in esse obiectiuo, quia hoc imperfectionis est, sed sine imperfectione verè, & realiter, & ita in eadē substatia indiuisibili, quæ ipsa est cognita non alia. Nec manet alia distinctio in patre, & filio nisi producentis, & producti, & hoc concordat communi dicto Boetii. In diuinis omnia sunt idem, vbi non obuiat relationis oppositio.

Potentię ęqualitatem ostendit Apostolus cum dicit, Portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens. Potentia enim Dei patris in duobus apparet .i. in creaturarum productione, & conseruatione. Nam subtracta eius influentia, in nihilum vergunt, omnia secundum illud, In manu eius sunt omnes fines terrę psal. 49. Hinc glo. Creatoris omnipotentia causa est subsistendi omni creaturę, quę virtus si ab eis quæ condidit regendis a.i quando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. Ideòque dominus ait Ioan 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, illud cõtinuationem quandam operis eius qui simul omnia continet atque administrat ostendit. Hinc Col 1. Omnia in ipso constant. Et quia pater, & filius sunt vna causa productiua creaturę

Christi ęqualitas cum patre.

(Ioan 5. Quęcunque ille fecerit, illa similiter filius facit) sunt & vna causa cõseruatiua. Nam causa conseruatiua reducitur ad genus causæ efficientis. Et hoc vult Apostolus cum ait Portans .i. sustentans, vel conseruans omnia verbo .i. imperio virtutis suę .i. virtuoso, quia suum dicere est facere, secundum illud, Dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. psal. 148 Secundò apparet Dei potentia in iustificatione impiorum, quia non minus est iustificare impium, quàm creare cęlum, & terram secundum Augu. In hoc filius æqualis est patri, purgationem peccatorum faciens, peccata dimittendo, ac per hoc iustificando. Nam vt probaret se peccata dimittere animæ multas sanitates corporibus contulit miraculosè, vt patet per discursum euangelij.

Dei potentia ostenditur in iustif. impiorum.

Æqualitatem dignitatis declarat Apostolus, cum ait. Sedet ad dexteram maiestatis in excels. Quod ad vtranque naturam referri potest, secundum diuinam planè, quia sicut eadem est natura patris, & filii, ita non diuersa dignitatis perfectio. Si ad humanam referatur, nõ est ęqualis dignitas, quia secundum illam dicit Ioan. 14 Pater maior me est, secundum hanc tamen dicitur sedere ad dexteram patris per modum cuiusdam associationis, inquantum humana natura est verbo vnita, & ita eadem veneratione adoranda. Hinc Io. 5. Omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Vel ad dexteram maiestatis in excelsis .i. in potioribus bonis patris creaturę communicabilibus. De quo infra sermone 2. de ascensione. Et ita apparet veritas secundę conclusionis per respectum ad patrem.

Consequenter ostendit per comparationem ad supremã creaturam videlicet Angelicam, cum ait, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius ab illis nomen hęreditauit. Nomen .s. quo filius, in quo locutus est nobis pater, verus Deus est, & verus, ac naturalis patris filius, eidemque consubstantialis. Hoc est nomen, quod est super om-

omne nomen, in quo omne genu flectatur. Phil.2. Tale nomen non conuenit beatis spiritibus, qui filij dici non possunt per naturam, sed forte per adoptionem. Magnum autem nomen eorum est, quo vocantur Angeli, idest nuncij, ac serui Dei, quoniam omnes sunt administratorii spiritus, vt dicitur in fine huius capituli. Si dicis. In psalm. dicitur. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Nec potest hoc attribui diuinitati Christi, de qua dubium non habet, quoniam quod hic dicit, tantò melior effectus &c. necesse est intelligi secundū eam naturam, secundum quam effectus est. i. humanam nam secundum diuinam non est factus, sed genitus. Soluit glo. & Apostolus ipse c.2. huius epistolę. Secundum humanam naturā minor effectus est angelis passione, sed maior, & melior gratiæ plenitudine, hoc est dictu, Minor factus est Christus Angelis natura passibili. Nam veram assumpsit humanitatem, eiusdem rationis cum humanitate nostra, quę secundum gradum creatæ entitatis inferior est natura Angelica. Sed maior plenitudine gratię personalis, quam non recepit ad mensuram quomodo Angeli, gratię capitis & singularis vnionis, quę omnino non est in Angelis. Et quā uis secundum quamlibet dictarum gratiarum homo Christus differentius nomen accepit ab Angelis, maximè tamen propter gratiam vnionis. Et si humana natura non est natura diuina: tamen homo Christus est Deus, & suppositum humanum est suppositum diuinum. In tertia parte Apostolus, quæ dixerat, auctoritatibus veteris testamenti confirmat, quæ quoniam fidelibus claræ sunt, illarum tractationem omitto.

Christus quō factus ē minor Angelis.

Attenta autem tanta dignitatis maiestate filii, in quo locutus est nobis pater saluatoris nostri ex virgine nati, audiamus exhortationem Apostoli cap.2. huius epistolæ, quam subiungit dicēs. Propterea abundantius oportet nos obseruare ea, quę audiuimus, scilicet ab illo dicta, & scripta in euangeliis, ne fortè pereffluamus, fluit homo per pœnam corporalem. 2. Regum. 14. Quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Vlterius effluit per culpam, sed pereffluit i. perfectè fluit per æternam damnationem. Sequitur. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, scilicet in monte Sina, factus est firmus, & omnis pręuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initiū accepisset enarrandi per dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo, signis & virtutibus, & spiritussancti distributionibus, secundum suam voluntatem. Nostrum ergo est attendere charissimi, quæ locutus est per illum Deus pater. Nam & ipse dicit, mea doctrina nō est mea &c. Io.7. Locutus est enim per illum factis & verbis. Cępit Iesus facere, & docere, ait euangelista Lucas. Et omnis Christi actio nostra est instructio. Sic in sua beatissima natiuitate tacens locutus est nobis. Locutus inquam, factorum approbatione damnauit superbiam, & vniuersa vitia, commendauit humilitatem, castitatem, paupertatem, gastrimargiam cum cęteris, vt vicibus aliis est prędicatum, Amen.

## *DE NATIVITATE DOmini Sermo. V. subdiuisus in in duos sermones. in ordine. X I.*

VERBVM caro factum est, & habitauit in nobis, & vidi. &c. Io.1. Gloriosissima præsentis diei solemnitas, ineffabilibus gaudiis mundū obruit vniuersū. Dn̄icæ nanq; natiuitatis gaudia in se cęlū cōtinere nō valēs, celesti nūcio terrigenis ea insinuās, ad gloriā Deo cōcinēdā angelicę militiæ exercitus mētes carnaliū hymnidicis plausibus prouocabant. Siquidem nato in Bethleem domino, ętherens archinuncius diuina claritate pastores in eadem regione noctis super gregem suū vigilias custodiētes circūfulsit, ac terri

Christi multiplex natiuitas & festa extoll.

tos dulciter consolans ait. Nolite timere, Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et subito facta est cum Angelo multitudo militię cęle. lau Deum & di. Gloria in al. Deo, & in terra pax ho. bo. voluntate. Si igitur tanta mundo gaudia temporalis virginei partus editio intulit, quanta beatis, ac cęli ciuibus ęterna eiusdem verbi ex substantia patris genitura ingerat quis ęstimabit? Hæc enim tanto illa dignior, quantò æternitate prior. Ista electos beatificat, illa beatitudini adipiscendæ pręparat, per istam videtur in patre verbū sicuti est facie aliter, per illam creditur, q̄ factum est tēporaliter, per æternę generationis visionē se præbet fruendū beatis in re, ꝑ tēporalis generationis fidē mentibus innascitur fideliū se fruentibus in spe. Sed vt beati Fulgentij verbis vtar, quis de tam ineffabili dignè loqui poterit ac sufficiēter? Quis? de quo? Homo de deo, mutabilis de immutabili, opus de opifice, creatura de creatore, temporalis de æterno, plasmatus de limo, de eo; q omnia creauit ex nihilo, cuius inenarrabilis est omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit, nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione saluauit. Omnipotētiā dicimus qua verbū quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, fecit omne quod nō erat. Gratiam verò, qua verbū caro factū, venit quęrere, & saluū facere, quod perierat. Omnipotentiā, qua fecit oēm diē, gratiā, qua certo die dignatus est concipi, & certo die nasci: in hoc die minoratus paulo minus ab Angelis per gratiā factus est, qui per omnipotentiā coæternus, & coęqualis Deo patri, dies sanctorū semper est Angelorū. Hæc Fulgentius. Terret itaq; nō immeritò loquentē omnipotentia, sed consolatur gratia, qua pater optimus, qui verbū in sinu suo æternaliter latitans, quo maius nihil est, per castissimū nobis virginis dedit partum, dabit per candē virginē verbū de verbo in ore proferentis, atq; salubrius in habitatorē piæ mentis, pro cuius impetratione virgo salutetur ꝑ verbū, Aue.

Verbū caro factū est, & habitauit in nobis. Triplicē diuini verbi natiuitatē hæc verba insinuant, videlicet: æternā, tēporalē, & spiritualē. Prima nascitur Dei filius ex paterno intellectu, ideò dicitur verbū. Secunda nascitur idē Dei filius ex materno vtero, ideò dicitur, verbū caro factū. Tertia nascitur in corde humano, ideò additur, & habitauit in nobis. Per primā oēm creatū intellectū transcendit, teste Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? Per secundam humanis sensibus se contēperauit, secūdū illud Hie. Post hoc in terris visus est & cū hominibus conuersatus. Baruch. 3. Per tertiā gratuitè mentē inhabitat ipso dicente. Ad eū veniemus, & mansionē apud eū faciemus. Io. 14. Ex prima cognoscitur verbi omnipotētia. Ex secunda eius omniuidens sapientia. Ex tertia bonitas infinita. Prima finis est, ad quem tendimus. Secunda virtus est, ex qua possumus. Tertia mediū est, per qđ attingimus. Prima nihil sublimius, immensius, diuinius, quia verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Secunda, nihil humilius, fragilius, contractius, quia omnis caro fęnum. Esa. 40. Et verbum abbreuiatū fecit dominus sit per terram. Ro. 9. Tertia nihil amabilius, iucundius, appetentius. Neq; enim fuit alia tam grandis natio, q̄ habeat Deos appropinquantes sibi sicut adest nobis Deus noster. Deut. 4. Videndum igitur breuiter de hac triplici natiuitate. Et quidem de primę generationis modo aliqua licet minus digna prioribus sermonibus me vtcunque locutū recolo. Nūc præsentis est propositi de temporali verbi natiuitate aliquid breuiter dicere. Circa quam triplicia attendere possumus. Primo quę fidē ędificant. Secundò quę affectū inflāmāt. Tertiò quę mores instruunt. Primū veritas natiuitatis, secundū vtilitas, tertiū exēplaritas præstabit. Veritatē humanę generationis breuissimè, & verissimè euangelista exprimit verbis illis, cum inquit,

Christi triplex natiuitas.

Ver

verbum caro factũ est, vnde colligitur hæc fundamentalis fidei veritas. Per natiuitatẽ virgineam secunda persona in diuinis .s. verbũ patris siue filius, factus est homo verus, per quã verũ est dicere, Deus est homo, & homo est Deus. Verbũ em̃ esse filiũ, præcedens siue hesternus sermo declarauit. Propter hoc ait. Vidimus gloriã ei⁹, gloriã quasi vnigeniti &c. Nec impedit, q̃ dicit, caro. Nã more scripturę caro pro toto homine ponitur. Esa. 40. Videbit omnis caro salutare Dei &c. Et iterũ, Videbit omnis caro pariter, quod os domini locutum est. Et Gen. 6. Corruperat omnis caro viã suã. Modum verò huius natiuitatis alii euãgelistæ clarius exprimũt, & symbola Quæ licet mirabilis sit, immo inter mirabilia Dei summũ mirabile. 13. de tri. non tamẽ tollit veritatẽ quo minus verè De⁹ fit homo. Vnde inter multa mirabilia hęc principaliter attẽdũt, atq; ad cętera reducuntur .s. Natiuitas ex virgine sine corruptione quæ est mirabilis. Conceptus sine semine, q̃ est mirabilior. Personalis vnio naturarũ, diuinæ, & humanæ, quæ est mirabilissima.

Vnio personalis nat. diuinę ad humanã q̃uõ mirabilis.

Hęc sunt mirabilia, sed possibilia. Mirabilia, quia contra vel præter naturæ ordinem institutum. Mirabilis est natiuitas corporis ex virgine sine eius corruptione, quia necesse est fieri penetrationẽ dimensionum, quæ naturę repugnat, vt experientia docet. Nulla em̃ violentia fieri potest, vt vnum corpus alterius locum occupet sine sui cessione. Mirabilior conceptus sine semine, quia contra causarum limitationem secundarum. Sicut enim cuilibet rei indita est perfectio propria, ita & certus suæ productionis modus. Institutus est ergo modus humanę productionis ex mare, & fęmina. Mirabilissima verò vnio humanitatis, & diuinitatis. Et quia ex duobus in actu nõ fit vnum. Et quia maximè distant, vt puta finitum, & infinitum, & vnum vniendorum penitus immutabile. Omnis autem naturalis vnio mutationem infert vtrisq; vnitis, vt patet discurendo singula vnionũ genera, substantialis, accidentalis, & spiritualis .s. gratiæ quę creatur. Sed licet hæc sint mirabilia, nõ tamen sunt Deo impossibilia, licet enim dominus singulis rebus certum ordinẽ indiderit, extra quem non possunt. Ro. 13. Quæ à Deo sunt ordinata sunt. Huic tamen ordini potentiam suam non alligauit. Sicut in simili magister loquitur de sacramentis. lib. 4. dist. 1. quin potius sibi quædã specialiter extra hunc ordinem reseruauit, in quo quasi per quædam noua mentes hominum, quibus quotidiana viluerunt, excitaret, vt dicit Aug. super Ioan. hom. 8. in principio, & sic naturæ dominus probaretur. Sic in miraculis scripturę, vnde non insolita, sed simpliciter impossibilia, & quæ implicant contradictionem à natura diuina neganda sunt. Nõ enim impossibile est apud deũ omne verbũ. Verbũ, notanter dicit. Sed nihil impossibile in dictis includitur, ergo Deo attribuendũ. Nã penetratio corporũ nõ implicat, qa maximè hoc esset propter indistinctionẽ, sed nõ tollit simpliciter distinctionẽ penetrationũ, sed distinctionẽ cognitionũ à nobis Nã substantiæ non per accidentia, sed seipsis distinguuntur, licet nos pro statu viæ, substantiã non nisi per accidentia cognoscamus 1. de anima. Ideò in accidentibus, quæ proprias habẽt actiones, vnde cognoscuntur, penetratio cõsueta est, vt patet in dulcedine, & albedine lactis. Qui ergo cognitionẽ infundere põt, penetrationẽ põt dimensionũ facere. Ita nec secundũ. Cum em̃ homines in commixtione solã materiam administrent, animã verò, quæ principalior pars est, solus Deus creet, quid magni, si vndecũq; voluerit materiã sumat? Sed nec tertiũ, qa vnio hęc nullã Deo infert mutationem, sicut nec quod de nouo factus est creator, & dñs, non propter suã, sed solius creaturæ mutationem. Nec etiam dicit imperfectionem propter infinitatẽ personæ assumentis, sed magis declarat summam eius benignitatem.

Et quamuis propter hoc humiliari dicatur exinanire seipsum, & descendere. Phil. 2. non tamen hoc aliquo modo

imperficit,nisi solum secundū nostrā cognitionē, vt declarari potest in diuite, potente,aut sapiente,communicatę aliter pauperi, infirmo, & impotenti,seu insipienti.Posset dari exemplum de rege contrahente cum plebea,de magnate,plebeorum officia exercente &c.

Christus nihil diminutus ex assumpta natura humana.

Vnde in primo non desunt exempla propria,& propinqua,in tertiò verò nō nisi remota valde. Primis duobus aliquid simile reperiri potest, secus de tertio. Exemplum primi, luminis per vitrum diaphanum incessus, floris foliorum per ramum emissio. Item canit ecclesia.Sicut sydus radium, pro fert virgo filium pari forma. Item solis radius speculum penetrat. Item Abacuc non apertis sigillis, prandiū attulit Danieli in lacum leonum misso,vbi corpus non gloriosū per non gloriosum intrauit. Item dominus non effractis sigillis surrexit,nubes ascensurus penetrauit. Exemplum secundi sumi potest ex creatione rerum ex nihilo. Item ex formatione Euæ ex viro sine fœmina. Ex formatione Adæ ex limo, seu terra. Et licet humanitas Christi sic miraculosè concepta fuerit,& nata,non tamen minus vera, quia nihil aliud requiritur ad ei⁹ constitutionem nisi materia, & forma vnitè.

Materia aūt eiusdē rationis est in omnib⁹. Sic & Adā fuit verus homo,& similiter Eua, licet non formati fuerint cōmuni lege ꝑpagationis. Tertiò verò nihil simile reperiri potest in operibus dei. Nullibi eīn est videre, quod aliquid manens,ꝙ erat, nouā assumat substātia lē denominationē.Nec exēplū dari potest,quo ꝑsona aliqua depersonetur,manēte integra natura, vt personetur in alia.Natura verò humana assumpta a verbo depersonata est hoc mō. Qm̄ licet nō assumpta esset persona,nō per alicuius positiui additionē, qm̄ nihil ad humanę naturæ veritatē pertinēs in eius assumptione depditū est,sed natura tota est assumpta, sed eo solo esset persona,qa derelicta nō dependeret ad aliud suppositaliter subsistens. Assumpta tamē sustentatur à verbo nobilius, quàm non assumpta in seipsa sustentaretur,sicut accidēs nobilius esse habet inhęrendo substantię, quā si foret separatū. Dantur tñ aliqua exēpla remota.s.figurę,& figurati,habitus,&habituati Phi. 2.Animę & carnis coniunctio, secūdū Athanas. in symbolo. Sed nihil horum propriū est,nam vnio materiæ, & formæ constituit cōpositum in vnione accidētis,& subiecti,subiectū afficitur,& alteratur in vnione habit⁹,& habituati vestiti, vel locati non sibi intime præsentia sunt.

Igitur si incarnationis op⁹ miraris, bene facis,si tñ fideliter agis.Nā & propheta ait Mirabilia opa tua dñe,& aīa mea cognoscet nimis.Si verò ꝑꝑ miracula hæsitas,erras. Neq;.n. infinitā Dei potētiā tuo intellectu finito vales cōprehendere, q deniq; in sanctis suis est mirabilis,qd mirū, si mirabilior ē in suis? sed & nimię presūptionis est, inuisibilia Dei velle cōprehendere cū nec visibilia possint à nobis ꝑfectè cognosci, sicut Salomō ait.Cūctæ res difficiles, nō pōt eas hō explicare sermone. Eccle.1. Possent hic adduci mirabilia naturę q̄ B.Aug.lib.21.cap.4. de ciui. Dei recitat ad astruendam resurrectionis fidē. At tu,qui diuina scrutari præsumis,attēde solem,vnde habet lumē? Attēde cęlū vñ habet motū? stellas vnde influxū qualitatum?quas tamē nō habēt formaliter. Animas vñ habent vitam?Teipsū, vnde compositionem animæ, & carnis? Elementa,vnde habēt in contrarietate perpetuitatē?Spiritū, vnde hēt ortū, & terminum? Mixta, vnde materiam,organa, potentias? Similia loquitur contra Iob dominus. Iob. 38.

Desinamus itaque scrutari diuina,qui nondū sufficimus comprehendere humana. Sed tanto magis ad gratias referendas domino accendamur, quantò maiora mirabilia ꝑ nobis operatus est. Omnia enim hæc propter nos, & nostram salutem summę benignitatis pater operatus est. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Esa. 9. Et Angelus ad pastores. Natus est vobis. Si nobis natus, & datus saluator,

haud

haud dubium, & nostrum est quicquid circa hanc natiuitatem mirabiliter do minus ostendit. His ergo dimissis ad eius vtilitatem, & fructum cognoscendum conuertamur.

Christi natiu. & vtilitates affert

Circa vtilitatẽ quatuor colliguntur .s. vt Redimeret damnatum, Restitueret humiliatum, Reduceret ignarum, Coronaret indignum. Primus fructus est redemptio damnati. Nam secundũ Ans. Cur deus homo? Homo, qui Deum super omnia diligendũ offenderat, quẽ pro tota creatura offendere non debebat, diuinæ iustitiæ satisfacere non potuit, nisi tantum redderet vel maius illo, pro quo offendere non debuit. i. maius tota creatura. Hoc autem cum habere non potuit pater misericordiarũ, filium dedit omni creatura maiorem. Qui cum secundum naturam diuinam satisfacere non debuit [secundum hãc. n. offensus fuit] humanam assumpsit, innocentem, & puram diuino supposito vnitam, quo nulla creatura maior, & hanc pro iustitia offerendo satisfecit.

Secundus fructus est vt restitueret humiliatum. Nam homo ex dono creationis soli Deo est obligatus, cui ea propter cultum latriæ seruire tenebatur. Vnde inter ipsum, & Deũ nihil mediabat eo superius. Angeli siquidem nõ superiores, sed conciues ad beatitudinem constituti fuerant. Hinc in dignitate excellenti constitutus fuerat, & dominus totius corporalis creaturæ. Per peccatum verò à sua dignitate cecidit profundissimè vsq; ad diaboli seruitutem. Rom. 6. Serui estis, cui obedistis, siue peccati in mortem &c. Et Ioan. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati A qua si per alium quàm Deum redimeretur, iam non solum Deo creatori, sed & redemptori debito seruitutis alligaretur. Vt ergo suæ libertati, & dignitati restitueretur, verbum, per quod factus est homo ipsum reparauit hominem, factum caro, vt sit redemptor idẽ, quod creator.

Homo p peccatũ grauiss. vulneratus.

Tertius fructus est, vt reduceret ignarum. Homo per peccatum grauissimè vulneratus in naturalib⁹, spoliatus gratuitis viã salutis nedum deseruit, sed penitus ignorauit, ideò reductione indiguit. Hinc Bern. ser. 3. de Circuncisione. Sicut penitus erat invtile viam scire si detineremur in carcere, ita redimi non prodesset si viæ ignaros, qui primus inueniret primus reduceret in carcerem retrudendos. Indiguit autem reductione eius, qui nec falli, nec fallere posset, qui & sua processione, hominis infirmum simul, & peruersum animum ad sequendum inclinaret, & omnes ducis proprietates ad reducendum opportunas haberet. Ad vtriusque efficatiam necessarius fuit Deus, vt alibi declarari solet. Omnis enim homo mendax & vanitati subiecta est omnis creatura, & nemo bonus nisi solus Deus. Hinc vbi supra. Bernar. Venit dominus propter nos, non solum redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis & exemplis nihilominus instruendos. Quem etsi plurimi secuti sunt, nõ nulli tamen praua victi concupiscentia alienati recedunt retrorsum. Sed charissimi attendite hunc ducem, toto animo sequamini, qui viam præcedens ostendit. Vnde Luc. 8. Ego sum lux mundi. Fortificat, & defendit. Ioan. 10. Non rapiet eos quisquam de manu mea. Esurientem cibat. Per me regredietur, & pascua inueniet Ioan. decimo. Fatigatum restaurat. Venite ad me omnes, qui laboratis. Matth. 11. Timidum erigit. Nolite timere pusillus grex. Luc. decimo. Turbatos consolatur. Beati, qui lugent, beati, qui persecutionem patiuntur. Matth. quinto. Scandalũ remouet. Confidite, quia ego vici mundum Ioan. 19. Quartus fructus est vt coronaret indignum, nõ qualicunq; corona, sed tanquam filiorum Dei, & regni præmio infinito. Qualiter enim homo indignus in adoptionem filiorum Dei nisi per meritum filij naturalis reciperetur? Quomodo præmium infinitũ nisi per meritum infinitum? Meritum infinitum esse non potest ex opere, sed ex persona infinita. Factus est ergo homo Deus, vt deitas infinitatem personę, & humanitatis me

Christus quæ bona tribuat nobis.

ritum actioni daret. Cui nisi nostrum meritum iungatur, insufficiens, immò nullum erit.

Festa S. Stephani & Io. & Innocur addita Natiuitati Christi

Ad cuius euidentiam diei dominicæ natiuitatis coniuncta sunt festa beatorum Stephani, Ioannis, Innocentum, in quibus vniuersi meritorũ modi mysticè designantur, simul & coronę. Est enim secundum b. Bern. in ser. de festiuitatibus Ioannis, Stephani, & Innocentum &c. meritum voluntatis simul & operis. Est meritum voluntatis tantum, & non operis. Est meritum operis sine voluntate. Primum in beato Stephano. Secundum in beato Ioanne. Tertium in Innocentibus. In quibus omnibus sola paruuli nostri natiuitatis, siue natæ humanitatis virtus, & gratia operatur. Meritum voluntatis, & operis perfectissimum est, ideò natiuitati continuo iungitur natiuitas Stephani, licet Ioannes eo maior sit officio sicut Apostolus, & euangelista diacono. Meritum operis sine voluntate minimum est, ideò vltimo Innocentum. Meritum voluntatis sine opere medium est, excedit, & exceditur, ideò Ioan. in medio Innocentum, & Stephani celebratur. Verum sicut opus solum tantũ valet vbi rationis vsus non est, nunquã tamen contra voluntatem, ita sola voluntas valet, dum opportunitas operis non fuerit. Non autẽ contra opus, dũ in eius fuerit facultate. Ecce magna laus, & promissio. Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax, sed nondum perfecta, donec addatur, Sinite paruulos venire ad me. Ecce pax paruulis voluntatem non dum habentibus, vt etiam Christi natiuitas salutem conferat sicut voluntatis vsu in sacramento pietatis. Id in illis egit martyrium, quod in nostris baptismi sacramentum. Ecce largissima, & efficacissima dominicæ natiuitatis vtilitas. Sunt denique coronæ, quas aureolas dicimus, martyrum, doctorum, virginum, victoribus mundi, diaboli, corporis proprii. Debitè has in Stephano, Ioanne, Innocentibus intelligimus, quos quia sola domini natiuitas tribuit, hęc natiuitati festo coniuncta solemnizat ecclesia, vt sciamus ex hac natiuitate omnem procedere liberationem, hac coronationem. Ideò cum ecclesia Grates nũc omnes reddamus &c.

## *DE NATIVITATE DOmini sermonis quinti pars secunda, in ordine Sermo. XII.*

Xpi natiuit as spiritualis.

ET habitauit in nobis Io. 1. Liquet ex superioribus, quod præter generationem ęternam de qua verbum nascitur de corde patris, Deus de Deo, & humanam siue externam, qua nascitur ex matre homo. Alia est generatio spiritualis, qua fidelium mentibus innascitur spiritus sanctificans, hac iam non fit verbum caro, sed verbum caro factum illa natiuitate carnales conuertit in spiritum. Hinc non satis fuit euangelistæ dicere, verbum. s. per generationem æternã caro factum est, per temporalẽ, vel externã, nisi adderet, & habitabit in nobis, per spiritualẽ, & internã. Est autẽ externa natiuitas siue temporalis medium perueniendi ad vtranq; natiuitatẽ. s. ęternam & internam. Siquidem nemo filiorum Adam gratiam consequi poterat, per q̃ sanctificati quę nascitur in cordibus fidelium, nisi per mediũ meditatoris verbi. s. incarnati, vt ex prædictis patet. Meritum dico exhibitũ, vel preuisum. Qui præcedebant, & qui sequebantur clamabant dicentes. Benedictus, qui ve. &c. osanna in excels. Nã ad hoc natus est in carne vt habitaret in nostra mẽte. Hinc in themate. Verbũ caro factũ ha. in no. In quorũ verò mentibus spiritualiter nascitur ipsi ad videndum natiuitatem æternam, eaq; perfruendum feliciter assumẽtur, teste Apostolo. In quo non est spiritus Christi hic non est eius. Ro. 8. & per consequens in cęlũ ascendere nõ pôt, in quo gloria generationis æternæ manifestabitur beatis. Siquidem nemo ascendit in cęlũ nisi Christus cum mẽbris suis, qui descendit de cęlo. Ioan. 3. Cũ ergo frustra est hoc medium, per q
finis

finis non attingitur, nihil nobis proderit Christum nasci in carne, si non nascatur spiritualiter in mente. Caro enim ad nihil prodest, ipse inquit, spiritus est qui viuificat. Io. 6. Caro. s. sola sine spiritu, neq; profuisset virgini gloriosę hūc genuisse carnaliter si nō eundē prius genuisset spiritualiter in mente, vt dicit san. Aug. inde sancta virginitate. Vt ergo nobis proficiat quod verbum caro factū est, curemus, vt & habitet in nobis per natiuitatem spirituale. Quod quomodo fieri oportet, nūc dicēdū est Pro gratia Aue.

Videndū primo quę sit illa spiritualis natiuitas. Secundò qūo paruulo Christo in nobis genito humanitatis obsequia impendere debeamus. Circa primū. Spiritualis natiuitas verbi est, qua verbum habitat in nobis. Et quāuis solū verbū natū sit in carne, non pater, non spiritussanctus, nō tn̄ solū verbū nascitur in mēte, quia non solus inhabitat, sed & pater, & spiritussanctus. Io. 14. Ad eū veniemus, & mansionē apud eum faciemus, loquitur de patre, filio, & spiritusancto, licet etiam beatissima trinitas sit in omnibus per essentiā, potentiam & præsentiā, non tn̄ in omnibus habitat, sed in iustis solū, & sanctis animabus, quas sibi per gratiam vnit charitatiuam siue amorosam, vt deducit magister dist. 37. primi Est ergo spiritualis natiuitas vnio verbi cum natura intellectuali per gratiā gratū facientē. Vnde quotiens verbū mētes nostras per gratiā, & charitatē, quæ fides præsupponit sibi vnit, totiens spiritualiter in nobis nascitur. Hac quoq; vnione nostras inhabitat mentes. Hinc Apostolus ad Eph. 3. Christum hominē habitare per fidem in cordib⁹ nostris. Per fidem dicit, non vtiq; informē, quia hāc etiam demones hn̄t, teste Iac. Dęmones credunt & contremiscunt, sed per fidē gratia, & charitate formatā, & viuificatā, quæ in solis sanctis est, licet in aliquibus maior, in aliquibus minor. De hoc plura dicit magister dist. 37. j. Et attende in hac spirituali natiuitate vicissitudinē mirabilē, vt dicit Cancellarius in carmine Iosephino. Nā cū nascitur Christus in anima deuota, fit ipsa (verbi gratia) mater Dei, quę tamen ipsa eadē natiuitate gratuita per adoptionē est filia, vtrūq; enim scriptura docet. Quod sit mater testis est, qui ait. Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cęlis est, ipse meus frater, mater & soror est. Mat. 12. Quod filia, testatur Apost. Gal. 4. Oēs vos filii estis per fidem quę est in Christo Iesu, haud dubiū, qn̄ formatā. Et Io. 1. Dedit eis potestatē filios Dei fieri &c. vsq; nati sunt. Ecce qūo eadē natiuitate, qua in nobis spiritualiter nascitur Christus, nos & nascimur in Christo. Nā per eandē gratiam siue charitatē, quā nobis infundendo in nos descendit, sibiq; vnit, etiā eleuamur in eū charitatiue, voluntati suę consentiēdo, ac per hoc spiritualiter eū gignimus, ac nobis vnimus.

Nunc qūo ad illā disponi oporteat breuius annectendū. Huic cōfert ipsa dn̄i natiuitas temporalis, quæ vt dictū est, mediū est perueniendi ad spiritualem. Igitur dn̄s suę natiuitati elegit locum paruulū in tribu Iuda, Bethleem ciuitatē Dauid Simus nos spiritualiter paruuli de tribu Iuda. Simus Bethleem ciuitas Dauid, & nascetur in nobis spiritualiter Christus, mentēq; nostrā inhabitabit, nec deseret, qm̄ delitię eius esse cū filiis hominū. Prouerb. 8. Iuda interpretatur confitens. Est aūt cōfessio duplex, Laudis, & fraudis, secundū beatū Aug. ser. de verbis euang. & vtraq; præparat locū dn̄o. Nā vtrunq; iustificat, anima aūt iusti, sedes est sapientię, sapiētia verò Christus est. 1. Cor. 1. Christus est virtus, & sapientia patris. Nam de cōfessione fraudis dicitur Prouerb. 18. Iustus in principio accusator ē sui. Et cōfessio laudis similiter iustificat, qa hec est fidei, secūdū illud Rom. 10. Corde creditur ad iustitiā, ore confessio fit ad salutē. Fides aūt iustū viuificat, secūdū illud Abac. 2. Iustus ex fide viuit. In vtraq; ergò confessione principium est nostræ conuersionis, & accedendi ad Deū. Nā de illa Esa 43. Narra siquid habes vt iustificeris. De ista verò dicitur

Natiuitas Xpi æterna & spiritualis comparatur.

Ad Heb.1. Sine fide impossibile est placere Deo, oportet enim accedenté credere. Verum si intelligentiæ per fidem illuminatæ, ac rectę de se tanquam de peccatore, & de Deo tanquàm de summo bono creatore, & redemptore nostro sentiente voluntas contradixerit, nolens vel peccata relinquere, aut dictamini rectę illuminatæq; per fidé rationis obedire, iam non ciuitas inde, sed castellum, quod contra nos est, quod intestina fouet, bella sumus. Orta nanque in nobis pugna, fugata est pax, ibi Christus, cuius in pace factus est locus) nec nasci, nec natus foueri potest. Neq; enim dissensionis Deus est, sed pacis. 1. Cor. 14. Necesse est igitur, vt quæcũq; recta velle intelleximus, volenda, ista velimus vt sit potentiarum animæ nostrę in bono concordia, alioquin sine causa credimus. Melius enim erat viam veritatis non nouisse, quàm post agnitioné retrorsum ab ea conuerti 2. Pet. 2. Simus ergo ciuitas non Babylon, ne in malo sit pax nostra, sed Bethleem, quæ paruula est in millibus per humilitatem, vt ait Michæas, & domus panis interpretatur. Oportet enim habere panem, ne si amicus noster, & frater Christus, scilicet per assumptam humanitatem, veniat ad nos media nocte, & non habeamus, quod ponamus ante illum, dum verò tardamus accomodare ille declinet, atque transeat. Quis ergo est panis ille, quem custodientes Bethleem dici mereamur nisi verbũ Dei? De quo Deut. 8. & Mat. 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Hic enim est qui cõfirmat cor hominis, sicut propheta orauit. Confirma me inquit, in verbis tuis. Hunc panem si diligenter seruauerimus, veniet ad nos, & mansioné apud nos faciet, sicut ipse promisit. Io. 14. Simus denique Bethleem, non illa quæ in sorte Zabulon sita est. Ad cuius differentiam dixit Angelus Bethleem ciuitate Dauid. Zabulon fluxus noctis interpretatur. Hic ergò Bethleem est in sorte Zabulõ, qui accepti verbi panem non custodit, sed ad noctem peccatorum conuersus effluere permittit. Non ille est Bethleem ciuitas Dauid. Vnde Bern. in sermone de pronunciatione dominicæ natiuitatis. Siquis inquit, cogitat redire ad vomitum, reuolui in lutũ, mutare propositum, non est ille Bethleem Iuda ciuitas Dauid, in qua nascitur Iesus. Quomodo enim salus illi erit, quãquidem vera omnino, certaque sententia est, quod is tantum qui perseuerat vsq; in finem salus erit? Nulla enim societate æternitati, & tantæ mutabilitati ei, qui est, & ei qui nunquàm in eodem statu permanet Simus ergo Bethleem Dauid. i. manu fortis, vt panem verbi, quem recipimus fortiter. i. perseueranter, manu operationis custodiamus. Non enim, qui dicit. Domine domine, aut dictum ab alio auscultat, sed qui fecerit voluntatem patris per verbum Dei cognitum, hic frater domini, soror, & mater meretur appellari. Itaq; si nostra peccata ante domini gloriam confitebimur, si pacis internę trãquillitate fruamur, si per humilitatem paruuli panem verbi corde percipimus opere implemus: nec à proposito declinamus, in nobis nascetur verbum, habitabitq; nec nos deseret in æternum

Attamen etsi in nobis natus fuerit dominus, habitaueritque in nobis, non ex hoc continuo consummati sumus. Nam initium perfectionis est hæc spiritualis natiuitas, & non consummatio sicut & initium vitę natiuitas corporalis. Nitendum itaque est & summopere conandum ad perfectionem & per certos gradus, quasi per ætatum spacia ascendendum, quatenus huius scalæ ascensu magis magisq; mereamur dominum inhabitantem, non tamen omnes æqualiter inhabitat, sed differenter secundũ gradũ gratię, per quã inhabitat differenté. Vnde Cancellarius parisiensis in sermone de hac festi. pulchra similitudine ascensum istũ operibus, siue officiis designat modo genitis infantibus exhibendis. Ait enim, Paruulus ite vt aliorũ vsus requirit, septé tractetur obsequiis. Primò inuoluendus, est secundò reclinandus, tertiò custodiendus quartò

Natiuitas spiritualis est initium perfectionis.

Obſequia quę Xpo exhibenda ſunt

tò leuandus, quintò balneandus, ſextò paſcendus, ſeptimò baiulandus. Videamus quo hæc obſequia puero noſtro ſagaciter, & ſpiritualiter impẽdamus. Genito nanq; in cordibus noſtris domino per fidẽ, atq; propoſitũ exequendi diuinã voluntatẽ, ſecundũ illud, Qui fecerit voluntatẽ pr̃is mei, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. Primũ eſt inuoluere puerũ Ieſum, pãnis mundis, & ſeruidis lachrymarũ lixiuio lotis, quoniã puer iſte in ſordidis pannis quieſcere nequit, ſecundũ illud Sap. 1. In maliuolã animã nõ introibit ſapiẽtia. Lachrymæ igitur deteſtationis peccatorũ dũ per auſterũ ſaccũ amaræ recordationis peccatorũ, velut cinerũ in eo collectorũ fuerint colatæ, efficaciſsimũ ad mundificationẽ conſcientiæ lixiuiũ efficiũt. Et hic primus gradus vitæ ſpiritualis, qa nemo niſi veteris vitę eũ pęniteat, poterit nouã inchoare. Aug. Hinc propheta, Lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ. ſ. conſcientiæ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Quid per lectũ, ac ſtratũ, niſi conſcientia, in qua velut in lecto anima quieſcere ſemper deſyderat, & ab ea non remoueri. Vnde eſt, quod ſemper excuſationes quærit etiã in his, quæ contra eius dictamen ſunt attentata Et dũ cõſcientiã nõ ſequitur, ſaltẽ ad hoc tendit, vt malè geſta excuſentur. Hoc autẽ obſequium iuſtitia miniſtrabit, quippe iuſtũ eſt, vt qui auerſus à Deo, creaturæ oblectamenta captabat, ipſam noxiã delectationem ad Deum rurſus conuerſus, amaris gemitibus compenſet, ne ſi ipſe negligens fuerit à crudelibus patiatur tortoribus, quibus dictum eſt, Quantũ ſe glorificauit in delitijs, tñ date illi de tormento. Apoc. 18. Hinc Salomon Prouerb. 18. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.

Inuoluto puero, his mundatæ conſcientię pannis, ob ſomni quietem in cunabulis reclinandus eſt. Hoc autem myſticè agimus, dum continuata peccatorum diſplicentia, de diuina miſericordia præſumimus, veriſſima eius promiſſione ſubleuati, qua per Eſa. cap. l. ait, Nunquid abbreuiata, aut paruula facta eſt manus mea, vt redimere nequeam? Fiatque nobis dilectus dominus noſter Ieſus faſciculus myrrhę ob amaram peccatorum deteſtationem, inter duo animę vbera, metum, & ſpẽ commorans, vt cant. 1. ait ſponſa. Dum in ſilentio patientia longanimiter prę ſtulando expectamus diuinę miſericordiæ conſolationem, ſecundum illud Thren. 3. Bonum eſt preſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Dormit enim in nobis dominus pio ſomno, ſecundum Origenem in homil. ſuper illud Matth. 8. Aſcedente Ieſu in nauiculam, dũ noſtram patientiam & tolerantiam expectat, vel impiorum penitentiam, & conuerſionem. Vnde nonnunquam lotis conſcientię pannis, acriores inſurgunt tentationes, nec ſtat in eas cohibet, ſed quaſi dormiens patienter noſtram, vt dictum eſt, patientiam expectat, vt habet, vnde nos iuſtè remuneret. Vnde & ſi dormire videtur, vigilat tamen ſuper nos, dum vt Apoſtolus ait Fidelis dominus non patitur nos tentari ſuper id, quod poſſumus, quin immo facit cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. 1. Corinth. 10. Hoc autem obſequium exhibet virtus ſpei, qua inordinatus timor ex peccatorum memoria in deſperationem trahens longè pellitur, & anima in ancora confidentiæ ſolidatur, ſecundum illud ad Heb. 6. Spem ſicut ancoram habemus animæ tutam, & firmam. Hanc tanquàm galeam ſalutis induamur, ſcientes quia non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus 1. ad Thes. 5.

Et attendite quàm pulchrè opus iuſtitiæ ſequitur opus ſpei, ne fiat vana pręſumptio, ſi non conuerſi, nec pænitentes vitam ſperemus. Vnde in pſal. dicitur, Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in domino. Et quod ſacrificium Deo acceptius ſpiritu pro peccato contrito? ſecundum illud, Sacrificium

Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nō despicies. Quoties igitur emundata conscientia, spe firma diuinam consolationem longanimiter expectantes, parati sumus su stinere tentationum incursus, totiens mysticè puerum Iesum pannis inuolutum, vt dormiat, ac nostrum agonem expectet, in cunabulo reclinamus.

Christus quomodo puer custodiē dus.

Reclinato puero custodiam adhibere oportet, ne importunis strepitibus ante tempus excitetur. Mysticè hoc agitur si per cordis tranquillitatem, ac pacem à malorum negociorum fragore, & litium strepitu, & superflua sollicitudine locum quietis domini in pace custodimus, fortiter illud Abner. 1. Reg. 26. dum vehementior terrenorum cura insonuerit exclamantes: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem? Facimus hoc, si diligenter menti nostræ impresserimus illud Matth. 16. Quid prodest homini si vniuersum mūdum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Etsi secundum beati Petri admonitionem, omnem sollicitudinem in eum proijciamus, quoniam ipsi cura est de nobis. 1. Petri. 5. Si deniq; sensus nostros iterum, atq; iterum monere non cessamus, vt ab omni nociuorum incursu, pueri huius lectulum custodiant, nihil deforis inferant huius pueri turbatiuum cōminantes atrociter negligentibus illud, quod ibidem in persona Dauid subditur. Viuit dominus filij mortis estis, qui non custoditis dominum vestrum regem Christum Deum. Attendentes illud apostoli Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, quia qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs, ad Gal. 5. Subinde post dormitionem leuandus est puer p sanctam meditationem, quæ totiēs puerum hunc excitat, quoties horologium amoris ceciderit, atq; pulsauerit Neq; enim potest vacare animus, iam à mundanorum superflua sollicitudine tranquillus. Sed nec amor impatiens permittit diu suo abesse amato. Sicut feruens quidam amator ait: Præuenerūt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Quin magis clamare compellit illud eiusdem prophetæ: Exurge quare obdormis domine? exurge, & ne repellas in finem. Ipsum verò excitatū euoluit, pānos, quibus ille induitur, qui est indutus lumine sicut vestimento, explicat. Panni isti quid aliud sunt quam suæ diuinitatis, suorumque secretorum arcana mysteria? quæ euoluuntur dum pia fide consyderantur, instar psalmistæ dicentis: Reuela oculos meos, & cōsyderabo mirabilia de lege tua. Et iterum: Memor fui dierum antiquorum, meditat⁹ sum in omnib⁹ operibus tuis & in factis manuū tuarū meditabar.

Christo puero & balneus parand⁹.

Puero excitato, ac leuato, balneum præparandum est, quod est officiū piæ deuotionis. Hęc intuens sanctam meditationem, quæ puerum excitauit, excitatum explicauit, explicatum suauiter allocuta est, currit properè ad fontem cōpunctionis in imo cordis situm: Anima mea liquefacta est vt dilectus locutus est: Can. 5. Factum est inquit cor meū tanquam cera liquescens in medio ventris mei, hauritq; aquam de fontibus saluatoris. Et rectè de fontibus saluatoris, quia non est in facultate hominis hanc deuotionis aquam ex suis, dum voluerit haurire, sed hanc dominus propinat (sicut ait Ioan. 4.) Samaritanæ. Si scires &c. peteres à me, & darem tibi aquam viuam. Harum aquarū necessitatem beatus Ber. in ser. de natiuitate domini tangit di. Est quidā aquarum vsus irrigationis quā profectò necessariam habent nouellæ maximè plātationes. Alioquin aut minus proficiēt, aut ex toto præ siccitate peribunt. Et sequitur: Quærat deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum operum semina, vt irrigatus fonte gratiæ, bonæ conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat, orat pro huiusmodi propheta. Et holocaustum tuum pingue fiat. Necesse est .n. vt bona opera feruore deuotionis, & dulce-

dulcedine spiritualis gratiæ pinguescant. Hæc Bern. Hac ex aqua suauissimum fit puero Iesu balneum, quia non per cineres peccatorum, vt in contritione transit, sed de ipso deuotionis fonte pura, nitens, impermixtaque hauritur.

Christo cibus qs dandus. Amplius sextò necessariũ est vt puer taliter lotus pascatur. Opus hoc à misericordia quæ viscerosissima nutrix est adimpletur, dum membra eius reficit, præsertim pane spiritualis doctrinæ, q est verbum Dei. Eundem denique; dulciũ sermonum lacte, ac vberibus mansuetudinis eliquato potat. Cui puer arridés, inquit: Esuriui, & dedistis mihi manducare. Et rursum: Fauus distillans labia tua: mel, & lac sub lingua tua: Cant. 4. Verum ita Christus cibetur in proximo vt non famescat in seipso. Nam & verè misericors primum sui miseretur, sicut scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuũ in sanctitate eius. Eccl. 30. Hoc ipsum facimus, si intellectum nostrum, siue rationem pascimus pane diuinæ veritatis, ne errore seducatur, voluntatẽ pane charitatis, ne langueat præ inedia affectionis, carnem pane fortitudinis, ne infirmetur præ inopia sustentationis vt ratio intelligat quæ agenda sunt, voluntas non minus diligat intellecta, & corpus quod corrumpitur in a ntum aggrauet, vt etiam quæ volũtas eligit, faciamus. Hos panes nobis conquirimus, si ratio iugiter exercitatur in inquisitione veritatis, voluntas in desyderio charitatis, caro in operatione virtutis. Hi sunt tres panes quos dum à nobis habere non possumus, ab ipso puero Iesu deuotissimè petamus, exemplo eius qui hos à suo amico media nocte accommodare conabatur, vt habetur. Luc. 11. ca. & exponit Bern. ser. de rogationibus.

Postremò puer Iesus baiulandus est Ies' quõ portand' 1. Cor. 6. iuxta illud apostoli. Glorificate, & portate Deum in corde vestro. 1. Cor. 6. Hoc ipsum præstabit obsequium optima huius pueri nutrix obedientia. Hæc enim vt ait beatus Aug. ser. 6. ad F. de heremo, est Dei sponsa, perfecti cœli scala, Heliæ quadriga, paradisi porta. Ipsa humilitatem nutrit, patientiam probat mansuetudinem examinat. Sine hac respublica stare non potest nec familia regi. Quoniam per illam reddimus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo, quæ sunt Dei. Hanc quia non habuit diabolus, cœlũ perdidit, homo paradisum amisit, Saul regnum, Salomon amorem diuinum. Hæc Aug. Per hanc portandus est puer Iesus, non retro qua si grauis sarcina in suis præceptis, sed anteriori sinu, ad cor, & inter brachia bonæ operationis amorosè stringendus est. Non enim timore, qui grauat, sed amore, qui sursum amore ignis agit, cũ gaudio domini præcepta sunt implenda, vt sentiamus quia iugũ domini suaue est, & onus leue. Matth. 11. Nam & in gremio mater contulit, & in vlnis Symeon sanctus suscepit. Inde est illa ipsius postulatio in Can. cant. 8. Pone me vt signaculum super cor tuum, & sicut signaculum super brachium tuum dextrum. Summopere summaq; sollicitudine & studio cauere debet obedientia, ne in via mandatorum Dei offendat baiulus pueri Iesu ad lapidem inobedientiæ pedem suum, alioquin puero cuius immineret, & in nobis tali criminis allisione spiritualiter moreretur. Sic itaq; puer Iesus per fidem, & gratiam spiritualirer nobis natum inuoluere debet iustitiæ puritas, inuolutum reclinare spei soliditas, reclinatum custodire pacis tranquillitas. Dehinc meditatio ipsum excitat, deuotio lauat, misericordia cibat, obedientia gestat. Quibus quemadmodum præmissum, est diligenter exhibitis, proficit in habitaculo cordis nostri puer Iesus sapiẽtia, ætate, & gratia coram Deo, & hominibus, donec crescat ad mensuram viri perfecti, vbi tunc habitabit in nobis, non per fidem tantum, & gratiam, sicut in præsenti vita, sed per gloriam consummatam: Amen.

*DE CIRCVNCISIONE Domini. Sermo. I. in ordine XIII.*


OCATVM est nomen eius Iesus. Luc. 2.

Iesus quomodo populum suũ saluauit

In gloriosissimo natiuitatis domini festo, sacramentum dominicæ incarnationis, quia verbum caro factum est, & minoratũ paulominus ab angelis, sancta mater ecclesia deuotis laudibus commemorauit. Hodie ( ait Bern. ) aliquid mirabilius proponitur : Circuncisio verbi humanati, qua iam minoratus est multò minus ab angelis, quoniam non solum formam hominis, sed formam acceperat peccatoris.

Circuncisio nãq; primum data fuit Abrææ & semini eius in remedium originalis criminis, & in signum fœderis, magnæ quoq; fidei, qua credidit diuinæ promissioni pollicenti, quod in semine eius benedicēdę essent omnes tribus, & ꝙ pater futurus esset multarum gentium, omnium.s. credentium, vt ait apostolus Rom. 4. Propter eandem deniq; fidem meruit augmentum sui nominis, vt qui prius Abraam dicebatur, idest pater excelsus vel exaltatus, simul cum circumcisione diceretur Abraam idest pater multarum gentium, vt habetur Gen. 17. Hinc populus ille sumpsit consuetudinem in Circuncisione nomina imponendi. Et Christianus populus hoc ipsum in baptismo facit, qui successit in locum Circuncisionis. Hanc gentis suæ consuetudinē dominus non spreuit, sed qui peccatum nec commisit, nec contraxit, quinimmo qui peccata venit soluere, peccati dolorosa remedia accipere minime recusauit. Et qui nec vestigium aliquod vulneris habuit, alligaturam vulneris nō refugit. In quo valde ( vt ait Bern. ser. 2. de Circuncisione ) peruersitatē humanæ elationis repressit. Erubescimus enim vulnerum ligaturam scilicet satisfactionem, qui de vulneribus etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundum, & austerum sine vlla sui necessitate suscepit. Nos etiam inuerecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus pęnitentiam agere, & qui sumus malè proni in vulnera, peius inuenimur ad remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est peccator reputari. Nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Circuncisus deniq; dominus saluatoris nomine etiam ab hominibus vocari voluit, vt statim in ortus sui principio ostenderet, quoniam per sanguinis sui effusionem homines saluaturus esset. Quod describens euangelista verbis breuibus in litera, ponderosis in sententia, ait [ Postquã completi sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatũ est ab angelo prius quam in vtero conciperetur. ] De quibus pro gratia impetranda dicatis Aue Ma.

[ Vocatum est nomen eius Iesus. ] Orig. in festi præsenti sermone de nomine Iesu ita ait. Nomen Iesu nomen gloriosum, omniq; cultu dignissimum, nomen, quod est super omne nomen, non decuit ab hominibus primum appellari, nec ab eis in mundum afferri, sed ab angelo non quidem imponi, sed nunciari. Quod etiam euangelista cautè exprimens non dicit, quod impositum est, sed quod vocatum est ab angelo. Innatum quippe est sibi hoc nomen ab æterno. A natura propria habet ꝙ sit saluator. Ipse est verbum hoc, per quod omnia facta sunt, haud dubium quin omnia facta per ipsum inesse sunt saluata. Saluauit in temporis initio angelos bonos conseruando ne caderent. Saluauit in fine temporum hominem lapsum, reparando, ne iaceret. Et hoc est, quod propheta Esaias ca. 62. attestatur. Et vocabitur inquit, tibi nomen nouum, quod os domini nominauit nomen vtiq; nouum, quia soli Christo secundum veritatem debitum, licet quibusdam alijs figuraliter impositum. Quod os domini nominauit. Os pater num, quo verbum sibi consubstantiale dixit, p ꝙ omnia fecit, & saluauit. Neq; enim

Iesus nomen gloriosum

Iesus nomen cur nouum.

enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, ait Petrus Act. 4. Hoc est nomen quod euangelicus propheta Esaias expressum, atq; effusum in multorum expressione nominum designauit. Ait .n. ca. 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, De⁹ fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. In omnibus enim his appellationibus habetur (ait Bernard.) vnum nomen expressum: Iesus scilicet. Nec omnino aut vocari posset, aut esse saluator, si fortè horum quippiam defuisset.

Iesus cur admirabilis consiliarius &cet.

Est enim Iesus saluator noster primo [admirabilis] in voluntatum nostrarum mutatione, cum facit nos respuere, quod diligebamus, dolere vnde lętabamur, amplecti quod timebamus, sequi, quod fugiebamus, optare, quod contemnebamus. Est [consiliarius] cum prudentia nos illuminat in agendis nouiter acceptatis, ne sit nobis zelus absque scientia, & ne voluntati bonæ delit prudentia. Est quoq; [Deus] in remissione priorum delictorum, sine qua salus esse non potest. Siquidem nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Est denique [fortis] in expugnando impugnantes nos, nè ab eisdē rursum concupiscentijs superemur, & fiant nouissima nostra deteriora prioribus. Est perinde [pater futuri seculi] vt per eum ad immortalitatem resurgamus, qui per præsentis seculi patrem generamur ad mortem. Est demum [princeps pacis] patri nos reconcilians, ne fortè sicut filij perditionis resurrecturi videremur ad pœnam. Pacis quoque illius non erit finis, vt vera sit salus, quæ non possit timere defectum. Hæc Bernard. Hæc itaque his sex nominibus expressa, & in nomine [Iesus] inclusa, quæ perfectum saluatorem constituunt, soli nostro paruulo, nulli alteri conueniunt. Ipse nanq; est per quē à suis peccatis saluatur populus, rectè ergo vocatum est nomen eius Iesus.

Saluauit autem populum suum, saluat, & saluabit. Saluauit, medicinā preparando. Saluat morbū expellendo. Saluabit, sanitatem perfectissimam conferendo, & sine omni defectu perpetuo cōseruando. Medicinæ præparatio pertinet ad naturam assumptam. Morbi expulsio ad diuinam. Perfecta sanatio ad vtranque.

Ies⁹ quō saluator.

Saluauit populū suum Iesus noster, medicinā præparando. Medicina autē duo operatur. Primò impedimētū sanitatis tollit. Secūdò ad sanitatē recipiendā disponit, quā postea natura ipsa artis adiutorio introducit. Iesus noster dulcissimus preciosam medicinam cōmiscuit, corpus .s. sanguinem, & animā qua & impedimentum nostræ sanitatis abstulit, & nobis necessarias ad salutis consecutionem dispositiones ministrauit. Magnus siquidem fuit humani generis morbus, mortalis erat, immo mors ipsa, non temporalis tantum, sed æterna. Nam propter peccatū primi hominis (vt ait Amb. & recitat magister dist. 18. tertij.) Homine facto Dei inimico, decreuit Deus hominem non intromittere ad paradisum beatitudinis æternæ, imo nec remittere culpam, nec dare gratiā, adiutricem ad beatitudinis consecutionem, nisi in vno homine tanta exerceretur humilitas, quæ omnibus sufficere posset, quanta fuit superbia in primo homine, quæ omnibus suis nocuit. Offerretq; patri obsequiū aliquod gratius quā offensa fuerit displicens, & ingrata. Tale obsequiū exhibere nemo poterat nisi persona trinitati magis dilecta, cui tota communitas humana, si non peccasset, dilecta fuisset. Tenetur vtiq; peccator ad maiorem dilectionē, vt resurgat, quam tenebatur ante lapsum. Item (vt vult Ansel. lib. 1. Cur Deus homo) non satisfacit aliquis pro peccato hominis, nisi reddat aliquid maius quā sit illud, pro quo peccatū facere nō debuit. s. ꝑ omni creatura possibili, qa ꝑ nullo citra Deū debuit peccasse, ergo nō pōt satisfacere nisi reddēdo mai⁹ oī creatura ēt simul sūpta, tale hō pur⁹ habere nō potuit, sicut etiā talē personā totū genus exhibere non potuit

Medicina Christi quæ operetur

tuit, quia totum fuit inimicum, & Deo ingratum. Misertus itaq; nostri Deus, misit in temporis plenitudine filium suum vnigenitum factum ex muliere, factum sub lege .i. durante lege maledictionis, vt obsequium gratius redderet. Venit dominus noster Iesus Christus per carnis assumptionem cũ summa charitate, & gratia, quia datus est eis spiritus non ad mensuram Ioan. 3. Gratissimum, & summum obtulit obsequium, in quo maxima apparuit dilectio .s.se ipsum vsq; ad mortem pro iustitia, qui maior omnib⁹ sub Deo fuit. Maiorem inquit, charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sicq; suo sanguine chirographum illud decreti deleuit, eosq; qui sub huius decreti lege fuerant, liberauit, & impedimẽtum sanitatis, igneã scilicet rompheam abstulit, & amouit. Hanc autem oblationem à dulcissima pariter, & dignissima persona factam, tam gratæ trinitatis acceptauit, vt in virtute huius obsequij, & non aliter, cũ ctis viatoribus adiutoria salutis necessaria, gratiam scilicet & charitatem, quibus opera eorum redderentur meritoria largiretur. Et hoc tangit apostolus Eph. 2. dicens. Deus autem, qui diues est misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consydere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Et sequitur. Gratia enim estis saluati per fidem, & non ex vobis. Item Ioan. 3. ait veritas. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Nemo ergo acceptatur ad vitam, nisi sit in Christo, siue membrum Christi. Ideò sequitur. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Peccata esse grauia vnde

Ex illo consyderare nobis expedit quam grauia sint peccata, & quam fugienda pro quibus tanta exigitur à iusto iudice satisfactio. De quo Bern. in ser. 3. de natiuitate ita dicit. Ex consyderatione remedij periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, filius Dei altissimi, & iubetur occidi, vt vulneribus meis præcioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ò homo, quam grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Christum dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorũ remedio filius Dei moreretur. Hanc itaq; grauitatem peccati consyderantes charissimi, caueamus simul, & timeamus benignissimum saluatorem nostrum offendere, & eum, qui sanguinem suum pro nobis largissimè fudit, iterum crucifigere & ostentui habere, vt dicit apostolus ad Heb. 6. Quoniam si irritã faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quantò maiora meretur supplicia, qui filium Dei conculcauerit? Horrendum inquam est incidere in manus Dei viuentis, ad Heb. decimo.

Misericordia, & veritas quõ in opere concurrunt.

Ex præmissis deniq; apparet quomodo in opere nostræ redemptionis concurrunt Dei misericordia & veritas. Veritas inquam iustitiæ secundum illud prophetæ. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Maxime .n. misericordiæ opus fuit homini inimico non habenti vnde placeret tantum saluatorem concedere, ac filium proprium tam enormibus pęnis propter peccatoris salutẽ subijcere. Maximæ etiam iustitiæ fuit tantam pęnã ab vnigenito exigere, iuxta illud Rom. 8. Proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. Magnæ etiam iustitiæ fuit propter obsequium tam gratum, personæ tam dilectæ parcere, & tanta remedia conferre his, pro quibus tanta persona tam grata obtulit obsequia. Item maxima fuit misericordia in persona offerente scilicet Christo, sic se offerente pro inimicis trinitatis, quam summè dilexit, sed & magnæ iustitiæ tam in comparatione ad Deum, quam hominẽ lapsum.

Exigit

Exigit enim charitas Dei proximi pro tāto bono communi consequendo, beatitudinem scilicet hominis, ad quam Deus prędestinauerat eum, & dispofuit non aliter, quam per huiusce modi obsequium peruenturum, tale obsequium exhibere. Ecce patet vna virtus medicinæ salutaris saluatoris nostri Iesu, quæ fuit impedimenti sublatio sanitatis.

Medicina Christi quam nobis dispositionem cōferat.

Audiamus quam nobis dispositionē medicina hæc conferat acquirendæ sanitatis. Et certè si bene verba euangelij pensauerimus, inueniemus sacramēta fore, quibus homo immediatè disponitur ad gratiæ susceptionem, quæ sanitas est, & animæ vita. His efficaciam meruit sanguinis effusione. Hoc ni fallor subtiliter euangelista innuere voluit in hoc ꝙ Christum nomen Iesus accepisse ab hominibus asserit tunc cū sanguinem suum fudit, per quem impedimentum salutis vt dictum est, sublatum est, non fusum qualitercunque sed in circuncisione, quæ fuit vel vnicum, vel præcipuum veteris testamenti sacramentum, ac si apertè diceret Iesum fore saluatorem per sanguinis effusionem, ipsam quoq; salutem participare nobis per sacramentorum susceptionem. Misericors nanq; dominus, qui in suis operationibus ad extra necessitari nequit, sed merè contingenter libera, & dignatissima sua volūtate agit, quęcunq; agit, licet humanū genus aliter quā per filij sui incarnationem, passionem, & mortem redimere potuisset, vt ait August. 13. de trin. Et simpliciter mortis suæ meritum idest gratiam posset participare sine sacramentis, quibus vtiq; suam potentiam non alligauit, vt dicit Magister dist. 1. quarti Quia tamen diuina sapientia, quæ à fine ad finem attingit fortiter, & disponit omnia suauiter. Sap. 8. Hoc est secundum ꝙ magis congruit rebus disponendis, & modi isti nostræ miseriæ sanandæ plus congruunt, ideò propter nos & pati elegit, & instituere sacramenta. Nec enim aliquem decet beatificari nisi & ipse suæ saluti per gratitudinem, & Dei amorem pro suo modulo se disponendo cooperetur, vbi saltem impotētia non excusat. Quid autem tantum nos ad Dei amorem accendere potest quantum eius intensissimus amor, quē vt nobis ostenderet, mortem pro nobis pati non despexit. Et hoc est, quod Hugo in de arra animæ ait. Vt ostenderet tibi quantum te diligeret, non nisi moriendo te à morte liberare voluit, vt nō tantum pietatis impenderet beneficiū, verum etiam charitatis monstraret affectum. Tanto igitur plus ei tenemur, quātò nos penalius redemit ad nostrum ꝑfectum, quos aliter redemisse potuisset. Vt ergo ex omni parte nostræ infirmitati consuleret, etiam sensibilia signa instituit, quasi vasa gratiæ, & medicinas efficaces quibus nos homines carnales sensuali cognitioni inhærentes, disponeremur ad gratiæ inuisibilis cognitionem, appetitionem, & consecutionem.

Sacramētū quid à quo institutum.

Quod vt clarius intelligatur videamus quid sit sacramentum, à quo institutum, & quis effectus eius. Est autem sacramentū secundum magistrum dist. 1. quarti, inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius gerat imaginem, & causa existat, hoc est secundum expositionem doctoris subtilis. Est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans. Sicut lotio facta in aqua cū certa forma verborum, est sacramentū baptismi, quia signum sensibile habens naturalem similitudinem cum gratia, quia sicut gratia sordes animę, ita aqua corporis mundat sordes. Hanc autem gratiam animam mundantem significat efficaciter ex institutione diuina. Nulla enim pura creatura, nec angeli, nec apostoli, nec ecclesia, multo minus ecclesiæ membra, poterāt instituere sacramenta, quæ scilicet essent gratiæ efficacia signa, sicut nulla creatura gratiā potest conferre. Nullus enim potest dare certitudinem alicui signo practico, nisi in eius sit potestate posse causāre signatum illius signi. Sed Christus verus Deus, & homo sacramenta instituit

Christus potuit sacramēta instituere.

prin

principaliter secundum naturam diuinam, meritoriè secundum naturam humanam. Quorum institutio ex euangelijs clarè colligitur, excepta confirmatione, quam sub illa materia,& forma, qua confertur, à Christo tradita non legitur, quamuis & ipsum per manus impositionem paruulos Matth. 19. & in flatu, ac igneis linguis apostolos per spiritum sanctum traditionem legitur confirmasse, sed ipsum sic instituisse ex traditione apostolorum verbali ecclesiæ, sicut nonnulla alia sine ambiguitate creditur. De baptismo habetur Ioan. 3. Nisi quis renat' fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. De Eucharistia habetur Ioan. 6. eius prædicatio diffuse,& institutio Matth. 26. De pœnitentia habetur Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, vbi constituuntur sacerdotes iudices arbitrarij peccatorum, nec possũt arbitrari in peccatis nisi cognitis, quare tenentur, qui peccatorum desyderant remissionem denunciare ea ijs, quibus dominus potestatem dedit peccata remittendi. De extrema vnctione habetur Marci 6. quod apostoli vngebant oleo multos ægros, & sanabantur, non dubium quin hoc egerint ex Christi institutione, de cuius missione, qua mittebat apostolos simul fit mentio ab euangelista. De ordine habetur Matth. 26. Hoc facite in meam commemorationem. In quo verbo dedit apostolis auctoritatem consecrandi, & vt supra Ioan. 20. vbi dedit eis auctoritatem ligandi,& soluendi. De matrimonio habetur Matth. 19. vbi inualidat repudij libellum, & approbat matrimonij contractum. Cũ igitur à Deo sacramenta omnia sint instituta, patet quantum illi delinquunt, qui salutaria Dei dona spernunt, nam qui contemnit mandatum, contemnit, & mandantem.

Sacramẽta vbi instituta ĩ sacro euangelio.

Quamuis autem ex diuina institutione obligamur ad non contemnendũ omnia, immo ad venerandum,& ad suscipiendum aliqua, baptismum. s. & pœnitentiam post lapsum, ad ea tamen appetenda,& querenda nos meritò mouere debet & pellere eorum ingens fructus,& vtilitas. Quorũ principalis hic est, quia per ea consequimur gratiam non solum ex opere operãte, sed ex opere operato, quod nullis alijs operibus est concessum, neq; cerimonijs veteris legis, vt eliciũt doctores ex verbis Aug. quæ ponit Magister dist. 1. quarti. Sic autem conferunt gratiam ex opere operato, quia ad sequendum gratiam per ea non requiritur secundum Sco. motus bonus interior de congruo sufficiẽs ad gratiæ infusionem, sed sufficit q̃ suscipiens ea non ponat obicem infidelitatis contrariæ voluntatis, aut consensum in mortale peccatũ commissũ vel committendum. Qui enim tale inquit repugnans gratiæ in se haberet, gratiam accipere non posset, quoniam contraria, & repugnantia simul stare non possunt, patet in paruulis baptizatis, & pęnitentibus solum attritis. In primis nullus motus liberi arbitrij pręcedit. In secundis & si aliquis præcedit, tamen talis propter sui imperfectionem gratiam de congruo non meretur, & tamen ambo virtute sacramenti suscepti gratiam consequuntur.

Sacrorũ ingens fructus ad ea veneranda nos compellit.

Duas siquidem misericors dominus vias ad gratiæ consecutionem præparauit. Prima est per motum bonum interiorem. Alia per susceptionem sacramenti exteriorem. Per motum bonum interiorem ad gratiam disponitur peccator, quando perfectè omnia commissa peccata detestatur, quia offensiua Dei super omnia dilecti. Et hoc solum adultorum est, nec tamen omniũ, quinimo paucorum. Sco. dist. 14. lib. quarti. q. 4. Per susceptionem verò exteriorem sacramenti homo disponitur, quando sine infidelitate non nolens, hoc est intendens suscipere, quod confert ecclesia, & sine actuali consensu in peccatũ commissum, vel committendum interius suscipit sacramentũ exterius. Huiuscemodi virtute susceptionis sacramenti ex merito passionis Christi, & Dei pacationis suæ signo, q̃ instituit assistent

Viæ duces ad gratiæ consecutionem.

sistentis gratia infunditur, si nõ præfuit aut si præfuit augmentatur, vt latè declarat magister dist.4.li. 4.de baptismo & idẽ ẽ de reliquis sacramẽtis. Hæc dispositio oĩm ẽ infantiũ, & adultorũ, nõ solũ in spiritualib⁹ exercitatorũ, verũ ẽt carnaliũ adhuc & imperfectorũ. Ecce quãta, & quã apperciata sit hæc vtilitas in sacramentis quisquis propriæ infirmitatis conscius satis noscit.

Sacramẽtorum instituto rum tres causæ.

Addit nihilomin⁹ mag. vbi.sup.tres causas cõgruitatis .s.eruditionẽ, humiliationẽ, & exercitationẽ. Eruditionem, vt p illud, q foris à viatore in specie visibili cernitur, ad inuisibilẽ gratiã, q in t⁹ est certi⁹ cognoscendã mens erudiat & ad huiusmodi virtutẽ taliter qrendã ardẽti⁹ accendatur. Valde.n. ad salutẽ qrẽdã trepidãtis anim⁹ accẽdit si media pponunt, p q facilè salutẽ ipsã inuenire certificat. Nec.n. facilè via arripit, p q ad terminũ puenire dubitatur. Propter humiliationẽ aũt, vt dum hõ in sensibilib⁹ reb⁹, q natura infra ipm sũt, ex pcepto creatoris se reuerenter subijcit, vt ex hac hũilitate, & obediẽtia magis Deo placeat, & apud Deũ mereatur ex cui⁹ impio salutẽ qrit in inferiorib⁹ se, & si nõ ab illis, sed p illa à Deo. Propter exercitationẽ verò vt hõ, q ociosus eẽ nõ põt, vtiliter, & salubriter exercitet in sacris, & sic vanã, & noxiã declinet occupationẽ. Nõ.n. facilè capit à tẽtatore, qui bono vacat exercitio. Hæc magister. Addit etiã rationẽ aliã, quæ tangit congruitatẽ totius cõmunitatis b. Aug. q est, vt homines vnius religionis aliquibus signis inter se conueniãt, p q etiam ab alijs alterius sectæ distinguantur, vt sic se ad religionis obseruãtiam mutuò iuuẽt, alioq; alteri⁹ sectæ cautius vitent. Ait enim contra Faustum. In nullum nomen religionis possunt homines coagulari, nisi aliquorum signorũ velut sacrorũ visibiliũ cõsortio colligantur. Ex quibus attendendum est quãto amore Dei misericordias amplecti debem⁹, qui vsq; adeo nostræ cõdescendit infirmitati, vt in infimis reb⁹ sensibilib⁹, & vsitatis salutis viam aperiret, ac per ea maxima dona gratiam, .s. & charitatem largiretur, vt sic omnes difficultates, omnis diffidentia perueniendi ad salutem tollerẽtur, inexcusabilesq; redderentur omnes, salutem suam de cętero negligentes.

Inuectiua in cõtemnẽtis sacramenta.

Quis autem satis potest superbissimos illos sathanæ filios detestari, qui non modo extorquere, & desidia, sed ex interiori mentis superbia, deliberato proposito spernunt salutaria medicamenta, nobis tam charitatiuè propter nostram infirmitatem concessa. Primum diuinis mandatis, & institutionibus temere contradicunt, sine quorum vtique obseruantia salus nulla expectari potest, dicente veritatis ore: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Ideò nanque dominus hodie sanguinem primum in circuncisione fundere voluit, ac legi, cui minime tenebatur, obedire, vt nos tanto exemplo ad suorum mandatorum obseruantiam erudiret. Humilitatis debinc exercitia spernunt, dum in his, quæ infra se natura sunt, salutem quærere contemnunt. Nihili pendunt denique diuina adiutoria ex nimia charitate concessa, dum illis dimissis in suis internis deuotionibus non tam phantasticis, quam fallacibus se saluari inaniter confidunt putantes se aliquid esse cum nihil sint Galat. sexto. & ideò se seducunt. Demum superbissimo ausu sua interiora exercitia merito passionis Christi, & sacrosancti sanguinis præferunt, dum suo sensui innitentes, medicinas, in quibus passio Christi operatur, repellunt, quas dum non recipiunt, quid aliud quam se infirmos non esse, peccatumque non habere, contra Ioannem apostolum mendaciter affirmant? Et quod nefas est dictu, preciosissimam Christi humanitatem in sacramento Eucharistiæ corporaliter præsentem, per quam solam redempti sumus, cuius merito nostra opera fiunt meritoria, & non aliter, quam angeli adorant, diaboli contremiscunt, ipsi diabolo peiores, non modo genua, non flectunt, sed nec aspectu, dignam putant. Nos autem charissi-

mi has salutares sacramentorum medicinas gratissima mente suscipiamus, cũ desyderio, & humilitate nobis applicemus, quatenus salutis participes efficiamur, quam nobis dominus Iesus, ac saluator noster effusione sanguinis ordinauit.

Sacramẽta quomodo sunt necessaria, ad salutem.

Sed fortè dubium alicui incideret, quomodo sacramenta sunt ad salutem necessaria, cum tamen tempore legis, & naturæ legis Moysaicæ patres sancti gratiam, & Dei amicitiam sunt consecuti, vt patet de Moyse, Abraam, Dauid &c. qui nec sacramenta habuerunt nec habere poterant ante Christi passionem, ex qua, vt dictum est, efficacia influit sacramentis. Ad hoc respondet Sco. lib. 4. distinct. 1. quest. 6. quod quia in illo tempore non reliquit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem. Omni ergo tempore fuerunt aliqua sacramenta ordinata ad originalis peccati dilectionem, cuius deletio fuit necessaria ad salutẽ, tale sacramentum fuit circuncisio quantum ad semen Abraæ, & sacrificium aliquod, aut fortè aliud signum, quo ad reliquum populum, qui de semine Abraæ non erat tempore legis Moysi, & quo ad omnes pro tempore legis naturæ. Quoniam etsi in adultis potuit deleri per motum bonum intrinsecum, in paruulis tamen in quibus talis motus fuit impossibilis, per actum proprium deleri non potuit, ergo per actũ aliorum circa ipsos necessarium fuit deleri. De nullo autem actu alterius ad paruulum relato certum esse potuit ipsum sufficere paruulo, nisi ad hoc à Deo fuisset institutus. Quare sequitur quod pro tempore illo Deus qui nedum adultis suis cultoribus, sed eorum paruulis prouidit de remedio necessario aliquod signum efficax, & certum ad deletionem originalis criminis ordinauit, & quod pro tempore legis naturæ tale signum fuerat aliquod sacrificium, per hoc testatur scriptura, quia pro tempore illo Deo placuerunt sacrificia. vt Gen. quarto de sacrificio Abel. Genesis. octauo de sacrificio Noe, Genesis. decimotertio de sacrificio Melchisedech, qui fuit sacerdos Dei excelsi & Genesis decimoquinto de sacrificio Abraæ, quod vtique non fuisset, nisi ab ipso fuissent instituta. Præsumptuosi enim fuissent, si talia sacrificia non diuina inspiratione, vel præcepto egissent. Huic consonat Grego. quarto. moral. Quod agit apud nos baptismus, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, non quidem interior tantum, sed aliquo exteriori signo protestata, vt exponit Scotus, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abraæ stirpe prodierant mysterium circuncisionis. Consonat August. contra Faustum vt supra.

Sacramẽta vet. legis quã efficaciã habuerint.

Illa autem sacramenta, quæcunque fuerunt, & omnis actus cuiuscunque hominis efficaciam merendi habent secundum Sco. lib. 3. distinct. 19. quest. 1. ex merito passionis Christi. Tanta nanque fuit virtus sacrificij, quod Christus obtulit vt mereretur gratiam credentibus in eum, non solum iam exhibitum, sed etiam ab æterno præuisum licet plus mereretur exhibitum, quam præuisum. De hoc ponit tale exemplũ Ansel. 2. Cur Deus homo. Sit aliquis, qui offenderit regem aliquem, propter quam offensam ipse cum omni sua consanguinitate sit exilio relegatus. Venit aliquis innocens regi dilectus, qui promittit regi magnum opus pro rege, vel regis honore, certo die statuto se facturum, vt exulibus istis remittat offensam, eisque reconcilietur. Rex sciens hunc fidelem, & veracem acceptat seruitium, remittit statim offensam, dat munera, opera etiam eorum acceptat ad præmium, atque in futurum promittit se remissurum offensam si qua postea contrahetur, pręmissa satisfactione. Protestatur tamen quod nullus, eorum, qui inimici fuerant intrabit regium palatium, donec promissum seruitium, exhibeatur.

Sic passio Christi hominis innocentis, præuisa ab æterno, exhibita in certo tempore, fuit adeo trinitati accepta quod pro ipsa etiam adhuc futura

omni

omnibus credentibus in illam exhibendam in tempore, remisit offensam & originalem, & personalem. Dedit etiã gratiam, qua mereri possent beatitudinem. Sed nullum ad æterni regni intromisit palatium, quousque opere exhiberetur. Et isto modo patribus remisit in circuncisione offensam, sicut nobis in baptismo, licet ianuam regni eis non aperuit, quam nobis baptismus [quia exhibita est passio] patefacit. Pulchra ad hoc adducit testimonia magister. distinctione vigesimoquinta. 3. lib cap. primo. August. quoque ad Optatum ait. Cum omnes iusti siue ante incarnationem, siue post nec vixerunt, nec viuant nisi ex fide incarnationis Christi, profecto quod scriptum est. Actu. 4. non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluari, ex illo tempore valet ad saluandum humanum genus, ex quo in Adam viciatum est. Ecce audiuimus modum nostræ liberationis, quo liberati sumus à domino nostro Iesu medicinam præparante, qua & sanitatis impedimentum amouit, & sacramenta tanquam dispositiones immediatè nos ad salutem disponentes consecrauit, quæ tanta reuerentia,& deuotione venerari, & suscipere debemus, quanto ex maiori charitatis fonte fluxerunt, & nostræ infirmitati [vt dictum est] magis congruunt. Secundum membrum sequens sermo declarabit.

Secundo principaliter dominus, & saluator noster nos saluat, morbum expellendo, & hoc secundum naturam diuinam. Morbus ille peccatum esse constat, quem expellit dum peccatum remittit, ad pœnam perpetuam non imputando, secundum illud prophetę. Beatus vir cui non imputat dominus peccatum. Nec tamen aliquando peccatũ remittit, quin etiam perditam gratiam restituat, quæ est sanitas animæ et vita. Dei quippe perfecta sunt opera. Deut. 32. Non ergo imperfectè sanat, morbũ solum expellendo, sed & sanitatem cõfert, gratiam infundendo. Vtrunque autem secundum naturam diuinam principaliter operatur, licet meritoriè secundum humanam. Nam nemo tollit peccata nisi solus Deus, ait August. contra Iulianum. Quod enim gratiam nõ conferat nisi Deus ex eo patet &c. Deductionem huius membri vide in sermone sequenti.

## *DE CIRCVNCISIONE domini Sermo. II. in ordine XIIII.*

VOCATVM est nomen eius Iesus. Luc. 2. — Quomodo saluator Iesus nos saluat.

Ante paucos dies diem hunc gloriosum celebrauimus, quem nobis amabilem simul,& mirabilem, immo & imitabilem saluatoris nostri reddit natiuitas. Iungitur nũc noua recenti gaudio exultatio, dum hodie in nati regis circuncisione, nomen, quod est super omne nomen, à patre ab æterno,& ante secula nominatum, ab angelis & matri, ac putatiuo patri Ioseph nunciatum, ab eisdem nouo homini vocitatur secundum Origen. In quo non minus habemus [quam in eius natiuitate] vnde miremur, laudemus atq; imitemur. Mirabamur in illa die summam maiestatem apparuisse in forma serui. Miramur in illa eundem Deum verum de Deo patre, ac hominem verum de Virgine matre [sine peccato] genitum tanquam peccatorem circuncidi. In illo die pro modulo nostro gratias egimus, amantes & laudantes, quod ad educendum vinctos de carcere, venit redemptor in carcerem mundi huius. Magnificamus tota deuotione dominũ hodie, quia catenas,& vincula nostra suscepit, & vt reos absolueret inoxias manus eorum catenis inseruit In natiuitate vidimus cum pastoribus verbum, quod factum est abbreuiatum super terram, paruulum scilicet & tenellum, iacentẽ in præsepio, quo ad humilitatem imitandam admonemur. Hodie in eius circuncisione sub lege factum cognouimus, qui legem dedit, vnde ad obedien-

tiam nos, qui legi tenemur, apertius erudimur. Et sicut in illa die natiuitatis suæ exordio diuinis humana sociauit, vt heri dictum est Ita in hac, circuncisio veritatem humanę naturæ probat. Sed nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis. Vt enim clarius innotesceret diuina natura, qua saluum facit populum suum à peccatis eorum, in circuncisione, quæ in filijs iræ peccatum originale delebatur, & gratia infunditur, congruentius vocatum est nomen eius Iesus, quæ fuere verba in principio themataliter assumpta. De quibus &c. Aue.

Expulsio morbi in quo cōsistit.

Vocatum est no. &c. q puer, qui natus est nobis, filius, qui datus est nobis: Iesus .i. saluator vocatur, non propter aliquam particularē, & temporalē salutē (quā quia aliqui contulerunt figuratiue) nomen Iesus sortiti sunt, sed pp vniuersalem, & spirituale, ac æternā salutē, quā nemo alius contulit, aut conferre potuit, satis iā omnib⁹ notū ē christicolis, nedū hūana prædicatione, sed angelica annunciatione. Ait inquit Gabriel Ioseph. Vocabis nomē eius Iesus. Ipse .n. saluū faciet populū suū à peccatis eorū Reuera saluauit iā populū suū, medicinā præparando. Saluat quotidie morbum expellendo. Saluabit finaliter sanitatem perfectissimam conferendo, & sine omni defectu conseruando. Medicinæ præparatio pertinet ad naturā assumptā. Morbi expulsio ad diuinam. Perfecta sanatio ad vtranq;. Medicinā præparauit dum medicinalia sacramēta, quibus per sanguinis sui effusionem efficaciam meruit, contra peccatorum nostrorū vulnera instituit, & ordinauit De quo latè hoc ipso die decurso anni circulo memoro me locutum, ideò hoc membro dimisso ad aliud me conuerto Vbi tria in præsenti sermone sunt notanda. Primum in quo consistit huius morbi expulsio, & quomodo Christo conueniat secundum naturam diuinā. Secundò quia ista fit per gratiā. videndū est, quid sit gratia descriptiue, & qui eius effectus. Tertiò eliciendæ sunt aliquæ veritates ad gratię cōmendationē, vsi & exercitari poterim⁹ ad diuinā potentiam cognoscendā, & extollendam.

Dixi quia saluator noster nos saluat quotidie, morbū expellēdo, & hoc secūdū naturā diuinā, morbū illū peccatum eē cōstat, quē expellit dū peccatū remittit, nō imputando ipsū ad pęnā ppetuā secūdū illud pphetæ. Beat⁹ vir, cui non imputauit dñs peccatū & cui⁹ tecta sūt peccata. Vbi Hier. Quib⁹ De⁹ dimittit peccata, tegit, ne in iudicio reuelentur .s. ad dānationē. Videre .n. Dei peccata (ait Aug.) est ad pęnā imputare Auertere autem à peccatis faciem, est ea ad pœnā nō reseruare. Nec tñ peccata aliquando dimittit, nisi & perditā gratiā restituat, quæ est sanitas, & vita animę. Siquidē Dei perfecta sunt opera. Deut. 32. Non ergo impfectè sanat morbum dūtaxat expellēdo, sed ad sanitatem cōfert gratiam infundendo. Non enim perfectè sanus est, qui etsi dolorem mēbrorum non sentit, non tamen a mouere potest, nec eis vti ad opera vitæ, sed hoc posse dat gratia. Et hoc vult August. contra Iulianum dicens. Tollit autem agnus ille peccata, & dimittendo quæ facta sunt, & adiuuando ne fiant, adiuuando inquā per gratiā. Vtrūq; autē secundum naturam diuinā principaliter operatur. Nā nemo tollit peccata nisi solus Deus, qui est agn⁹ tollēs peccata mūdi, ait Aug. vbi supra. Idcirco iudæi Christum blasphemare criminati sunt, pro eo, quod peccata dimisit, quem Deū non crediderunt Lucæ. 5. Quia deniq; gratiam non conferat nisi Deus, ex hoc manifestū est, quoniā gratia esse non potest, nisi per creationē. Siquidē ex operibus nostris gratia acquiri non potest, sicut ceteræ virtutes morales, quæ ex operibus moraliter bonis frequentatis in nobis naturaliter generantur, vt vult philosophus. 2. Eth. Ait .n. apostolus. Si autem gratia, iam non ex operibus nostris, alioquin gratia nō esset gratia. ad Rom. 11. Quod verò creatura à solo Deo est, cum natura de nihilo nihil facere possit. Si denique ex creatura esse possit gratia, cum gratia illa sufficit ad salutem, posset aliqua

Morbi peccati expulsio pertinet ad nostram diuinam.

aliqua creatura ex suis naturalibus saluari, illa.s. quæ gratiam producere posset, quod est error Pelagii. Ideò propheta ait. Gratiam, & gloriam dabit dominus.

Gratia gratum faciens quid est.

Vt auté intelligamus quàm benignè nos dominus saluat in impii iustificatione, siue peccati dimissione, sicque intelligentes domini misericordiam, magis domino grati inueniamur, & ita p gratitudinem ad maiora dona percipiẽda præparemur. Videndum est, quid sit ista gratia, qua iustificatur impius, & quid in nobis operetur. Est itaque gratia ista, de qua loquimur donum à Deo animę supernaturaliter infusum, ipsam Deo gratificantis & ad meritoriæ dilectionis actum perfectum inclinãs. Multa quidem sunt dona supernaturaliter animæ infusa. Quorum aliqua enumerat Apostolus 1.Cor.10. Diuisiones ait gratiarum sunt, vnus autem spiritus. Et sequitur. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientię, alii sermo scientiæ &c. Sed nullũ horum anima, cui infunditur, Deo gratificat, autem opus eius meritorium reddit.

Gratia hẽt multos effectus.

Habet autem gratia hæc multos laudabiles effectus, qui tamen ad tres reducuntur, qui sunt gratificare, iustificare, & opera, ad quę inclinat, meritoria reddere, meritoria dico vitæ æternæ, gratiæ, aut gloriæ. Gratificat ex hoc nudè, quia inhæret naturæ beatificabili. Nam secundum Sco.li.1.di.17.q 1.est quidam decor naturæ, diuinæ complacens voluntati, quæ ex hoc solũ, quod ornat naturã, cui inhæret, acceptabilẽ Deo facit, nõ quacunq; acceptione, sed speciali quadam, quæ est ordinatio in diuina volũtate naturę beatificabilis ad vitã ęternã Hoc eñ est esse gratũ Deo, charũ & amicũ, esse in tali statu, in quo nisi per peccatũ delinquat, consequatur vitam æternam, sic enim eos qui nullũ hñt aut hre pñt voluntatis suę bonum motum, reddit Deo gratos, vt infantes. Et hoc est, quod dicit Apostolus ad Titum.3. Vt viuificati gratia ipsius, hæredes simus secundũ spẽ vitę æternę. Et Act.5. ait Petrus. Per gratiã dñi nri Iesu Christi credimus saluari. Et quia gratificat, sequitur, ꝙ impium iustificat. Iustificatio quippe impii duo dicit, remissionem.s.culpę, & acceptationem ad vitã gloriæ. Impossibile est aũt eundem acceptari ad gloriã, & simul obligari ad pœnam perpetuã alioquin idẽ esset dignus, & indignus vita, ideò necessariũ est ei, qui acceptatur ad vitam remitti culpã, si insit, verũ si infunderetur ei, qui iniustus non esset, non iustificaret, sicut olim factũ est sanctis angelis, & fit quotidie rectis corde, qui operibꝰ suis virtuosis merentur, vt pręexistens gratia p nouę superinfusę additionem augeatur. De hac gratiæ iustificatione scribitur Ro.3. Iustificati gratis p gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Gratia quomodo opus meritorium reddit.

Ipsa quoq; opa nr̃a reddit meritoria, & accepta pmio ęterno, nõ qdẽ oĩa sed ea q̃ secũdũ gratiæ inclinationẽ eliciũtur, psupponit qdẽ meritorio opi psonã elicientẽ hmõi opus esse acceptã, qm̃ actus exosę psonę nõ placent. Ideò dicitur Gen.3. Respexit dñs ad Abel, & ad munera eius, prius ad Abel, q̃ ad munera. Et hoc qdẽ esse acceptũ dat grãm ex sola sui coexistentia, vt dictũ est, non tamen sufficit ad actũ esse meritoriũ, qđ sit personę gratæ, cũ talis possint peccare venialiter, & facere actus indifferentes. Oportet ergo ꝙ actus meritorius eliciatur secũdũ gratię inclinationem. Inclinat hæc gratia ad diligendũ Deũ super omnia, & in omnibus, hoc est in omnibus opibus gloriã Dei tanquam finem quærere, & ipsum finem vltimum .s.Deum sibiipsi, & omnibus præferre. Ideò quæ nõ ordinãtur in Deũ virtualiter, vel formaliter, nõ eliciuntur secũdum gratiæ inclinationem, & ita non sunt meritoria vitę æternæ. Et licet secũdũ aliquos homo ex naturalibus posset Deum sic super omnia diligere, maxime in statu innocentię potuit, nõ tamen ita perfecto actu, nec ita faciliter sicut cum gratia, & omnino nõ meritoriè sine gratia. Sic ordinauit dominus, vt nullius actũ acceptet ad meritũ nisi ex gratia elicitũ. Ideò dicit Apostolus

2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis scilicet meritoriè, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et 1. Cori. 15. cum se dixerat abundantius alijs laborasse, statim addidit. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Itaq; actus meritorius ex duobus dependet. Ex nostro arbitrio libero, & ex gratia vt dicit Magister dist. 27. secundi. Nullum meritum est in homine, quod non fit per liberū arbitrium ex parte. Sed in bonis promerendis causæ principalitas attribuitur gratiæ, non enim gratia voluntaté necessitat, ideò potest etiam præter inclinationem & contra agere, & eam suo demerito perdere. Inclinat tamen ad agendum meritoriè propter Deum, ideò actus quantum ad substantiam actus est principalius à voluntatis libero arbitrio, & quantum ad esse meritorium principalius à gratia, quia hoc conuenit sibi inquantum ab habente gratiam elicitur conformiter inclinationi gratiæ. Et secundū hoc dicit Aug. ad Sixtum. Voluntas habet se ad gratiam vt pedissequa, non domina, concomitās, non præcedens. Et in de li. ar. Gratia habet se ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum. Sessor equum regit, & quorsum tendit, dirigit. Ita gratia voluntatem vt opera sua in Deum referat, dirigit, & inclinat.

Gratia & charitas ante distinguuntur realiter

Ex illo iam satis patet quod non est aliud gratia, aliud charitas infusa, quia idem effectus vtrisq; attribuitur. Charitas enim est, quæ ad diligendum Deū super omnia inclinat, quæ Deo charos facit, sine qua nemo beatificatur. Hoc idem facit gratia, & ideò tam scriptura sacra, quam sancti idem intelligunt per gratiā, & charitatem, & nunc soli gratiæ attribuunt, quod tamen charitatis esse dicunt, & econuerso. Sic apostolus. 1. Cor. 13. docet nulla dona prodesse sine charitate. Et 2. Cor. 12. sibi dictum à domino ait: Sufficit tibi gratia mea, quæ non essent vera nisi charitas, & gratia essent idé Aug. quoq; in Enchi. ait Sola gratia discernit redemptos à perditis. Et super can. Ioan. dicit. Sola charitas discernit inter filios regni, & filios diaboli. Quod & ratione fundata in scriptura posset ostendi. Si. n. essent distincta, possent per Deū separari, & sic staret hominé esse Deo gratū, & nō charū, & ita inimicum sibi haberet gratiā, & non charitatem, vel Deo charū, & non gratū, si haberet charitaté, & non gratiā. Hoc auté implicat quia idé est esse charū, & gratū, & amicū. Differunt tñ ratione secūdū Scotū, quia gratia respicit Deū vt diligentem quia gratia dicitur inquātū Deus habet aliqué gratū, charitas respicit Deū vt diligibilem, quia dicitur quasi habens Deum charum.

Gratia quare dicitur habitus quidam.

Secundum patet, cur dicitur gratia à doctoribus habitus quidam, licet non sit acquisitus, sed infusus, quia aliquid simile agit in anima, licet longè perfectius, quam habitus acquisitus. Est. n. habitus acquisitus quedā qualitas pmanens derelicta in potētia operatiua ex actibus frequentatis, inclinans, atq; determinās ad similia, vt patet ex 2. Eth. Experientia quoq; aliquid huiusmodi ex actibus derelinqui, quo potentia facilius, promptius, delectabilius, ac rectius operatur certè probat. Ita gratia potentiam eleuat supra se, quæ per peccatū malè inclinat siue reflexa est ad se vt possit meritoriè cōtra legé carnis in Deum tendere, inclinatq; facilitat, ac dirigit, vt rectè eliciat conformiter legi charitatis diuinæ, & ita fomitem debilitat, non q remittat, aut extinguat secundum multos, sed quia potentiā fortificat. Sicut si aui, cui alligatus est lapillus, propter qué minus expedite possit tendere sursum, potentia volitiua in alis fortificaretur, iam impedimentum diceretur minui, licet lapilli pōdus nō esset alleuiatum. Sic se iuuari per gratiam cognouit apostolus, qui cū contra legé carnis qua cruciatus est, exclamauit. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Rom 7. subdit. Gratia Dei, quæ est per Iesū Christū.

Gratiæ commendatio & quō fomité reprimit.

Ex illo patet quomodo gratia, quam nobis Christus attulit, longè excellit iustitiam originalem, quam in Adam perdi-

perdidimus. Quoniam licet per ipsam fomes peccati penitus fuit extinctus, & perfecta obedientia virium inferiorum ad superiores, non tamen potentiā ele uabat ad meritoriè operandum. Neq; per originalē iustitiam Adam sine gratia saluari potuisset. Ex illis etiam est videre quantū donum est gratia, qua saluat Christus in pręsenti. Donū vtiq; est super omne donū creatū, vt satis patet per apostolū 1. Cor. 13. Quoniam nos amicos Dei facit. Propter hanc .n. ait discipulis suis dńs Ioan. 15. Iam vos non dicā seruos, sed amicos. Et Aug. super psal. 103. ait Respice ad munera ecclesiæ, & vniuersis excellentius charitatis mun⁹ cognosce. Donū quo solo boni efficimur, ꝙ omnia alia creata dona nobis præstare nō valēt: vt ait Aug. super cano. Ioannis. Quicquid vis, habe, hoc solū donū nisi habeas, nihil tibi prosūt cętera, & si alia non habes, scientiā prophetiam &c. hoc habe, & implesti legē. Et ꝙ omnibus gloriosius est, tantū est hoc donū, ꝙ nunquā nobis datur, quin & cū dono tali trinitas ipsa seipsam donet se, nec donat sine hoc dono, nec donum illud sine se, sicut apostolus Rom. 5. testatur. Charitas diffusa est in cordibus vestris per spiritū sanctū, qui datus est vobis, nec spiritussanctus datur sine patre, & filio, sicut Ioan. 14. patet.

Benignitatis diuinæ extollentia

In omnibus his charissimi magnificate, & laudate dńi nostri Iesu Christi magnificentiam, ac misericordē bonitatē, quā in impij iustificatione ostendit. Posset vtiq; peccatū remittere non imputando ad pœnam, absq; hoc vt in amicitiā assumeret, sicut communiter apud homines consuetum est fieri, sed modicū hoc reputauit. Nisi etiam hūc, qui peccando Dei amicitiā perdiderat, peccatum dimittendo, in sui amicabile consortiū reformaret. Nec & illud satis visum est infinitæ misericordiæ saluatoris, nisi & adiutorium, gratiæ tribueret, quia in sua amicitia facile remanere possemus, & per opera meritoria cōtinuè crescere, & de suo munere demonis insidias, carnis, & mundi, facile, nō sine magno futuri pmij merito supare.

Poterat haud dubium sine dono gratiæ creato & nos amicos facere, & opera nostra ad meritum acceptare, sed in amicitia sine gratiæ adiutorio quomodo manere potuissemus? Idcirco statuit vt omni ad se conuertenti, & quod in se est facienti peccata remitteret, & simul adiutricem gratiam infunderet, per quā & huiuscemodi in suam amicitiā resumeret, sicut scribitur Ioan. 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

Metaphora de gratia gratum faciente.

Quæ vt facilius intelligātur loquar meraphorā. Si rex aliquis clementissimus tantam misericordiam in suos facturus esset ꝙ etiā p edictū publicaret, quisquis inimicorum amicitiā eius desyderaret, eū in suū fauorē assumere vellet, dū tñ ab offensa cessaret nunc, & p futuro cessare disponeret. Ordinaret deniq; rex vt quisquis in amicitiā eius dicto modo recipeē, acciperet ab eo torquē aureā, quo rex sibi familiariter adherētes regio insigniret honore, vt sic regis amicus ab omnibus nosceretur. Quodq; in traditione regij muneris, facultatem acciperet talē, quatenus omne opus, ꝙ ageret vbicūq; & quantumcunq; magnū siue paruum ad honorē regis, pro illo remunerationē vltra condignum à rege consequeretur. Et vt viribus conualesceret ad huiuscemodi opera meritoria agenda lapides præciosos multi vigoris torqui inseruisset, quibus membra portantis torquem cōfortarentur, ne in operando deficerent sed continuo magis vigerent ad merendum, quo magis operarētur, ac robusta fierent ad resistēdum omni aduersę potestati. Talis regis clementiā, ac muneris præciositatem, quis satis commendare sufficeret? Ecce talis est rex, & saluator noster. Munus, quod nobis largitur gratia est, quæ ita se habet ad animam sicut torques illa ad corpus, vt facilè ex dictis deduci poterit. Congruè igitur tanti saluatoris vocatum est nomē Iesus eo ꝙ ipse solus saluet populum suum per gratiæ suæ donum. Quod nobis præstare dignetur in præsenti, & gloriam in futuro. Amen.

## DE CIRCVNCISIONE *Domini. Sermo. tertius in ordine XV.*

CONSVMMATI sunt dies octo, vt circunciderетur puer. Lucæ secundo.

Magnam nobis charissimi dies hodierna consolationem, magnam præbet eruditionē, sed & nos Dei instruit ad timorem. Quid enim iucundius peccatori, aut quod signum adipiscendæ beatitudinis certius adhiberi potest quam quod in præsenti tempore afflictionis, & pęnitentiæ, dominus noluit nos tam graui legis oneri subesse, cuius onus graue, fructus modicus quia cerimonię legis, gratiam non contulerunt? Et ne subijceremur, tam grauia legis onera ipse, qui legi nihil debebat in se suscipere voluit. Quis non speraret in domino, quis non in eum omnem sollicitudinem proijceret, tanquam in eum, cui cura est de nobis? prima Petr. quinto Quem in tam infanti, & immatura ætate nouit innocentem fundere sanguinem, vt ab huiusmodi fusione, nocentes liberaret: Hinc ait apostolus Gala. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Summariam perinde totius vitę nostre eruditionem in benedicta sua circuncisione octaua die facta designauit, vt scilicet post regenerationem spiritualē baptismi, per septem dies ambulantes ad octauam diem circuncisionis .s. in quo omnis circuncidetur defectus perueniamus. Septem dies sunt septē virtutes, tres theologicæ, quatuor cardinales. Siquidem illuminant rationem ad rectè intelligendum, inflammant voluntatem ad virtuosè agendum. Hi sunt dies, in quibus, qui ambulat, non offendit. Nam virtutibus his, quibus rectè viuitur ad Deum, seipsum, & proximū, nemo malè vtitur saltem formaliter, vt vult Magister lib. 2. distin. 27. Timor deniq; non modicus diuinæ iustitiæ ac seueritatis nobis vtiliter incutitur, dū tantum rigorem patris ad filium attendimus, filium vtique dilectissimum, vna eademque dilectione, qua se diligit æternaliter amatum, quo eundem quē nobis dedit statim in ortu suo, pro nostris peccatis affixit. Nam si ita fecit filio pro peccatis alienis, quid faciet inimico pro proprijs? Certè nisi consummatis septem diebus pęnitentiæ, hic circuncidatur à defectibus culpæ, vt efficiatur sicut paruulus ille, veniet dies octauus iudicij, in quo circuncidetur in peccatis inueteratus, non iam à defectuosis superfluitatibus, sed totus ipse abscidetur à beatitudine, & gloria sempiterna, quia ex sua culpa in præsenti tempore sibi frustra, & inutiliter consummati sunt dies octo vt circunciderетur puer. Pro gratia Aue Maria.

*Septem dies ante circuncisionem quid sig.*

Multam, vt intellexistis, loquendi materiam sacramentum circuncisionis domini nostri ministrat, sed facultatem & tempus, & vires denegant. Ex multis ergo pauca consyderamus. Si namque puer natus nobis datus est in signum, quis putabit puerum circuncisum à significatione vacare? Si enim omnis Christi actio nostra est instructio, quanto magis passio eius, & sanguinis effusio? Consyderemus breuiter cur omnipotens pater filium sibi tam dilectum in quo sibi semper bene complacuit, in tenerrima hac ætate tanquam peccatorem circuncidi voluit qui peccatum non fecit, immo purgationem peccatorum facere venit. Deinde ex his exhortationem quandam eliciamus pro nostra informatione.

*Causæ tres ad morum instructionem.*

Quo ad primum multas assignant patres sancti rationes, & congruentias quarum plures colligit beatus Thom. parte 3. questio. 27. Sed ad propositum tres illæ sufficiant causæ ad morum instructionem accommodæ. Prima vt à pœnitere desyderantibus superba

perba verecundia damnarentur. Secunda, vt obedientia in &. præ omnibus commendaretur. Tertia vt scandali occasio tolleretur.

Agit siquidem malitia diaboli vt qui ab eo decepti culpas admittunt, inuerecundi ab agenda pęnitentia nimia verecundia retrahantur. Sicque verecundiam, quam malè proiecerunt in delicto, resumunt periculo, suis in remedio. Vnde contingit etiam hoc quod omni obuiat naturali rationi, vt erubescant in his operibus bonis, de quibus veniunt commendandi, qui sine rubore in publico committunt vnde apud Deum, & homines culpantur, & confunduntur. Similes eis, qui non de putridis vulneribus, sed ligatis erubescunt. Sic sunt, qui peccare coram omnibus non erubuerunt, verecundantur confiteri, pœnitentias accipere. Contra tales, puer noster, qui peccatum non contraxit, nec commisit, sed remediauit, peccati tam dolorosa remedia accipere non refugit, & qui nullum vulneris vestigium habuit, alligaturam vulneris non recusauit. De quo Bernardus sermone secund. de circuncisione ait. In sua circuncisione valde dominus elationis humanæ peruersitatem repressit. Erubescimus enim vulnerum ligaturam, qui de vulneribus gloriamur. Quem nemo pôtest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundium, & austerum sine vlla sui necessitate suscepit. Nos inuerecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus pęnitentiam agere, & qui sumus malè proni in vulnera, peius inuenimur in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari. Nos & esse volumus, & nolumus estimari.

Reprêhêsio, eorũ q pęnitẽtia erubescunt.

In hac deniq; circuncisione domini obedientia plurimum commendatur, & omnis inobedientiæ palliatio aufertur. Quis enim se à superiorum suorum, legis quoque diuinæ & humanæ obedientia quomodolibet excusare poterit, etiam si dura sint, quæ mandantur, cum Deus omnipotens pro nobis humanatus legi, cui nihil debebat, atque hominibus se subdidit cum corporis dolore, & sanguinis effusione? Circuncisio enim data fuit patribus in remedium peccati originalis, sicut Beda ait super Lucam. Idem salutiferæ curationi auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratiæ, tempore consueuit, excepto quod regni cœlestis ianuam, nondum intrare poterant, tamen in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati, supernæ pacis ingressum spe fęlici expectabant. Hæc ille. Sed cum nihil peccati nec originalis, nec actualis in Christo naturali Dei filio habere locum potuit, qui similitudinem carnis peccati sine peccato assumpsit; vt tractat Magister distinctione. tertia libri tertij sententiarum, manifestum est quoniam lex ista circuncisionis, data peccatoribus, eum ligare non pôtuit! Ipse denique est, qui Abrahæ circuncisionis signum imposuit, & semini suo. Qui denique per Moysem famulum suum legem dedit non subditus, sed dominus legis. Hinc Lucæ sexto ait. Dominus est filius hominis etiam sabbati.

Ex quo sufficienter nobis dñs ostendit, quam necessaria est nobis obedientia, cum pro nostra inobedientia abolẽda, tanta nobis necessariá fuit obedientia in filio Dei, etiam in duris, & pœnalibus, ad quæ minimè teuebatur. Vnde quisquis se sine obedientia saluari posse existimat, miserabiliter se decipit, & à via beatitudinis longè errat, dicente Augustino, super Psalm. Sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia inuenit pœnam.

Obedieatiæ commẽdatio & fruct[a].

Et verè sola inobedientia inuenit pęnam, quia sola inobedientia peccatum inducit. Tolle inobedientiam ab homicidij actu, ac cuiuscunque peccati, iam actus ille non erit peccatum. Non. n. peccarunt filij Israel occidendo allophylos, nec spoliando ægyptum, nec

re &c. Sic fidelis eius discipulus Paulus ad Rom. 14. cum ostenderat nullum c bum communem, vel immundum esse, sed omnem gratiarum actio licitè posse summi, nihilominus propter auferre scandalum à fratre infirmo, ab his cibis qui scandalizant, docuit abstinendum esse. Vnde ait. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatẽ ambulas. Noli cibo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et 1. Cor. 8. Si esca mea scandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnes in ęternum, ne fratrem meum scandalizem. Quod si ita à licitis Abstinendum est propter scandalum fratris, Considerate, quantum illi peccant, qui illicitis, & carnalibus verbis, vel moribus, vestitu, ornatu &c. maximè in ecclesia proximos alliciunt ad peccandum. Audiant dominum Mat. 18. dicentem. Qui scandalizauerit vnum de pusillis illis minimis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & dimergatur in profundum maris. Hoc tonitruum expauescant insolentes, qui Gaudent in eo, quod multos scandalizant &c. Ecce habetis quæ circumcidere debetis, vt fiamus sicut paruulus noster, quatenus transitis septem diebus consummato. i. incepto octauo, eius enim inceptio consummatio cuius consummatio fine fine perdurat. In eadem circumcidamur ab omni corruptione, & defectu, assumendi cum domino ad gloriam, qui viuit, & regnat &c.

## IN FESTO EPIPHANIAE. Sermo I. in ordine. XVI.

Fidei Magorũ cõmendatio.



ENITE adoremus eum. Mat. 2. Hodiernæ festiuitatis diẽ nati saluatoris apparitio nobis clarificauit, ac multiplex eius declaratio exultabilem reddidit, & deuotam. Neque enim solum voluit ad terras descendere, sed etiam innotescere, non solum nasci, sed agnosci. Et licet in die illa sanctissimæ natiuitatis ex iudęa pastoribus innotuit, atq; in Israel magnificatum est nomen eius. Rectius tamen manifestationis eius solemnitas præsenti diei reseruatur, in quo à solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen domini, dum hodie gentium primitię ab oriente stella duce ad agnoscendum verum orientem sunt perductę. Sicut longe ante per Esa. propheta tum est. Ambulabunt inquit, gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Et sequitur. Omnes de saba veniẽt aurum & thus deferentes, & laudem domini annunciantes, eiusdem 60. Item gentium populus, qui ambulabat in tene. vi. lu. mag. &c. Item. Omnes gentes, quascunque fecisti, venient &c Quia si diligentius præsentis diei gaudia considerauerimus intelligem', vt Guerticus abbas in ser. huius solẽnitatis ait. Quia secũda hodie natiuitas celebratur, quę de illa prima natiuitate tanquàm de causa effectus consequenter, nata videtur. Illa siquidem, quam vsque hodie celebrauimus, natiuitas Christi est. Ista, quam hodie celebramus, natiuitas nostra est. In illa Christus natus est, in ista christianitas nata est. Cum enim tria sint, quæ faciunt nos christianos, Fides, baptismus, & altaris participatio, hodierna dies fidem nobis initiauit, baptisma consecrauit, ac mensæ cęlestis miraculum præformauit. Mirabilis siquidem aquarum mutatio insipidarum in vinum, quod cor hominis lætificat, qua sacramentalis illa conuersio panis & vini in corpus, & sanguinem, quo lętificandi erant cælestis mensæ conuiuę præfigurabat. Mirabilis & aquarum cõsecratio Ioannis, columbæ pariter, & paternæ voci attestatio, quibus nobis baptismus sanctificatur. Sed illud (vt ait Bern.) mirabile magis, quod agnitus est à Magis gẽtilibus, ac alienis, qui incognitus mansit à suis, secundum illud Ioan. 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Nisi enim eum agnouissent, minime tanti spacii itinera per transeuntes ad eum venissent. Veniunt autem, & tanquàm Deum adorant, & quasi homini offerunt, quamuis & ip-

Christianus fit tribus reb.

si in muneribus regem, Deum, & moriturum hominem profiteantur, dicentes & interriti ad Herodem, & populũ venimus adorare eum. Aue maria pro gratia.

Venimus adorare eum. In his verbis tangitur Magorum fides eximia, & charitas imitanda. In eo namque, quod venerunt ostenditur fides certa, quoniam oportet accedentem credere Hebr. 11. In eo autem, quod cum muneribus adorauerunt, charitas commendatur, quoniam hanc exhibere nos admonet Io. 1 cano. cap. 3. Non diligere verbo nec lingua, sed opere, & veritate. Greg. Signũ dilectionis exhibitio est operis. Magna siquidem fuerat Magorum fides, quæ de longinquo ad vnius stellę apparitionẽ venerunt quærere foris quem iam intus inuenerunt. Magi quidem qui totius gentilitatis typum gerunt, longè fuerunt à Deo, à cuius cognitione adeo recesserunt vt idolis seruientes, omnem quem Deo debebant cultum, surdis mutisque lapidibus, & lignis impenderunt dicitur Sap. 13. & 14. Et quoniam nec miraculis, nec legisdatione, nec prophetarum oraculis ad Dei cognitionem, quomodo iudæi ad Deum reuocabantur, tanto magis à Deo elongati, quanto de errore in errorem profundius sũt dilapsi. Sed orto illo rege, in quem gentes sperabunt, vt prædixit (ille s. quem mittendum) sanctus Patriarcha Iacob præuidit, & quem expectationem fore gentium prophetauit. Gen. 49. Commouit Magos habitatores remotioris oriẽtis stellis cæteris noua, fulgentiorque stella, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc expectanda non inscii, magnitudininem significationis intelligũt: agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum, vt ait Leo papa in sermone qui incipit Quamuis sciam. Denique ad iter tantum cum religione se disponunt, ac numerum præparatione, longam viam breui temporis cõpendio percurrunt, confortati eius fide qui venit seipsum omnibus viam tutissimam, ac compendiosissimam exhibere. Ingrediuntur iudaici regni præcipuam ciuitatem, ac in vrbe regia sibi ostendi postulant, quem ad regnandum dedicerunt natum. Ideò enim se stella intrantibus Hierusalem subtraxerat, vt fides eius, quem stella manifestabat etiam prophetarum testimonia roborarent, sicque ardentiori fide expeterent, quem & stellę claritas, & prophetæ autoritas manifestabat. Quærentibus enim, Vbi est, qui natus est rex iudeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audierunt à sacerdotum principibus, & scribis. Sic scriptum est per prophetam. Bethleem terra iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Vadunt itaque iterato stellę ducatu quousque perueniunt in Bethleẽ, vbi erat puer. Quem cum gaudio videntes in stabulo, quem stella stans supra indicauit, plena fide Deum, & hominem agnouerunt.

Si horum fidem æstimare libuerit non facile inueniemus, cui comparemus Si enim (vt ait Bern. in sermone) latronis fidem, si centurionis confessionem consydero, superexcellere videntur isti. Et quia iam miracula multa fecerat, iam prædicatus à multis, iam à multis extitit adoratus. Et quia quod vterq; sermone confessus est, isti simul muneribus pronunciabant. Confitetur latro regem cum ait, Memento mei, cũ veneris in regnum tuum. Confitetur cẽturio filium Dei. Verè inquit, filius Dei erat iste. Sed Magi personam regiam auro honorant humanam myrrha, diuinam thure. Sed videamus (ait Bernar.) quàm oculata sit fides, quàm lynceos oculos habeat, vt nulla adiacente infirmitate infirmetur. Nam cognoscunt Dei filium lactantem, cognoscunt in ligno pendentem, cognoscunt morientem. Siquidem Magi in stabulo agnoscunt, latro in patibulo. Isti pannis inuolutum, ille clauis confixum. Centurio autem vitam agnouit in morte Sed omni-

Magorũ fides pręfertur cẽturioni & latroni.

omnibus his credentibus, hi qui prope erant duræ ceruicis iudei increduli declinabant. Nonne prope erant, qui patrum? instructi figuris, & prophetarum vaticiniis Christum expectabant futurum, præsentem tamen minime agnouerunt, veritas per eos prolata illuminat Magos, & infidelitas obcecat magistros. Carnalis Israel (ait Leo vbi supra) non intelligit, quod legit, non videt, quod ostendit, vtitur paginis, quarum non credit eloquijs. Et ipsa eorum legis scientia (ait Greg. in homil.) fit illis ad testimonium damnationis, nobis verò adiutorium credulitatis. Ecce. Israel maior iam incipit seruire minori, & alienigenis in sortem suę hæreditatis intrantibus, testamenti, quod sola litera tenent, recitatione famulantur. Intrauit itaque hodie in patriarcharum familiam gentium plenitudo, & benedictionem in semine Abraam, qua se filij carnis abdicant, filii promissionis accipiunt, dum in hoc die inchoationis vocationis gentium, in tribus Magis adorant omnes populi vniuersitatis autorem.

Christū q audiūt natū turbātur cū Hie.

Sed est charissimi in hac re, quod consyderare debemus simul, & timere. Ecce populus ille Israeliticus, qui properat, quem dominus specialiter elegit quibus innumera beneficia inter inimicos in mari, in deserto, ac terra promissionis ostendit; quibus ad agnoscendū Deum cuncta loquebantur, Omnia inquit Chrysost. homil. 59. eis quasi voces quædam dominum prædicantes erant. Hoc mare clamabat, cum pedibus transiretur, hoc cum extingueret aduersarios, hoc illę aquæ in sanguinem conuersę, hoc irruptio ranarum, locustarum exercitus, eruca, & cyniphes, manna & coturnicum multitudo, columna ignis, & nubes cæteraque eis exhibita prodigia, hoc denique lex, & prophetica oracula, quibus etiam futurum agnouerunt, quem tamen præsentem agnoscere noluerunt. Et quare non agnouerunt pręsentem? quia certè præsentiam eius minime desyderauerunt. Siquidem populus hic dominū labiis honorauit, proferentes veritatis testimonium, sed cor eorum longe erat à domino, ideò malitia excecauit eos. Et quare præsentiam non desyderabant? Certè scripturę doctrinā nouerunt, quia iustitia cingulum lumborum eius, & quia non secundū visioné oculorū iudicaturus esset, sed in iustitia, & æquitate. Esa. 11. Ideò impietatibus suis metuentes, iusti iudicis refugerunt ęquitatem, & magis terrenis, quàm cęlestibus delectati, terreno adhæserunt regi, & cęlestem contempserunt. Quod & euangelica testatur historia. Ne dum enim Herodem, sed & omnem cum eo Hierosolimam ad rumores regis nati turbatos fuisse refert. Et quia seipsos deiecerunt suis obcęcati sceleribus, & gratiam Dei, quam gaudio inenarrabili excipere debuerunt, ne terrena perderent, cum timore refutarunt, nihil in eis etiam mille præcedentia beneficia proficere potuerunt. Sicut Chrysost. ait. Si mille adhibeas medicinas, mille munimenta conferas, meliorem facere, & emendare non poteris, nisi ipse prius, quod inest, proferat, & proponat. Ideòque quia domino restiterunt, receperunt à domino repudii libellum, & terrenis quę perdere metuerunt priuati, simul cælestia perdideruut.

Christiani quoq; Herode turbātur

Sed reuera timendum ne multos isti perfidi hodie habeant imitatores, vtinam non pręcessores. Qui etiam nunc si spiritualiter percipiunt nasci Christum, turbantur cum Herode. Quid putatis, si hodie aliquis in iustitia iudicare veniret cunctosque reformare, An non seculi huius homines in potentia, honoribus, malè quæsitis, fędis voluptatibus gloriantes turbarentur? huiusmodi quoque extinguere [sicut Christum Herodes] molirentur? Si principium pompam, clericorum auaritiam, laicorum inobedientiam moderare moliretur, timeo ne omnes in eum coniurarent, dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Luc. 19. Sed caueamus charissimi, ne incidamus in idipsum incrudelitatis exemplum, & tantò

gra

grauius iudicemur, quantò clarius dominum cognoscentes, eius voluntati resistimus quoniam (teste veritate) seruus sciens voluntatem domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Luc. 12. Quis autem dubitat nos Deum, eiusque voluntatem clarius in nouo testamento cognouisse quàm in veteri testa. iudeis, longèq; plura recepisse beneficia sacramentorum. Vę itaque nobis si plus iudeis dominum offendimus. Timeamus, ne & nos tandem à domino repudiari contingat, & simul cum terrenis cęlestib⁹ priuemur. Nam omnia in figura contigerunt illis, scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt 1. Cor. 10. & Ro. 11 ad propositum ait, Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis. s. iudeis non percepit, nè fortè nec tibi parcat. Et sequitur. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem. In te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Nos itaq; aliorum iactura edocti, cum beatissimis Magis stellæ ducatum sequamur, linquentes peccata, ad dominum toto corde conuertamur, vt dicere possimus, venimus adorare eum. Et tantum de primo.

Magorũ charitas. Tangitur in secundo, sanctorum Magorum charitas imitanda, quam demonstrauerunt in operum exhibitione, non quorumcunque, sed in opere præcipuo charitatis, quod est adoratio. Adorabant nanque dominum summa adoratione, quę latria dicitur, quoniam inuentum puerum tanquàm summum bonum, & vniuersitatis dominũ reueriti sunt, omnia bona sua, animam corpus, res exteriores, ab ipso se recepisse sunt professi, quoniam de omnibus acceptis homagium pręstiterunt. Nam adorauerunt secundum animæ actum interiorem, prociderunt corpore, obtulerunt de temporali substantia aurum, thus & myrram, non modicum, sed sine dubio magnam quantitatem. Non enim frustra dixerat euangelista, Apertis thesauris suis, quasi magnum aliquid fuissent oblaturi.

Magi docent omnem statum, qd offerat. In quibus denique muneribus omnium statuum oblationem comprehendunt. Perfectorum siquidem est offerre aurum purissimę charitatis, quod in camino tribulationis consummi non potest, sed purgari. Siquidem charitas omnia suffert, omnia sustinet, nunquàm excidit 1. Cor. 13. Proficientium autem est offerre thus deuotæ orationis, ac suauẽ virtuosarum actionum odorem, sicut incensum in conspectu Dei dirigere. In quorũ persona ait Apostolus. Christi bonus odor sumus 2 Corinth 2. Incipientium autem est offerre myrrham pęnitentię, per corporis castigationẽ, & continuam pugnã contra vitia, quos idem repręsentat Apostolus 1. Corinthiorum 9. cum ait. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, necum aliis prædicauero, ipse reprobus fiam. Nos ergo patres nostros gentis nostræ primitias studeamus possetenus imitari. Etsi velut adhuc imbecilles, & à perfectione longè distantes, nondum valemus offerre aurum cum perfectis, nec thus cum proficientibus, saltem mirrham offerre cum incipiẽtibus non negligamus. Nulla nos seueritatis retrahat suspicio, quoniam in terram venit, ac apparuit nobis benignitas, & humanitas saluatoris, Ad Tit. 3. In eo vtique benignitas, in quo humanitas. Quid enim [ait Bern.] tantopere declarat eius misericordiam, quàm quod ipsam suscepit miseriam? Quantòque se minorem fecit in humanitate, tãto maiorem exhibuit in bonitate Ideòque venit paruulus, quia paruulos facilè donare quis nesciat? quatenus sic se facilem ad indulgentiam demonstret.

Christus velut saccus adeo misericors. Ecce enim ait Bern. quasi saccum plenum misericordia sua Deus pater misit in terram, saccum in passione conscindendum, vt effundatur, quod in eo latet precium nostrum. Sic enim in persona resurgentis ait propheta. Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lętitia. Saccum vtique etsi paruum, tamẽ plenum. Paruulus quippe datus est nobis,

bis,ſed in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Paruulus iſte paruo dono placatur, offeramus contritionis myrrham, paruum immo minimum donũ. Quid enim minus eſt,quã peccare noluiſſe,nec velle?nec tamen paruam miſericordiam conſequimur. In qua re & hoc conſyderemus, oportet, quoniam ſecundum Ber.ſer.1.de Epiphania. Sicut modo nemo eſt,qui reconciliari nõ poſſit,ita poſt paululum nemo, qui poſſit. Et ſicut benignitas apparuit vltra omnem ſpem, vltra omnem æſtimationem, ita ſimilem expectabimus iudicii diſtrictionem Nam vt omnes ſciremus,quanta diſtrictione veniret, tanta illa manſuetudo prçuenit. Ex magnitudine indulgentię, magnitudinem vltionis intelligamus.Immenſa eſt Dei miſericordia,ſed non minor iuſtitia.Multus ad ignoſcendum, multus ad vlciſcẽdum. Sed miſericordia priorem vendicat locum, vt ſi voluerimus, diſtrictio inuenire non poſſit, in quem ſęuiat. Propter hoc enim benignitatem præro gauit,vt pæna reconciliati ſeueritatem videamus ſecuri. Non ergo chariſſimi contemnamus pręſentem Dei miſericordiam, ſi futuram volumus iuſtitiam non ſentire. Hęc Bern. Si quoque ſtrenuè Dei miſericordiam per oblationẽ myrrhę quęſiuerimus,conualeſcere tandem poterimus,vt Magorum exemplo etiam thus deuotionis, & tandem domino offeramus aurum perfectionis. Quod nobis præſtare dignetur, qui hodie apparuit gentibus, Chriſtus Ieſus dominus noſter, cum patre, & ſpiritu ſancto in ſecula benedictus, Amen.

## *IN FESTO EPIPHANIAE. Sermo II. in ordine. XVII.*

Octauæ cur feſtis addãtur.

VIDIMVS ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Matt.2.

Præcipuis feſtiuitatibus ſancta mater eccleſia octauas addidit, vt magna Dei beneficia nedum commemoremus ſed velut munda animalia ruminantes, iterum,atq; iterum cordibus noſtris repetita arctius infigamus, quatenus diuini amoris ignis, qui beneficiorum memoria quaſi lampas oleo paſcitur in nobis,amplius nutriatur, atque dum gratiores inuenimur, ad alia recipienda diſpoſiti magis euadamus.Vnde Caſſiodorus ſuper illud pſal.Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, dicit.Iugiter ſibi ſubueniri facit,cui collatum beneficiũ ſẽper ante oculos exiſtit. Meliora etenim meretur accipere, qui collata ſibi beneficia probatur de corde non amittere. Ac demum vt ea, quę nobis imitanda ſunt ex diuinis actionibus diligentius inſpectis, tenacius conſyderemus, & imitemur. Nam vt Aug. ait ſuper Gen.ad litteram, quæ Chriſtus in opere geſſit, ſignificationis gratia fecit. Quomodo ergo non potiora,potioris ſignificationis gratia feciſſet?Quapropter eccleſię inſtituta ſequens non incongruum duxi,vt in hac dominica, quam currentis feſtiuitatis octaua intercludit, materiam feſti, quã pridie ſecundum hiſtoriam inſufficienter licet propoſui, nunc iuxta tropologiam ad morum noſtrorum informationem prout promiſeram detorquerẽ. Quod vtique conuenientius nunc quã in feſto principali locum ſibi vendicat. Nam ſecundum Bern. in ſer. de Epiph. Quamuis perutile eſt genus loquendi contra vitia, & ad virtutum commẽdationem, nõ tamen feſtiuitatibus,ſed diebus cęteris videtur opportunius cõuenire. Feſtiuis autem & maximè in præcipuis ſolemnitatibus magis circa ea, quę ſolemnitatis ſunt immorandũ videtur,vt pariter & erudiatur animus, & incitetur affectus. Cum ergo proximo in ſermone propriam noſtram vocationem, qua gentium primitię, quorum nos reliquiæ ſumus,ad ſidem ſtella duce ſunt vocati, deuotè audiuimus, quorum oculis carnalibus dominus noſter ſuam carnem,mentalibus verò deitatem oſtendere dignatus eſt.Non minus attentè nunc ex eorundem inquiſitione,inuentione,fideli adoratione audia

diamus, quid nobis figuraliter, & secundum mysticam intelligentiam agendum proponatur. Sic enim (ait Greg.) verba sacri eloquij sunt intelligenda, vt in veritate credantur facta, & tamẽ per significationem mysticam nobis aliquid insinuent moraliter faciendum.. Quod vt ordinate secundum historiæ seriem fiat, resumpsi verba thematis prioris sermonis quę sunt Vidimus stellam eius &c. De quibus &c. Aue. Vidimus stellam &c. Primo moralizanda est historia. Secundo ad idem flectenda est dominicę presentis euangelica doctrina.

Magi qđ significat aleg.

Cum homo microcosmus, i. minor mundus, nec non & omnis creatura solet appellari, vt Marc. vlti. Prædicate euangelium omni creaturæ secundum Greg. in hom. vel quia in ipsum creata cætera referantur, vel quia in ipso simile aliquid, quo cum qualibet creatura participat, inueniatur, non absonum erit, si in nobis, & stella & Magi, & cętera de quibus historia, requirantur. Magi ergo tres nõ incongruè tres principales potentiæ animę intelliguntur, quæ sunt memoria, intelligentia, & voluntas. Hi magi sunt & reges, quoniam in eis sedes est sapientię, & per eas cunctæ operationes humanæ reguntur, & diriguntur. Nisi enim memoria rerum species teneret, per quas intelligentia agenda dictando demonstraret. Voluntas quoque executionem imperaret, nõ vtique rationalis posset homo dici, sed magis bestialis, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Hæ gentiles sunt, & barbarę, quando Deum in notitia non habent, sed traditæ sunt in reprobum sensum, faciunt ea, quæ non conueniunt, repletę iniquitate, & malitia, quomodo de gẽtibus loquitur Apostolus ad Rom. 1. Cum itaque in diebus Herodis i. regnante in illis diabolo, cuius se seruos constituunt per peccatum nascitur Christus. Nascitur inquam in memoria, aut tenui cognitione. Stella eis radiat in oriente, hoc est in rationis superiori parte, quæ æternis rebus conspiciendis, vel consulendis adhęret, vt dicit Aug. 12. de tri. hoc est quæ respicit æterna, vel temporalia secundum regulas ęternas. In hac rationis parte oritur stella ista synderesis potest accipi, quam superiorem rationis scintillam appellat Hiero. super Ezec. Quæ licet nunquam penitus extinguitur, latet tamen sæpe, & occultatur, sed nato Xpo in cogitatione, ipsa fulget in oriẽte. Est enim synderesis nihil aliud, quàm habitus primi principij practici, vt vult Sco. di. 39. lib. 2. hoc est, est id quo inclinatur anima ad assentiendum principiis practicis, vel ẽ ipsamet potẽtia intellectiua ex se inclinata ad assẽtiendum principijs practicis, vt vult Land. dist. 39 lib. 2. & Ocka. Quia autẽ principia prima falsa esse non possunt, ideò synderesis super recta. Principium etiã secundum philosophum 1. Poste. ex terminis noscitur, ideò nunquam potest extingui, licet tunc occultetur, cum talia principia intellectu nõ cogitantur. Oritur in occidente, quando nos assentire facit principijs practicis ordinantibus nos ad finem sub fine, vt cum inclinat nos ad assentiendum illis, Iustũ est faciendum, omne bonum diligendũ, quia bonum, quia appetibile.. Faciendũ est alii, quod appetitur fieri sibi. Talis fulsit hæc stella in naturalibus philosophis, qui virtutes coluerunt, vitia detestati sunt, quia illa honesta, illa turpia. Opera enim, quę sic fiunt, & in hũc finem ordinantur, etsi sunt bona de genere, non tamen meritoria, eo quod nõ procedunt ex radice charitatis, nec ordinantur in finem vltimum. Sed in oriẽte oritur, quando inclinat nos ad assensum principiorum dirigentium nos in opus propter finem vltimum, vt sunt talia, Iustum est faciendum, quia à Deo pręceptum, vel regulæ diuinæ consonum, peccata vitanda, quia regulæ diuinæ dissona. Et omnia diuinæ regulæ consona sunt facienda, dissona fugiẽda. Hæc inquam principia ad rationis partem orientalem deputantur.

Stella est synderesis.

Mouet ergo hæc stella animã s. potentiam ad sequendum Deum, dum memoria recolit diuinas perfectiones, cogi-

Stella est synderesis. gitando, quàm bonus Deus, quàm misericors iustis, quàm iustus, & importabilis malis, & similia. Intellectus dictet huic optimo Deo fore adhærendum, & à sibi displicentibus abstinendum. Voluntas propositum bonum concipit, ac dictamini rationis se conformãs iã profitetur se errasse, & spondet suę vitę emendationem. Potest etiam Stella gratia Dei hæc stella nõ incongruè intelligi gratia Dei præueniẽs, qua Deus trahit peccatores, illuminãdo intellectũ ad erroris proprii cognitionẽ, & præparando voluntatẽ ad boni operis appetitionẽ. de quo multa loquitur magister dist. 26. lib. 2. Hanc vtique propheta à domino petiit, cum ait, Et misericordia tua pręueniet me, psal. 58. Concepto itaque bono emendationis proposito, quia generale est propositum, & ad generalia dirigit synderesis non ad particularia, opus est & alio ductore qui modum emendatioris vitę præstituat, ac bonam conceptam voluntatem ad particularia opera dirigat. Actus quidem sunt singularium primo Metaph. & vniuersalia non mouent in opus. Huius ductoris ducatum in Magis (vt dictum est) supplebat instinctus spiritusancti, quo ad nos lex, & scriptura secundum illud Luc. 6. Habent Moysen & prophetas, audiant illos.

Veruntamen nonnulli, qui iam exierunt à manifestis peccatorum illecebris, vitam arripuerunt ad Christum in proposito bono, Sed Christum quærunt in Hierusalem, quæ ciuitas erat regia, & seculi pompis plena, qui scilicet in mundana conuersatione, & honoribus dominum inueniri posse putant qui, & carnalibus amicis, fautoribus complacere putant, simul & domino famulari. Claudicant siquidem in ambas partes, nunc mundo, nunc domino seruientes. Contra quos per Heliam dicitur tertio, Reg. decimotertio Vsque quo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini eum, Si autem Baal, sequimini eum. Baal vetustas, vel deuorans interpretatur, quæ rectè mundo conuenit peccatorum vetustate implexo, suorumque seruitorum, nedum animas, sed & corpora deuoranti. Quippe mundo obsequentes, plura corporis incommoda sufferunt, quàm hi, qui domino in tranquillitate viuunt. Et nemo potest duobus dominis seruire, ait veritas Matth. 6. Duobus dominis vtique contrariis. Quantum verò mundus ille domino contrariatur ipse expressit Ioan. 6. Me inquit odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.

In Hierusalem fuere Herodes, sacerdotum principes, & scribæ populi. Dominum itaque quærunt apud Herodem, qui in initio suæ conuersionis sub specie zeli animarum, ac legis diuinę, prælationis statum quærunt, in quo tanquam aliorum rectores in aliis vitia arguant, iustitiam administrent, & quęq; deformia reformẽt. Herodes quid significet. Herodes quippe in pellibus glorians interpretatur. Pelles mortuorum animalium ab extrinseco corpori velut indumentum adiacent. In his gloriantur, quicunque se neglectis in proximorum emẽdatione quasi ab eo inducti se extollunt. Hic appetitus, & si foris speciem boni habet quasi zelantis animarum lucra, sed reuera ex radice latentis superbię procedit, quæ aliorum defectus, non autem suos videre permittit, quos si claro oculo intuerentur, in seipsis cognoscerent, quæ emendanda essent, in se inuenirent vbi secundum ordinatam charitatem foret reformatio inchoanda. Hinc cum dominus seniorum populi in terra scribendo oculos aperiret, mulierem, quam prius de adulterio accusabant, propriorum criminum confusi intuitu, non damnabant, vt habetur Ioan. 8. Hinc Apostolus ait primo Timoth. 3. Si quis domui suæ præesse non scit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non enim prælatio in ecclesia Dei à quoquàm appetenda est, licet dum iniungitur sit suscipienda. De quo August. 19. de ciui. Dei capitul. 19. Locus superior sine quo populus regi non potest, etsi ita

teneatur, atque admin istretur, vt decet, indecenter tamen appetitur, quamobrem etiam sanctum quærit charitas, negotium iustū suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nemo imponat, percipiendæ, atque intuendę vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Hæc ille. Nequaquam ergo cum Herode in pellibus aliorum animalium. i. in aliena probitate nobis est gloriandum, sed gloria nostra sit testimonium conscientię nostræ. 2. Cor. 1.

Auaritia sacerdotum notatur.

Alii Christum quærunt apud sacerdotum principes. Isti sacerdotes auaritię exemplum prætulerunt, quę tanta in eis fuit, q̃d etiā sacerdotium ipsum pecunia comparabant. Vnde 3. Reg. 13 Quicunque volebat implebat manus suas & fiebat sacerdos. Apud sacerdotes Christum quęrunt, quicunque propter largas eleemosynas faciendas diuitias illicitè congregant, vt non nulli in clero plura beneficia pręter necessitatem vitæ & status tenent, vt hospitalem tenere, noua beneficia fundare, diuinum cultum valeant augmentare. Sic laici nimis & indebitis lucris, pauperum exactionibus, multiplicibus fraudibus diuitias aggregant, de quibus postea pascere pauperes Christi quærant. Ecce Christum quærunt in pauperum specie, sed non eo modo, quo deberent. Laudabile planè propositum, sed iniustum est executionis negotium. Quid enim maius est, de superfluis dare eleemosynam, an carere superfluis propter Deum? Nec in munerum quantitate, sed charitatis, & affectūs magnitudine complaceat sibi Deus. Ideò viduam duo minuta in gazophilatium mittentem dominus ipse prætulit cunctis, etiam magna dona offerentibus, pro eo, quod ista de penuria sua, isti de his, quę eis abundarunt intulere, vt habetur Marci 12. Luc. 21. & Eccle. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Hinc dominus ne sub colore eleemosynarum auidi essem* *ad diuitiarum aggregationem, non integros iubet dare panes. Sed frange inquit esurienti panem tuum. Esa. 58. Et præbenti calicem aquæ frigidæ sitienti mercedem repromittit. Matth. 10. Hinc Tobias filium erudiens ait, Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, & si exiguum tibi fuerit, etiam exiguū libenter impertire. eiusdem. 3.

Apud scribas populi nonnulli Christum quærunt, qui propter legis diuinæ cognitionem perfectiorem (vt aiūt) curiosa quęque perquirunt, vtiliora verò ac sese concernentia prætereunt. Sicut & ipsi scribę legem tenentes nescierunt dominum. Ideò contra eos ait dominus Esa. 56. Speculatores eius ceci omnes, nescierunt vniuersi, videntes vana, amantes somnia. Vehementer laborant ad studendum ea vnde intellectus illuminetur, modicum vnde inflammetur affectus, quasi in die domini quærendum sit à nobis, quantum fuerit intellectus acutus, & eruditus, & non magis qualis fuerit affectus noster ad dominum deum nostrum, quàm scilicet simplex, quàm humilis, quàm fidelis in Dei seruitio fuerit, secundum vocationem, qua vocati fuerunt. Tales sunt, qui adhuc in scriptura nouitij, nondum prima fundamenta intelligentes statim ad quæcunque difficilia, & obscura legenda, temerario quodam ausu rapiuntur, quosque vt Hugo. ait lib. 5. didas. audire verba Dei, & discere delectat, nō quia salutifera, sed quia mirabilia sunt. Scrutari arcana, & inaudita volunt, multa scire, nihil facere. Hos ergo ait ille, quid aliud agere dicam, quàm pręconia diuina in fabulas commutare, quoniam auditum pascere conantur, non animum, quibus lectio scripturarum, quæ ad ędificationem esse deberet, vertitur in errorem? Hi sapientissimum Paulum attendant, qui etiam ipso teste ad Gala. 1. ante suam conuersionem in lege profecit supra multos coętaneos suos, de se 1. Corinth. 2. dicentem. Non enim ait, iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum

Repręhensio in vanos scripturę lectores.

tum. Ecce philoſophiam noſtram, cui non tam cognitione, quàm amore inhærere debemus. Diſcipulum quoque ſuum Thimotheum à vanis, & ſine diſciplina quæſtionibus multipliciter cohibet, & omnes hortatur Roma. 12. dicens. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Qui enim ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria, ait Salomon Prouerb. 26. cap. Quærunt nihilominus Chriſtum apud Herodem, principes ſacerdotum, & ſcribas. Qui cum vitam emendare volentes, de ſua conuerſione tractant apud ſapientes, & reputatos mundo, ſpernentes ſimplices, pauperes & deuotos. Contra quos dicitur Eccle. trigeſimoſeptimo. Cum viro religioſo tracta de ſanctitate. Et ſequitur. Anima viri ſancti annunciat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Nec tamen ſpernendum eſt conſilium, etiam eorum, qui malę ſunt vitæ, dum non ex ſuis, ſed ex ſcriptura loquuntur, quoniam talia non quaſi ſua, ſed quaſi Dei conſilia ſcripturam inſpirantis ſunt imitanda, vt fecere Magi, qui relicto Herode, & iudeis ſecuti ſcripturæ conſiliũ ab eis receptum, ſtellam meruerunt habere ducem. Ita & nobis ſtella, quæ per vitia virtutum fuco contecta occultabatur, dum ratio ipſa in errorem deijcitur, iudicans expedire, quod nocet rurſus apparet, quando Chriſtum ſecundum ſcripturę teſtimonium quærimus in Bethleem Iudæ. Bethleem domus panis interpretatur. Iuda confeſſio ſonat. Panis eſt verbum Dei dicente domino Matth. 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Panis ille confirmat cor hominis, quo ſe confirmare orabat propheta. Confirma me in verbis tuis. Simus nos Bethleem, habeamus in nobis hunc verbi Dei panem. Audiamus illud deuotè, cuſtodiamus diligenter, & beatificabimur. Naſcetur quoque in nobis verbum patris, quod eſt Chriſtus dominus, qui eſt panis vitæ. Ioan. 6. Bethleem qui

*Reprehenſio vanos ſcripturę lectorũ.*

*Chriſtũ q̃ſi quærimus ſecundũ teſtamẽtũ ſcripturæ.*

dem ait Micheas propheta, paruula es in millibus, neceſſe eſt ſimus paruuli, ſimus humiles, quia ſuperbis reſiſtit paruulus noſter, humilibus dat gratiam. 1. Pet. 5. Nouiter hæc illa ſingularis virgo, quę & mentem, & corpus caſtiſſimum illi in ſua humilitate præparauit habitaculum, dominumque ipſum, quem fide concepit etiam corporaliter parturiuit. Hinc ipſa teſtimonium perhibet. Reſpexit inquit, humilitatem ancillæ ſuæ. Simus & Iuda confitentes noſtra peccata coram domino, quia omnia in confeſſione lauantur. Nonne hoc ipſum eſt, quod dominus docens nos petere à patre panem noſtrum quotidianum, ſtatim adiunxit, Dimitte nobis debita noſtra. Sicut ergo ſi paruuli fuerimus, verbum dei cuſtodierimus, & peccata noſtra lauerimus in confeſſione, iam ſumus Bethleem Iudæ, in qua naſcitur, & habitat dominus. Non ergo vt Moyſes ait Deut. trigeſimo, Supra nos eſt verbum hoc. Verbum vtique caro factum non procul à nobis, nec in cęlo ſitum, vt poſſis dicere, Quis noſtrum poteſt, in cęlum aſcendere, vt deferat illud. Nec trãs mare vt transfretare non poſſis, ſed iuxta te eſt, in ore tuo, in corde tuo. Domum ergo intremus animę noſtræ per diligentem vitę noſtræ diſcuſſionem, & ſtatus proprij examen, quod ſibi incumbit, negligere contingat, & inueniemus eum in nobis habitantem. Ipſe enim eſt ſapientia patris, quę dicit, Delitię meæ eſſe cum filiis hominum. Prouerb. octauo Neſcitis inquit, Apoſtolus, quia templum dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis 1. ad Corinth. 3. Et iterum. Vos eſtis templum Dei viui, dicit dominus, quoniam habitabo in vobis. ſecundo. Corinth. ſexto. Et primo cap. duodecimo. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis? & Heb. tertio, Chriſtus tanquàm filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam habemus, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Inuenimus ergo eum in no-

bis per amorosam cognitionem nos saluantem, & peccata nostra remittentem. Charitas enim operit multitudinem peccatorum, cum Maria, idest gratiarum plenitudine, tantam vtique gratiæ confert plenitudinem, quantum se homo reddit capacem, ipso dicente per prophetam psal. 80. Dilata os tuum & ego implebo illud. Ecce apparuit, quomodo quæritur, & quomodo inuenitur in Bethleem Iuda.

Inuento igitur domino procidamus per veram obedientiam, iugo suo nos penitus submittendo, dicentes ex animo illud psal. Veruntamen Deo subiecta esto anima. Adoremus per firmam fidem, recognoscentes quia ipse est dominus Deus noster, creator, & redemptor noster, nos autem populus eius in sua fide viuentes, vt dicitur Rom. 1. Iustus ex fide viuit.

Dona q̃ offeram⁹ cũ Magis

Offerant quoq; reges nostri munera. Voluntas aurum purissimi amoris, qui per nullius tribulationis caminum consumatur. Charitas omnia suffert, omnia sustinet, nunquam excidet. 1. Cor. decimotertio. Talem vtique amorem vt omnia diuino amori postponat, & nihil præter Deũ diligat, quod si non propter Deum amet, vel ad minus, quod salutis exposcit necessitas, vt nil contra Deum amet, paratus omnibus renunciare, quæ diuinis obuiant mandatis. Offerat intelligentia thus deuotę orationis. Multum quippe valet oratio iusti assidua. Iusti inquam, qui diuinis obtemperet mandatis. Qui autem declinat aurem suam, ne audiat legem (ait Salomon Prouerb. vigesimooctauo) oratio eius erit execrabilis. Offerat denique memoria commissorum delictorum myrrham contritionis, & corporis castigationis, quæ licet sit amara, tamen hominem qui peccato mortuus fuerat, conseruat, vt ait Bern. ne defluat & iterum in vitium putrefiat. Offerat quoque myrrham internę compassionis, secundum illud Cant. 1. Fasciculus myrrhę dilectus meus commorans inter vbera mea, quatenus mereatur in somno, hoc est quiete, & pace conscientiæ iam non reprehendentis de peccato suscipere angelicam custodiam, ne redeat ad Herodem per recidiuam, sed per aliam viam, humilis scilicet conuersationis contra superbiam continentiæ, contra luxuriam, sobrietatis, contra intemperantiam, charitatis contra inuidiam, mansuetudinis, contra iram, exultationis, contra accidiam liberalitatis, contra auaritiam, reuerti valeat ad patriam beatitudinis sempiternæ. Quam nobis concedat Iesus Christus cum patre, & spiritusancto in secula benedictus, Amen.

## IN FESTO EPIPHANIAE Sermo. III. in ordine. XVIII.

OBTVLERVNT ei munera, aurum, thus, & myrrhm Matthæus 2. Tropologicè quid offeram⁹

Celebrato p maximè ea qua valuimus deuotione die lætissimo quo nobis peccatorum mole damnabiliter oppressis, natus est saluator qui est Christus dominus in ciuitate Dauid (absconditus quidem in paupertatis, humilitatisque habitu, à paucis in die ille est agnitus) non disparibus gaudiis, & hunc diem clarissimum agamus, quo ad cognoscendum, adorandumque Dei filium, tres Magos præuia stella perduxit, atque per hoc omni nationi eundem venisse saluatorem declarauit. Præcesserant quidem (ait Leo in sermone, qui incipit, Hodiernam festiuitatem) multa documenta, quæ corporalem domini natiuitatem indiciis declararent, siue cum beata virgo Maria fęcundandam se spiritu, pariturамque Dei filium audiuit, & credidit, siue cum salutatione ipsius in vtero Helisabet, non dum natus Ioannes prophetica exultatione commotus est quasi inter matris viscera clamaret, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, vel cum ortum domini Angelo annunciante pastores cælestis exercitus sunt claritate circundati, vt non ambigerent de pote-

testate pueri, quem erant in præsepe vi suri, nec putarent q in sola natura hominis esset editus, cui supernæ militiæ famularetur occursus. Sed hæc atque alia huiusmodi paucis tunc videntur innotuisse personis, quæ vel ad cognationem Mariæ Virginis, vel ad Ioseph sancti familiam pertinebant. Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos, & efficaciter mouit, & ad dominum Iesum perseueranter attraxit, illius sine dubio sacramenti gratiæ, & illius fuit vocationis exordium, qua non in iudæa tantum, sed etiam in toto mundo Christi erat prædicandum euangelium, vt per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit, israelitarum verò oculis non refulsit, & illuminatio significata sit gentium & cecitas iudeorum. Hæc ille. Quantam verò gratiarum actionem debeamus pro illuminatione gentium, probat iudeorum excecatio, qui quoniam fuere ingrati, suis demeritis sunt excecati, propter incrudelitatem (inquit apostolus) fracti sunt. Rom. 11. Et sequitur. Noli altum sapere, sed time vide bonitatem Dei in te, seueritatem in eos, qui ceciderunt, alioquin & tu excideris. Honoremus ergo sacratissimam diem, in quo salutis auctor apparuit, adoremus quoq; omnipotentem in cœlis, quem Magi infantem venerati sunt in cunabilis. Offeramus dona mystica per deuotionem cordis in terram, sicut illi obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. De quo pro gratia Aue Maria.

Apparitio Christi multiplex.

Quamuis in hodiernæ dominicæ declarationis die multipliciter dominus legitur manifestatus, eadem quidē die, sed tempore non eodem. Nam tredecimo natiuitatis suæ die (vt vult glo.) magis stella duce in Bethleem Iudæ ciuitate Dauid ostensus est. Eadem deniquedie euolutis 30. annis vt vult Bernar. baptizatus à Ioanne in Iordanis fluuio, voce patris. Hic est filius me⁹ dilectus, in quo mihi bene complacui, & spiritussancti descensione in corporali specie columbæ, celebri testificatione manifestatus est. Ipsa denique die, vno anno reuoluto, ad nuptias vocatus miraculorum suorum primitijs, mutatione, scilicet aquæ in vinum, potentia diuinitatis suæ, discipulis suis omnipotens innotuit, vnde & crediderunt in eum. Ioan 2.

Quia tamen adhuc sanctum, ac virginale matri commemoramus puerperium, ac dulcis est nobis saluatoris nostri infantia, eam quæ magis facta est in infantia apparitionem, principalius colit, ac solemnizat ecclesia. In octaua verò die de secunda, & sequenti dominica de tertia festum facit. Quod cantica eorundem dierum declarant. Et rectè primam domini apparitionem celeberrima festiuitate honoramus nos, qui de gentilitatis errore, sola Dei misericordia conuersi sumus, quoniam vt dicit Leo Papa. Agnoscimus in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ, fideiq; primitias, exultantibusque animis beatæ spei initia celebramus. Exinde enim in æternam hæreditatem cępimus introire, exinde nobis loquentium Christum scripturarum arcana patuerunt. Et veritas, quam iudæorum occecatio non recepit, omnibus nationibus suum lumen inuexit. Hæc ille Hanc ergo nostram vocationem in ipsis magis initiatam secundum quod euangelica prodit historia attentè audiamus, vt denique quid nobis misericordiam à domino consecutis agendum sit clarius cognoscamus. Euangelium itaque ita dicit. Cum natus &cet.

Tropologicè quid offeramus.

Dimissa expositione litterali (quoniam plana est) diligenter consyderemus quid ad tantorum patrum nostrorum imitationem agendum nobis proponatur, ne & nos ingrati in idipsum incidamus iudaicæ incredulitatis exēplum. Sicut ad Hebro. 4. hortatur. Si (inquit Roman. 6.) naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec & tibi parcat. Et quidem dignum per omnem modū est nos in hac die nostræ dispensationis, vocationis, & spiritualis nostra natiuitatis oblationes do-

Votorũ diuersitas, & quod votũ sit optimũ.

mino offeramus, ſicut & patres noſtros hodie feciſſe legimus. Qualia? quærit Aug. ſer. de Natiuitate qui incipit, Rogo vos, fratres. Sunt inquit multi, qui vouent, alius palmam, alius oleum, alius ſancta ad luminaria noctis, alius vt vinum per vnum annum non bibat, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnem non comedat. Non eſt illud votum optimum, & perfectum, adhuc melius volo. Non elegit dominus, nec propitiatur ſpecie tua, nec oleo tuo, nec ieiunio tuo, ſed hoc quod in te redemit, hoc ipſum offer, hoc eſt animam tuam. Et quomodo animam offeramus, oſtendit, cum ſubdit, Cogitationibus ſãctis, moribus caſtis, operibus fructuoſis. Auertendo à malo, conuertendo ad bonum, damnando vitium amando Deum. Cui concordat illud Eccle. 35. Sacrificium ſalutare, attendere mandatis, & diſcedere ab iniquitate. Et Mich. 6. Quid dignum offeram domino? Sequitur. Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Hæc quidem facimus, ſi myſticè aurũ, thus, & myrrham cum Magis offeramus. Cum enim Magos hæc obtuliſſe legimus nos de theſauris noſtris (ait Ambro. ſuper Luc. talia munera profeſſamus habemus enim theſaurum illũ in vaſis fictilibus. Quid ergo aurum, quid thus, quid myrrha ſignificet audiamus. Et quidem ad literam hęc fidem inſtruunt, quoniam his muneribus domino oblatis, eadem in perſona, incommutabilem deitatẽ, poteſtatem regiam, ac paſſibilem, & veram humanitatem Magi profeſſi ſunt. In quo hæreſes Arrij Manichei, Neſtorii, & Euthicetis, cæterorumque circa Chriſti diuinitatem, vel humanitatem errantium confunduntur, prout latè proſequitur Fulgentius in ſermone de Epiphania, qui incipit, Noſtis fratres chariſſimi. Thus enim ad ſacrificiũm, aurum ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorũ. Omnia hęc (ait idem, ſancta fides noſtra veraciter offerre non deſinit, dum vnum, eundemque verum Deum, verũ regem, verũ hominem pro nobis verè mortuũ credit.

Ad tropologiam tamen nos conuertentes videamus, ſi in vaſis noſtris hęc munera inuenire poſſimus, vt & nos domino offeramus. Habemus autem tria vaſa, ſiue tres ſacculos in anima noſtra, in quibus cuncti theſauri noſtri ſunt recluſi. Hi ſunt intelligentia, voluntas, virtus executiua. His enim tribus potentiis cunctæ virtutes intellectuales, & morales, ſed & eorum actus cauſaliter reſeruantur. In his denique aurum, thus, & myrrha myſtice recluduntur. Quid enim aurum moraliter rectius, quàm ſapientiam (vt Grego. homil. 10. teſtatur) ſignificat? De qua Salomon ait. Theſaurus deſyderabilis requieſcit in corde ſapientis. Et iterum. Si diuitię appetuntur, quid ſapientia locupletius? Sap. 8. Quippe aurum ſplendet, & durabile magis eſt & cæteris metallis precioſius. Et de ſapientia ſcribitur, quia clara eſt, & nunquàm marceſcit, Sap. 6. Pręcioſior denique eſt cunctis operibus, & omnia, quę deſyderantur, huic non valent comparari. Prouerb. 3. Theſaurus autem ille in promptuario intelligentię collocatur. Thus vero quod in ſacrificio incenditur, frequenter orationis deuotionem repræſentat ſicut ait propheta regius. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Et Ioannes in Apocal. incenſa [Angelo thuribulum aureum in manu habente] data, docet eſſe orationem ſanctorum Eiuſdem 8. Eſt autem oratio ſecundum Damaſcenum, affectus mentis in Deum, per amoroſam, ſcilicet affectionem. Affectio autem quę principale in oratione eſt, ad alteram thecam, voluntatem, ſcilicet pertinet, & in ea theſaurus numeratur. Myrrha verò quia amaritudinem habet, exteriorum laborem operum quibus pœna annexa eſt, & fatigatio. Vnde in perſona fidelium laboratorum dicit ſponſa in canticis. Manus meæ diſtilla-

Vaſa quibus dona offerimus quę ſint.

runt

runt myrrham primam. Cant.5.Pertinet itaque myrrha ad thesauros executiuç potentiæ.

Vasa quibus donà offerimus quæ sint.

Offeramus ergo domino aurum de sacculo intellectiuæ. Quomodo? Certè non ęqua omnium est oblatio. Offert incipiens. Offert aurum & proficiens. Offert abundantius iam perfectus. Incipientes domino aurum offerunt, qui doctrinas fidei, & morum diligenter quærunt, reuerenter suscipiunt, & tenaciter custodiunt. Diuinas reuelationes, & scripturę sacra dogmata, & quæcunque ecclesia credenda tradit, suæ prudentiæ anteponunt, simplici, & pia fide credentes, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei 2. Corinth. 10. voluentes super mente illud Eccle. 16. Ne sis incredulus verbo Dei, cuius non dubitat esse quicquid ecclesia, cuius ipse sponsus est, credendum tradidit. Qui verò credere renuit, nisi quæ suo intellectu videt, nihil domino offert, sed aurum sibi reseruat. Quorum denique sollicita est cura inuestigare, & intelligere, sine quorum cognitione peccata vitari non possunt. qualia sunt præcepta decalogi, & cætera ecclesiæ statuta, quantum statum suum concernunt. Dico sollicita, quia tanta ad minus quantam apponunt pro corporalis vitæ sustentationem procuranda, immo maiorem quo vita spiritualis, quę sine horum cognitione seruari non potest, maior est corporali, memores illius sapientis, Quę præcepit tibi Deus, cogita semper. Quorum demum consilia semper in domino permanent, secundum consilium Tobię Tob.4. Ita vt in omnibus agendis Deū respiciant, minus offerre non potest, quisquis Dei mandata custodire satagit. Et ideò hæc oblatio auri omnium iustorum est, nec absque illa spes est alicui fideli.

Oblatio proficiētiū quæ sit.

Proficientes verò in via domini, ac virtutum acquisitioni insudantes, aurum intelligentiæ copiosius offerunt, dum nedum necessaria salutis scire laborant, sed omnem cogitatum, omne considerationis studium à vanis, & inutilibus compescere conantur, quibus omne studium, & omnis doctrina de curiositate suspecta est, quæ non ordinatur actu, vel habitu mediate, vel immediatè ab bene, moraliter, gratuiteque viuendum. Scientes, quia vt dicit Gerson in de studio religios. In illa die extremi examinis non interrogabitur, quantum acutus fuerit intellectus, & eruditus, sed qualis fuerit affectus noster ad dominum Deum nostrum hoc est, quàm simplex, humilis, deuotus, spontaneus & fidelis in Dei seruitio, secundum eam vocationem, qua vocatus fuerit. Hi rumores fugiunt, nouitatibus aures includunt, de curiosis non conferunt, sed solam eam intellectus eruditionem quærunt, quibus affectus valeat inflammari. Ita etiam non modo illa, quæ necessario pro sua, & suorum, ac pauperum sustentatione mente tractare coguntur, sed quod magis congruit saluti, & diuino honori pertractant. Agunt siquidem more apum, quę flores singulos contingunt, & quicquid dulce & generando melli accommodum gestauerint, sine floris lęsione in alueolum comportant. Non difformiter ipsi oculo intellectualis consyderationis floridas amicorum Dei conuersationes peruolutant, sanctorum virtutes perlustrant, gratiam vniuscuiusque explorant, & quicquid dulce, sanctum, & suaue inuenerint, in alueolum memoriæ recondunt. Siquidem ab alio humilitatis, ab alio patientię &c. flores decerpunt, atque non solum hoc cognoscere, sed per imitationem in mores transfundere, eisque domum mentis contendunt ornare. In horum persona ait sponsa in canticis cap. 3. Surgam, & circumibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Quæ verba pulcherrimè ad propositum exponit Richar. cap. 2. super cantica.

Apis flores non minuit.

Perfecti verò abundantissimè aurum suum offerunt, quia totum quod habent impendunt, quatenus mereantur à Deo contemplationis gratia illustra-

Oblatio perfectorum.

ri. Nil sibi seruant, nil suæ industriæ attribuunt, secundum Apostoli consilium, Stulti fiunt seculo, vt sint sapientes Deo 1. Cor. 3. Scientes quia stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. 1. Corinth. 1. Quid enim ait Grego. 27. mora in fine. Quid in hoc mundo stultius, quàm amissa non quęrere, possessa sapienter relaxare, nullam pro acceptis iniuriis iniuriam reddere immo accepta vna ad aliam per patiētiam se pparare? Hǽc sibiipsis maximā inferre putant iniuriam, si ad quodcunque transitorium suas cogitationes cū deliberatione reflecterent, & se ab ęternorum meditatione impedirent. ideòque nihil terrenum, nihil forense, sed solum ea, quæ Dei sunt mente pertractant. Nouerunt enim, quia nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habet, & alterum diligit &c. Matth 6. Et 2. Timo 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Propheta quoque ait. Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Quia si aliquid præter propositum per corporales sensus ingeritur, quamuis terrenum, quàmuis carnale, atque aliis in lasciuiam cedat, totum eis vertitur in syncerissimas meditationes. Nouerunt enim in omnibus creaturis, quia in omnibus est vestigium Dei, Deum speculari. De quibus verissimum est verbum Apostoli, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Roma. 8. Hi quia mortui sunt, & vita eorum abscondita est cum Christo. Colossen. 3. Nihil se scire iudicant, nisi Christum, & hunc crucifixum. Hæc eorum omnis philosophia. Ideòque omnem intelligentię thesaurum offerunt Deo.

Thus quo Xpo offertur. Videamus modo quomodo de thesauro appetitiuę potentiæ thus offeramus, & dictum est supra, quia per thus mentis ascensus, siue affectus in Deum significatur, qui & principalius est in oratione, & frequenter per thus significatur. Thus ergo offerunt, quicunque ad Deum bene. i. amorosè afficiuntur. Non quidem illa affectione, quæ dulce quoddam sentimentum est, & suaue, consequens bonas meditationes vel cogitationes de Deo, quæ excitat quandoque deuotionem. i. promptitudinē volūtatis applicādi se totaliter & delectabiliter ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, & honorem, sed secundum sanctum Thomam secunda secundæ quęst. 72. quandoque etiam sequitur, vel comitatur. Quam quidem dulcedinem, vel deuotionem multi qui spirituales esse volunt indoctè credunt fore gratiam gratum facientem. Hanc dum sentiunt, se securos putant, dum carent vehementer tristantur putantes se à Deo derelictos, ideò in omnibus suis exercitiis hoc quærunt vt dulciter affici possint. Quia si datur iam se putant comprehendisse, & in hac concessa quietantur, & ea quoad possunt, fruuntur. Errant hi periculosè. Nam de hac affectione ita loquitur Rich. sermone 6. super cantica. Dulcis in Deum affectus interdum minus diligentem, & minus perfectum plus afficit. Non enim tantum quis diligit, quantum hunc sentit. Nam quodammodo ille carnalis, & fallax, & humanitatis interdum plus quam gratiæ, cordis quàm spiritus, sensualitatis quàm rationis, ita vt magis ascendatur aliquando ad minus bonum, & minus ad maius, & ad id, quod amplius sapit, quàm quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, & carnaliter Deum diligebant, cuius præsentia carere nolebant. Vnde etiam non diligere arguebantur, quia quod delectaret magis quàm quod expediret amplectebantur.

Sic interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligat, sed quod dulcedinem gratiæ degustat, quę quantum durat, tantum iuuat, quandiu enim durat dulcedo, tamdiu durat dilectio. Et sequitur. Interdum hanc magis sentit leuis corde, & inops gratiæ, exiguè enim lętificat pauperem. Subdit. Sufficit etiā aliquotiens affectus ille dulcis à malo spiritu, cuius causa ibidem consequenter subinfertur, vide ibi. Hęc ideò dixi,

ne qui hanc sibi sentiunt, nimis creduli sint, aut in eam confidant, sed ad verã Dei, & liberam dilectionem eliciendã fortius conentur. Quoq; qui hæc nõ sentiunt, nihil turbentur, dummodo tamẽ, qđ in se est, agere non pretermittant. Non enĩ dulcedinẽ illam dñs acceptat tanquã aliquid remuneratione dignũ, q̃a ex nobis nõ est, nec in nr̃a ptãte est.

Dei dilectio, quã liberè elicimus.

Sed est alia dilectio Dei, quam liberè elicimus, p̃supposita cognitione Dei per fidem secundum dictamen rõnis rectę, fidei lumine illustratę, qua Deo bene pp seipsum volumus, atq; in eius pfectione gaudemus, & nos suæ voluntati conformare cupimus. Et hic amor dispositio proxima est ad gratiã gratũfacientem, & ea inexistente, ac cooperante meritoria est vitę æternæ. Et de hac dicit vbi supra Rich. qđ hęc amore tantum diligit, quantum quilibet in virtute fundatus fuerit, ac in seruandis mandatis fidelis habeat. Hic ergo amor thus est illud bene redolens in conspectu domini. Sicut de sic amantibus Apost. ait. Bonus odor Christi sumus Deo 2. Co. 1 Hoc thus offertur in triplici differẽtia. Offerunt enim incipientes dum Deum propter seipsum plus omnibus diligũt, nec quodcunq; dilectum etiã si magis carnaliter afficeret ęqualiter Deo appciantur, quinimo parati sunt magis omnẽ dilectionẽ postponere, quam diuinũ deserere amorẽ, nullum maius damnũ imminere posse credẽtes, quàm hac dilectione, & per consequens grã priuari. Tales nihil diligunt contrarium, aut incompatibile dilectioni diuinæ. Sed tamen multa impertinentia delectabiliter amplectũtur. Diligũt Deũ pp seipsum; Nihil diligũt cõtra deum, sed quędã diligũt nõ pp Deũ. Cauẽt prohibita, concessa vtuntur licẽtia, vtũtur mũdo, & carne, sed citra transgressionẽ mãdatorum Dei. Et vt Apost. 1. Cor. 7. ait Gaudent de transitorijs, sed quasi non gaudentes gaudent. Emunt, sed quasi non possidẽtes &c. Quia secundũ Gre. hom. 36. sic tenent, quę mundi sunt, vt tamen non per ea teneantur in mundo: terrenas res possidẽt, non possidentur, habent res temporales in vsu, sed ęternas in desyderio, temporales in itinere, sed æternas in peruentione. Gaudẽt itaq; sed tanquã non gaudentes, q̃a sic de tẽporalibus bonis hilarescunt, vt tñ semper ppetuo tormẽta cõsyderẽt, & in hoc, q̃ mentẽ gaudio subleuant, hãc cõtinuo põdere prouidi sermonis premãt. Emũt, sed quasi nõ possidentes, dum ad vsum terrena præparant, & tamẽ cauta cogitatione pręuident, q̃ hæc citius relinquunt. Mundo quoque vtuntur, sed quasi non vtantur, quia ad vitę suæ ministerium cuncta exterius necessaria redigunt, & tamen hæc eadem suæ menti dominari non sinunt, vt subiecta foris seruiant, & tamen nunquam intentionẽ ad alta tẽdẽtes frãgãt, nõ dicit, retardãt, sed frãgant. His terrena oĩa nõ ad desyderiũ, sed ad vsum adsunt, quia rebus quibuscunq; necessarijs vtuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De rebus quoq; habitis continuè mercedes quęrunt, & plus gaudent de bono opere, quam de bona possessione. Hęc ille. Hoc ergo modo de thesauro voluntatis thus offerunt incipientes, nec minus offerre poterit, quicunque in statu salutis esse cupit. Nimirum plus sibi de creaturarũ amore indulgere nemo potest sine mandatorũ transgressione, sine quorũ obseruãtia in via itur pditionis.

Thus offertur. a proficientib⁹

Abundantius aũt offerunt hoc dilectionis thus proficientes, qui non solũ omnibus diuinũ amorẽ præferunt, sed etiã ad actus dilectionis eliciendos frequentius se exercẽt, quibus iam omniũ eorum amor incipit vilescere, quibus retardantur à profectu, memori mente cõmẽdantes illud Aug. li. 10 confes. Minus te amat, q̃ tecũ aliqđ amat, qđ non pp te amat. Idcirco à carnalibus voluptatibus permissis, & mũdi implicationibus quantũ valent, se expediunt, virtutum exercitiis, quibus ad fortius amandum conualescant intendunt, lęti ad seruiendum Deo, tristes ad negocia mundi, quos huic mundo plus cogit necessitas, vel proximi vtilitas, quam voluptas. Quorũ corda, quia incipiũt diuina charitate dilatari, incipiunt & iſã

ipsi in via mandatorum, nedum ire, sed currere idest cum desyderio proficisci. Sicut propheta ait. Viam mandatorũ tuorum cucurri, cum di. cor meum. Hi secundum Grego. homil. 15. super Ezech. quibusdam necessitatibus obligati huius mundi curis inseruiunt, & vnde iam ex magna parte excusserunt animum, ibi adhuc tenentur inuiti. Cũ que superimposita terrenæ occupationis portant onera, minus in præceptis cœlestibus exercentur. Anhelare medullitus ad æterna gaudia non vacant, ipsa in eis sua desyderia aliquando languescunt; quia animo curis temporalibus præpedito, vera gaudia, quæ agnouit amare tantum non licet, quantum libet. In eo abundantius prioribus thus offerunt, quia minus eorum amor diuisus est, & integrior ad Deum quo temporalis cura, & dispensatio magis grauat, quam delectat.

Thus quomodo accenditur.

Sed amoris thura abundantissimè Deo accendit, qui nedum Deum diligit propter se, & cętera plurimum diligit in Deo, sed nec seipsum diligit nisi propter Deum, quia vt Bernard. ait in de diligendo Deum. Diuino inebriatus amore animus, factusq; sibijpsi tanquam vas perditum, totus pergit in Deum, & adhærens Deo vnus fit cum eo spiritus, dicens illud psal. Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. psal. 72. Cui præmisit. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Sic amoris sui deuotionem omnem Deo obtulit, qui ait: Mihi viuere Christus est & mori lucrum. Phili. 1. vtputa qui nihil suum amauit nec vitam, nec mortem timuit, sed Christum tantum, in quo nec vitam suam morti, nec morté suã prætulit vitæ O amor sanctus (inquit Bern. vbi supra.) & castus O dulcis & suauis affectio. O pura, & defecata intentio voluntatis, eo defecatior, & purior quo in eodem proprio nihil admixtum relinquitur eo suauior, & dulcior quo tantum diuinum, quod sentitur. Sic affici deificari est, quomodo aquę stilla modica multo infusa vino deficere a se tota videtur dum & saporem vini induit, & colorem. Et quomodo ferrum ignitum, & cãdens igni simillimum fit, pristina, propriaq; exutum forma. Sic in sanctis omnis humana affectio à semetipsa liquescit atque in Dei penitus transfunditur voluntatem vt verum sit ꝙ eis Deus est omnia in omnibus 1. Cor. 15. Manebit quidem substãtia, sed alia forma, alia gloria, alia potentia. Hi deniq; vt Greg. ait hom. 15. super Ezech. Nulla, quæ in mundo sunt, concupiscunt præsentis vitæ longitudinem pęnam reputant, exire festinant, & amoris amplexu in cęlestis spẽsi visione requiescere. Mens itaq; quæ iam talis est (inquit) nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illũ, quẽ diligit medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ei ipsa salus corporis, quia trãsfixa est vulnere amoris. Et sequitur. Mala sanitas cordis, ꝙ dolorem huius vulneris nescit. Talis vulneratus erat apostolus cum dixit. Infęlix ego homo, quis me liberabit à corpore mor. hu. Rom. 7. Incredibilia fortè iudicarentur, quæ dicta sunt nisi mille martyres iam præcessisse cognosceremus, qui ita suijpsorum obliti, toti transierunt in Deum, vt nedũ pro illo omnia desyderabilia spreuerint, sed corpora sua immanibus tormentis cũ gaudio obtulerunt. Sic de apostolis in actibus dicitur. Ibant gaudentes à conspectu concilij.

Myrrha quomodo esferẽda.

Demum de thesaurario virtutis executiuæ myrrham offerre curemus. Myrrha etenim, & si exteriora opera propter annexam pœnalitatem, significat vt supra patuit, specialius tamen opera pęnitentiæ & interiora & exteriora quæ amaritudinem habent ex peccatorum detestatione representat. Et hanc igitur offerunt in primo gradu, qui peccatorum contritione, confessione, & pęnali satisfactione peccata laborant extinguere, & recidiuã cauere. Et hoc omniũ é, vt ad min⁹ semel in anno de quolibet mortali commisso confiteantur, conterantur, & iniunctam expleant satisfactionem. Alioquin quomodo peccatori

catori eſſet ſalus dicente Auguſtino. Nemo niſi pœniteat eum veteris, nouã poterit vitam inchoare. In ſecundò gradu offerunt, qui nondum ſemel, ſed quo ad viuunt peccata deflent. Sic Deutero no. 9. dicit Moyſes. Memento, & ne obliuiſcaris quomodo ad iracundiam, prouocas dominum Deum tuum. Nec ſolum de mortalibus, ſed & venialibus, vehementer ſe affligunt, & dolent, memores illius Eccle. 19. Qui minima negligit; paulatim decidit in maiora. In tertio gradu perfectisſimè offerunt, qui nedum ſua, ſed & fratrum, & totius populi peccata tanquam propria deflent, pro aliorum culpis ſe caſtigant. Et ſi ex pietate hoc perfecti faciunt, noſtri tamen hoc eſt officij, quibus dicitur. Peccata populi mei comeditis. Oſeæ 4.

## IN CAENA DOMINI *de diuinisſimo Euchariſtiæ ſacramento Sermo I. præparatorius ad dignam ſacramenti euchariſtiæ ſumptionem, in ordine. XIX.*

Extra naturalia dantur pro præparatione dign. euchar.

QVICVNQVE manducauerit panem, vel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis domini. 1. Cor. 11.

Solent res præcioſiſſimæ magis nocere, dum vel improportionatis iungũtur obiectis, vel incautis veniũt in abuſum. Sic in naturalibus ſolis claritas oculos ferit lippientes, & operoſisſimę medicinæ niſi proportionatę fuerint magis lædunt. Artificum quoq; inſtrumenta, quo acutiora fuerint, magis cõfundunt incautum opificem, atq; opus. Et equus velocior facilè præcipitat ſeſſorem. Ita & diuina beneficia quantò maiora, tantò ingratis damnabiliora cenſentur. Hinc in proſa canit eccleſia de hoc diuinisſimo euchariſtiæ ſacramento. Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quam ſit diſpar exitus. Plus deniq; ab eo exigit dominus, cui maiora, & nobiliora contulit dona, vt teſtatur magnus ille Greg. eccleſiæ paſtor vigilantisſimus, cum inquit homil. 9. in euangelio. Dum creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum. Sed inter vniuerſa diuinæ benignitatis dona nullum excellentius diuinisſimo euchariſtiæ ſacramento, in quo vniuerſa nobis excellentisſima donauit. In eo ſiquidem vera Chriſti caro, anima diuinitaſq; continetur. Caro omni corpore nobilior, quam ſpirituſſancti manibus de puriſſimo conſtat vtero formatam. Anima verò omni creato ſpiritu gratuita, perfectione ſublimior eſt, cui ſpiritus datus eſt non ad menſuram. Ioan. 3. Ineffabilis quoq; diuinitas, fõtana totius boni origo, improportionabiliter reb⁹ ſupereminet vniuerſis. Hęc autem excellentisſima dona nedum vt veneremur, adhibuit, vt adoremus, vt mundi ſaluatorem nobiſcum vſq; in ſeculi conſummationem præſentem haberemus, quomodo veniens in terram inter homines viſus, conuerſatus eſt cũ eis, ſed vt tanquam delitioſiſſimo edulio corporaliter ſumpto in anima ſaginati, domino intimius incorporaremur. O inenarrabilis charitas diuinæ ſapientiæ, quæ ſibi delitias computat eſſe cum filijs hominum. Prouer. 8. Neſcio reuera ſi talis effectus aliquis ſummæ illius charitatis oſtenſius vnquam ad extra apparuit poſt effuſionem ſanguinis, cuius hoc ſacramentum memorale eſt. Magnum per omnia charitatis indicium, cum ſumma illa maieſtas humanam noſtram infirmitatem in perſonalem ſibi vnionem aſſumpſit. Verum non meam, non tuam, ſed puriſſimam quandam ab omni peccati labe immunem ſibi ſumptam de virgine copulauit. Maius aliquid eſſe videtur cum in hoc ſalutari cibo, & mihi, & tibi, ac cuilibet deſyderanti licet immundo, licet peccatori, dignatur cum gratiarum ple

nitudo

nitudine intimari, & nostrum quemlibet quasi cibum in se trasformare. Corporaliter olim solam virginem inhabitauit, de qua corpoream substantiam assumpsit. Sed & nunc in huius sacramenti sumptione,& corporaliter se infundit sumenti plenitudo maiestatis, quid mirum si tanti beneficij ingrati, ac immemores, pro bono malum indigne sumendo reddentes,dum maximis abutuntur donis, maximis peccatis se contaminant, ita vt etiam ab apostolo Christi crucifixoribus coequetur. Qui inquit,manducat &c. Aue maria.

communicatur quis multipliciter dignè vel indignè.

Quamuis rebus cognatos sermones esse debere,antiquorum tradat autoritas,quia tamen cum magistri esse deberetis propter tempus, rursum indigetis vt doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo, hæc enim concupiscentijs vestris, vitæq; inordinatione clarè insinuatis. Ideò q; primo plano sermone dicẽdum, qui dignè, qui indignè accedũt, deinde quãtum peccatum indignè sumentes incurrunt. Hæc duo, verba thematis in se claudunt. Quo ad primum dupliciter aliquis intelligitur dignè, siue non indignè accedere, vel quia accedendo non incurrit nouum peccatum mortale,etiã si non consequatur effectum huius sacramenti. Et sic indignè accedit, qui propter sui indispositionem accedendo mortaliter peccat. Et sic loquitur apostolus de indignè accedentibus in themate.Vel secundo modo dignè accedit, qui accedendo consequitur fructum huius sacramenti tam in gratiæ,& charitatis augmento, quam in feruore eius. Et ita sępe loquũtur doctores, qui multa ponunt requiri ad dignè suscipẽdũ, sine quibus rarò, aut nunquam huius cibi dulcedo in feruore spiritus sentitur. Vnde videndum est primò, quid requiritur ad sic dignè sumendum, vt vitetur noua offensa Dei. Ad hoc autem requiruntur quatuor ex parte sumentis.

Primum ætas adulta. Oportet nanq; accedentem secundum apostolũ posse discernere inter hunc cibũ, & alios. Ad hoc autem talis requiritur ætas, in qua quis habet liberum rationis vsum. Ideò pueri,fatui, nimium senes,qui nedum corpore deficiunt, sed etiam mente repuerescunt, ab hoc sacramento ꝓhibentur. Et licet ipsi sumendo nõ peccarent quia vsu rationis, qui etiam peccato præsupponitur, carent, tamen qui hæc procurant, aut non prohibent, cũ teneantur, grauiter delinquunt. Cum autem tantum præualet ratio,vt discernere possint inter cibum hunc spiritualem,& alium cibum corporalem ,puta dum cognoscere possunt per fidem,sub speciebus panis contineri Christum dominum nostrum verum Deum , verum hominem,pro nobis de virgine natum, crucifixum &c. & hunc aliquatenus amare, & venerari tanquam summum omnium,ac creatorem,& redemptorẽ, iam censentur ex hac parte idonei ad sacramenti perceptionem. Nam quod minus est intelligentia, supplet in eis vitæ innocentia,vt vult Tho.in 3.parte quest. 80 In pueris autem non simul tẽpore apparent huiusmodi discretionis signa, in alijs citius,in alijs tardius, secundum q; etiam in exterioribus pueri eiusdem ætatis non sunt æquè ingeniosi. Potest autem capi de his experimentum,si ordinatè moueatur sibi quæstiones fidei scilicet si credãt aliquam summam rem fore, quæ omnia creauit quæ Deus dicitur.Si credant illum produxisse hominem,vt post hanc vitã æternaliter viuat,nisi hic peccatis demereatur vt perpetuè crucietur.Si credat hũc filium misisse sibi æqualem Deum, qui natus est de Virgine Maria, vt hominẽ erudiret verbo,& exemplo, qui pro peccatis hominum tandem passus est, & mortuus , tertia etiam die resurrexit. Quodq; hic Christus hoc sacramentũ instituit,in quo ipse verè continetur secundum corpus,animam,deitatem,idẽ qui natus est ex Virgine, qui crucifixus est, qui resurgens ascendit ad dexterã patris,ibiq; manens, est etiam sub hoc sacramento vbicunq; consecratur. In quo se nobis dedit in cibum animæ spiritualem

Communicature ætas adulta requiritur.

Interrogationes à pueris communicaturis.

ritualem, quo ipsa in vita gratiæ vegetatur, & crescit ad perfectum dum tamen dignè sumitur. Ex his & similibus quæstionibus, quibus examinandi pariter, & instruendi sunt pueri, facile depræhendunt, an accedere debent, vel abstinere. Quod si fortè nimis idiotæ sint parentes, requirant ad hoc consilium vel plebani, vel alterius discreti viri. Nec hoc tam de pueris, sed & de multis obtusis senibus dictum intelligatur, qui aliquando inueniuntur pueris magis grossi. Neq; enim potest quis dignè communicare, nisi quę dicta sunt firma fide credat. Alioquin quomodo dijudicabit, quod sumit? In cuius figuram ante mensam propositionis in tabernaculo domini poni cãdelabrum iussum est Moysi, vt significaretur nullum debere ad mensam hanc domini accedere, nisi in eo fidei lumen luceret. Curiosas autem quæstiones, quomodo magnus sub paruo, quomodo idem in diuersis simul locis esse possit, & similes relinquant, totum Deo committant, apud quem non est impossibile omne verbũ, qui de nihilo mundum creauit, in nihilum, cum placeret, redigere potest. Hic magna sub paruis claudere, ac parua magnis æquare potest, sicut de anima, quæ nullam habet extensionem, & tamen toto corpori coexistit. Hoc docuit figura cum in Iesu paschalis agni reliquias igne iussit comburi. Exod. 12.

Candelabrum in mẽsa, propositionis quid.

Secundum requisitum est ieiunium naturæ, vt scilicet omnino nihil per modum cibi prius sumptum sit illo die idest à media nocte, a qua diem incipit ecclesia, ab extrinseco, propter saliuam, & reliquias ex præterita comestione adhærentes dentibus. Sic si muscam volantem glutiret quis, quia non sumpsit, vt cibum, ideò non impeditur. Impediunt tamen medicinæ, & quicquid voluntariè ab extrinseco accipitur in via stomachi, vt vult Scotus distinctio. 8. quarti. questio. 3. Dixi notanter ieiunium naturæ. Aliud enim est ieiunium naturæ. Aliud ecclesiæ. Ieiunium naturæ est carentia cibi suscepti in stomachum, vel in via ad stomachum à principio diei, à quo quis dicitur ieiunus. Cibi dico secundum Durandum, hoc est cuiuscunque rei, quæ nutrire potest, siue in se, siue alteri coniuncta. Ieiunium ecclesiæ est, quo aliquis vnam comestionem vnius diei non transgreditur per extraordinariam refectionem secundum morem ecclesiæ. Vnde ea, quæ sumuntur propter alios cibos deducendos, puta potum post prandium, vel digerendos, sicut species medicinales, aut electuaria, ieiunium ecclesiæ non soluunt, ita nec medecina qualibet hora diei sumpta. Non ergo sufficit ecclesiæ ieiunium ad dignè communicandum, sed requiritur etiam ieiunium naturæ, saltem regulariter. Sic enim ait Augustinus ad inquisitionem Ianuarij, & habetur de consecra. distinctio. 2. Liquido. Placuit spiritui sancto, vt in honore tanti sacramenti, prius in os christiani dominicum corpus intraret, quam alij cibi. Ideò vbique mos iste seruatur. Propter hoc etiam in hodierna epistola arguit apostolus eos, qui ebrij accesserunt. &cet. Quod verò Christus post cœnam tradidit, speciale est mysteriũ, quod nunc rescindo. Verum tamen infirmis (vbi periculum est in mora) ne viatico priuentur, dandum est sacramẽtum, etiam post sumptum cibum, vt habeat proficiscens ex hoc mundo, quo ducatur ad terminum. Cauendum tamen est in infirmis ne cibũ continere nõ possint propter vomitum, in quo casu sufficit eis spiritualiter manducare, secundũ illud Augustini: Crede, & mãducasti. Sic de sancto Hugone legitur ꝙ in infirmitate fecit sibi afferri sacramentũ eucharistiæ, & cum sumere non posset, dixit. Ascendat filius ad patrem, & spiritus redeat ad dominũ, qui dedit illũ. Et ita viso sacramento vitã finiuit.

Communicaturo naturæ ie niũ requirit.

Tertium, quod requiritur est, vt sit sine peccato mortali. Pro cuius intellectu aduertendum, ꝙ aliquis intelligitur esse in peccato mortali secundum Sco. disti. 9. quarti tripliciter. Primò modo, dum actu exteriori, vel interiori iam mortaliter peccauit. Et illo modus

Communicatur sit sine peccato vt dignè communicet.

modus posset multipliciter subdiuidi, secundum q multipliciter actu interiori, & exteriori mortaliter contingit peccare. Peccant siquidem mortaliter, qui contra præceptum aut agunt, aut agere vellent si possent, vt qui actu fornicant, vel vellent cum illa fornicari si consentiret. Vtinam hoc consyderarét luxuriosi,& superbi,qui statuunt,& firmiter proponunt post festa paschalia voluptati operam dare, aut pompæ vestium, ac scurrilitati vacare, quatenus ab omnibus hominibus tales, aut tales reputentur,& dicantur nolentes esse vllum pratum,quod non pertranseat eorum luxuria. Hi enim de facto peccant & peccatum voluntate, etsi non opere consumant. Actus enim exteriores imparati boni,vel mali sunt, & dicuntur denominatione,ab actu interiore bono vel malo. Etsi sic cum talismodi proposito peccandi accedunt in mortali peccato, indignè accedunt, & cibum vitæ sibi faciunt causam æternæ damnationis. Volũtas siquidem talis efficax,à domino pro opere imputatur. Item quicũque rem non suam contra voluntatem domini præsumptam seruat, cum restituere potest, non enim solum rapiendo primò mortaliter peccauit, verum sic seruando actu elicito, peccat actu mortaliter. Sic qui plura possident beneficia absq; legitima causa eos non tantũ coram hominibus sed etiam corã Deo excusantes. Sic de seruantibus apud se inimicitias, & odia, per quæ volunt actualiter proximis mala per modum vindictæ,etiam si non inferant actualiter, apud Deum qui corda scrutatur mortaliter peccant. Item qui proponit in futurum adhuc transgredi præcepta,faciẽdo actum prohibitum, quia vult post festum fornicari,ludere,vendere,emere in die festo,aut aliter sabbatũ violare,decipere proximum,mentiri,iurare,ieiunia ecclesiæ soluere &c. vel negligendo, quod facere tenetur,puta nõ vult subuenire parentibus cum indigét vult non audire missam in die dominico si laicus fuerit, aut sine causa se absentare à diuinis officijs, matutinis,horis,vesperis,dum ad illas ratione beneficij tenetur, sed insistere venationibus, ludis, zechis, dum diuina cantantur, somno,lasciuijs &c. omnes illi actu,dũ sic volunt, mortaliter peccant. Itẽ qui de aliquo prius commisso mortali,cum ad memoriam venit, licet illud repetere nolit, tamen in commisso sic delectatur propter se, vel propter aliquod consequens ipsum,quod placet,q nollet se non commisisse hoc peccatum,sicut qui vsura,vel ludo, aut fornicatione ditati sunt, quamuis amodo non ludant, aut vsuram committant, nollent tamen se non hoc egisse vnde nunc abũdant. Sic qui ex fornicatione,aut adulterio pueros, quos modo diligunt, nollent se nõ adulterasse ne pueris careant. Omnes isti quotiens ex hac, vel alia ratione peccatũ commissum adhuc placet actu positiuo nouo,totiens de nouo mortaliter peccant. Item quicunq; suis peccatis mortalibus proximos scandalizarunt. De hoc Sco. lib. 4. dist. 13. q. 2. primi. seruantq; adhuc apud se occasiones vnde proximus scãdalizatur. Sicut qui in publico sedent in concubinatu, aut adulterio,siue laici fuerint,siue clerici, quod longè peius est. Ab actu quidam incontinentiæ abstinent,sed scorta secum in domo publicè nutriunt,vnde ad similia peccata proximos pertrahunt, aut ad iudicaudum occasionem præstant. Quis enim nõ iudicaret adulterum,qui secum fouet,cum qua noscitur adulterasse? Tales etiam sic apud se tenendo scorta, actu positiuo agunt cõtra proximi charitatem, & peccãt mortaliter,quia scandalizant maxime dum verisimiliter præsumunt alios sic scandalizari,aut præsumere deberent.

*Communicant indignè qui proponunt peccare.*

Item qui peccatis mortalibus aliorum consentiunt formaliter, quia placet eis peccatum mortale alterius,fortè propter personæ diffamiam, quam non diligunt,aut aliam quamcunq; causam Vel interpretatiuè, quia cum in peccato fouet, amminiculum præstando,domos concedendo, aut instrumenta,sine quibus non peccaretur, vt qui fornicarijs,aut lusoribus domos locant, aleas,

*Communicãt indignè q aliorum peccatis consentiunt.*

aut

aut taxillos porrigunt,& sic de alijs. Itẽ qui peccata publica dum sine maiori periculo prohibere possent,non prohibent, dum ad eorum spectat officium. Sicut principes nedum raptores nõ fouentes,sed in suis territorijs, cum possunt, non prohibentes,propter quod secundum multos ad restitutionem tenẽtur sic per alios spoliatorum. Sic qui in suis communitatibus, vel ludos fouent aut vsuras propter pecunias, quas inde participant,vel aliter in mortali publicè viuentes, quos emendare possent, maximè prælati spirituales, qui super salute gregis commissi vigilare tenentur. Omnes isti cum ex proposito, & actu elicito hæc faciunt, vel negligunt à mortali non excusantur,quia facientes,& consentientes par pœna constringit,vt elicitur ex verbis apostoli Rom. 1. Item omnes, qui habent officia,quæ sine mortali exerceri non possunt, quã diu illa tenent voluntate, & actu elicito,in peccato mortali sunt.Exempla patent,sicut patroni turpitudinis, & ludorum,coadiutores iudæorum,maximè in vsuræ extorsione. Non enim à malo solum, sed ab omni specie mali abstinendum fore, docet apostolus.Sic qui in cæteris mortalibus superbia, auaritia &c. publicè scandalizant. Et omnes isti iã dicti,& similes quamdiu in tali sunt statu,& proposito,nequaquã accedere debent ad domini cœnam,quod si fecerint indignè sumunt, seq; secundum apostoli verba reos cõstituunt corporis,& sanguinis domini.

In peccato mortali quis sit secundo modo. Scot.

Secundò modo dicitur aliquis esse in peccato mortali, quia mortale, vel mortalia commisit, de quo, vel quibus postea non pœnituit, quia de eis non cogitauit, nec modo memoriam habet, sed ignorat. Et tunc secundum Sco. vbi supra de hac ignorantia distinguendũ est,quia vel est affectata,quia placet sibi ignorare,ne fortè si nosceret, confiteri teneretur,aut si non placet ignorantia, est tamen crassa,quia noscere posset,si diligenter inquisitionem fecisset. Et in vtroq; casu non excusatur à nouo mortali si sic accedit, licet minus peccet in secundo, quam in primo. Et est ratio,dicit apostolus: Probet autem seipsum homo, & sic post probationẽ de pane illo edat,& de calice bibat. Tenetur enim homo (ait Sco.) se examinare secundum diligentiam nostræ fragilitati possibilem,antequam communicet. Quanta autem huiusmodi inquisitionis diligentia esse debet,declarat idẽ dist. 17. dicens: Intelligo Tantam inquisitionem,quantam aliquis apponeret circa aliquid multum arduum,quod sibi multum esset, cordi, apponere debet circa omnia peccata mortalia ad memoriam reducenda. Consyderet iã quilibet,quid agat pro re ardua,& multum cõcupita acquirenda.Quid rogo, faceretis si pro quolibet mortali commisso post nouissimam confessionem ad memoria reducto essetis decem florenos habituri? puto diligenter cogitaratis per singula tẽpora interim defluxa, quid egeritis,in quibus locis fueritis,cũ quibus societatibus conuersati fuissetis qualibus exercitijs, laboribus,negociationibus implicati fueritis,vt sic singuli actus memoriæ reuocarẽtur. Valent ad memoriam de actibus præteritis habendam plurimum, si ordinatè tempora loca, societates, exercitia &c. recogitentur. Ita & nunc agendum erit dũ cœlestis thesaurus præponitur acquirendus. Pauci sunt timeo huiuscemodi diligentiam facientes, quare & verendum ne multi accedant indignè.

Communicare quis & quando possit.

Si autem ignorantia non fuerit affectata,aut crassa,sed facta est diligentia, qualis nunc descripta est,& nullum occurrit mortale peccatũ, de quo nõ fuit vel sit contritus, & confessus prius,non peccat communicãdo, etiamsi aliquod mortale lateat,aut traditum sit obliuione.Et probat hoc tripliciter: Tum quia post talem inquisitionem si contritus, & confessus moreretur,saluaretur.Non ante requiritur maior examinatio ad dignè communicandum, quam securè moriendum.Tum quia talis quilibet exponeret se periculo communicando.Si enim plus requireretur,puta ꝙ communicans esset in charitate,cũ de communi

vbi lege homo de se ignoret si sit in charitate. Nemo siquidem scit an odio, vel amore dignus sit. Eccle. 11. Et delicta quis intelligit, dicit prophetia? Ideò orat: Ab occultis meis munda me domine &c. Homo communicando exponeret se periculo, nesciens an illo actu peccaret. Tum tertiò, quia tunc nó esset sacramétum viatoris, talis enim certitudo non conuenit viatori. Qua propter hac inquisitionis diligentia facta cum contritione, & confessione præuia si cõmunicet, non peccat, immo si qua alia peccata lateant, per istius sacramẽti virtutem aut ad memoriam reducuntur vt pęnitere possit, aut remittuntur concordat Thom.

In peccato mortali quis sit tertio modo. Scot. Petr⁹ de Tharan. Alber. Gerson.

Tertiò modo aliquis dicitur esse in peccato mortali, quia etsi de illo mortali peccato peniuit, vel actu pœnitet, nó tamen confessus est nec absolutus in foro ecclesiæ. De isto dicit Sco. concor. Pe. de Tharan. & Alber. mag. vt habetur in sum. confes. lib. 3. ti. 24. quæst. 70. Item Gerson in floribus, ca. de pœnitentia, & in tripartito de confes. q talis tenetur prius confiteri, & non sufficit sola interior pœnitentia. Cuius ratio est, quia sacramentum vnitatis ecclesię non dignè suscipit, nisi qui etiam ecclesiæ reconcilatur. Etiam ideò ordinauit ecclesia, vt in paschate omnis vtriusq; sexus omnia sua peccata confiteatur, quatenus tunc dignè communicet. Et eadem ratione quocunq; tempore anni communicet, quia vbi eadem ratio, ibi potest esse idem ius. De hoc etiam Hugo in lib. de potestate ligan. & solu. Audacter dico, si ante sacerdotis absolutioné ad communionem corporis, & sanguinis Christi quis accesserit, pro certo sibi iudicium manducat, & bibit, etiamsi eum iam multum pęniteat, & vehementer doleat, & ingemiscat. Hoc tamen, verum est secundum Scotum, nisi necessitas celebrandi, aut vitatio scandali in proximo excuset. Propter hæc enim dum confitendi opportunitas non occurrit, potest cum sola pœnitentia interiori, & proposito cófitendi accedere. Si tamen potest communionem sine scandalo proximorum differre, tenetur non communicare, donec consequitur absolutionem sacramentalem. Sic de eo, qui iam indutus est, ac officium missæ incepit, & occurrit sibi mortale nondum confessum, si non potest sine scandalo cessare, debet procedere. Sic si alicui iam constituto in itinere prope altare dum alijs eucharistia porrigitur, incidit mortale &c. Sed caueant ne confessionem ad illum punctum voluntariè differant, nec etiá dum habere possent copiam sacerdotũ, dum in breui imminet necessitas celebrandi, nec tamen tunc confiteantur. Debet enim communicaturus maturo tempore ante communionis tempus quærere confessorem eum absoluere potentem. Etsi talis occurrat, sitq; verisimile talem, vel alium se habere nó posse postea ante tempus communionis tenetur tunc confiteri. Contra quod plurimi agunt &c.

Communicatur⁹ non habeat impedimenta.

Quartò principaliter requiritur vt communicaturus non habeat impedimentum aliquod, propter quod specialiter sit prohibitus vt quia excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, aut aliud tale, quæ communiter prohibent, & pronunciantur in parochijs. Tales enim contra prohibitionem ecclesiæ accedentes, aut suorum superiorum, non est dubium quin grauiter peccent.

Communicaturo deuotio requirit.

Quintò requiritur deuotio actualis vel virtualis, saltem talis, per quam homo præcogitat, quid sumere velit, vt cũ debita reuerentia, & timore accedat, alioquin non discerneret corpus domini ab alio cibo. Debet inquam discernere vt reuerentius, deuotius, & attentius sumat, cogitans quis sit, quem mãducat, vt vult apostolus. Verum si in ipsa sumptione distrahitur, fortè ex timore, vel cogitatione volante, iam non indeuotè dicitur sumere, dum non placet sed displicet distractio. Manet enim deuotio virtualis &c. Alia quæ ad dignè secundo modo requiruntur, quæ alias possunt dici de congruo requiri, relinquuntur pro futuro sermone, si placet,

cum

eum declaratione quantitatis peccati indignè sumentium.

## IN COENA DOMINI Sermo II. In ordine XX. ad Eucharistię perceptionem præparatorius.

De grauitate peccati indignè communicantis.

QVI manducat & bibit indignè, iudiciū sibi māducat, & bibit nō dijudicās corpus dñi 1. Cor. 11

Adest tēpus illud sacratissimū fratres dilectissimi q̄ toto hoc quadragesimali labore, quasi vigilia quadam (vt festum præuenimus) celebrandū. In quo māducaturi sumus agnū paschalē, non illum veterem iudaici populi, qui sumptus absumitur, sed pascha nouum, pascha nostrum q̄ immolatus est Christus. Agnū viuū, qui dudum pro nobis occisus, vltra non moriturus reuixit. Qui semper in eis, qui dignè sumunt & viuit, & vitā sine termino tribuit, dū sibijpsi, qui vera vita est huiuscemodi conuiuas vnit. Hinc ait Ioan. 6. Qui manducat meā carnē, & bibit meū sanguinem (intellige dignè) habet vitā æternam. Et sequitur, in me manet, & ego in eo. Propter cuius dignam sumptionem iam peccatis valefecimus, sacramenti contritionis, & confessionis purgationem adhibuimus, ieiunijs, prolixioribus vigilijs, orationum lachrymis, carnem nostram pro qualicunq; commissorum satisfactionem castigauimus. Elemosynas, castimonia ceterisq; virtutum operibus habitationē nostræ mentis vtcunq; adorauimus, vt sic mundi, ac digni regali conuiuio, epulis paschalibus præsentaremur. Sic enim nos beatus August. in principio quadragesimæ in sermone de ieiunio commonuit ad ieiunia, elemosynas, aliaque pietatis operaQuare? Vt in illa sacrosanctā solemnitate paschali inquit, charitatis luce vestiti elemosynis splendidi, orationibus, vigilijs, & ieiunijs velut quibusdam cœlestibus, & spiritualibus margaritis ornati, non solum cum anim is sed etiā inimicis pacifici, liberi cum secura consciētia ad altare domini accedētes corpus & sanguinem eius non ad iudicium, sed ad remedium possitis accipere. Quoniam in mensa vna (ait Ber. Ser. de sacramento) in cœna domini de vno pane consecrato Petrus, & Iudas accepit; bonus in vitam, pessimus in pœnam, bonus in beneficium, pessimus in testimonium, bonus in salutem, pessimus in mortem. Quod totum vsq; huc cōplectitur in sacramentō altaris, bonis quidē in bonum sumentibus, canibus verò & immūdis nō sic: Canes sunt, qui irreuerenter sine discretionis iudicio accedunt, & ideò iudicati recedunt, secundum verbum apostoli: Qui manducat &c. Pro gratia Aue Maria.

Qui mnnducat &c Duo in verbis istis consyderādā nobis cōmendantur vnū terrens, alterū auizans. Primum pœnam exprimit indignè sumentiū Secūdū, modū aperit negligenter agētiū. Primū timeam⁹ vt instructi, p secūdū pœnā vitemus. Primū in eo tāgitur, q̄ iudiciū sibi manducat, & bibit. Secundum ostenditur cum subiungitur, non diiudicans corpus dñi. Qui enim indignè manducant, iudiciū damnationis manducāt, secūdū glo. .i. sua māducatione se dignos damnatione efficiūt Non quia malū est, q̄ accipiunt. Accipiunt n. & indignè accedentes verū Christi corpus, & sanguinē, dum sacramenta dētib⁹ præmūt, licet sine fructu sicut Greg. 4. li. dial. ait: Est quidem: inquit, in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro, & verus sāguis, sed essentia, non salubri efficientia. Bonū est ergo, quod accipiunt, sed bonū factum est eis malum, dū malè accipitur bonum, ait Aug. in de verbis euange. Sicut econuerso apostolo factū est bonum, cū bene accipitur malū .s. dū stimulus sathanæ patienter portatur. Et sancta obsunt malis, bonis ad salutem, malis ad iudiciū, non quia res illa mala sit, sed quia malus male accipit q̄ bonū ē. Quod in arca dñi, q̄ Allophylos occidit, & Israel saluauit, & manna

manna quod bonis omnis delectamenti,& suauitatis saporē, malis verò nauseam præstitit,apertius figuratur. Hinc Chris. hom. 10. Sacrificium hoc cibus spiritualis est. Sicut corporalis cibus, dū ventrē inuenerit aduersis humorib⁹ occupatum,amplius lędit,magis nocet & nullū præstat auxiliū. Ita & iste spiritalis cibus si aliquē reperit malignitate pollutum, magis eū perdet,nō sua natura, sed accipientis vicio. Hæc ille. Sumunt ergo, qui indignè accedunt, iudiciū dānationis,non simpliciter, sed damnationis magnę, damnationis profundæ. Pęna quippe correspondet culpæ Deut.25. Secundū mensurā delicti erit plagarū modus. Ideò tanto maior erit damnatio quo indigna sumptio est culpa grauior.

Communicās indignè Iudæ comparatur.

Grauitatē autem huius culpæ possumus attendere ex culparū pondere,qui b⁹ cōparatur autē indignę sumptionis culpa proditioni Iudę,iudeorū ingratitudini & blasphemiæ,& effusioni præciosi sāguinis de Christi corpore.Qui indignè sumit Christū cū Iuda prodit. Nā Hiero. in quadā epistola ait. Quid tibi cū fęminis, qui in altari cū Deo fabularis? Dic sacerdos, dic clerice, dic quisquis fueris,q sacramēta sumis,qualiter cū eisdē labijs filiū Dei oscularis, quibus osculatus es filiā meretricis? O Iuda filiū hominis osculo tradis. Et simile est de eis, qui in alijs peccatis superbiæ,innidiæ,auaritiæ, infidelitatis, quæ maiora sæpe sunt fornicatione accedunt. De hoc Ber.in ser. de sacramēto altaris ait: Qui secundū carnē viuūt & post carnalia euagantur, catena vitiorū compediti,cū Iuda proditore venenū accipiunt, & spiritualis suspēdij laqueū incurrunt grauissimè dānandi. Tū pro multiplici reatu, tū pro sacramēti contēptu. An non discernet inter glebas,q discernit,& inter stellas? Examinabit certè argentū, qui ipsū quoq; aurū probauit,& reprobauit. Hæc ille.

Iudæ quomodo comparatur

Et rectè cōparatur Iudæ indignè sumēs,qm̄ sicut signū manifestū pacis & amicitiæ,est osculū,ita spiritualis vnionis& diuinæ dilectionis est hoc sacramentum. Sicut ergo Iudas signum extrinsecū pacis .s. osculum ferebat,q in pectore non habebat, & ipso signo inimicum,& traditorē tegebat. Ita qui indignè accedunt,foris sacramentū charitatis summæ signū sumunt, & intus per peccandi voluntatē inimici, & contemptores sunt. Cur .n. qui peccata deserere nolunt,sacramenta in sui perniciē sumunt,nisi vt per hypocrisim se foris sanctos simulent, nec intus esse volunt? Volunt reputari Christiani,probi honesti,bonis similes videri,esse tamen omnino nolunt. Hinc tantus strepitus, & oblatratio, dū indignis prohibetur accessus. Currunt,promittunt,minātur etsi non aliter,in alienis parochijs furtiuè accipiunt,mentiuntur se esse absolutos à sententijs,à peccatis. Vt quid tā ta instantia mortem sibi procurant? nisi quia videri volunt,quod esse nolunt. Si vellent esse amici Christi,eijcerent concubinas,redderent mala quęsita,deponerent odia,repellerent vitia, vitā emēdarent, ac reconciliati Deo, ecclesiæ, & proximo humiliter communionem peterent. Sacramentum illud cibus est, cibus mortuis non prodest Hic dicitur Hiere.11.Quid est,quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Si vero ideò eucharistiam sumunt, quia timent, nisi sumerent, à temporalibus suis bonis tanquam infideles eijcerentur, aut vt pecunias, vel alia quælibet emolumenta lucrentur, manifestum est quoniam cum Iuda, nedum dominum osculantur sed etiam pro pecunijs sceleratissimè vendunt. Hi pœnas excipiunt Iudæ, cui dissimilantur in crimine. Iudas, qui sanctitatem simulabat, & auaritiam occultabat, precium sanguinis retulit, & suspendio seipsum publicauit,sicque fama,rebus se priuauit, pariter & vita. Ita indignè sumentes mysterium vnitatis, & non tenētes vinculum pacis,non accipiunt mysterium pro se, sed contra se, ait August. in de sacramentis fidelium. Quod etiam experientia declarat. Nam sępe in diffamiam

Communicans indignè

niam, sæpe in paupertatem, sæpe in vitę abbreuiationem, iusto Dei iudicio incidunt. Inde enim lites, inde infirmitates, inde pestilentiæ, & mortes, vt satis ostendit apostolus 1. Corinth. 11. Et hoc est, quod dicitur Eccle. 1. Ne sis incredulus timori domini, & ne accesseris ad eum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris labijs tuis. Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ confusionē, & reueles Deus abscondita tua, & in medio synagoge elidet te, quoniam accessisti malignè ad dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia. Ad idem Naum. tertio.

Communicans indignè cum iudeis blasphemat

Secundò indigna sumptio huius diuinissimi sacramēti comparatur ingratitudini, & blasphemiæ iudeorum Iudei nanq; magna à domino bona recepere, vt aliàs in serm. de Assumptione dictum fuit, sed ingrati nimis ante aduentum Christi sæpius per idolatriam verum Deum deseruerunt. Adueniente verò Christo quem summis patres expectarunt desyderijs, maiorem reddiderunt ingratitudinis vicem, dum multiplicata eis exhibita beneficia, in infirmorum curationibus, ac veritatis doctrinationibus, non sibi, sed magis dæmonibus attribuerunt, superaddentes blasphemias in verbis, & factis conspuēdo, colaphizando, ac multipliciter illudendo. Relinquā probationes, quia nota refero.

Non aliter desipit, qui in sacramento Christum indignè suscipit. Ingratissimus enim est maxima dona non ponderans sed vilipendens. Nihil tantum vnquam à domino consecuti sunt beneficium iudei, quoniam etsi patres in deserto, quotidiano cœli pascebātur alimento (Vnde scriptum est: Panem angelorum manducauit homo) sed nequaquam talem, qualem nos percipimus in sacramento. Quia teste veritate. Ioan. 6. Panem illum, qui manducauerunt, mortui sunt in deserto. Ille verò panis viuus, qui de cœlo descendit, vitam tribuit mundo. Manna illud de cœlo, istud supra cœlum. Illud scatu riebat in diem alterū reseruatū, hoc ab omni corruptione alienum, quicunq; religiosè gustauerit, corruptionem non videbit. Panis ille corporalis populum illum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit, de quo iterum eiecti sunt. Hic esca cęlestis, fideles huius seculi desertum transeuntes in cęlū subuehit perpetuo permansuros. Ille panis angelorum fuit non vsus, non perfectio, non cibus, non salus, sed opus, vtpote angelorum ministerio præparatus. Iste panis non ab angelis factus, sed factor est angelorum, beatitudo, gaudiū & totum eorum bonum. Vnde de hoc pane longè verius dicitur. Panem angelorum manducauit, & manducat homo. Quod exponens Bern. in ser. quo supra ait: O stupenda Dei miseratio. Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium induit, vt iumenta manducarent panem angelorū. Homines iumenta erant, sicut ait propheta: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ea propter cibus super cœlestis mutauit se in pabulum pecoris. Panis enim angelorum factus est fenum, vnicus patris, filius hominis. Verbum quippe caro factum est. Et iuxta prophetam. Omnis caro fenum. Comedunt ergo angeli verbū de Deo natum. Comedunt homines verbum fenum factum.

Eucharistiæ beneficij magnitudo.

Vt deniq; noscas huius magnitudinem beneficij. Audi Amb. sic de hoc sacramento loquentem. Hoc inquit, sacramentum præstātissimum est, in quo est diuinitatis pœnitentia mundi redemptio, peccatorum remissio, gratiarum diuisio, virtutum omnium aggregatio. Nec mirum, quoniam omnium gratiarum, & virtutum verissimè fontē continet, & auctorem. Vt enim amplius incalesceret homo in amorem sui redēptoris, voluit Christus, vt iugiter coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium. Et illa perennis victima viueret in memoria, & præsens esset in gratia. O benignissime Iesu, nobilissimo

lissimę sponsæ tuę dotalicium indulsisti vt vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Gratulare ergo sponsa, gaude incomparabiliter, præsidentem habes, & rectorem sponsum in præsentis exilii militia pignus habes, arram tenes, quibus feliciter sponso vniaris in patria. In terra sponsum habes in sacramento, in cęlis habitura es sine velamento. Et hæc & ibi veritas, sed hæc palliata, ibi manifesta. Quid multis morar nihil huiuscemodi beneficium excogitari potuit, nęc maius aliquod dari. Verè itaq; ingratissimus est, qui vilipendit, & indigna sumptione blasphemat, non verbo, sed detestabilius opere. Quod per prophetam Malachiam improperat sacerdotibus, & in eis omnibus indignè ad altare accedentibus. Ait enim ca. 1. Si pater vester, vbi honor meus? Si dominus ego sum, vbi est timor meus? Ad vos o sacerdotes dicit dominus exercituũ, qui despicitis nomen meum, & dicitis. In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum & dicitis. In quo polluimus te? Glo. Corripit sermo diuinus episcopos, & ministros ecclesiæ negligetes, & omnes, qui in Christo baptizati Christi nomine, censentur. Cur nomen eius despiciant? Quibus aperit causam offensæ, quia panem pollutum offerunt. Polluit enim panem. i. corpus Christi, qui indignus accedit ad altare, & mensam domini, si non scelerata voce, scelerato tamẽ opere despicit. Et sequitur. Sed dum sacramenta violantur, ipse cuius est sacramentum, violatur.

Videamus si non aliquid amplius faciunt tales, quam iudei. Iudei (vt de aliis taceam) faciem, in qua angeli desyderant respicere, sputis immundis fędauerunt. Sed ingratissimi christiani nedũ faciẽ, sed totum corpus dominicũ oris polluti immunditiis inuoluunt, & in latrinã fedissimam facinorosæ conscientiæ traiiciunt. Quid minus rogo, impiissimis agunt iudeis nisi q̃ isti sciẽter, illi egerunt ignoranter. Isti spiritualiter polluunt, illi corporaliter fędaue runt? & constat Deum abominari magis spiritualem immundiciã quã corporalem. Et ideò nõ immeritò in iudiciũ cadunt sic indignè sumentes iudeorũ. Quale iudiciũ? Desertionis, & excecationis. Deseruntur isti amplius à gratia, & ideò magis obdurantur. Perdũt lumen cognitionis, & profundius excecantur. Quod rectè in manna significatum est. Nam à calore solis liquefiebat, à calore ignis obdurauit, Exod. 16. Ita cibus salutaris, qui per calorem amoris diuini solis iustitiæ liquefieri debuit per effectum. i. resoluere animũ in Deũ per calorem ignis concupiscentię induratur. i. cor indurat per desertionẽ, ad quod sequitur obcecatio, secundũ illud psal. Supercecidit ignis, haud dubium quin cõcupiscentiæ, & nõ viderũt solẽ,

Comparatur tertiò peccato crucifigẽtiũ ac sanguinẽ Christi effundentiũ. Crucifixores quippe innocentẽ dñm, q sponte se obtulit in mortem pro salute omniũ, ipsi malitiosè occiderũt, ad propriũ interitũ. Et sanguinẽ, quẽ dominus fusurus erat ex charitate nimia in prætiũ redẽptionis, ipsi effuderũt per inuidiã in pœnã suæ dãnationis. Ita & indignè cõmunicantes passionis Christi & mortis sue memoriale, q̃ ipse medicinam salutarẽ, peccatorum expiationẽ nimio amore reliquerat, ac frequentari præceperat (Hoc inquit, facite in meã commemorationẽ, s. passionis meæ) quantum ad seipsos frustrantur, & euacuant, non diligentes, sed contemnentes, in perniciẽ suã sumunt. De quo Remigius super Mat. Hodie quoque & in sempiternum væ illi homini, qui ad mẽsam dñi malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutis mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare nõ metuit, filiũ hominis tradit, nõ qdẽ iudeis crucifigentib⁹, sed tñ peccatoribus, mẽbris videlicet suis quibus illud inæstimabile, & inuiolabile dñici corporis sacrm ac sãguinis temerarie prę sumit. Hinc planè apostolus ait. Quicũq; mãducauerit hũc panẽ, & biberit calicẽ dñi indignè, reus erit corporis & sangui

Communicans indignè comparaĩ crucifixorib⁹.

sanguinis domini. Glo. i. ac si Christum occiderit punietur, nec mirum quoniã & ipsi cum crucifixoribus clamant, nõ verbo sed facto, Sanguis eius super nos, verè supra se, id est contra se sanguinem Christi aduocant, qui eiusdem sanguinis preciosa mysteria polluto cordi infundunt. Scitis autem pęnam crucifixorum, Herodis, & Pilati, qui mala morte interierunt. Ille enim percussus à domino, consumptus à vermibus expirauit, Act. 12. Ille autem referentibus historiis, seipsum interemit. Quanti denique impii dati sunt pro sepultura, & diuites pro morte domini secundum Esa. vaticinium ex historia Iosephi frequenter auditis. Sic & indignè sumentium pœnam exprimit Apostolus. Ideò inquit, inter vos dormiunt multi, morte. s. subitanea percussi, vt dicit Lyra. Ita enim frequenter puniti fuerant in primitiua ecclesia. Quod si hodie non videmus frequenter accidere, nihil inde gaudendum, sed magis timendum, dum temporales dominus pęnas subtrahit, vt æternis grauius cruciet. Et quantum ad omnia hęc tria nõ operando, sed prophetando ait ps. Fiat .i. fiet mẽsa eorum corã ipsis in laqueũ, & in retributionem, & in scandalum, quo ad primũ. Obscurentur oculi eorũ ne videant, quo ad secundũ. Et dorsũ eorũ semper incurua, quo ad tertiũ. Ex his põt estimari vtcũq; peccatũ simul, & periculũ indignè cõmunicantiũ. Q̃d etsi vincitur à peccatis, quæ cõmittunt cõtra diuinitatẽ, vt in fidelitatis idolatriæ, blasphemię. Et ab his, quæ in humanitatem Christi nudã non velatam, vincit tñ omnia, quæ fiunt in quãcunque aliã creaturam, & hoc secundũ speciẽ peccati. i. ratione obiecti, licet propter circũstãtias hincinde variatas nõ semper ita, vt vult. Tho. par. 3. q. 80. art. 5. Et tantũ de principali primo.

Comes icam digne mpa- e cruci orib'.

Iudiciũ duplex ꝓueniat communionem.

Quantum ad secundum indignę sũptionis causa tangitur in eo, quod dicitur, non dijudicans corpus dñi iudicio .s. discretionis. Duplex etenim iudiciũ præcedere debet in sumente non indignè hoc sacramentũ. Vnũ, quo diiudicet corpus domini firma fide, diligenti meditatione hunc cibum ab aliis discernens. Cõsyderet inquã, quis sit quẽ sumpturus est in seipso, & quis sibi. In seipso summum æternum bonum, potentissimum sapientissimum, benignissimũ, iustissimũ, sanctissimũ &c. Vnicus patris, idẽ cũ patre, & spiritu sancto in substantia, discretus in persona, quem omnes angeli colunt, demones contremiscunt pauet omnis creatura. Qui ꝓpter nos homines, nostramq; salutẽ descendit de cęlis, incarnatus verus homo ex virgine natus &c. Quis denique sibi, quia suus, & vniuersitatis creator, gubernator, conseruator, redemptor, benefactor, iudex, & finalis beatificator vel damnator, qui hominem fecit, dum non esset, reparauit, dũ male esset, resuscitabit postquam esse desierit, finaliter tanquàm iudex iustissimus ad vitam, vel mortem perpetuam iudicabit. Aliud iudicium circa seipsum præcedere debet, de quo Apostolus Probet autem seipsum homo, & sic &c. Probet se diligentissima examinatione consciẽtiã suã scrutans. Si omnia peccata mortalia proiecerit. Si malè quęsita restituit, dum tamen fuerit in habendo. Si occasiones peccatorũ, quibus stantibus peccata vix, aut nusquã caueri possunt, amouerit. Si de cõmissis quantũ satis est pęnituit. Si firmũ propositũ nunquã recidiuandi habeat. Si ea, quæ statum suum, & iniunctũ, vel assumptum officiũ concernunt, quantũ tenetur exequi firmiter statuit. Si percepta absolutione peccatorũ in foro pęnitentiæ, dum confessoris copia haberi potuit, realiter, & in facto, aut in voto, si haberi non potuit, sine scandalo differri communio non potuerit, Deo & ecclesiæ reconciliatus fuerit. Si denique nullo legitimo impedimento suspensionis interdicti, & excommunicationis prohibitus fuerit, si ieiunus, nisi infirmitas excusaret. In his se examinet, etsi inuenit se immunẽ cum timore, & reuerentia quàm primũ generabit iudiciũ in nomine dñi accedat. Alioquin caueat, ne crimina, & pęnas, q̃ memoratę

sunt incidat. Non enim possunt hoc sacramento (quod spiritualis cibus est) vtiliter vesci, qui carni deseruiunt, non spiritui. Sicut apostolus Hebr. ait. Habemus altare, de quo edere non habēt potestatem, qui tabernaculo deseruiūt. Altare inquam secundum glo. in quo consecratur corpus Christi. & sumitur de quo edere non habent potestatem idest licentiam, qui tabernaculo idest corpori, in quo non nisi ad tempus nobis manendum erit, deseruiunt, sicut fornicatores, & omnes, qui ei in desyderijs deseruiunt. Alioquin iuxta verbum thematis, iudicium sibi manducant. A quo nos præseruet, & sua communione dignos efficiat, qui cibum hunc tribuit, Christus dominus cum patre, & spiritu sancto in secula benedictus. Amen.

## IN CAENA DOMINI Sermo. III. in ordine XXI. ad Eucharistię perceptionem præparatorius.

Christi quibus dixit. Hoc facite.

HOC facite in meam commemorationem. Luc. 22.

Transiuimus mare, mare rubrum pœnitentiæ & lachrymarum. Appropinquauimus portui, in quo relucēt salutis nostrę sacramenta. Æterni conflij aperiuntur mysteria, gratiarum larga offeruntur beneficia. Eya charissimi præbete receptacula munda. Totus nostræ redemptionis tractantur negotia. Semel olim sua passione exhibita, dominus vniuersum genus humanum à diabolica potestate redemit. Claue suæ crucis seratum cœlum aperuit, sui sanguinis effusione cuncta mandauit. Nūc autem eiusdem passionis non minus efficax memoriale relapsos erigit, purgat inquinatos, nutrit famelicos, confortat infirmos, & beatissimæ passionis effectus salutis in omnibus dignè accedentibus innouat, vt non minus saluet passionis memoriale, quam ipsa passio semel pro nobis exhibita, vel assumpta. Nimirum quia idem in memoriali accipitur, qui in cruce summo patri offertur. Et quidem in cruce seipsum patri obtulit, & precium, quod debuimus soluit, ad Ephe. In memoriali frequentandum nobis commisit nos ipsum eundē sumimus, & pro nostris peccatis ipsum sumendo patri immolamus. Hinc ait: Hoc facite in meam commemorationē hoc est commemoratione meæ passionis glo. Vnde apostolus. 1. Corin. 11. Quotienscunq; manducabitis panem &c. mortem dñi annunciabitis donec veniat .f. ad iudicium, ad sanctorum cōsummationem. O mira Dei dignatio, quæ non refugit manibus crucifigi nocentium passibilis, & mortalis. Non se negat peccatorum dentibus masticandū gloriosus & immortalis. O fidelis, & sollicita Dei pro nobis vermiculis cura cui non satis esse visum est nostrū reatū sua morte soluere, nisi memoriale institueret, quo etiam ipsam solutionem contēptā possemus recuperare. O ineffabilis charitas saluatoris, qua non solū voluit nobis esse pater per creationem, frater per incarnationem, redemptor per precij solutionem, sed etiam nostra esse complacuit spiritualis refectio in Eucharistiæ sacramento ad præmij beatifici prægustationem. Hinc canit ecclesia. Se nascens dedit socium, conuescens in edulum, se moriens in precium, se regnans dat in præmiū. Sicut ergo mortē nemo euadit nisi per victoriosam domini passionē, ita vitā nemo acquirit nisi per sacramentalem memorialis suæ passionis sumptionem. Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. Ideò præcipiendo præcepit ad totius nostræ salutis consecutionē. Hoc facite in meam commemorationem. Pro gratia Aue.

Pro deductione horum verborū triplex occurrit quæstio. Prima, quibus. Secunda, quomodo. Tertia, ad quid, seu quare mandauit dominus dicens. Hoc facite in meam commemorationē, quæ breuiter veniunt expediendæ pro paruulorum communicandorum eruditione qualicunq; Prima quæstio. Quibus dominus

dominus ait: Hoc facite &c. Responde tur: Fidelibus vsum rationis habentibus, ieiunis, à peccatis, & à censuris liberis Siquidem dñs locutus est suis discipulis, qui erant fideles quo ad primũ Et secũdũ doctrinã apostoli. 1.Cor.11. Sumpturus corpus domini habet diiudicare, & discernere corpus domini, & seipsum, quo ad secundũ. Duplex .n. requiritur iudicium discretionis. Vnum, quo cibus ille plena fide ab alijs discernitur, ita vt non terrenus, & animalis, sed cœlestis credatur. Aliud quo sumẽs seipsum discernit. Vnde ait. Probet autem seipsum homo: Item ait apostolus. 1. Cor. 11. de ebriosis. Iam non est dominicam cęnam manducare. Non .n. erant ieiuni, quo ad tertiũ. Itẽ panis ille filiorũ est non mittendus canibus, vt canitur in prosa. Ideò maculati peccatis mortalibus, aut alis censuris grauati, & ab ecclesia repulsi accedere nõ debent, quo ad quartum. Non .n. talibus loquitur dominus dicens: Hoc facite in meam comme. &c.

Comm. debet eẽ fidelis

Volens itaq; ad verbum dñi eucharistiam percipere, debet esse fidelis, & potissimũ circa hoc diuinissimũ sacramentum. Fides autem sacramenti hu° præsupponit fidẽ pluriũ articulorũ, præsertim eorũ, qui sunt simpliciter (quãtũ ad omnes ratione vtentes) de necessitate salutis. Quorũ tres sunt. Duos innuit apostolus Heb. 11. cũ dicit. Oportet accedentẽ ad Deũ credere ꝙ Deus est, & ꝙ inquirentibus se remunerator est. Tertium de mediatore innuit Petrus Actu. 4. cũ ait. Non est in aliquo alio sal°. Loquitur de Christo. Et sequitur. Neq; aliud nomen est sub cœlo datũ hominibus, in quo oportet nos saluos fieri. Necessaria ergo est fides mediatoris, in cuius nomine, hoc est notitia, seu fide oportet nos saluos fieri. Hic autem articulus mediatoris .i. Christi in carne nos saluantis præsupponit articulum trinitatis secundũ S.Tho. 2. 2.q. 2. ar. 8. eò ꝙ non pater, nec spiritussanctus, sed filius est incarnatus.

Commu nicaturo quæ cre denda.

Vt ergo breuiter annumerẽ propter pueros, quæ credenda sunt, constringã dicenda in paucos articulos. Primũ credere oportet vnũ esse Deũ, & hunc totius creaturæ principiũ. Hũc quoq; fore omnipotentẽ, omniscientem, optimũ summũ &c. Qui nedũ omnia produxit, sed & creaturam rationalẽ ad sui imaginem condidit, volens suæ legis obseruatores beatificare, contemptores verò pro demeritis æternaliter punire, pro vt tenor symboli hæc summatim complectitur. Secundo credere oportet Dei filium pro homine redimendo incarnatum ex Maria Virgine, passum, sepultum resurrexisse, ascendisse, & hunc venturum iudicem viuorum, & mortuorũ. Declara quomodo hæc Dei filius egit, & sustinuit &c. pro hominis lapsi reparatione amorosã. Cum verò secundum prædicta articulus incarnationis Christi præsupponit articulum mysterij trinitatis, ideò secundum sanctum Tho. omnes fideles tenentur credere explicitẽ mysterium trinitatis saltem in genere, vt sciant interrogati respondere, & dicere, Deum patrẽ filium suum misisse in hunc mundũ, & hunc pro nobis incarnatum &c. Vnde etiam secundũ sanctum Bona. quilibet fidelis tenẽtur explicitè credere articulos illos, quos non solum prædicatio in distinctis personarum festiuitatibus, sed & vsus ecclesiæ manifestat vt est articulus de vnitate, & trinitate, quem manifestat actus cõsignationis, cũ se quis in pectore cõsignat dicens: In nomine patris, & filij, & spiritussancti Videlicet de hoc doc. in 3. sententiarum. distin. 25. Si ad hanc fidem (secundum illos sanctos patres omnes fideles tenentur) nec excusat ignorantia, quantò magis sumpturi eucharistiæ sacramẽtũ Itaq; tertiò tenentur credere saltem in genere, dimissis speculationibus, ꝙ in diuinis est vnus Deus, pater, & filius, & spiritussanctus. Ex quibus nunc aliquo modo patet, à quo homo creatus est, ad quid, quomodo, & per quem reparatus est post lapsum. Quid de eo futurum est si bene, vel malè vixerit? Hæc sunt generalia, quæ credendis de eucharistia præsupponuntur.

Commu nicaiut[a] quid circa eu char.cic dat.

Circa euchariſtiam hæc ſunt tenenda. Quia per primi hominis lapſum humana natura vitiata eſt, & in naturalib[a] vulnerata, ac gratuitis ſpoliata, vt patet in parabola deſcendentis ab Hieruſalem in Hierico. Lu. 10. Ita q vt habetur Gen. 8. Senſus, & cogitatio humani cordis proni ſunt ad malū ab adoleſcentia. Et ita debilitata eſt indigens medicinis curatiuis, præſeruatiuis, & confortatiuis. Propter hoc hominis liberator Chriſtus ſacramenta medicinalia inſtituit. Quædam ad regenerationem ſpiritualem, vt baptiſmū. Quædā ad robur regenerati, vt confirmationē. Quædā ad nutritionem, vt euchariſtiā. Quædam ad curationē, vt pœnitentiā, & vnctionem &c. Sicut .n. corpus (niſi nutrimento deperditū reſtauretur, propter cōſumptionem humidi radicalis) tandem deficit. Ita & anima niſi continuò reſtauretur (q per fomitē malè inclinantē deperditur) tandē deficit à vita gratia. Inſtituit ergo ex infinitæ bonitatis miſericordia, & charitate maxima euchariſtiæ ſacramentum, pro quotidiana nutritione interioris hominis. Panē non ſolum cœleſtem, ſed ſupercœleſtē. Panē angelorū, quo angeli fruuntur facialiter & apertè. Nos verò in hac vita ſub ſpecierum ſenſibiliū velamine.

Tranſ- ſubſtantiatio in Euch credenda p batur.

Itaq; credendū eſt circa hoc euchariſtiæ ſacramentū, ſiue de hoc ſacramēto, q facta conſecratione ſacerdotali ritè, & legitimè, panis ſubſtantia non manet, & ſimiliter in calice ſubſtātia non manet, ſed definit eſſe, & conuertitur in corpus Chriſti, ita q vbi prius fuit panis ſubſtantia, quæ nunc eſſe deſijt, ibi nunc eſt ſub illis prioribus accidentibus panis verum corpus Chriſti. Sic in calice, vino conuerſo in ſanguinem, vbi prius fuit vini ſubſtantia iā eſt ver[a] Chriſti ſanguis, & corpus eius. Eſt itaq; ſub ſpeciebus illis viſibilibus verū Chriſti corpus inuiſibiliter, & omnia, q ſunt de ſacratiſsimi corporis eius integritate, decore, perfectione &c. prout eſt in ſua naturali conſiſtentia, quantum ad omnia excepta locali circumſcriptione. Eſt ergo ibi ſub ſacramento Chriſtus Deus, & homo, Chriſti corpus, Chriſti anima, Chriſti ſanguis caput, pect[a], manus, pedes, crines, oculi, & cęteræ partes integrales. Itē deitas ſanctiſſima. Itē ſub ſpeciebus vini facta conſecratione, non plus, vel minus nunc continetur quā ſub ſpeciebus panis. Nec eſt in calice Chriſti ſanguis fluens extra venas ſed eſt in venis, & in corpore domini, ſicuti ſub ſpeciebus panis, quāuis ſpecies vini, ſub quibus eſt ſanguis dñi, ſunt ibi modo fluido. Non itaq; à nobis videtur corpus Chriſti, nec dentibus laceratur, aut guſtu percipitur. Sed ſpecies panis dentibus lacerantur, & videntur, ac guſtu percipiuntur, ſub quibus modo inuiſibile, verū & integrū, ac perfectū Chriſti corpus deitati vnitū cōtinetur. Nec hoc ē difficile illi, qui omnia creauit ex nihilo, cui[a] poteſtati omnia ſunt ſubiecta. Et licet hæc ſenſu percipere nō poteſt homo, firmiter tñ credere debet hæc, & ſimilia mirabilia, quæ circa hoc ſacramentū credenda proponit eccleſia. Fecit .n. in hoc ſacramento memoriā mirabiliū ſuorum miſericors, & miſerator dñs, cū dedit eſcā timentib[a] ſe. Nec curioſitate allectus quærat hinc inde quomodo iſta ita ſe habere poſſint ſed captiuet intellectū ſuū in obſequiū Chriſti, innitens eius omnipotentiæ, & veritati infallibili dicenti: Hoc eſt corpus meū. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationē. Item Hic eſt ſanguis meus &c. quæ in ſcriptura canonica habentur. Attentis itaq; poſſibilitate, & veritate nihil dubij manet. Sic ergo primum requiritur fides, & oportet accedentem eſſe fidelem.

In euch. curioſitas vitanda.

Vſus rationis requiritur in communic.

Secundò accedere volentes iuxta domini mandatum dicentis: Hoc facite in meam commemorationem. Debent habere vſum rationis, qua diſcernant actualiter hunc cibum ab alio cibo &c. vt ſupra tactum fuit B. in principio ſermonis huius. Vnde apoſtolus cauſam indignæ ſumptionis ponit, non dijudicare corp[a] domini. Dijudicet ergo corpus domini quantum ad inſtitutionis cauſam, & in Deo, & in nobis. In Deo non fuit niſi ardentiſſima charitas noſtri

ſtri ſaluatoris, qua nobiſcum eſſe voluit ſacramentaliter vſq; ad conſummationem ſeculi. Matth. vlti. Charitas maxima Dei ad nos, maximum operata eſt effectum, cum ſe nobis dare voluit in cibum animæ, tanquam aram ſuæ perpetuæ dilectionis. Vnde ait. Deſyderio deſyderaui hoc paſcha manducare vobiſcum ante quam patiar. Luc. 22. Eia conſydera ſi vales quantitatem deſyderij ex temporis propinquitate. Patiendi tanta erat paſsio futura, vt ſola eius præuiſio ſanguinem decurrere faceret in terram, ſed vicit charitatis deſyderium timoris anxietatem Nec tunc non cogitabat paſsionẽ, quam in ipſis verbis deſyderium exprimentibus commemorat, dicens, ante quã patiar. Cauſa ex parte noſtra fuit, vt haberemus paſsionis memoriale perpetuum pro peccatis placans ſacrificium, confortantis cibi delicatum edulium, gloriæ perennis pignus certiſſimum. Quorum proſecutio hic reſcinditur. Prohibentur itaq; à ſacramenti euchariſtiæ perceptione omnes ſenes, & iuuenes rationis vſu carentes, qui nõ norunt Chriſtum ſub ſacramentalibus ſpeciebus contentum latria adorare. Sic & amantes, fatui, ſtulti, aut etiam harum rerum prorſus ignari, qui eccleſias non frequentant, nec vllam de his, quæ fidei ſunt, habent notitiam.

Ieiuniũ requiritur in communic.

Tertiò acceſſuri debent eſſe ieiuni, à peccatis, & cenſuris liberi. De quibus ſermone primo ſatis dictum eſt. Ex his habetur primæ quæſtiunculæ proſecutio breuis, pro paruulorũ, & ſimplicium qualicunq; eruditione.

In Euch. tria conſyderanda.

Quæſtio ſecunda. Quomodo accedendum eſt? Ad quam breuiter dicendum. Sic in hoc ſacramento tria repe riuntur .ſ. Sacramentum tm̃.ſ. ſpecies viſibilis. Res tantum .ſ. corpus Chriſti myſticum. Res & ſacramentum corpꝰ Chriſti verum. Sic triplex eſt manducatio ſecundum glo. 1. Cor. 11. Prima ſacramentalis tantũ & hæc officit, quia eſt mors malis. Secunda ſpiritalis tantum, & hæc proficit, non ſufficit. Vnde Aug. in li. conſe. Crede, & manducaſti. Et in hom. Illã eſcã manducare eſt in Chriſto manere, & illũ manentẽ in ſe habere. Tertia ſacramentalis, & ſpiritualis, & illa ſufficit ſecundum ca. Omnis vtriuſq; Iſto tertio modo accedẽtes ſe habẽt in triplici differentia. Quidã .n. dignè accedũt quidã indignè, quidã neutraliter. Dignè, qñ accedẽs cõſequitur gratię augmẽtũ. Indignè, qñ pp ſui indiſpoſitionẽ mortaliter peccat. Vnde apoſtolus. Iudicium ſibi mãducat, & bibit. Neutraliter, qui nec gratiã cõſequitur, nec peccatum incurrit propter aliquod latens peccatũ poſt diligentẽ ſui inquiſitionẽ, & probationẽ. Ad primum aſpirãdũ. Secundũ ſũmopere cauendũ. Tertiũ ad minus exhibendũ.

Dignè accedit, qui in gratia accedit nõ prohibitus. Poteſt .n. aliqñ aliquis prohiberi in gratia exiſtens, ſicut aliqñ excõmunicatur, qui in gr̃a eſt. Patet, qa eſt panis filiorũ. Per gratiã autẽ, & charitatẽ eſt filius Dei. Ioan. 1. Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri &c. Credit in Deũ, qui charitatiuè fertur in eum amore gratuito. Indignè, qui contra eccleſiæ vel confeſſoris prohibitionẽ, vel in mortali non confeſſus accedit, propter humanã verecundiã, aut phariſaicam hypocriſim, timorẽ humanum, vel aliũ finẽ malum, & peruerſum. Tales & ſi vitam ſuſcipiunt, ſuſcipiunt tamẽ ad mortem ſempiternã ſicut venenatum animal tyriacã. Si dicis: Talis ergo in mortali exiſtens eſt perplexus. Si accedit, accipit mortem. Si non, non habet in ſe vitam. vt dicit Bernar. in ſermone paſchali. Rom. Stat in caſu ꝙ non accedendo ſacramentaliter non peccet prohibitus ab eccleſia, dummodo tum accedit ſpiritualiter, ſic ergo nõ erit ꝑplexus, qa ꝓ obedıẽtiã omittens meretur &c. dũ habet caſum aliquẽ occultum, pp quẽ non poteſt parere eccleſiæ ſine mortali. Similiter qñ quãtũ in nobis ẽ abſolutionem non impedit, ſeu quando non ſtat per eũ, quin abſoluatur. Sed q eſt in mortali, poteſt à peccato recedere, & conteri, ac confiteri, & ſic accedere, quod ſi non facit, perplexus quidẽ eſt, ſed ex culpa ſua. Quibus beatus

Bern.

Bern. in sermone paschali ait. Depræhensi estis inter angustias præuaricatores, non qui præuaricati estis, sed qui persistitis in peccatis, addentes præuaricationes, aut penitus impęnitentes, aut tepidè penitentes, nec periculosa fugientes, vel post experientiam miseriam peccatorum. Irretiuit vos inimicus perplexis neruis testiculorum. Si hac conscientia Christi sacramenta refugitis, nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitam in vobis. Si indignè suscipitis, iudicium vobis manducatis, sanctum corpus domini non diiudicantes.

Cómuni cationeu traliter qui.

Neutraliter sumunt, nec dignè simpliciter, quia non in gratia, propter aliquod latens peccatum, licet non in memoria post factam necessariam discussionem. Hi accedendo post factam huiusmodi diligentiam non peccant, sed alterum de duobus consequuntur, vel obliti peccati remissionem, vel mentis illuminationem. Vnde semper cum timore accedendum est, & dicendum. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me domine. Per hoc dicitur ad quæstionem, quomodo accedi debet. Dicitur dignè, vel ad minus non indignè. Dignè. s. cum gratia & timore, feruore desyderio, ac deuotione, ac venialium detersione, purgatus prius per dignam pænitentiam pro peccatis. De quibus illud Aug. indignè enim accedit, si tunc accipit, cum debet agere pænitentiam. Ergo prius se iudicet, & seueritate pęnitentiæ se exerceat, vt à se ipso iudicatus, non iudicetur à domino. Cessat enim vindicta diuina, si confessio præcurrat humana. Hæc glo 1. Cor. 11.

Et modum hunc ostendit dominus, cum surgens à cęna vestimenta deponit, linteo se præcinxit, pedes discipulorum lauit, & sic eucharistiam dedit. Quo facto veluti exemplo docuit, vt accessuri, prius vestimenta veteris conuersationis deponamus, linteo castitatis, ac munditiæ, & deuotionis præcingamur, affectiones puluerulentas venialium lauemus. Non indignè verò accedit, qui præmissa diligenti examinatione, ac confessione cum proposito non peccandi sibi non est conscius mortalis peccati non confessi, alio legitimo impedimento non existente.

Euch. ad quid sumenda.

Quęstio tertia. Ad quid, vel cur sumendum est eucharistiæ sacramentū? Huius à doctoribus assignentur causæ multæ, quarum aliquę sunt, vt tanto salutari dono cū gratiarum actione vtamur, vt per hoc memoriale passionis dominicę nusquàm obliuiscamur, vt ecclesiæ mandato obtemperemus. Omnis vtriusque, vt fructus eius incompræhensibiles consequamur. Fructus suus omne bonum. Quid enim non consequetur, qui totius boni fontem accepit? Hinc per excellentiam eucharistia dicitur, quasi bona gratia in genere, sicut dicitur bonus Israel Deus. Hos autem fructus explicare nemo sufficit, laborarunt multi, sed inenarrabile quis enarrabit?

Fructus Euc. sunt inenarrabiles.

Potest enim consyderari multipliciter. s. quantum ad contenta, vt memoriale passionis, vt sacrificium, vt cibus, & viaticum, vt communio christianorum, secundum hoc varij varios eius fructus exponere nisi sunt.

Albertus prosequitur primum, ostendens, qui ratione contentorum præstat omnem gratiam. s. Communionis, ex corpore Christi, & membris communicantibus composito. Expiationis ex sanguine Christi. Redemptionis, ex anima, quæ fuit precium nostrum. Viuificationis, ex spiritu Christi. Refectionis ex deitate. Æternę beatitudinis, ex omnibus simul. De primo, Panis, quem frāgimus, nonne communicatio corporis Christi est? 1. Cor. 10. & 12. De secundo Si sanguis vitulorum, & hircorum &c. Heb. 2. De tertio. Bonus pastor animā suam dat pro ouibus suis. Ioan. 10. De quarto Caro nihil prodest spiritus est, qui viuificat. Ioan. 6. De quinto. Neque qui plantat, est aliquid, nec qui rigat, sed qui dat incrementum. 1. Corinth. 3. De sexto. Qui Christum non habet, hic non est eius, sed propter inhabitantem spiritum, qui hūc suscitauit à mortuis,

tuis, viuificabit & mortalia corpora ve stra. 1. Cor. 15. Erit deus omnia in omnibus. Horum prosecutio alteri sermoni reseruatur.

### De eodem. Sermo IIII. in ordine XXII.

Xps quo instituit sacramētū verū sacrificium.

DESYDERIO desyderaui hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar. Lu. 22.

Venit hora à patre, filioque constituta. Adsunt diuinæ pietatis sacramenta. Tempus omnibus Christianis verè desyderatum. Tempus magnæ cenæ cęlestis conuiuii. In quo non manna de cęlo Angelicis manibus præparatum, antiquo hebręorum populo concessum in deserto, sed quod est supra cælum, super Angelos, quia cęli, & Angelorum creator. Non illud, quod reseruatum in diem alterum computruit, & vermibus scaturiebat, sed quod mentem viuificat in ęternum, & vermes interficit peccatorum. Non quod comestum conuertitur in sumentem, sed manducantem cōuertit in seipsum. Non quod corpus nutrit ad mortem, sed quod animam cibat ad vitam immortalem. Caro mea verè est cibus, & sangnis meus verè est potus. Qui manducauerit ex hoc pane mortem non videbit in æternum. Neq; enim Moyses (inquit dominus) dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis verus est, qui de cęlo descendit, & dat vitam mundo. Ioan 6. O inenarrabilis dei bonitas. O stupendum pietatis consilium super filios hominum, cui non satis fuit homine de nihilo ad sui imaginem producere capacem beatitudinis, nec lapsum morte vnigeniti reparare, nisi idem patris vnigenitus ex obedientia patris seipsum nobis daret in cibū, quo vita sanguinis precio empta, in nos flueret ac seruaretur. Hinc canit ecclesia, Se nascens dedit socium, conuescēs in edulium, se moriens in precium, se regnans dat in præmium. In quo rogo patris bonitas ineffabilis Magis ostendi potuit, quàm in filij sui sacramentalī manducatione? De qua filius aduenien te passionis hora inquit. Desyderio desyderaui &c. Quia hodierna die huius diuinalis manducationis institutio facta est, ad quam etiam præcepto Christi, & ecclesiæ inuitamur. ideò de duobus videndum erit De eius institutione, & éius manducatione.

Quo ad primum instituit dominus hunc cibum in verum sacrificium, in animę edulium, in dilectionis arram & signum. Institutum est primò in verum sacrificium. Omni enim tempore humano generi sacrificium necessarium fuit tam in protestationem supremi domini quàm in remissionem peccati, quàm in redditionem gratiarum accepti beneficij. Hinc illa multiplicia legis veteris sacrificia Abel Noe, Abraam, Melchisedech multiplicia etiam legis moysaicæ. s. hostiæ pacificę pro peccatis, & holocausta. Sed ecce sicut verbū abbreuiatum fecit dominus super terram (ait Gerson) ita & hostiam abbreuiatam, quia vnicam, patri acceptissimam, plenam eminenter omnibus illis bonisque per veteris testamenti sacrificia quærebantur (ipsam dico hostiam quæ & verbum) Hostiam semel oblatā in cruce. Hęb. 9. Christus assistens pontifex &c. introiuit semel in sancta ęterna redemptione inuenta. Eandem in sacramento quotidie offerendam, in qua omnia illius oblationis in cruce factę beneficia, & fructus participamus. Si deletionem peccatorum petis, ait Gerson super Magnificat, tract. 9. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Si gratiarum actionem, Ecce gratias agit pro nobis Deo patri Christus Nam gratias agens sacramentum illud instituit. Si malorum euitationem, ipse nos saluat, & liberat, quia languores nostros ipse tolit. Esa 53. Si bonorum celerem consecutionem, interrogatus latro docebit, qui tempore huius sacrificii vespertini audire meruit cum iuramento. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Et quid boni non tribueret illud sacramentum in ratione sa-

Christus instituit sacramētū in cibum & potum.

sacrificii, quo patri filius vnigenitus sacrificatur, & offertur fons totius boni? Huic sacramento respondeat oportet fides integra simul, & firma in corde suscipientis, quia frustra est protestatio, quæ fit in sacramento exterius, si animus non teneat fidem intus. Et quæ fides? Ecclesiæ, vt de illo mirabili sacramento credat, quod ecclesia credit. Existentiam s. rei contentæ in hostia verissimam. Declara Breuiter. Cętera curiosa tanquam agni paschalis reliquię concrementur &c.

Euch. quare sub panis & vini specie

Secundo institutum est hoc sacramentum in cibum animæ vt scilicet nutrimento conuenienti animam ad vitam per baptismum regeneratam donus aleret cibo vitæ, contra illum cibũ vetitum primorum parentum, qui fuerat cibus mortis. vnde eis dictum est. In quacunque die comederitis ex eo morte morie. Gen. 2. De cibo autem nostro dicitur. Quicunque manducaue. ex hoc pane viuet in æternum. Ioan. 6. Vnde Inno. Vt suam erga nos charitatem ostenderet simul, & gratiam, dedit se nobis in precium simul, & cibum, vt per precium nos redimeret àmorte, per cibum aleret ad vitam. Et Alexander de ales parte 4. pro. 2. inquit. Instituit diuina sapientia sacramentum corporis, & sanguinis sui, vt ad gustum diuinitatis suæ per gustum humanitatis nos inuitaret. Tertiò propter mortis suæ commemorationem, quæ amorem nostrum sibi totaliter debet vendicare. Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bi mortem domini annunciabitis donec veniat. 1. Cor. 11. Quarta ratio est quotidianorum peccatorum venia. Innocen. Dedit dominus nobis hoc sacramentum salutis vt quia quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest, per hoc sacramentum remissionem peccatorum quotidie consequamur. Quare autem potius sub panis, & vini specie instituit, cum alia plura sint ciborum genera? Magister in. 4. dist. 11. ponit aliquas rationes, Prima vt fides habeat meritum, dum sumitur Christus aliena specie occultatus. Secunda, ne horreat animus, quod cerneret oculus. Tertia, ne ab infidelibus nostrę fidei insultaretur, si sumeremus carnem, & sanguinẽ occisi hominis. Quarta ratio est Hugonis lib. 2. de sacramentis. parte 8 cap. 8. scilicet significationis perfectio. Significationis duplicis, s. veri, & contenti corporis Christi, & spiritualis refectionis mentis. Habet enim panis expressam similitudinem corporis Nam panis materia, granum est frumenti, quod in terram proijcitur. In terra mortificatur, vt fructum afferat. Ioannis. 12. Contritum in farinam resoluitur, & apposita aqua pasta cõficitur, quæ cocta igne in panem perfectum maturatur. Sic Christus terrę insertus est, vtero. s. virginali. De qua propheta. Etenim Deus dabit benignitatem, & terra nostra dedit fructũ suũ. In medio terræ mortuus est, vnde fructus plurimus sequebatur. s. peccatorũ remissio, regni cęlestis apertio, & immarcessibilis glorię plenitudo. Ex quo multiplici fructu integratur corp⁹ Cristi mysticum, ecclesia militans, & triumphans, quæ ex membris multis colligitur fidei liquore, & diuini ardoris amore inuicem combinatis. Refectionem insuper mentis, quam per hoc sacramẽtum dominus præstat, quomodo aptius significari, posset, quam in pane, & vino quo quotidie alimur, ac sustentamur corporaliter, & roboramur, secundum illud. Panis confirmat cor hominis. Nec aliquando licet quotidianus sit, fastiditur, vt diffuse habet Hugo vbi supra. Sic per eucharistiam diuinissimam in gratia, quæ est vita spiritualis, fouemur, nutrimur, & augmentamur, nec aliquando fastidimus, cum ipse sit panis de cęlo præstitus, omne delectamentum in se habens, & omnem saporem suauitatis.

Purgatio animæ requiritur in suscep. sacramẽti Euch.

Hæc autem institutio in ratione eduliȷ exigit animæ purgationem. Cibus enim traiectus in stomachum humoribus plenum, nauseam prouocat, non nutrit, noxiȷ humores peccata sunt, à quibus purgari oportet, vt sic stomachus eſu-

Esuriens satietur bonis, secundum illud, Esurientes impleuit bonis. Quod & forma hostiæ, & qualitas admonet, quia est ad litteram parua, nitens, sana, ceres, azyma, mundaq; scripta. Et signat hæc septuplex hostiæ conditio, nos excludere debere septem vitia capitalia: In paruitate superbiam, in nitore inuidiam, in integritate iram, in rotunditate volubili acediam, in azymo fur fur auaritiæ, in munditia fœditatem luxuriæ, in scriptura hebetudinem gulæ. His ab anima longè actis, suas operationes diuinas operari præualet hostia diuina. Cibus enim est nõ mortuorum, sed viuentium, nec infirmorum, sed sanorum. Cresce inquit Aug. & manducabis me.

Hanc etiam receptaculorum nostrorum dispositionem nõ melius nisi per doctrinam Christi habere possumus, qui hoc sacramentum instituit, & virtutem eius, qui se in cibum nobis tribuit in hoc sacramento. Cuius nedum verba, sed & facta, doctrinæ sunt prædicamenta. Ipse enim est via, qua portamur, veritas, qua ducimur, vita, qua cibati viuificamur. Attendamus ergo quæ in huius sacramenti institutione fecit & dixit. Eleuauit oculos ad patrem contra superbiam. Gratias pro nobis egit contra inuidiam. Benedixit contra auaritiam. Fregit contra iram. Discipulis suis dedit contra luxuriam. Vt acciperent, & manducarent præcepit, contra gulam. Sint sex illa in nobis, quibus addi potest septimum, sumendi ardens desyderium. Nam & ipse desyderio desyderauit cum discipulis suis manducare hoc pascha, antequã pateretur, Luc. 22. & hoc contra accidiam.

Christus dominus hoc sacramentũ consecraturus, & discipulis traditurus oculos ad patrem leuauit. Quod & frequenter in arduis operibus fecisse legitur, significans se à patre omnia habere, sicut naturam diuinam, ita potentiam sapientiam, & omnem perfectionem. Siquidem secũdum beatum Aug. quicquid habet, nascendo recepit à patre quo arduitas facti, & dignitas sacramenti significatur, secundum Alex. Non enim sic in aliorum sacramentorum institutione fecisse legitur. Vnde de eius excellentia super cætera sacramenta habere de cons. di. 2. Nihil. Nihil in sacrificiis maius esse põt, quã corpus, & sanguis Christi &c. Ita leuentur oculi mentis nostræ ad patrem. Oculus mentis intentio est animi, quæ si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Matth. 6. Sit intentio nostra simplex ad Deum, non reflexa ad nos, & terrena. Nemo accedat ex sola consuetudine, hypocrisi, simulatione, verecundia, aut humano timore, sed ex obediẽtia, & gratitudine, ex diuini honoris ac perfectionis magnitudine, ex desyderio vniendi se Deo, & consequendi fructus spirituales huius sacramenti.

Gratias egit Deo de tanto dono de tam excellenti gratia, de tam efficaci cibo, sacramento dignissimo, & mysterio tam profundo, quod nostram salutem tam mirifice operatur. Nos itaq; & deuotissimas gratiarũ actiones Deo offeramus, cognoscentes nostram indignitatem cum Petro, & Centurione, qui se indignos iudicarunt recipere dominum. Vnus in naui dicens, Exi à me domine, quia peccator sum Luc 6. Alius, Domine non sum dignus &c. Matth. 8. Neque enim Petro sumus feruentiores, nec Cẽturione fideliores. Quorum primo dixit Ioann. 21. Amas me, pasce oues meas. Secundo, Non inueni tantam fidem in Israel. Matth. octauo. Hinc Ephes. quinto. Gratias agentes semper in omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi Deo patri. Si pro omnibus, quantò magis pro dono isto maximo. Hinc Beda. Gratias egit, nobis in exemplum, vt & Deum in singulis actibus nostris præoculis habentes, gratiarum actiones de omnibus bonis referamus. Et sequitur. Sicut in veteribus terminandis, sic de nouis incipiendis gratias egit Christus, nobis pariter exemplũ tribuens in omnis boni inchoatione, vel perfectione, patrem, qui in cœlis est, glorificandum esse.

Benedixit,conuertendo terrenam substantiam in corpus suum, ac seipsum. Quod quomodo fiat, non est nostrum perscrutari, nec gloria opprimamur. Sufficit credere, qđ ibi est corpus Christi secundum se, & quodlibet sui, pane desinente,& manentibus speciebus panis, sub quibus est corpus Christi. Et nos à terrenis ad dominum conuertamur per firmum propositum, per nostræ voluntatis conformitatem Deo adhærendi,vt simus vnus spiritus cum eo, dicentes cum Apostolo, Viuo ego, non ego, sed viuit in me Christus.

In Euch. quid frãgitur. Fregit in partes non corpus suum, sed sacramentum .i. species panis, distribuens singulis totum corpus suum sub particulis singulis. Frangamus & nos per discretionem,secundum illud Salo. Ad mensam magnam sedisti, attende, quæ apponuntur tibi.Et 1.Corinth.10. Quicunque manducat, & bibit indignè,iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus domini,iudicio .s. discretionis, secundum glos. Debet autem in nobis esse triplex discretio.s. Cibi illius spiritualis à corporali. Discretio contentorum à continentibus .s corporis Christi à sacramento, vt nõ hoc quod videtur Christus esse credatur.Declara.Discretio suiipsius.i.inquisitio propriæ conscientiæ secundum illud, Probet autem seipsum homo.&c.

Discretio triplex habenda in sacramẽto. Dedit discipulis suis veris,non alienis, nec falsis ad salutem, quoniam etsi Iudas accepit,non tamẽ ad vitam, sed ad mortem. Vnde postquàm accepit buccellam, intrauit in eum sathanas,& desperans,se suspendit. Simus & nos non ficti, sed veri Christi discipuli,quia nemo alius hoc sacramentum sumere potest ad vitam. Sunt autem veri Christi discipuli, qui quod sũmus veritatis magister de hoc sacramento credendũ tradidit,firmiter credunt. Ideò nõ fuerunt veri discipuli, qui audita Christi prędicatione de hoc sacramento retrorsum abierunt, dicentes. Quomodo põt hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Durus est hic sermo,quis potest eũ sustinere? Discipuli Christi sunt, qui eius obtemperant mandatis. Sic ait Ioan.15. Vos amici mei estis, si feceritis,quæ pręcipio vobis. Amici sunt,& discipuli, ideò veri discipuli non sunt, quibus dixit dominus, Vos propter traditiones vestras irritum fecistis mandatum Dei. Matt.15. Discipuli Cristi sunt, qui fraterna charitate validè solidantur. Ioan.13. In hoc cognoscẽt omnes,quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hęc dilectio discernit filios,ac discipulos Dei à discipulis diaboli. Sacramentum igitur charitatis nemo sumat, qui fuerit expers charitatis.

Euc quõ accipienda. Vt acciperent,& manducarent præcepit,dicens, Accipite .s. cum beniuolentia, non rapite cum violentia, quia quod vobis porrigitur,panis est filiorũ, qui sumendus est cum amore de manu donantis,non rapiendus vi,aut violenta extorsione, nè fortè magis rapinam committeret, dum tollit alienum quidem,quàm acciperet reuerenter, quòd gratuito, & liberaliter ministrat dominus omnium. Rapiunt autem violenter, qui vel excommunicati, suspensi vel interdicti ab ecclesia, vel confessore prohibiti, aut mortalibus peccatis obnoxii, veluti lupi, & canes immundi panem hunc filiorum, canibus non mittendum, accipiunt. Magis eligentes hac sumptione peccata,quæ dimittere nolunt, palliare, quàm per humilem sui indignitatis recognitionem ad tempus abstinere, donec mundati pura pos sint conscientia salubriter manducare, accepturi eum de manibus donantis humiliter, & deuotè. Ait ergo Christus: accipite cum deuotione, & manducate cum veneratione. Vel,accipite per fidem,manducate per charitatem. Vel secundum dom.

Inno. Accipite sacramentaliter,manducate spiritualiter.

## IN CENA DOMINI de diuinissimo eucharistiæ sacramento. Sermo V. in ordine. XXIII.

DESYDERIO. desyderaui hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Luc. 22.

Christi charitas in quo maximè ostēdasit.

Secundum Hugonem in de laudibus charitatis, sola charitas Deum trahere potuit de cœlo ad terras, propter nimiā enim charitatem suam Deus, cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est, ad Rom. 5. ipse deniq; omnibus diebus vitæ suæ pro nobis in feruentissimo desyderio salutis nostræ laborauit, currendo, prædicando, miracula faciendo &c. Et quare hęc omnia? Nimirum charitate victus, charitatis opus perficere conabatur, cuius opus est vnire animas amato. Hinc rogabat patrem pro omnibus, qui crediturì erāt vt sicut pater in se, & ipse in patre, ita & in eis vnum essent. Ioan. 17. Vniuit Vtique sibi hominem per naturam in benedicta sui incarnatione. Vniuit per charitatem in peccatorum remissione, ac cæterorum beneficiorum exhibitione restabat adhuc vnus, & maximus vniendi modus viatori possibilis, quo ita id quod vnitur, transit in aliud, vt iam non sua, sed quasi alterius vita viuat. Hoc modo cibus vnitur cibato, in cuius naturam per digestiuam cōuertitur virtutem. Sic enim nutrimentum non in se, sed in viuentis animalis natura, in quam iam est conuersum viuere cōprobatur. Vt ergo vndiq; perfectè Christo vniremur, voluit etiam se nobis tradere in cibum, & sanguinem suum in potum, quatenus sic in eum vnitiuè cōuerteremur, in ipsoque propriam carnalitatis naturam obliti viueremus, diceremusque, viuo ego, non ego, sed viuit in me Christus, ad Galat. 2 De quo etiam Aug. in persona Christi ait, Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, non ego in te, sed tu mutaberis in me. Hæc denique refectio vnionem summam, quam in beatitudine expectamus, & significat, & in pignore repromittit. Quis enim vel dubitare possit Christo se in æternitate fruiturum, cui adhuc mortali Christus se dedit in cibum, & potum? Hoc pascha verum dudum legali agno, & manna præfiguratum, in passionis memoriam à domino iam passuro, pro finali, & maximo munere collatum, quod licet longè prius dare desyderauit, prius tamen conferre non expediuit. Sed appropinquante iā passionis hora, duplicato desyderio, memoriç.f. passionis cōmmendandæ. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et nos sibi per gratiam incorporandi se nobis dedit in cibum, daturus cito se nobis per mortem in precium, quod desyderium duplex discipulis suis volens exprimere ait post sumptum typicum agnum, Desyderio desyderaui hoc pascha manducare vobiscum quæ fuere verba in principio proposito. De quibus vt aliquid dicam, pro gratia Aue Maria.

In quibus verbis tangitur cibantis desyderii immensitas, quia desyderio desyderaui. Singularis cibi dignitas, quia hoc pascha. Sumptionis discreta modalitas, quia manducare vobiscum, non vorare, sed cum discretione mandibulis masticare, & non cum omnibus, sed vobis discipulis meis. Primò in nobis respondere debet, amor feruens. Secundò reuerentia ingens. Tertiò puritas candens. Sed primis duobus nunc dimissis propter breuitatem, tertio, qđ nobis magis est necessarium, decreui immorandum, quod est discreta modalitas sumptionis. Nam secundum Apostolum 1. Cor. 11. Iudicium sibi manducat, quisquis indignè manducat, non diiudicans, idest discernens corpus domini.

Modus discretus sumendi Euch.

Quomodo autem discernere debemus & corpus domini, & nosipsos, oportunè instruimur per ea quæ gesta sunt in cęna domini. Et quidem referente

rente. Ioan. 13. Priusquàm ad hanc dignissimam cęnam consedisset, surgit à cęna agni typici, quod pręcipuum erat inter sacramenta veteris testamenti sacrificium in morte sua terminandum, ac nouę legis sacramenta substituenda vt ait magister. dist 8. quarti. Deponit vestimenta, accepit lintheum, pręcinxit se. Ante discipulorum pedes procubuit, pedes eorum lauare cępit. Iterum ad mensam recumbens, quæ fecerat gratia significationis discipulos erudiuit; & sic ad corporis sui consecrationem, & participationem processit. Quæ sex si in nobis mysticè reperta fuerint, securè accedemus, nec sine fructu sumemus. Hæc ipsa denique dudum in paschalis agni comestione sunt antiquitus figurata.

Præparationes sex ante Euch.

Primo igitur surgere debemus à veteri cæna, ac vestimenta deponere vetustatis. Ad quod nos hortatur Apostolus Col. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. Vetus homo noster voluntas est peccandi, in quam incidimus per Adam veterem, in quo omnes moriuntur. Oportet ergo quantum ad hunc articulum omnia, & singula peccata, mortalia præsertim iam reliquisse per veram contritionem, & firmum propositum nunquam repetendi. Nec hoc sufficit, sed etiam requiritur confessio vocalis præuia omnium peccatorum criminalium prius non cōfessorum. Cuius causam assignat Scotus lib 4. dist. 9. quia non tantum debet reconciliari Deo, sed etiam ecclesię, qui dignè sumere vult sacramentum vnitatis ecclesiæ. Ideò denique ecclesia instituit, vt in paschate omnis vtriusque sexus omnia sua peccata proprio confiteatur sacerdoti, quatenus tunc dignè communicet. Et eadem ratione quocunque tempore communicare voluerit, conscius de crimine, tenetur se prius per confessionis sacramentum expurgare. De hoc Hugo dicit in libro de potestate ligandi, & soluendi. Audacter dico. si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis, & sanguinis Christi quis accesserit, pro certo iudicium sibi manducat, & bibit, etiam si eum iam multum pęniteat, & vehementer doleat, & ingemiscat, hoc tamen verum est (vt dicit Scot. vbi supra) nisi excuset necessitas celebrandi, aut scandalum proximorum tunc enim si opportunitas confitendi non sit, stante contritione, potest quis accedere. Quia si necessitas, & scandalum non vrgeat, debet potius & sacerdos, & laicus communionem suspendere, donec prius occurrat opportunitas confitendi. De venialibus autem, licet sit congruum de eis conteri, & confiteri, non tamen de necessitate requiritur, ita quod non faciēs, nouo peccet peccato. Et in huius figuram comedentes agnum typicum, stabant erecti. s. à peccati curuitate, parati ad ambulandum de tenebris Ægypti per terram promissionis, per bonum propositum emendationis vitæ.

Secundo oportet præcingere lumbos cingulo fidei. Sic præcinctus erat Christus, dicente Esa. Et erit fides cinctorum renum eius. Eiusdem. 11. Hæc fides singulariter accedenti ad hoc sacramentum est necessaria tantò magis, quantò maiora fecit Deus hic mirabilia. Credamus ergo firmiter sub speciebus panis, & vini contineri verū corpus Christi, natum de virgine, passum in cruce, & iam gloriosum regnās ad patris dexteram, idem in cœlo, & altari idem sub multis speciebus, idē denique & totum sub qualibet speciei panis, & vini parte corpus tale, quale est in cęlo .i. corpus viuum cum anima, sanguine, & deitate. Hæc etsi omnia non intelligamus, indubitanter tamen credere oportet, quoniam hęc est fides ecclesiæ, quæ est firma petra, cui si inhæserimus, nec venti scrupulorum, nec flumina phantasmatum mouebunt, nec cademus. Hæc omnia probare nunc rescindo. Quicquid enim humanæ infirmitati &c. sicut habes in tractatu super canonem clare, hanc fidem, qui non haberent, vel ex malitia, vel rationis defectu, accedere non deberent, quoniam illi non possunt discernere

Lumbi præcingēdi quō qñ Euc. sumitur.

esse cibum istum ab alio cibo corporali, quos indignè suscipere, dicit Apostolus primo Corinth. vndecimo. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus domini. Et per hoc poteritis filios, & filias examinare, si accedere debent, vel abstinere, quandiu enim non possunt distinctè cognoscere quid sit ille cibus, ac ipsum à cæteris discernere [ quod si ordinatè interrogentur sciri potest ] accedere non est tutum. Hæc fides figuratur apud Iudeos, cum iussi sunt baculos in manibus tenere .i. rectitudinem fidei in corde habere. Et reliquias, quas manducare non possent igne concremare.

Contra hoc faciunt, qui hoc tempore paruulos suos ad communicandum præparant per nouarum vestium exornationem, oris, faciei, & manuum lotionem. Non illa est præparatio domino placens, sed mentis purgatio. Non lotis enim manibus &c. Vnde Innocen. Non lutus manuum diuina sacramenta contaminat, sed siquis indignè manducat. Multò melius faceretis, si in fide instrueretis, si vt conscientiam mundarent informaretis. Poteris hæc duo membra extendere, quia in eis maior est vis.

Linteus sumédus ante Eu.

Tertiò congruit, vt lintheo accepto nos tegamus. Linteum candidum, signans puritatis testimonio castimoniam. Nedum enim ab omni illicito concubitu abstinere debent communicaturi, quo etiam non communicaturi omni tempore sub pæna mortis æternæ abstinere debent, quoniam omnis fornicator hæreditatem non habet in regno Christi. Ephes. quinto, & Roma. primo, verumetiam à propriis vxoribus congruit abstinere. Vnde August.
Quoties vel dies natiuitatis, vel reliquę festiuitates aduenerint, non solum a concubinarum consortio, sed etiam à proprijs vxoribus abstinete. Abstinete inquam, non exigentes debitum, sed exacti reddite, vt alias dixi, & habet magister distinct. decimosecundo, Luc. decimoquarto, Quia autem dignum sit abstinere ab amplexibus etiam licitis, patet exemplum Ozæ, qui quia arcam tetigit, morte percussus interiit, vt habetur, secundo, Reg. sexto. Item audituri vocem Angeli dantis pręcepta. Exod. decimonono, audierunt à Moyse, Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Item nec licuit panes propositionis edere, nisi mundis etiam ab vxoribus propriis. Hinc Dauid vt comederet panes propositionis, se dixit continuisse ab heri, & nudiustertius primo. Reg. vigesimoprimo. Quia dixerat sacerdos, si mundi sunt pueri, maximè a mulieribus, manducent. Hanc munditiam signabant filii Israel, cum manducantes agnum, lumbos pręcingere secundum Gregorium est, carnis luxuriam per continentiam coartare.

Humilitas necessaria communicaturo

Quarto procumbamus in terram per profundam humilitatem, ac Dei timorem. Magna enim, & nimis profunda fuit humilitas, quod dominus filius Dei se inclinauit in terram, ac discipulorum suorum simplicium, & rusticorum hominum sanctis suis manibus lauit pedes, verisimiliter lutosos (quia dicit Lyra) discalciati incedebant.

De quo Bernard. ait. O mira pietas o noua, & inaudita humilitas, Christus Dei filius ad fundendum sanguinem, de pura, & intemerata, virgine natus, rex regum, & dominus dominantium, ante discipulos veneranda genua flectit, humilis, & procliuus eorum pedes lauit. Subdit, Quid tibi o homo quicunque es: quid tibi videtur de creatore tuo? Ecce pronus lauit pedes suis discipulis, & tu dedignaris reconciliari fratribus offensis, in quo diaboli superbiam sequeris, & Christi humilitatem contemnis, non perpendens, quod scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam. Hęc Bern. Ecce

qualis nostra debet esse humilitas, nedum ad Deum (Facile enim est se corã Deo humiliare, & si non in exteriori signo tamen mente. Nemo enim est (nisi rationis expers fuerit) quin sentiat fragile lutum Deo comparari non posse. Nos lutum esse, dolorosa docet experientia quotidiana, qua videmus alterum post alterum tumulari) sed & alia humilitate opus est ad proximum vt non superbiam, iram, discordiam, inimicitiam teneamus, sed Christi exemplo nos præueniamus inuicem humilitate. 1. Pet. 5. Cognoscentes nos in multis plus Deum ostendisse, quàm offensos esse, quam Dei offensam expiare non valemus, nisi prius proximo dimittamus. Omnino ergo necessarium, omnem cordis rancorem deponere, dicente domino, Si offers munus ad altare, & recordatus fueris, quia frater tu' habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade pri' reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matt. 5. Si hoc de quolibet munere, quantò magis de summa oblatione.

Affectus lauandi ante Eu. Quintum coincidit cum quarto. Nedum enim dominus procubuit, sed etiam pedes lauit. Pedes nostri affectiones sunt, quibus veluti pedibus mouemur in opus. Augu. Amor meus pondus meum. Hos lauare oportet, ne per malũ propositum vanas, immo noxias delectationes ꝓteritorũ ꝑctõrũ maculetur. Lubricus enim est humanus affectus, & dum circa temporalium bonorum lutum ambulat, facile maculatur. Ideò etiam dominus ait Ioann. 13. Qui lotus est, scilicet baptismatis, aut lachrymarum flumine, non indiget, nisi vt pedes lauet. Oportet ergo habere puram ad Deum affectionem, ipsum omnibus anteponendo, paratam volũtatẽ suis mandatis obediẽdo, nec ea propter quodcunque lucrum temporale quomodocunque transgrediendo. Esset denique purissimus affectus, si nihil præter Deum diligeremus, cuius dilectionem non in Deum ordinaremus. Minus te amat (ait Augustinus) qui tecum aliquid amat quod nõ propter te amat. Nisi autem priorem affectus puritatem habeamus, pacem, quam cibus ille tribuit non consequemur, quia pax in terra hominibus bonę voluntatis.

Sextò residere debemus per mentis quietem, omnia impertinentia excludendo, cogitationes nostras ad nos reuocando, diligenter meditando, quis sit ille cibus, quem sumus recepturi secundum Salomonis capitul. trigesimotertio, consilium. Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam. Cum principe itaque cęli comesturus, diligenter attendat cibum, & se ad multas virtutum actiones actuabit. Attendat, quia Deus est summum, & infinitum bonum, & humilietur quia iudex scrutator cordium, & reuereatur. Iudex æquissimus etiam iusticiarum nostrarum, & timeat, redemptor animarum nostrarum sanguinis effusione, & diligat, premiator, ac beatitudinis largitor, & cõcupiscat. Sicque ad domini exemplum etiam desyderio desyderet hoc pascha manducare.

Multa alia hæc meditatio quieta affert, per quam tandem exardescet diuini amoris ignis. Reflectat nihilominus ad seipsum suas cogitationes, statum suum, in quo est consyderando, & ibi exquisitam examinationem faciendo, si ea, quæ requirit faciat, hoc enim primum est quod nos ligat, si in officio nostro negligentes sumus, qua negligentia culpabili in animo durante, nec orationes quantumlibet prolixæ nobis Deum placant. Non enim in multiloquio placatur dominus. Math. quinto. Pauca quippe loqui & grandia facere, hoc est, quod diligit dominus. Vide, ergo si in matrimonio es, si iudex es, si clericus es &c. Ecce audistis sex articulos, per quos vos prius probabitis, & sic cum domino manducabitis hoc pascha, quod manducare dominus cum desyderio desyderauit, per quod recipietis arram in præsenti,

ſenti, à domino ſeiungi non poſſe pro futuro. Quod nobis concedat idem do minus &c.

## IN DIE SANCTISSIMO paſchæ. Sermo. I. in ordine XX.



VRREXIT non eſt hic March. vlt. Deſyderata, ac diu optata adeſt nobis ſolenniſſima feſtiuitas dominicæ reſurrectionis, quæ ſynceriſſimo, ſpiritualique gaudio totius mundi, triſtitiam abſorbet, de patientis iniuria creatoris. De quo Auguſtinus in ſerm. huius feſti ait, Surrexit Chriſtus exultet vuiuerſus mundus. Par etenim eſt vt ſicut omnis creatura luciuago doluit ploratu in morte creatoris ſui, & quæ in funere noctis obſcuro proſecuta eſt exequias in cruce morientis, nunc triumphalem ab inferis reditum læta ſuſcipiat reſurgentis. Neque tamen ſicut luctus ita & gaudium, ſed abundantius multò magis, quoniam granum frumenti quod ſolum mortificatum eſt in paſſione, multum fructum attulit in reſurrectione. Solus enim mortuus, ſed ſolus minime reſurrexit. Quorum enim ſepulchra in eius ſunt morte pateſacta, horum corpora Chriſto reſurgente, ſunt de puluere ſuſcitata, & ſicut cũ domino ſurrexerunt, ita cum eo aſcendente, & ipſi aſcendiſſe creduntur. Exultemus ergo, & lætemur in hac die glorioſiſſima, quia dominus pridie morte turpiſſima damnatus, hodie glorioſus ſurrexit. Sed iucundemur amplius, quia reſurgens non eſt hic. Hic in monumento, in hoc mutabili mundo, loco vtique corruptionis, & imagine mortis. Surrexit Lazarus cum cæteris à domino adhuc morituro ſuſcitatis, ſed hic manſit iterum moritu rus. Chriſtus verò hodierna die reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur, quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel quod autem viuit, v iuit Deo, ad Rom. 6. Non ergo Chriſtus, qui perfectè reſurrexit, hic eſt ſecundum legem huius corruptibilis temporis, qui tamen vſque ad aſcenſionis diem in terris manens, non defuit per præſentiã glorificatæ reſurrectionis. Vnde & diſcipulis hac ipſa die in quinta apparitione loquens ait, Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, dum adhuc eſſem vobiſcum. Luc. 24. quæ tractans Greg. homil. 24. Neque enim inquit, cum ipſis non erat quibus præſens corporaliter apparebat, Sed tamen iam cum ipſis ſe denegat, à quorum mortali corpore carnis immortalitate diſtabat. Gaudete ergo in domino ſemper, quia Chriſtus mortis, infernique deſtructor ſurrexit. Iterum dico gaudete quia per vtriuſque animæ, & corporis perfectam, inamiſſibilemque gloriam non eſt hic. Quod duplicatum in nobis gaudium, & ſonorum carmen oris, & deuota mentis oratio conteſtetur, canentes in gaudio, Chriſt iſt erſtanden, ſubiungat mentis deuotio pro impetranda dicendi gratia Angelicam ſalutationem.

Reſurrectio Xpi gaudia attulit multa.

Surrexit, non eſt hic.

Duo nobis hæc verba inſinuant in gaudio conſtipata. Primum eſt Chriſti clara reſurrectio poſt triſtiſſimam mortis noctem. Secundum æterna gloriæ ſtabilitio, defectum ſupergrediens temporalem. Primum ſignificatur in verbo ſurrexit à morte .ſ. ad vitam, à corruptione ad gloriam à ſepulchri latebris, ad ſplendorem lucis. Secundum in verbo, non eſt hic. Non eſt hic, quia tranſmigrauit, quia euaſit ſęuientis mundi fraudem, immanis penæ dolorem, temporis fugitiui corruptionem. Propter primum Chriſto congaudemus canentes alleluia. Propter ſecundum deſyderio ei cohæremus, petentes poſt eum trahi cum ſponſa. Et quãuis hæc omnia paſchalis feſti officia ſublimioribus ſint plena myſteriis, ita vt non ſolum humilitatis meæ tenuiſ-

simum sensum, sed etiam magnorum ingeniorum superent facultatem, tamen ten tis noctis huius, ac diei clarissimis laboribus, quibus, & fatigatos vos video, & somnolentos, planiora proferã, quæ delectent, non quę audientium ingenia grauent. Ea propter quo ad primum planam audictis dominicæ resurrectionis historiam. Quo ad secundũ desyderia nostra, quo Christus resurgendo peruenit exhortatione breui attollam.

Janitorũ inferni vox lachrimabilis.

Quo ad primum. Postquam redemptori nostro placuit animam suam pro redemptione mundi patri in crucis ara victimando ponere, vt secundum prophetam Ezec.34. ipsemet requireret oues suas, aduersariumque propriis in ędibus confutaret. Penetrabo, inquit, omnes inferiores partes terrę, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino. Eccle. 24 Relicto in cruce exanimi corpore secundum animam tantum ad inferni claustra plenus libertate descendit, hos qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebant, illuminaturus, & pedes eorum in viam pacis de longis ereptos vinculis ducturus. Cum autem (vt ait Aug. in ser. quodam) dominus tanquam Imperator splendidus hoc profundũ attigisset, mox ferruginei ianitores, & tartareę legiones territi, inter vmbrosa silentia murmurãtes inquirere cęperũt, & dicere, Quis est iste tam fortis, tam terribilis, tam pręclarus, & niueo splendore coruscans? Nunquam talem noster excepit tartarus. In nostram cauernam mundus, qui super nobis subfuit, nunquã talem mortuum misit. Inuasor iste, non debitor, effractor, non peccator Iudicem videmus, sed non supplicẽ. Iubere venit, non succumbere, eripere, nõ manere.

Non solum nostrã non veretur, sed etiam alios de nostris vinculis soluit. Nunquãm sic mortui hoc superbierunt, nec sic potuerunt aliquãdo hic lętari captiui. Nunquam prius in hac magna caligine, & cecato semper carcere iucundum lumen apparuit. O princeps noster lucifer, ad quid illum adducere voluisti? Si eum aliqua delicta sustentarent, nunquam nostras tenebras suo dissiparet fulgore. Post istas crudeles infernalium voces, ad Christi Imperium omnes portæ æreę, & ferrei vectes inferni confractæ sunt. Et ipso domino antra subintrante, mox occurrunt sanctorum turbæ, & redemptoris vestigiis prouoluuntur, regique seculorum mæsta supplicatione deplorant dicentes, Venisti tandem desyderabilis, & clementissime Iesu, quem desyderanter expectabamus in tenebris succurre nunc per te fessis, nunc miserandos salua gemitus. Redemisti viuos cruce tua, eripe mortuos morte tua. Ad tuum aduentũ omnis creatura pendebat. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Tu solus caput draconis comminuere potuisti. Tu portas æreas, & vectes ferreos confringere venisti. Quãuis autem portas æreas, & omnes ferreos vectes inferni. i. reatuum culpæ originalis, & omnia impedimenta quibus sancti patres à perceptione gloriæ, & ab exitu de loco inferni prohibebãtur, sine mora dominus, & saluator noster abstulit, planctumque patrum in ineffabile gaudium conuertit, quoniã statim ad diuinæ suæ essentiæ visionẽ, beatificamque fruitionem per glorię lumen secundum opinionem sic loquentium, quod mox infuderat, eleuauit, nõ tamen statim de loco carceris, quem eis paradisum fecerat, eduxit. Sed toto illo tempore, quo sacratissimum corpus eius in sepulchro ad probandam mortis suę veritatem iacuit, anima eius in inferno plena cum patribus gloria perdurauit.

Xps descendẽs ad inferos quos liberauit.

Itaque sacrę quietis domini in sepulchro illucescente tertio die, qui est in reuolutione dierum primus, & octauus. Peracto apud inferos bello, & alligato ibi forti armato. Inde rex noster hodierna die laureatus triumphator exiuit, destructo patrum limbo, qui hos iustos continebat, qui sola damni pęna gementes, nihil purgandum habuere. Euacuatoque totius purgatorij

torij regione, vt pia, ac probabilior doctorum tenet sententia, & hoc ex singulari gratia redemptoris nostri, regis Christi, post tantam victoriam ad inferos personaliter descendentis, recompensatis ceteris purgandorum pęnis ex super abundantia meritorum passionis suæ. Sicq; lęta cum principe suo omnis beatorum turba processit, secundũ Zach. prophetæ vaticinium ad Christũ ca. 9. dicentis. Tu verò in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu vbi non erat aqua scilicet refrigerij, & perfectæ liberationis. Et ad Colos. 2. Expolians (ait apostolus) principatus, & potestates, scilicet infernales, auferendo Abraam, Isaac, & Iacob, & ceteros, traduxit suos confidenter idest longè ab hoc regno tenebrarum duxit potenter, palam triumphans illos idest contra illos inferni principes, vel illos patres eductos triumphare faciens in semetipso, hoc est per virtutem propriam, non alienam. Processit autem victrix anima cum spolijs suis, obstinatis dęmonibus, ac damnatis in inferno cum pęnæ suæ iusta augmentatione relictis, atque confusis. O quam læta processio. O quam gloriosus transitus. O quam iucunda coniunctio à seculo inaudita sanctorum angelorum, & filiorum Adã, iam vnius cœlestis patriæ conuiuiũ cũ Christo rege suo. Verè hodie lapis iste angularis Christus, quem pridie ædificantes Sion in sanguinibus reprobauerunt, factus est in caput anguli, coniungens hodie in seipsum duos parietes beatificè, angelorum scilicet & hominum.

Quod .n. affuerint angeli, si non omnes, tñ turba copiosissima, quis dubitat? Nã si nobis tandẽ resurgentibus assistent, rapientes nos in nubibus obuiã Christo in aera, vt tradit Apostolus. 1. ad Thess. 4. non ex negligentia glorificati corporis, quod seipsum mouere potest quocunq; vult, secundum Aug. sed ex reueren. resurgentium, quantò magis affuerunt honorantes resurgentem Christum? Si etiam illi astiterunt intranti hunc mundum, adhuc mortali, & passuro in natiuitate Luc. 2. Ipsi ministrarunt conuersanti cum mortalibus Mar. 1. Longè magis affuerunt victori immortali exeunti de corruptione ad incorruptionem, ex hoc mundo ad patrem. Quomodo etiam non plus domino quã dubitantibus mulieribus sed amantibus astitissent. O quanta angelorum lætitia hodierna festiuitas adornatur, qui letiorem diem post illum, quo ruentibus apostatis confirmati sunt in gloria, habuisse non creduntur. Lętantur enim & gaudent de suæ ciuitatis restauratione, in quam nunc tanquam noui ciues omnes educti de tartaro assumuntur. O quanta patrũ, ac ereptorum iucunditas, & pro sua liberatione qua de subiectis dęmonum, facti sunt compares angelorum, & pro adepta iam fęlicitate. Vnde hodiernus dies non tantum nobis hominibus, sed & angelis est celeberrimus, & festiuus, vt declarat Greg. in hom. hodierna. Fęlix ergo, & per omnia lętabunda processio Christi.

Processit autem victrix anima vtroq; angelorum, & sanctarum animarũ stipata exercitu ad tumulum. Et vt Simon de Cassia ait, corpus repetit voluntariè quod spontè reliquerat, & reanimat inanimatũ, recalescit frigida caro, venarum humor ebullit, vitalis spiritus in omni sua parte inseritur, & anima tota in toto, & tota in omne corpus reuertitur ea celeritate, qua in conceptione deitas, anima, caro, in simul per vnionem ad constitutionem huius hominis conuenerunt, præda inuisibilium animarum in loco, aut vage vt anima Christi decreuerat cõstituta. Et eadem celeritate prosiluit de claustro, atq; signato sepulchro in magnifico terremotu ad terrorem omnium, & memoriam ceterorum, atq; ad excitationẽ custodum, vt ipsi omnino fierent resurrectionis testes, qui ne tolleretur fuerant facti custodes. Hæc Simon. Sic ergo dominus resumendo carnẽ non iam mortalẽ, sed gloriosã, resurrexit, vt nouitas cęlestis per resurrectionem in Christo capite inchoaretur. Surrexerunt

Christi exanime corpus quã statim fuit animatum.

Simon de cassia.

denique cum Christo multi ex eductis de inferno, suis resumptis corporibus, non tamen sua, sed resurgentis Christi virtute, vt sit ipse primitiæ dormientium, & primogenitus in multis fratribus. Nam vt Mat. ait. Et multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. eiusdem 27. quo manifestius demonstrauit, quia in virtute suæ resurrectionis omnes resurrecturi sumus. Sed qui in ipsum credunt, ad vitam sempiternam. Sicut dicit Apostolus. Scientes quia qui suscitauit Iesum, & nos cũ Iesu suscitabit. Glorientur ergo hodie credentes plaudant manibus omnes gentes, quia rex noster Christus post ligni pęnalem victoriam qua victus carne, virtute factus est victor. Vicit olim in cęlo, vicit in crucis patibulo, vicit in inferno, vicit carnis corruptionem in sepulchro. In omnibus victor triumphauit, & gloriosus corpore, & aīa victor ꝑpetuꝰ hodierna die de sepulcro surexit.

Resurrectio Xp̄i quid nobis contulit.

Ecce considerate iterum charissimi hodiernæ solemnitatis & hanc rationem. Cogitate [si tamen potestis] quantũ nobis contulit sacrosancta dñi resurrectio. Contulit corporis perfectã sanitatẽ, sicut passio animę nostrę plenãliberationẽ, longè pulchrius reformata ẽ caro nr̃a, quam olim fuerat in paradiso condita. Quamuis enim mortua non fuisset, si non peccasset, mortalis tamen superetat. Nam adhuc elementorũ actibus subiecta, vt vult Sco. in 2. ideò etiã indiguit paradiso Consumpta denique fuisset resolutione propria humidi radicalis, ideò indiguit cibo. Fuisset denique virtus vegetatiua debilitata, eo qđ agens agendo repatitur, ideò indiguit pro sua confortatione ligno vitæ. Non sic caro Christi hodie glorificata. Hæc enim quia per dotes gloriæ omnino immortalis facta est, & impassibilis, subtilis, agilis, & clara, pro sua conseruatione neq; loco certo indiget, nec cibo, sed totus mundus ei paradisus est, nec in quocunque elemento, immo nec in inferno pati molestię quicquã posset, Hodie ergo gleba ista de terra primo formata, cui aliquando dictũ est, Terra es, & in terrã ibis Gen. 3. super cęlorũ stabilitatem similis, & claritatẽ est nobiliter exaltata. Vnde consyderare libeat, quantũ in hac gloriosissima festiuitate domino tenentur iocundissimas gratiarũ actiones rependere, nõ modo spirituales, sed & carnales adhuc homines in qua caro reformata refloruit, longè facta ab hoc Esaiæ magno clamore. Omnis caro fenũ, & omnis gloria eius tanquàm flos agri, exsiccatũ est fęnũ, & cecidit flos. eiusdem. 40. Sed ab omni defectu ac corruptione liberrima, cum omni possibili sibi perfectione consummata stabiliter hodie resurrexit.

Xp̄s cui primum apparuit

Verum qui sua ineffabili pietate descendens, patres longo (vt dictum est) expectatione gementes, sua felici præsentia lętificauit, nunc resurgens, amicos suos de sua passione tristissimos, eis seipsum rediuiuũ manifestando, dignatus est consolari. Primò omnium eam, quam prę cunctis passionis gladius trãsfixerat, matrem gloriosam, vt vult Amb & Ans. Et Simon de Cassia ita ait. Filius resurgens ex mortuis ipsam præhonorauit tanquàm præ cęteris in sua morte doloribus perfusam, & diligentem ardentius, & expectantem anxius resurgentẽ. Et præhonoranda erat in resurrectione virginitas, quæ in incarnatione eum ad hoc susceperat, vt pro nobis moreretur, & resurgeret. Et dignũ erat, vt quę natum prius ipsa prior adorauit atque sola suscepit de terris, quod prius respiceret regressum ab inferis. Ipsa siquidem Angelorum, & hominum facta regina, & super omnes virtute præfulgens, meruit in nouitate cælesti altius honorari. Id dixerim ante omnes aspicere filium resurgentem, non quia mater, sed quia charitate pollentior. Et qui omnia ordinatè disponit iure seruandi ordinis, hanc singularem in virtutibus fęminam resurgens à mortuis, primitus suam exhibendo corporalem præsentiam honorauit, terminum dando singultibus, cuius cor do

loris

loris machera perfoderat. Hæc Simon. Deinde autem & mulieribus eum præ cęteris diligentius quærentibus, & ma ne ad eum vigilantibus. Nam mane pri ma sabbati valde diluculo, dum adhuc tenebrę essent, præparatis aromatibus partim in parasceue paschę, quandiu licuit operari, vt tangit Lucas, & partim in vespera sabbati, qua licentia operandi rediit, vt dicit Matth. Properant ad monumentum Maria Magdalena cum cæteris mulieribus, quæ dominum viuentem dilexerant, vt eum vngendo etiam mortuo obsequerentur, vt vult Grego. Quibus in itinere de lapidis magni ostium monumenti claudentis reuolutione sollicitis, ac sibi dicentibus. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio mo. cum venirent ad locum sepulchri, respicientes viderunt reuolutum lapidem. Nam Angelus domini descendit de cęlo in terręmotu magno, reuoluit lapidem, & sedit super eum. Aspectu quoque suo, qui erat tanquam terribilis fulgur, terruit custodes, nam præ timore facti sunt velut mortui, ne molestarent mulieres, vestitu verò suo velut nix albo, & blando venientes consolabatur mulieres. Verboque alloquens, ait. Nolite timere vos. Scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic. Surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte lo. u. po. e. dominus. &c. Ad cuius ex hortationem introierunt domunculam de petra excisam, in cuius parte aquilonari erat domini sepulchrum de eadem petra excisum, septem habens pedes in longitudine, tribus palmis cætero altius pauimento quasi sarcophagus eidem supra positus, secundum Bedam, & Remigium, & magistrum histor. Viderunt iuuenem, hoc est Angelum in specie iuuenis, sedentem in dextris loculi domini, id est parte meridionali eiusdem, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Quibus dixit. Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrex. non est hic. Ecce lo. vbi po. eum. Sed ite dici dis. ei & Petro, quia præce. vos in Galilæ. eum vi, sicut dix. vobis. Primus ergo Angelus introduxit, vt viderent locum, ille verò in loco sedens, locum ipsum ostendit, & de hoc loquitur magister.

*Mulieribus cur apparuit*

*Sepulchri Xpi descriptio.*

Verum dum ad huc præ nimia admiratione, & miraculi magnitudine, quod mens humana statim capere non poterat, nec crederent verbis Angelorum, cum mentes consternatæ essent, & stupefactæ, eo quod domini corpus non inuenerunt. Ecce duo viri dicit Lucas, steterunt iuxta eas, hic est, duo Angeli in virili habitu fulgenti, & declinantibus mulieribus in terram in vultus, dixerunt eis Quem quæritis, viuentem cum mortuis? Non est hic, surrexit. Recordamini, qualiter locutus est vobis, dum adhuc esset in Galilæa, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere. Et recordatæ sunt verborũ eius, & regręssę cito de monumento (Matth.) cum timore simul, & gaudio magno. Fecerant enim eis verba Christi ad memoriam reducta aliqualem resurrectionis fidem, quã nec Angeli, nec vacuitas loci facere poterat. Et nunciauerunt hęc omnia illis 11. Apost. & cęteris omnibus discipulis. Sed nec illi crediderunt eis, quoniã visa sunt quasi deliramẽta apud eos verba hęc Maria verò Magdalena, quæ ardentius amabat, ardentioribus amatoribus ex discipulis locuta est, Petro s. & Io. dicens. Tulerunt dominũ meũ, & nescio, vbi posuerunt eũ, vt dicit. Io. Pet. ergo & Ioan. cucurrerunt ad monumẽtum, & mulieres iterum cum eis reuersæ sunt, credẽtes se aliquid certius cum Apost. posse inuenire. Et cum nihil præter id, quod viderant, inuenissent, recedẽtibus Apost. mulieres simul recesserunt, lentiori tamen passu prę tristitia gradientes pręter Mariam Magdalenã, quæ amoris catena ligata, non recessit a monumento, sed stabat foris plorans. Et dum fleret, ait Ioan. inclinauit se, & respexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentibus, vnum ad caput, & aliũ ad pedes, vbi positũ erat corpus Iesu. Dicunt ei illi. Mulier quid

ploras? Dicit eis. Tulerunt dominum meum, & ne vbi po. eum. Hæc cum dixisset, cõuersa est retrorsum, ideò fortassis, quia Angeli assurrexerunt præsẽtia Christi, vt dicit Gers. Conuersa ergo vidit Iesum stantẽ, quẽ nõ cognouit putãs eũ hortulanũ. Cui quærẽti, quid ploras? dixit, Domine si sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum? & ego eũ tollam. Quam cũ dominus proprio nomine nominauit, dicens, Maria, statim cognouit eum, dicens, Rabboni, & suo more ad pedes eius ꝓcidit, volens tangere eos. Cui Iesus præcepit, vt fratribus suis Apostolis suã resurrectionem nunciaret, & post hęc disparuit. Illa ergo iam de resurrectione credula, & iucunda, statim relicto sepulchro ad Apostolos iuxta pręceptum domini festinabat. Quæ cum adhuc in itinere socias suas constitutas vidisset, atque quia dominum viderit, læta tristibus nũciasset, eisq; simul in Hierusalẽ pergẽtib⁹ apparuisset Iesus, dicens illis, Auete, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum, qui iterum præcepit, vt nunciarent fratribus suis, quatenus irent in Galileam, ibi eum visuri, vt dicit Matt. quod & fecerunt nunciantes eis iam secundo. Prius nunciauerunt visionem Angelorũ, nunc autẽ Christi sed & ipsa die apparuit Petro, apparuit & duobus transeuntibus in Emaus, & tandem omnibus Apostolis, excepto Thoma.

Recedentibus autem primo mulieribus, quidã de custodibus, vt refert Mat. venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum, qui eos ad custodiã sepulchri deputauerant, omnia, quæ facta fuerant, Christi.s. resurrectionem, quam auditu Angeli cognouerunt, non ipsi viderunt. Et Angeli terribilem apparitionem, cuius visione territi facti sunt velut mortui, eius quoq; allocutionẽ, quæ mulieribus dominicam nunciauerat resurrectionem. Sacerdotum itaq; principes cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, mandantes vt dicerent, discipulos corpus domini eis dormientibus noctu subtraxisse, pollicentes eos indemnes apud præsidẽ seruaturos, si eorum negligentiam punire voluisset. Illi verò accepta pecunia fecerunt, sicut edocti fuerant. Quod mendacii verbum diuulgatum est apud iudeos vsq; in hodiernum diem, licet frustra Quoniam ad prohibendũ discipulorũ furtum prout corã Pilato allegarunt, custodia eis credita fuerat, non ergo tãquàm visibile suaderi poterat omnes dormiuisse. Quia si dormierunt omnes, vnde testari poterant, quæ ipsi dormientes nec videre, aut audire, aut scire potuerunt? vnde manifestum est eorum testimonium esse meritò repellendum, Hæc de historia dominicę resurrectionis narrasse pro prima parte sermonis sufficiat, reliq̃ partẽ alteri sermõni reseruamus tertio.s. infra ponendo.

Phariseorum peruersitas qui custodes sepul. corruper.

### *De Sepulchro Domini.*

De monumento domini dicit Beda super Marcum ca. 15. quod domus fuit rotunda de subiacente rupe excisa, tãtæ altitudinis vt vix homo manũ extẽta culmen posset attingere, introitum habens ab oriente, cui magnus lapis appositus erat pro ostio. In parte cuius aquilonari, locus dominici corporis de eadẽ petra factus est, septem pedes hñs longitudinis, tribus pal̃mis altius cęte ro pauimento eminens, quasi sarcophagus superpositus pauimento, vel in ipso pariete loculus factus erat, sicut fit in muris domorũ ad vtensilia reponẽda. Nam vt dicit Beda locum illum nõ desuper, sed à latere meridiano patulum, vnde corpus inferebatur, quod tamen, & priori sentẽtiæ congruit, vt esset quasi sarcophagus inclinatus super latus, aperturam à latere habens desuper. Color verò monumenti, & loculi, rubicundo, & albo dicitur esse permixtus. Hæc Magister in historia. c.71.

## *IN FESTO PASCHAE Sermo II. in Ordine XXVI.*

Viuificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit. Oseę.6.

Christus verè surrexisse ꝓbatur.

Post diem affectionis sçuissimę passionis Post diem alteram tristitię dominicæ mortis, illuxit hodie dies serenissima, dies gaudii, & exultationis, dies dominicę resurrectionis, qua non modo suscitatus est dominus ad gloriam, sed & nosipsi in Christo ad eandem gloriam suscitati, nunc in spe, resuscitandi tandem in re. Hinc Leo papa. Dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ. Et sequitur. Nos in Christo crucifixi, nos in cruce sumus mortui nos in Christo die tertio suscitati. Nimirum quoniam sicut datus est nobis Esa. 9. ita nobis crucifixus, nobis mortuus, nobis est hodierna die resuscitatus, immortalis, & gloriosus. Hæc ergo dies est celeberrima, in qua post arduissimum iter, & merita Christi acceptissima, postque tyranni victoriam, patrum liberationem, inferni destructionem, Christus mortis triumphator gloriosus ab inferis resurrexit. In cuius diei laudem propheticum illud psal. centesimodecimoseptimo, replicat Hæc est dies, quam fecit dominus, exul. & le. in ea. Exultemus quidem Christo congaudentes, qui conscisso mortalitatis sacco circundatus est lætitia, dum mortalitatis, ac corruptionis vetustate deposita, resurrexit hodie caro noua, vbi virtutis augmento non fuit corrupta substantia. Qualitas transiit, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit cruci figi. Factum est immortale, quod potuit occidi. Factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Hæc Leo. Lętemur etiam nobisipsis, quia per resurrectionem dominicam paratum est regnum, & eadem immortalitatis gloria, quoniam caput sequetur sua membra, dum post diem hunc primum nostræ peregrinationis, & laboris, & alterum quietis, die tertia nos viuificabit, & suscitabit. In cuius exultationis testimonium voces demus lętitiæ, canentes mente deuota Christi flagrande.

Viuificabit nos &c. Quāuis dies tres quos propheta innuit, multipliciter accipi possunt. Aliter in Christo, aliter in nobis. In Christo, vt sit dies primus incarnationis, secundus passionis, tertius resurrectionis. In nobis, vt sit dies primus peregrinationis, secundus glorificationis, tertius iudicii finalis. Tamē secundū expositionē Nico. de lyra correspondēter ad præsentē festiuitatē, tres dies, duo dies præcedētes sunt cū psiti .s. sexta, qua crucifixus est dominus, septima, qua quieuit mortuus, hodierna, qua resurrexit gloriosus. In primis duobus saluare nos cępit. In tertia nos viuificando suscitauit. In primis duobus precium soluendo, infernnm destruendo, peccata delendo. In tertia vitam, & gloriam conferendo. Vnde in præfatione canit ecclesia. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriē. destruxit & vitam resurgendo reparauit. Verum quia sancta mater ecclesia, distincta festa per sonarum diuinarum instituit, vt in eisdem de fidei articulis has vel illas conscernentes personas erudiamus. Ideò necessarium est in hodierna die resurrectionis domini nostri Iesu Christi secundum carnem, articulum de resurrectione eiusdē pertractare, quē profitemur in symbolo dicentes, Descēdit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.

Christus quo est mortuus

Pro intellectu itaq; huius articuli, descendit ad inferna (Christus .s. breuiter notādum, quod dominus, ac redemptor noster Christus, postquā humani generis redemptionē in cruce ꝑ mortē cōsummauit. Cū iā valido clamore animā suā sacratissimam in manus patris cōmendando, capite inclinato spiritum emisisset. Derelicto in cruce corpore à deitate nō separato, aīa eius benedicta, deitate vnita in verbo, descendit ad inferna, vt luceret eis ibidem, pariterque eos, qui ibi detinebantur, secum educeret, secundum Esa. Vaticinium. Habitantibus in regione vm. mor. lux or. est eis c. 9. Et sic infernus factus est paradisus ex verbi diuini intuitiua contēmplatione. In hūc infernū, & latro credit descēdisse cū Christo, cū ei diceret Hodie

die mecum eris in paradiso. Et licet dominus mortuus sit in cruce per solutionem vnionis corporis, & animæ (nihil enim aliud dicit mors, nisi animæ à corpore, quod prius viuificauit separationem, & ita verè in triduo non fuerit homo, quo loca illa tenebrosa, vbi patres erant, illustrauit.) Attamen nec vnio animæ cum deitate in verbo, nec corporis cum verbo vnquam soluta est post eius assumptionem vt habet magister in 3. dist. 21. Mors ad tempus carnem, & animam separauit, sed neutrumà verbo Dei. Et hoc vult Damasce. in suo. 3. verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, quia naturam humanam, quam assumpsit, non dimisit quantum ad partes suas essentiales, quia secundum eundem vt ipse loquitur: Nunquam anima, vel corpus in morte Christi erat in propria hypostasi.

Vnio duplex in Christo. Duplex enim in Christo fuit vnio scilicet animæ, & corporis inter se, per quam constituitur natura humana. Alia eorundem cum verbo. Primo soluta fuit in morte, siue per mortem in in cruce, firma semper manente secunda. Et quia illa secunda nunquam fuit soluta, ideò dicitur propter illam secundam vnionem Christus descendisse ad inferna, & simul tempore iacuisse in sepulchro. Anima enim Christi vnita verbo descendit ad inferna. Corpus verò Christi vnitum deitati mansit in sepulchro. Hic est breuis huius articuli Descendit ad inferna, intellectus.

Infern⁹ quotuplex. Non autem hic per infernum intelligitur locus damnatorum. Siquidem secundum sanctum Thom. dist. 22. tertij. quest. 3. art. 2. quadruplex habetur infernus. Primus est damnatorum, in quo sunt tenebræ quantum ad carētiam visionis diuinæ, & gratiæ, & cum hoc ibi est pœna sensus. Secundus isto superior (primus enim ponitur profundissimus) est limbus puerorum, in quo sunt pęnæ duplices prædictæ, siue pęna sensus. Tertius super hunc, qui est animarum purgandarum, in quo sunt tenebræ carentiæ visionis diuinæ, sed nō gratiæ, est tamē ibi pœna sensus. Quartus supra illos est patrum, qui est tenebrosus quantum ad carentiam luminis gloriæ, sed non gratiæ, nec est ibi pœna sensus. Ad hunc descendit Christus secundum animam postquam expirauit in cruce. Et secundum plures etiā in tertium, quem nominamus purgatorium. Cum ergo Christus sic ad inferna descendit, statim (secundum sanctū Bonauen.) consecuti sunt lumen æternum beatitudinis, & patuit eis cœlum quantum ad beatificum præmium, sed non quantum ad locum. Eduxit autem (vt communiter tenent doct.) omnes quos fidei, & charitate formatos repperit, siue passi fuerint solam pœnam damni, vt patres in limbo, siue etiā sensus, vt existentes in purgatorio. Destruxit autem infernum illum, diaboli potestatem auferendo vt de cętero diabolus nullū inibi detinere posset nec per istans, qui est Deo charitate coniunctus, nisi fuerit debitor pœnæ sensus. Et ideò infantes baptizati mox euolāt ad vitam, si moriuntur in innocentia. De hac liberatione sic loquitur beatus Greg. hom. 22. Neq; infideles quosq; & pro suis meritis æternis supplicijs deditos, dominus resurgendo, ad veniam reparauit. Sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide, & actibus recognouit. Hoc est quod per Oseæ. ca. 3. prædictum est. Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Quod occidimus, agimus vt penitus non sit. Ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinquimus. Quia ergo dominus in electis suis fundit⁹ mortem occidit, mors mortis extitit. Infernum verò momordit, quia partem abstulit, & partem reliquit.

Christi resurrectio q dicit. Euacuato itaq; limbo, ac forti alligato, victrix anima cum spolijs suis ad tumulum redijt die hodierna. Atq; resumpto pridem effuso sanguine in toto, vel in parte sicut placuit, exanime corpus (alienum tamē à corruptione propter vnitam sibi deitatem, ob quam indecēs erat sanctum idest corpus sanctificatū videre corruptionem, secundum Dauid vaticinium) virtute verbi animæ reuni

vit

uit. Ipsum quoq; corpus sic informando viuificauit, & viuificando glorificauit. Sicq; secundum carnem immortalis resurrexit, secundum hanc enim cecidit, dum anima à carne per mortem separata fuit. Animæ itaq; & corporis reunitio, resurrectio dici potest. Hoc.n. & nihil aliud est resurgere.s. quod mortuum fuerat, iterum viuificari, vel animam viuificātem iterum corpori, quod deseruit vniri. Et hoc est, quod dicitur extra de sum. trin. & fi. ca. Firmiter, descendit in anima, resurrexit in carne ascendit pariter in vtroq;. Et in canone missæ dicitur. Communicantes, & diem resurrectionis secundum carnem celebrantes.

Christi resurrectio ostēditur testimonio

Viuificato itaque corpore, dominus noster de sepulchro, nullis effractis sigillis prodijt gloriosus videntibus cunctis, quos secum duxerat ea, quæ fecerat in proprio genere. Cętera ad historiam pertinentia vide in sermone primo. Quales fuerint exultationis voces. Quibusue primum apparuit &c.

Sed quia dominus discipulis suis resurrectionem suam gloriosissimam multipliciter ostendit, & probauit: Ideò pro gaudiorum exuberantia, quia nil iucundius à nobis cogitari potest dominica resurrectione, quæ totius salutis nostræ est consummatio (In cuius signum omnia ecclesiæ cantica nunc temporum terminantur per alleluia solemne) placuit circa resurrectionis argumenta, quibus eam dominus nobis manifestare dignatus est, pro fidei nostræ confirmatione paulisper immorari.

Articulus de Christi resurrectione is est. Tertia die resurrexit à mortuis. Hanc veritatem dominus nobis ostendit veridico testimonio, & rerum experientia, siue euidenti facto. Testimoniū quadruplex est, quo Christi ostenditur resurrectio scilicet angelorum, hominum, scripturæ, & Dei. Testimonium primum de resurrectione Christi est angelorum. Apparuerunt enim angeli, & extra sepulchrum, & in sepulchro mulieribus dominum querentibus, vñ

Testimoniū quadruplex Christi resur.

Matth. 28. Terremotu facto angelus domini descendit de cœlo, & accedens reuolui t lapidem, & super eum sedit dicens mulieribus &c. vide in textu plura. Et Mar. vlti. plura habentur de angelis. Item Ioan. 20. Maria introspiciens in monumentum, vidit duos angelos &c. Et plura ad hoc ex euangelistis colligi possunt. Item Luc. 24. similiter habetur de duobus angelis testimonium perhibentibus resurrectionis Christi. Et discurrendo textus euāgelist. reperiuntur sex angeli (si saltē fuerunt alij & alij) testimonium perhibentes resurrectioni Christi. Et non mirum si multi perhibuerunt testimonium eius resurrectioni, cum & in eius natiuitate pastoribus apperuit multitudo cœlestis exercitus Deum laudantium &c. Etsi eidem sępe apparuere, saltem ex Luc. & Ioan. euangelio habetur, quia duo fuerunt ad minus. Cū autem in ore duorum, vel trium hominum stet omne testimonium (tamen etsi omnis homo mendax secundum prophetam) quanto magis in testimonio duorum angelorum? Quod autem fuerunt angeli, sumi potest ex terremotu, magni lapidis amotione, aspectus claritate, vestis candore, subita apparitione, diligenti informatione, ac magno custodum terrore. Si enim apparens angelus fuisset homo, quomodo custodes ita territi fuissent propter vnius hominis pręsentiam. Non .n. nisi angelum reuoluentem lapidem viderunt. Qui ideò diligentem habuerunt custodiam vt totam apostolorum & discipulornm cateruam, si ad furandum dominum, aut domini corpus venissent, possetenus abiicerent, & captos tenerent. Hi autem custodes viso terremotu, & angeli splendore, velut mortui facti sunt præ terrore, & timore, ita vt nec mulieres eorum formidarent potentiam, aut præsentiam. Sed quidem ex eis ingressi in ciuitatē, nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Qui (vt Matt. dicit ca. vlti.) consilio cum senioribus accepto, pecuniam copiosam dederūt

militi

militibus, dicentes. Dicite quia discipuli venerunt nocte,& furati sunt eum, nobis dormientibus. Ecce testimoniū angelorum de resurrectione Christi secundum omnes euangelistas.

Christi resur. pbatur hominū testim.

Testimonium secundum est hominum, primò illorum, qui consurrexerunt cum Christo, de quibus Matt. 27. Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant &c. Super quo Hierony. Multa corpora sanctorum resurrexerūt vt dominum ostēderent resurgentem. Et Greg. homili. 21. plura de hoc loquitur. Horum autem testimonium tanto efficatius esse poterat, quantò maiori fulserunt sanctitate. Cui repugnat falsū testari sciēter,& malitiosè. Et fortè huiusmodi homines peracto testimonio resurrectionis Christi, cum eo ascendente pariter & ipsi corpore, & anima ascenderunt, vt placet Hiero. in ser. Cogitis, vt videtur. August. verò in epistola ad Enodium magis videtur velle q̄ solum secū dum animam cum Christo ascendente ascenderunt, sed neutrum illorum scriptura testatur. Secundò Christus testimonium habuit resurrectionis suæ à fæminabus sanctis, quæ suam resurrectionem ab angelis eam videntibus audierunt,& discipulis nunciauerunt, prout iussę erant ab angelis. Nec obstat dictum apostoli. 1. Tim. 2. quo prohibetur fæmina publicè in ecclesia docere, quia fęminæ non dederunt testimoniū ad populum, & in publico, vt Ambro. loquitur super Lucam, sed ad domesticos. Cur autem mulieres præ cæteris sumptæ sunt ad perhibendum testimonium resurrectionis Christi, plures à doctoribus persuasiones ponuntur, quarum aliquas tangit sanctus Thom. in 3. parte q. 51. ar. 1. scilicet vt mulier, quæ primo nuncium mortis ad homines attulit, prima etiam vitam resurgē tis Christi in gloria denunciaret, per q̄ honor delatus est sexui illi, & ne desperet ex peccato primo. Vnde dicit Cyrillus. Fęmina, quæ quodammodo fuit mortis ministra, venerandæ resurrectionis misterium primo percipit & nunciat. Adeptum est ergo fęmineum genus,& ignominiæ absolutionem,& maledictionis repudium. Et secundo hoc factum est, quatenus per hoc ostendatur q̄ quantum ad statum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patietur fęmineus sexus. Sed si maiori coram seruet charitate, maiorem habebit gloriā ex Dei visione, per hoc enim mulieres, quæ dominum ardentius amauerunt (ita q̄ discipulis recedentibus ipsæ à sepulchro non recesserunt) meruerunt dominum resurgentem primò videre. Et hoc innuit apostolus Gal. 3. Non est masculus, neq; fęmina &c. sed magis diligenti in via, maior debetur gloria in patria. Tertiò testimonium habuit à discipulis, alterutrum resurrectioni Christi testimonium perhibentibus, vt patet de transeuntibus in Emaus Luc: vlt. Item Ioan. 20. testificati sunt Thomæ absenti. Deniq; vt Actu. testatur historia, & præsertim Actuum. 4. virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri. Item Actu. 10. inquit Petrus Cornelio,& his, qui cū eo erāt. Nos testes sumus omnium, quæ fecit Iesus &c. Et sequitur. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testib⁹ præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus &c. Istud testimonium efficax fuit, quia verbis, & factis, & signis, & portentis roboratum, subsequēte morte, quam pro Christo in testimonium fidei pertulerunt. Cuius testimonij efficacia etiam ex hoc sumi potest, quia licet essent homines idiotæ, pauperes, & ignobiles, & secundum humanam sapientiam stulti reputati, nihilominus articulum de resurrectione ediderunt, & toti mundo promulgauerunt, ac persuaserunt. De quo pulchrè scribit beatus Aug. li. 22. de ciui. Dei. ca. 5. Quæ omnia hic decidere breuitas vetat. Sic ergo habetur hominum testimonium duplex scilicet conresurgentium cum Christo,& non conresurgentium,& illorum quidem fuere femińę sanctæ, alij discipuli,& apostoli domini.

Fœmina in ecclesia non doceat

Fęminæ cur -estes resur.

Testimo

Christi resur. ex scriptura.

Testimonium quartum de resurrectione Christi est scripturæ testificatio quam homines spiritu Dei inspirati locuti sunt. Cuius maxima est auctoritas, ita vt ecclesia canat in symbolo. Niceno: Et resurrexit tertia die secundum scripturas. De auctoritate scripturæ canonicæ à spiritu sancto allatæ,& inspiratæ alibi videndum. Vnde Lucæ vlt. dixit saluator. Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Et aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas,quæ de eius passione erāt & resurrectione, sicut & prius interpretabatur euntibus in Emaus oēs scripturas,quæ de ipso erāt, incipiēs à Moyse, & omnib⁹ pphetis. Sed q̄ fuerint scripturæ vet. test. q̄s interpretabat̄ Christ⁹ discipulis? Dicit Henric⁹ de Hassia ꝙ ad min⁹ fuerūt illæ scripturæ, quas passim apostoli, & euangelistæ in suis scriptis ex ve. test. allegarūt, quarū scripturarū apertio primò facta ē p Christū, q̄ habet clauē Dauid &c. Aperuit autē Christus scripturas,q̄ de ipso erāt quadrupliciter. Primò agendo,& patiēdo omnia,q̄ in scripturis prædicta, vel figurata erāt de ipso. Quia de facili post facta fit applicatio figurarum ad figurata. Secundò ore proprio scripturas discipulis exponendo. De quo Lu. vltimo. legitur. Tertiò per missionem spiritussancti ipsos discipulos pro scripturarum intellectu extensius & plenius erudiendo. Quartò suscitando doctores, qui eas vltimata declaratione elucidarent,non solum historicè,& allegoricè, quomodo pro Christo apertæ fuerunt à principio, sed etiam anagogicè, & tropologice. Possunt tamen hic exemplariter aliquæ figuræ,& scripturæ poni. Figurata siquidem est domini resurrectio in facto Sansonis, secundum Hierony. qui obsessus à Philistijm in ciuitate Gazan, cum dormiuisset vsque ad medium noctis, inde cō surgens appræhendit ambas portas cum postibus suis, & portauit ad verticem montis, qui respicit Ebron. Iudicum. 14. Hanc figuram ponit Gregor. homil 21. prope finem, & nostro proposito applicat. Expressius autem figurata fuit Christi resurrectio in facto Ionæ, sicut dominus ipse exponere dignatus est Matth. 12. dicens Sicut fuit Ionas in ventre cęti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus per synecdochen. Cuius expositio infra tangetur in dubio sermonis præsentis. Scripturam denique illam psalm. 15. adducit Petrus Actu. 2. Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et latè hoc probat de Christo non de Dauid. Item de resurrectione ē totus psal. 29. vbi inter alia dicitur. Domine eduxisti ab inferno anima meam. Et sequitur. Ad vesperam demorabitur fletus,& ad matutinū lętitia. Sequitur. Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionē. Item Conuertisti planctum meum in gaudium mihi Cōscidisti saccū meum, & circūdedisti me lętitia. Itē psal. 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi. Item Iob. 19. Scio ꝙ redemptor meus viuit &c. quę verba pulchrè exponit ad propositū Greg 14. li. moral. Innumera testimonia scripturæ ad hoc allegari possēt.

Christus aperuit scripturas quadrupliciter.

Testimonium quintum (quod est efficacissimum) est testimonium Dei, qui sicut ante passionem suam omnia p eum patienda prædixit, ita & resurrectionem suam, ac apparitionē, & præcessionem in Galilæa, propter ꝙ & angeli ad inducendā resurrectionis fidē, verba Christi rememorati fuerūt,& ea mulieribus dixerunt ad sepulchrū illis ipsis plus angelorū testimonio innitenti bus. Et sicut omnia, quę de sua passione prædixerat, ita vt prædixit, impleta fūt pariformiter nihil hęsitandum est de sua resurrectione. Ipsam deniq; iam factam proprio ore testificatus est, & miraculis confirmauit, in captura pisciū Ioan. 21. Sustentatione Petri, ne in mari, in ꝙ se misit præcinctus tunica, absorberetur. In sua deniq; clara,& omnibus visa ascensione. Innumera deniq; p aposto-

apostolos Deus fecit miracula ad testimonium resurrectionis, sicut clarè patet in Actibus. Talia vtiq; quæ nō nisi per Deum fieri possunt, sicut est resuscitatio mortuorum ad vitam perfectam &c. Patet ergo quam efficacibus testimonijs suam dominus nobis probauit resurrectionem.

Christus suam resurrect. probauit ratione multiplici.

Secundò principaliter probauit, & ostendit suam resurrectionem ratione multiplici sumpta per experientiam. Ad hoc verò ꝙ aliquis verè dicatur resurrexisse tria sunt necessaria scilicet ꝙ verè fuerit mortuus, ꝙ nunc sit verè viuens, ꝙ sit idem numero nunc viuēs & prius mortuus. Primum scilicet ꝙ dominus fuerit verè mortuus potest ostendi tripliciter .s. euidentia facti, & testimonio duplici amicorum, & inimicorum. Euidentia facti sumi poterat ex cordis lanceatione. Cor enim eius fuit lancea militis transfixum, & vulneratum, sed talis vulneratio, & cordis transfixio nullo modo stare potest cum vita. Cum ergo fuit clauatus, & lanceatus, & omni sanguine priuatus, vitam naturaliter habere non potuit. Potest etiam facti euidentia sumi ex eius sepultura. Si enim vlla vitæ indicia in eo apparuissent, nullatenus amici eius eū sepelissent. Iacuit autem sepultus vsq; in diem tertium ad sensum infra tangendum, & primum tertio die resurrexit. Quo tempore tridui satis comperiri poterat mors eius. Et si diceret aliquis ꝙ corpus eius fuerit furto ablatum, sic suggerentibus iudeis, custodes pecunia corrupti dixerunt. Responde tur ꝙ hoc non concludit, patet tripliciter. Nam quomodo verisimile est ꝙ tot custodes omnes dormiuissent, maximè iam illucescente tertia die, in qua prædixit se resurrecturum, sicut Pilato ipsi iudei testificati sunt, Matth. 27.

Christi corpus nō fuisse ablatum probat tripliciter.

Quomodo etiam tantum lapidem, de quo Marcus ait, ꝙ erat magnus valde amouisse potuissent, clausuras munimenta, & sigilla effregisse, sine excitante fragore? Quomodo deniq; corpus, disuisssent, ac distinctè sudarium, quod fuerat super caput eius inuolutum in vnum locum, & linteamina in alio loco seorsum posuissent, prout ea posita fuisse testatur Ioan. ca. 20. Non enim furantes tantam moram fecissent, maximè propter custodū horribilem præsentiam, sed magis corpus inuolutum cum syndone asportassent. Quomodo demum mendacissimi custodes scire poterant quia eis dormientibus discipuli corpus domini furati sunt de sepulchro? Si dormierunt, vnde nouerūt, quæ dixerunt? Si non dormierunt, cur furantes non tenuerunt? verè defecerūt scrutantes scrutinio, vt vult propheta, & August. Sic ergo patet facti euidentia ex eius lanceatione, & sepultura triduana. Testimonium duplex similiter fecit sufficienter fidem facti. Primum fuit amicorum eum sepelientium. Nicodemi scilicet & Ioseph. Hi enim omni diligentia corpus tractabant, aromatibus condiendo, & cum ipsi fuerint discipuli domini, licet occulti, propter metum iudeorum, vt dicit Ioan. nullatenus eum sepelijssent, si mortuum nō inuenissent. Secundum fuit inimicorū seuientium, & auidissimè eius mortem sitientium, ac resurrectionem timentium, hi etenim nullatenus permisissēt eum de cruce deponi, aut in sepulturā præparari, nisi clarè vidissent eum mortuum. Hinc & mortem eius Pilato testati sunt, dicentes. Domine recordati sumus ꝙ seductor ille &c. Vt itaq; omni populo euidens fieret Christi mors, etiam sepeliri voluit. Habuit ergo eius mors testimonium triplex, aut quadruplex scilicet. Facti euidentiam: Amicorum eum sepelientium diligentiā: Inimicorum seuitiam, & sepulturæ consummationem, quibus sufficienter, ostendi poterat quod fuerat verè mortuus.

Christus post resur. se verè viuū ostendit multipliciter.

Secundum quod requiritur ad resurrectionis ostensionem, est vera vitæ ostēsio. Ostendit autem dominus euidentibus, & multis argumentis se esse verum, & viuentem hominem post resurrectionem. Primum ex parte corporis, habuit enim corpus verum non phantasticum, solidum, non aereum, quod osten

ostendit sensu, visus, & tactus, quibus minus contingit decipi. Vnde Lu. vlt. Palpate,& videte,quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et Thomæ ait: Infer digitum tuum huc,& vide manus meas, & affer manum tuam,& mitte in latus meum &c. Ioan. 20. Ideò Ioannes in prima canon. sua volens testimonium perhibere inquit. Quod vidimus oculis nostris,quod perspeximus, & manus nostre contrectauerunt de verbo vitæ,testamur, & annunciamus vobis. Secundò ex parte animæ quæ est vita hominis. Animam verò se habuisse ostendit primo per opera vitæ vegetatiuæ seu nutritiuæ. Comedit enim, & bibit cū discipulis,vt habent Marcus, Lucas, & Ioan. Et Petrus Act. 10. Secundo per opera vitæ sensitiuæ, quia vidit discipulos suos,eos salutauit,ad interrogata respondit, & eosdem audiuit,patet ex euangelijs. Tertiò per opera vitæ intellectiuæ in eo, ꝙ cum discipulis loquebatur,& eis scripturas aperuit Luc.vlt. Per quæ sufficienter ostendere potuit se esse viuentem.

Tertium quod requiritur ad resurrectionis ostensionem est ꝙ viuēs sit idē numero cum eo, qui mortuus fuit. Et hoc dominus tripliciter probauit.Primò ex parte corporis,quod post resurrectionem fuit eiusdem staturę,coloris figuræ &c. vt prius eum viderant, cum in vita ista cum eis esset,licet à principio ex certis causis, nunc hortulanus, nunc peregrinus ( cum oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent ) visus fuerit. Item clarius ex ostensione cicatricum in manibus, in pedibus,in latere, quorum in cruce ipsis videntibus vulnera suscepit. Vnde Luc. vlti. Videte man⁹ meas,& pedes meos, quia ego ipse sum. Secūdò ex parte animæ quia quæ prius disseruit cum eis de scripturis &c. iam in reminiscentia habuit,& in memoriam reduxit. Vnde Lucæ vl. Hæ sunt verba, quæ locutus sum vobis cum adhuc essem vobiscum scilicet in corpore mortali. Tali enim signo homines dudum sibi absentes, & iam extra mutuam notitiam constituti se solent iterum noscere. Ostendit deniq; & hoc speciali signo se eundem esse, quo & Deum se probauit, quia occulta cordium nouit, vnde conturbatis illis, & existimantibus se spiritum videre, nec tamen dicentibus, ait. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas &c. quia spiritus carnem, & ossa non habet. Lucæ vlt. Sic octaua die resurrectionis præsente Thoma dixit Thomæ Infer digitum tuum huc quasi præsens fuisset dum dixerat discipulis: Nisi videro in manibus eius fixuras clauorū &c. non credam. Sic tandem ad ea opera,quæ prius misit scilicet ad prædicādum, baptizandum, dato prius spiritu sancto Matt. vlt. & Ioann. 20. Tertiò ex parte vtriusq; quia similes gestus,& opera exercuit vt prius,vt patet de fractione panis, qua cognouerunt eum discipuli euntes in Emaus. Sic ex qualitate vocis cognitus est à Maria Magdalena. Sic enim per vocis auditionem contingit quandoque aliquem indiuidualiter nosci non visum,aut in aliena specie visum. Sic olim Isaac ) cum caligauerunt oculi eius ) ait. Vox quidem vox Iacob, manus autem Esau sunt. Gen. 28. Sic ouicula inter mille oues matrem suam ex balatu audito cognoscit.

Ex his patet breuiter quod omnibus modis, quibus per naturam nosci potest aliquis ad horam se absentans, & rediens esse idem, qui prius,his se eundem esse probauit dominus discipulis. Nec est alius mod⁹,quo id probari possit per naturam, hoc est naturalem cognitionem ab his,qui tacti sunt. Vnde manifestum est ꝙ eo modo euidentiæ quo de re quacunq; sciri potest, quia est eadem,quæ prius fuerat, cognitum est à discipulis, quia ille qui ipsis post triduum mortis Iesu apparuit,fuit Iesus prius mortuus, & crucifixus. Vnde eadem euidentia,qua Ioannes nouerat pendentem in cruce fore illum super cuius pectus requieuit in cœna, nouit eum esse, qui resurrexit. Patet itaq; ꝙ surre

discipuli eum, quem viderant post resurrectionem, non crediderunt esse Iesum, sed sciuerunt euidenter, extendendo nomen scientiæ ad notitiam euidentem singularium. Hinc Ioan. vlti. dicitur. Nemo audebat discumbentium interrogare: Tu quis es? scientes quia dominus est. Crediderunt autem eundem esse Deum. Et hoc est de intētione beati Grego. in hom. octauæ paschæ. Hominem inquit vidit Thomas, Deum esse credidit. Concordat Scotus lib. 3. distin. 23. in solutione rationum principalium.

Discipuli an cognouerint euidenter q̄ dicta fuerint de Christo.

Sed di aliquis. Non cognouerunt euidenter quæ dicta sunt, poterant .n. sic cognoscendo decipi, quia omnia, quæ dicta sunt, potuissent facta fuisse per angelum in assumpto corpore, saltem quantum ad apparentiam. Possunt enim assumere corpora palpabilia, immo mortuorum cadauera, sicut de incubis, & succubis doctores dicunt. Et de cæteris satis patet ex facto angeli Tobiæ. Pro solutione supponēdum ex metaphysica Aristotelis, ꝙ ad scientiam, naturaliter acquiribilem ex principijs notis per experientiam, non requiritur euidentia summa, quæ excludat simpliciter omnem deceptionem per quamcunq; potentiam possibilem, alioquin nulla propositio per experientiam poterit esse nota. Nec sic euidenter posset sciri hunc ignem esse calidum, immo hoc visum esse ignem, hoc visum esse hominem, vel asinum, quia omnis effectus, quo hoc cognosci potest, etiam à solo Deo miraculosè illis absentibus causari posset. Quod si fieret, aut Deus sic produceret, nihilominus sensus, & per sensum intellectus similiter iudicaret sicut modo. Sed sufficit euidentia, ac certitudo naturalis, quæ excludit omnem deceptionem possibilem per naturam, & eius communem cursum. Et iterum est ꝙ illam habuerunt apostoli de Christo resurgente. Quia verò obijcitur de angelo assumente corpus. Dicitur etiam sic apostoli decipi non poterant, pro tanto, quia angelus malus multa per Christum acta, etiam in assumpto corpore palpabili non potuisset, scilicet per ianuas clausas intrare. Non enim per potentiam angeli possibilis est penetratio dimensionum. Neq; potuisset reuelasse secreta cordium, & inflammare corda eorum in scripturæ cognitione. Hæc enim solius Dei sunt, qui non communicat ista angelo malo ad decipiendum, quia secundum Aug. Deo auctore nemo fit deterior. Si verò fuisset angelus bonus, ille omnino decipere non potuisset, nec mentiri. Ideo q; nec affirmasset se prius mortuum, & iam se esse eundem numero, & à mortuis resurrexisse, quemadmodum fecit Christus. Et si forte diceretur, Angelus hoc dixit in persona Christi, bene est, ergo verum fuit Christum resurrexisse, cum angelus bonus mentiri non potuit.

Scientiā naturaliter acq. non requirit euidentiā summam.

Sic ergo patuit, quæ dicta sunt breuiter summando, ꝙ dominus octuplici signo suam probauit resurrectionem .s. Primò angelorum. Secundò mortuorū, qui cum Christo resurrexerunt, & apparuerunt multis in sancta ciuitate. Tertiò hominum viuorum mulierum, & virorum, custodum, & discipulorum, nedum verbis, sed proprij sanguinis effusione. Quartò miraculorum exhibitione factorum per angelos, per Christum per discipulos. Quintò scripturæ prophetarum expositione. Sextò cogitationum manifestatione. Cordium inflammatione in scripturarum expositione. Dimensionum penetratione, secretorum reuelatione &c. Septimò sancti spiritus discipulis missione in die pentecostes Octauò signorum, & multorum effectuum in corpore proprio, vt ante resurrectionem manifestatione. Patet etiam ꝙ ex his tanta euidentia naturali (licet non summa) probata est Christi resurrectio, quāta probatur hunc ignem esse calidum. Et hunc visum esse eundem post auersionem oculorum, qui prius fuit &c. Nihil enim apparens per sensus est summè euidēs esse id, & tale, quod & quale apparet. Et licet fortè aliquæ particulares probationes sine alijs solæ non fuissent sufficien

ficientissimæ fuerunt,& simpliciter euidentes.

Christus qũo & ad quem sensum dicitur resur.

Sed circa prædicta paucula, inter multa possent moueri dubia. Primum, quomodo tertia die resurrexit, qui per vnam solam diem scilicet sabbati in sepulchro iacuit. Nam sexta passus est,& in diluculo diei dominicæ resurrexit. Dicendum q̃ secundum beatum Aug. dominus quadraginta horis in sepulchro quieuit, & mortuus fuit. Expirauit enim circa horã nonam. A qua vsq; ad noctem cõputantur quatuor horę. Quibus additis trigintasex horis sequentis noctis sabbati,& noctis dominicalis,in cuius termino dominus surrexit,resultant quadraginta horæ. Nam prius quam ad sepulchrum venissent mulieres,iam dominus surrexit. Venerunt autem (vt Ioãnes ait) cum adhuc tenebræ essent. Matthæus autem,valde mane orto iam sole. Quibus concordare videtur Lucas, valde inquit, diluculo .i. principio diluculi. Diluculum secundum Hieron. medium est inter noctis tenebras & diei claritatem. Venerunt itaque secundum Augustin. in de consensu euangelistarum, cum iam sol suo vicino ortu,nostrum hemisperium illustrare inceperat,quamuis non corpus solis apparuit, raris tenebris in terra existentibus. Sic & nos cum cælum albescit in aurora dicimus quandoque solem ortum esse, ac diem, quandoque adhuc noctem,& tenebras, quia mediũ est q̃ sępe vtriusque nomen participat extremitatis. Nunc autem siue loquamur de die naturali,siue artificiali,patet dominum tertia die resurrexisse. Nam in fine diei artificialis sextæ ferię mortuus est, per integras duas noctes, & sabbatum intercipiens illas in principio quoque diei tertiæ gloriosus resurrexit. Naturali quoque quia nox vsque ad diluculum, quo domini resurrectio declarata est secundum August. 4. de trinit. ad tertiam pertinet diem, quia Deus,qui dixit de tenebris lucem clarescere, ( vt per gratiam no. testa. & participatioẽ resurrectionis Christi audiremus illud Eph. quinto. Fuistis aliquando tenebrę,nunc autem lux in domino) insinuat nobis quodammodo q̃ à nocte dies sumat initiũ. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum à luce in noctem: Ita isti propter hominis reparationem à tenebris ad lucem computantur. Et hoc figuratum est in sabbato iudeorum, quod incipit à vespera, præcedentis diei, quod scilicet futurum esset sabbatum requietionis Christi in sepulchro. Quasi secutura est octaua dies dominicæ resurrectionis, in quo dierum ordo mutandus erat, vt non sicut prius à luce principium sumeret, tenderetque in tenebras, sed à tenebris recedendo exordium haberet, processumque in lucem sempiternam, vt vult Beda. Nec vacat à mysterio quod vna die integra, duabus verò noctibus mortuus iacuit in tumulo,quia secundum Tho. vbi supra Christus vna sua morte corporali scilicet quæ lux fuit propter iustitiam, duas nostras mortes destruxit quæ sunt tenebrosæ propter peccatum corporis .s. & animę,vt vult Aug. 8. de trini. Patet itaq; quomodo & quare dominus tertia die resurrexit.

Christus quomodo dicit comedisse post resur.

Secundum dubium. Quomodo dicit Christus post resurrectionem comedisse? Respondetur breuiter secundum Alexan. de Ales, quod duplex est comestio, scilicet indigentię & potestatis. Prima fit propter restaurationem deperditi. Secunda non fit ad restaurationem, sed ad alicuius rei ostensionem ex potentia, & potestate manducantis. Prima manducatio est corporum in hac vita. Secunda est corporum gloriosorũ, quę magis potentia sunt non gloriosis corporibus. Itaque q̃ corpus gloriosum, seu Christus in corpore glorioso comedit, non est necessitatis, sed potentiæ, vt vult August. 22. de ciuit. Dei. Siquidem resurrectio non est propriè loquendo naturæ humanæ substantialis mutatio, ita vt post resurrectionem sit alterius naturę, & substantiæ, quamuis sit alterius gloriæ. Ita quoque est dotibus gloriæ sublimatum, quod nihil virtutis naturalis

ei deperijt? quin eis vti potest, dũ vult, non vti dum non vult. Non ergo aliquid virtutis naturalis perijt corpori glorioso per gloriæ sublimationem. Sed q̃ verè comederit, probatur, quia per potentiam animæ corpus viuificantis, cibum foris sumptum, & masticatum ad interiora per os, & arterias seu naturæ vias traiicit. Hoc enim est verè comedere, & nihil aliud. Alius, qui vomeret cibum, non vomeret comesta. Potuit quoque cibum huiusmodi per quas voluit partes emittere, aut in suũ corpus licet gloriosum conuertere, & tunc cibus assumptus, & vnitus corpori glorioso participauit gloriam corporis sicut cætere eius partes. Potuit etiã ille cibus simpliciter annihilari, vel in elementa resolui. Nec resistit factum Raphaelis apparenter comedentis, dum duceret Tobiam in Rages Medorum. Qui ait. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili vtor &c. Tob. vltim. vbi negat se comedisse, & bene, quia illa masticatio non fuit per formam corporis assumpti, nec fuit traiectio ad stomachum qui ibi non fuit. Sed omnia illa facta fuerunt per angelum corpori assistentem, & non viuificantem. Non ergo fictum fuit, quod ibi apparuit. Fictum est enim quando res apparet, quæ non est. Quicquid autem in manducatione Raphaelis apparuit, ita fuit in veritate, quia cibus verus per partem corporis assumpti ori similem, mouebatur ad interiora & hoc apparuit, & nihil aliud.

Christus cur apparuit in aliena specie. Dubium tertium. Cur in aliena specie apparuit? Respondetur propter mysterium secundum Greg. vt talis appareret foris, quales intus fuere, qui eum viderunt. Cur corporis gloriã non ostẽdit? Respondetur quia videre non potuissent discipuli, sicut & in transfiguratione. Cur euanuit, & non vt prius continuè conuersatus est cum eis vsq; ad ascensionem suam? Solutio. Quia probare debuit resurrectionis veritatem, & qualitatem, & sic ostendere aliũ statum resurgentium, ac dotes impassibilitatis, agilitatis, & subtilitatis &c. Plura alia hic moueri possent. Sed hęc dixisse sufficiat circa articuli de resurrectione dominiui ostensionem &c.

SI placet alicui prædicatori euangelium diei mysticè, & breuiter populo exponere, ex sequentibus sese (si indiget) poterit informare. Dicto itaq; primum euangelio, sic sermonem ab breuiatum facere poterit.

## *Euangelium.*

Christus quomodo vngẽdus mysticè. Res ad literam acta, significat aliquid agendum, secundum Gre. in hom. Vnde à nobis quærendus est dominus, & vngendus. Quærendus autem in sepulchro. i. Eucharistiæ sacramento, in quo latet Christus inuisibilis sed gloriosus, qui in sepulchro iacuit mortuus. Si sic diligenter, & amanter quæsierimus, inueniemus eum non iã mortuũ in sepulchro, sed viuũ, sed resurrexisse, atque nos sua virtute resuscitantem, & in seipso viuificantem. Sunt autẽ in nobis typica aromata vnguenti, ac emptionis precium, sed & Mariæ ipsæ vnguentes. Mariæ sunt potentiæ tres partis intellectiuæ, quibus dominum inuestigare, ipsumque inuenire possumus, ac vngere. Hi enim Dei capaces sunt in quibus ipsius imago consistit. Vnguẽtes sunt opera bona virtutum Deo placentia sanitatem æternam præstantia, & proximum ædificantia. Et quia vita præstant, præciosa sunt, quia lucentia in manibus nostris, ad patris glorificationem ædificant. Aromata sunt, odorem suauissimum diffundentia. Grego. in homili. dicit odorem huius vnguenti operationem fore bonorum operum.

Verum quia opera virtutum moralium vitam præstare non possunt, & ita præciosa non sunt, nisi ex præciosissimis radicibus theologicalium virtutum oriantur, quæ faciunt ipsa præciosa (Siquidem, viuere castè, diligere iustitiam, mansuetudinem, humilitatem, amplecti

amplecti veritatem propter honestatem, quam ratio naturalis cognoscit, & dictat, & contraria odire, bonum quidem est, & suaue, bene olens, sed non praeciosum, quia non ordinatur ad finem beatitudinis, quae sola mediorum precium constituit, cum ipsa sola sit plenum, & perfectum bonum) Oportet ipsa precio harum virtutum emere, quoniam ex nobis opera virtuosa (quatenus sint meritoria) habere non possumus. Sed ex theologicis virtutibus, quas per infusionem spiritussancti, primò in baptismate, deinde in pęnitentiae sacramento percipimus, ea formare, & preciosas reddere. Sunt ergo ipsę virtutes theologicae denarij tres, quibus aromata comparantur. Fides ad intellectum pertinet. Spes ad memoriam (ipsam enim nutrit memoriam beneficiorum (Charitas ad effectum.

Fides est denarius argente<sup></sup> Fides denarius est argenteus, quia quantū ad actum suum, qui est credere, sonora praedicatione gignitur, secundum apostolum ad Roma. 10. Fides ex auditu, auditus per verbum Dei &c. Sequitur. In omnem terram exiuit sonus eorum &c. Charitas aureus denarius est, quia velut aurum durabile in probatione ignis ita charitas non excidit in camino tribulationis probata, sed purgatur, sed crescit. Multae enim aquae charitatem extinguere non possunt. In Canticis canticorum. Spes mixta est ex argento, & auro, plus habens de argento, quia ex fide, & charitate oritur, magis tamen ex fide constat, propter id desperantibus per confirmationem fidei subueniendum est, vt vult Scotus. Si ergo intellectus noster fidem infusam expendit in opus actualis credulitatis, considerando fideliter credenda, speranda, diligenda, & haec credendo, quia à Deo (veritate aeterna) reuelata. Iam prima Maria Magdalena, quae interpraetatur illuminata, & turrita, vel defensa. (Intellectus enim illuminationem capit ex turre dauidica, quae est scriptura sacra, ex prologo sententiarum)

Mariae quid significant.

emit per nummum infusae fidei aromata meditationum credendorum, ac diuinorum beneficiorum exhibitorum pariter, & promissorum.

Si memoria harum conseruatrix, spem infusam in feruorem desyderiorum futurorum bonorum iam consyderatorum accendit (quia à fidelissimo Deo promissa) Iam altera Maria salome id est amara, pacificans. Memoria enim amaritudinem temporalium consolationum, per spem aeternorum, attendens pacificat, iam nummo spei emit aromata sanctissimorum desyderiorum ignitorum. Si affectus per infusam charitatem se ad omnium mandatorum Dei promptissimam obedientiam extendit, quia à Deo summo bono, bono praeceptore praecepta sunt. Iam Maria tertia Iacobi, id est domina supplantatrix. Affectus enim, qui est libera voluntas, ceteris potentijs dominatur, & per charitatem Dei omnia vitia supplantat, nummo charitatis aureo emit aromata promptissimae obedientiae praeceptorum, immo & consiliorum, tanquam à dilectissimo, & summo bono ordinatorum. His aromatibus conficitur ab anima fideli vnguentum mysticum, super aurum, & topazion preciosum, & odoriferum, quo anima ipsa efficitur bonus odor Deo. secundo Corinthiorum secundo quo sic confecto, si amanter, ardenter, & desyderanter quaeritur in sacramentalibus latibulis Christus pro nobis pridem sepultus, merebimur primò angelorum consolationem, inspirationem, defensionem. Quibus pęnitentiae ac satisfactionis lapis, vitaeque nouitas spiritualis, nouiter conuersis onerosa remouetur, fitque in dies leue, quod primò graue videbatur, vt Bernard. ait. Deinde dominum ipsum verè in sacramento suscipientes, non iam mortuum, sed resurrexisse in nobis, ac nos suscitasse de peccati morte ad vitam gratiae sentiemus. Nos quoque praecedere in Galileam, ac se nobis per internas conditiones dulcedines & defensiones videndum, oculo fidei, & in-

tellectus ostendet, ac nos sibi vnit & in seipso viuificatos de cętero iam non morituros: Amen.

## IN DIE PASCHAE Sermo III. in ordine. XXVII.

De dotibus corporum goriosorum.

PRÆCEDET vos in Galileam, ibi eum videbitis. Matth. decimo sexto.

Gaudium ineffabile, summamque nobis exultationem solemnitas attulit festi summi. In quo saluator noster post illa Iudæorum sęuissima tormenta, quibus in cruce moriens mortem occidit, infernum momordit, stola immortalitatis indut⁹, glorios⁹ anima, & corpore resurrexit, sua quoq; resurrectione iucundissima, similem nobis gloriã perpetuò possidendam præparauit. Reformabit corpus humili, nostræ cõfigu. corpori clarita. suę, inquit apostolus ad Philip. 3. De hoc quoq; Greg. lib. 14. moral. ait. Resurrectionem quam in se dominus ostendit, quandoque in nobis etiam facturus est. Resurrectioné quippe, quam in se ostendit, nobis repromisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Idcirco etenim redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus, ostendit resurrectionem, vt nos resurgere posse confidamus. Quis rogo charissimi non toto exultaret animo, quem immortalitatis gloria expectat? O solemnitas gloriosa O dies iucunda verè, in diebus anni transeuntibus non computanda. In mensibus labentis temporis non numeranda, sed æternitatis æuo inscribenda. Rectè secundum Greg. homil. 22. omnium festiuitatum festiuitas hæc est, quoniam ceteræ temporalium beneficiorum sunt memoriæ, hæc æternitatis gloriam nobis repromittit, non inter septem dies, quibus vniuersum tempus euoluitur, numeratur, sed post septimã diem prima idest octaua æternitatis est dies, qui expletam septem dierum vicissitudinem sequitur nunquam finiendus. Multiplici quidem sacramento, octaua dies, post quam aliam scriptura nõ nominat resurrectionis dies est. Nam & saluator noster sexta die à conditione passus est, sabbato quieuit in sepulchro, & octauo idest hodie resurrexit à morte, nunquam moriturus: Hom. 16. super Ezech. Nõ ergo vna de septem præsentis miseriæ est, sed post hanc transmigrationem futuræ lętitiæ, quoniam & si nobis in præsenti gaudia quædam cumulat, incomparabiliter tamen maiora in futuro præfigurat. Ad quæ non nisi post horum transmigrationem licitum est peruenire quod redemptor noster in eo designat, quia resurgens ex mortuis in Galilæa (quod transmigratio sonat) se vidẽdum, quod totius beatitudinis est lętitia, repromittit, sed verba ab angelo missa apostolis: Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Sed quia absurdum est tanta, vel meditari, vel eloqui gaudia, corde męsto, sicut ediuerso impium est patienti domino assistere animo non compatiente. Gaudete inquit, apostolus cum gaudentibus, flete cum flẽtib⁹, ideòq; exultationem mentis, vox exprimat canentis. Pro impetranda gratia Christ istę erstandé, addito Aue Ma.

Christus in Galilæa cur apparuit post resurrect.

Hodierna dies sacratissima fratres dilectissimi tota desyderabilis est, tota iucunda, plena consolatione. Quis.n. qualibet deiectus tristitia, tribulationibus, angustijs, aduersitatibus conuolutus, nõ respiret, dum memoriæ paschalia festa imprimit, dum status illius, quem sua resurrectione redemptor noster hodierna die nobis pręparauit, meminit, in quo finem habere non dubitat omnem aduersitatem? Initium autem sine termino perfectam fęlicitatem? Si enim consolabarur adhuc longè futura patres sanctos veteris testamenti in tribulatione positos, quanto magis id facere præualet iam exhibita? Nam beatus Iob contra quem inimicus sęuiens cunctas tentationum machinas erexit, abstulit substantiã, interfecit filios, percussit corpus, instiga-

uit

bit vxorem, amicos ad consolationem adduxit, sed in asperitatem inctepationis excitauit, qui eum iniustum, impium, peccatorem, culparent, & idcirco à domino totupliciter percussum affirmarent. Sed contra omnes tentationes, & pericula ad huius diei festiuitatem, quam præuidit, consolatus cucurrit, dicens c.19. Scio, quod redemptor meus viuit, redemptor ait, non cōditor, vt eum denunciare insinuet, qui vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, & sua passione nos à morte perpetua liberauit. De hoc itaque ait, Scio, quod redemptor meus viuit, ac si aperta voce dicat, secundum Greg. 14. moral. §. 103. Infidelis quisque illum flagellatum, derisum, palmis, cęsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum nouerit. Ego illum post mortem viuere certa fide credo, libera voce profiteor, quia redemptor meus viuit, qui inter impiorum manus occubuit. Sed quid sibi hæc domini resurrectio contulerit, subdit, Et in nouissimo die resurrecturus sum, & in carne mea videbo dominum saluatorem meum. Exemplo enim monstrauit in seipso, quod promisit nobis in præmio, vt sicut ipsum resurrexisse fideles agnoscerent, ita in seipsis in fine mundi resurrectionis pręmia sperarent. Reposita est inquit, hæc spes mea in sinu meo. Hæc breuiter innuunt verba thematis, Pręcedet vos in Galileam &c.

Molestia quadruplicē Cristus assūpsit. Designat nanque status, ad quem redemptor noster resurrexit immutabilitatem, & allatam nobis similis incorruptionis vtilitatem. Primum tangitur, cum dicit, Præcedet vos in Galilęam. Secundum cum additur, Ibi eū videbitis. Galilea quippe idsonat, quod pascha, pascha transitus, & Galilea trāsmigratio facta interpretatur. Saluator etenim noster resurgens ex mortuis pręcedit in Galilęam, quoniam vt ait Greg. in homi. à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pena ad gloriam, à corruptione ad corruptionem transmigrauerat. Omnes quippe pænales nostros defectus assumpsit, atque lāguores, ac dolore carnis nostrę verè portauit moriendo, cuius tamē omnes molestias deposuit resurgendo. Quadruplici enim molestia, & graui onere laborat caro nostra. Est enim primò corruptibile, & passibile continuè tendens ad non esse, quod quasi flos egreditur, & continue conteritur, fugit velut vmbra, & nunquàm in eodem statu permanet. Iob. decimotertio Est quoque secundo grossum, & impedibile, vt non possit, quæ volet, penetrare, sed ab alio corpore angustiatur, & præmitur. Est tertiò tardum, & fatigabile, adeò vt dicat Philo, Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam Sapien. 9. Est demum obscurum, & turpe, ita vt nedum ad protectionem à frigoribus, sed turpitudinis operimentum, opus sit vestitu, vt habetur Ecclesiast. vigesimonono. Hos defectus & Christus propter nos assumpsit, & in sua passione sustinuit. Nam nudatus est corpore, & sputis, & alapis turpiter confusus facie. Fatigatus est sub graui crucis onere, conquassatus est clauis corona, & arundinis percussione, corruptum denique diris vulneribus, & amarissima morte.

Christus molestias in passione surrectione depoluit. In resurrectione autem hæc omnia abiecit. Et corpus quidem, vt Gregorius ait eiusdem naturæ, sed alterius gloria resumpsit, quia eiusdem substantiæ, sed dotibus glorię adornatum. Impassibilitate, quæ excludit animæ separationem, & cuiuslibet nociui qualemcunque lęsionem. Nam resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Roman. sexto. Subtilitate, per quàm à nullius corporis soliditate impediri potest, sed sine cuiuscunque impeditione, quæ voluerit, penetrare. Agilitate, qua sic corpus habilitatur, vt vbicunque voluerit spiritus, ibi sine fatigatione protinus erit corpus, vt dicit Augustinus. Claritate pulcherrimi, & viuacissimi coloris, atq; lucidissimi splendoris, solis fulgorēm vincentis.

Christus corporis impassibilitaté ostendit quomodo.

Corporis impassibilitatem ostendit in perfecta sanatione corporis per passionem crudelissimè, à vertice capitis ad pedis plantam vulnerati. Perfectè quidem sanatum ostendit, quia potens ad omnes naturales operationes. Vnde eum discipulis stetit, ambulauit, loquebatur, comedit, & vulnerum (Lucæ vlti.) plagas sine sensu doloris palpandas præbuit. Palpate inquit, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet. Et Thomæ. Infer digit tuum huc scilicet in locum clauorum, & manum tuam mitte in latus meum. Quod & fecit. Nam vt Leo ait: sufficit sibi vidisse, quem viderat ad fidem propriam sed nobis operatus est vt tangeret, qué videbat. Si fortè diceres: Quomodo Thom. parte 3. q. 54. artic. vlt. si fuit corpus corruptibile, post resurrectionem apparuit vulneratum, cum vulneratio ad corruptionem pertinet, & ad defectum. Sed dicendum q Christus resurgens, corporis sui nedum cicatrices, sed vulnera seruauit, & vulnerum aperturas cum quadam contenuitatis solutione, non tamen vt dicit Beda super Lucam ex aliqua impotentia curādi, sed ad singularem gloriam, & propter speciales quasdam rationes. Ideò ista vulnera non ad corruptionem pertinent, vel defectum. Nam vulnera sine dolore, & impotentia, quæ ad defectum pertinent reseruauit.

Christus vulnerū cicatrices cur seruauit.

Sunt autem inter alias tres causæ, propter quas inflicta in passione vulnera, in suo corpore glorificato reseruauit. Prima propter gloriam victoriæ Christi Vnde ait Beda vbi supra q cicatrices dominus seruauit vt in perpetuum victoriæ suæ circūferat triumphum. Sicut miles militiæ signum. Vnde Augus. 22. de ciu. Dei ait. Fortassis in illo regno in corporibus martyrū videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit & quædam quamuis in corpore, non corporis, sed virtutum pulchritudo fulgebit. Et dicit Thomas in 3. parte. q. 54. art. 9. q in illis locis vulnerū quidam specialis decor apparebit. Et vt idem dicit in quarto scripto. distin. 44. Vulnera ista, cicatrices Christi, & sanctorum, signa erunt constantissimæ virtutis, qua passi sunt pro iustitia, & fide, vt ex hoc ipsis, & alijs gaudiū crescat. Secundò ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suæ resurrectionis. Vnde postquam quinta vice hodierna die viuus apparuit, ait discipulis. Pax vobis. Quod cum dixisset, ostendit eis manus, & latus: Ioannis. 20. Tertiò, vt in iudicio quam iustè dānarentur reprobi, ibidem annunciet. De quo Augustinus in lib. de symbolo. Sciebat Christus (inquit) quare cicatrices in suo corpore seruaret. Sicut enim demonstrauit Thomæ non credenti, vt tangeret, & videret, ita inimicis etiam vulnera demonstraturus est sua, vt conuincens eos veritas dicat. Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis, vulnera, quæ infixistis, agnoscitis, latus, quod pupugistis, quod per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Congruum quippe, & decens est, vt homines oculari intuitu cicatricum agnoscant illum esse Iesum filium Dei, quem apostoli prædicabant pro hominum salute incarnatum, crucifixum, & nimia charitate sic vulneratum. Et vt rebus loquentibus iusti agnoscant. Non ex operibus, quæ fecerunt ipsi, sed ex ineffabili misericordia Dei se ad gloriam assumendos. Et omnes illæ rationes non solum persuadent de quinq; vulneribus, sed omnibus æquè paruis sicut maioribus. Potest addi quarta ratio. Quod eo ipso erudiamur, quod sicut redemptionis nostræ signa ipse in suo corpore indelebilitet impressit. Ita & nos passionis eius beneficia sine vlla obliuione cordibus nostris infigamus. Ad quod etiam per prophetam hortatur. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, & absinthij, & fellis: Threnorum. 3. Ob eandem causam præsentibus paschalibus gaudijs, frequentius commiscet ecclesia, immo scriptura memoriam dominicæ passionis.

Christus subtilitatem quo ostendit

Subtilitatem assumpti corporis declarat in eo, quod de sepulchro nullis effractis sigillis nec remoto lapide resurgens egressus est, & frequenter ad discipulos clausis ianuis) vt Ioannes memoratur) ingressus. De hoc Bernardus in sermone de hac sollicitudine, qui incipit. Vicit Leo, ait. Constat proinde clauso exisse tumulo rediuiuũ corpus, quod clauso virginis vtero natum, processit in vitam & ad discipulos clausis introiuit ostijs in conclauũ. Sed est locus vnde clausis noluit exire ianuis: Carcer vtiq; gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula vniuersa contriuit, vt liber suos reduceret, quos de manu redemerat inimici.

Agilitatem verò demonstrat in eo, quod cum voluit, subito apparuit, subito & disparuit discipulis, quibus se viuum in multis probauit argumentis.

Christus claritatẽ ostendit quomodo.

Claritatem verò, & splendorem suæ gloriæ infirmis oculis capere non valentibus temperauit. De quo August. ad Orosium dicit. Clarificata carne dominus surrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis apparere, quia non potuissent corporeis oculis talem claritatem prospicere. Si enim antequam moreretur pro nobis, & resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli eum videre non potuerunt, quãtò magis clarificata carne domini eum videre non potuerunt? Quem tamen carnis splendorem fortassis non longè à veritate est sentire, quod eisdem longè monstrauerit dum ascendens in cœlum, eleuatus ab oculis eorum, à nube susceptus, haud dubium quin lucida distribuitur, vt nubes illa non vapor aqueus, sed splendor corporis propriùs tanquam nubes lucidissima, visa a remotis oculis intelligatur &cet.

De his summatim dicit quidam. Nimium felix illa dies, quæ amplius, de sepulchro radiauit, quam de sole refulsit, quando Christus sol verus ab inferis emergens illuxit. Quando stella matutina de cubili sepulchri sui exilijt quando caro humana, quæ in Adam per peccatum defloruit, in Christo omnium virtutum floribus immunitate peccati floruit, cum ex Maria semper Virgine tanquam pulcherrimi floris singulare decus emicuit. Et in qua carne conuersando inter homines, & operando nostram salutem per miracula, & prædicationem suam tanquam bona arbor multiplicem fructum protulit, & in morte pridie succisa aruit, hodie refloruit, cum resurgendo de terre inferioribus, in æthereas naturas dotum gloriæ mirabili decore prorupit, & immortali stipite, vt lignum vitæ perpetuæ perdurabit, & quando vetus sol iustitiæ quem impij iudei se extinxisse putauerunt per passionis ignominiam, pulchrior surrexit de suo funere, & creuit nominis sui gloria ex mortis victoria, sicut ait apostolus Philip. 2. Factus est obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis propter quod &c. & confiteatur omnis lingua, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ecce vt cunque patuit, quoniam resurgens dominus in Galilæã præcessit, dum ab ignominia ad gloriam, à passione ad gaudia, à temporalibus ad perpetua, à mortalitate ad incorruptibilia, à terrenis ad cœlestia, ab imis ad summa, commutatione fœlicissima transmigrauit. Quam resurrectionis gloriam & nobis promisit, ac infallibiliter reddet, vt ibi eum conformati sibi in gloria videamus, si tamen domini exemplo accepto nostræ conuersionis itinere, non retrocedamus, prout secunda thematis nostri particula designauit. Quã sermoni alteri reseruabo. Interim in domino lętemur, in azymis synceritatis, & veritatis epulantes, fermentum malitiæ, & nequitiæ summopere cauentes &c.

# IN DIE PASCHAE Sermo IIII. in ordine. XXVIII.

Dies quã fecit dominus quæ sit.

HÆC est dies quam fecit dominus psal. 117. Gloriam huius solemnissimi diei, qui omnium celeberrimus, & deuotiori colendus est gaudio. Non ortus solis (qui iterum occidit) sed solis iustitiæ, Christi Iesu occasum nescientis illustrat. Non enim de cęlo, sed inferno. Non de reuolutione luminaris magni, sed de claustris sepulchri. Non de sereno æthereæ regionis, sed de pęnarum tenebris pulchrius elucescit. Hodie nanque dominus vbique triumphans de inferni tenebris, quas hoc triduo illuminauerat deuicto mortis principe, cum sanctorum patrum præda carnē resumpturus emersit. Ipse enim est fortior superueniens, qui fortem armatum vicit, arma abstulit, spolia reduxit. Luc. 11. Hodie dominus corruptibili veste mortalitatis deposita, immortalitatis, & gloriæ habitu amictus, de clauso monumenti locello letior resurrexit. Conscidisti (inquit propheta in psal.) saccum meum &c. Hodie salutis pacis nostræ discipulis horribilibus, & accerrimis, redîuiuus, & impassibilis apparuit nunquam moriturus Rom. 6. Vnde meritò festiuitatum omnium, hæc dies domini obtinet principatum. Hinc Greg. sicut in sacro eloquio sancta sanctorum, vel cātica canticorum pro sui magnitudine dicuntur. Ita hæc præsens festiuitas dici potest solemnitas solemnitatum, quoniam omnium maior est quæ per anni circulum celebrantur. In hac siquidem lapis ille angularis Christus dominus (quem pridie ædificantes, Sion in sanguinibus, pontifices videlicet pharisæi, & scribæ reprobauerunt, coram Pilato negantes, in cruce blasphemantes, in sepulchro custodientes factus est in caput anguli, omnem soliditatem fabricæ ecclesiæ in se fundans) diuersos parietes hominum & angelorum, gentium & iudeorum in suæ resurrectionis gloria copulauit. Resurrectione enim sua exaltatus, innotuit mundo, dęmonibus, & angelis, vt in eius nomine omne genu curuaretur, cęlestium, tęrrestrium, & angelorū. Phili. 2. Humiliatus pridem passione, exaltatus est hodierna resurrectione, singulari operatione patris, nobis admirabili, & exultabili. Quod præuidens propheta, ad huius diei gloriam simul, & gaudia exhortans ait. Hæc est dies &c. Exultemus foris & lętemur intus, cordis deuotione Christum resurgentem adoremus, foris canentens Christi ist.

Dies resurrect. in quib' commendatur.

Hæc est dies &c. In verbis istis diei præsentis gloria declaratur ex tribus. Ex immutabili stabilitate, Hæc ē dies. Ex eminenti singularitate, quam fecit dominus. Ex spiritualis gaudij iucunditate, exultemus, & lętemur in ea. In omnibus his dies hodierna omnes alios excellit. Primò in immutabili stabilitate. Ceteri omnes transeunt, ille solus in æternum perseuerat. Ideò rectè dicitur: Hæc est dies. Solus ille verè est, quia immutabilis, quia æternus. Sed di. Quomodo est, cuius esse in continuò desinere consistit? Non verè sunt, quæ mutabilia sunt. Propter quod Exodo. 4. Qui est misit me. de qui magister distin. 8. primi. Sola diuina essentia simpliciter verè est, quia incommutabilis est, & sine sui mutatione cunctas condidit naturas, quæ qui a commutabiles sunt, & suum esse non seruāt, respectu incōmutabilis esse quodammodo non sunt, sic respectu dierū, qui transeunt, respectu eius, qui manet quodāmodo non sunt. Cū dicit, nomino, non tempus id, ꝙ solis motione præsens est, præteritū, vel futurū intelligo, sed quā signat impensi operis, vel beneficij claritatem. Omnes anni dies, eiusdem temporis, & motus partes secundū id quod sunt eiusdem sunt dignitatis. Sed ex rebus in eis actis & beneficijs humano generi exhibitis, eorum dignitas æstimatur. Ex eo itaq; præsens est dignior, quia cęterorum beneficia temporalia fuerunt illius æternum. Natiuitas

Dies resurre. in quibus alios antecellit.

tas Christi magnum beneficiū, qua nostram mortalitatē assumpsit, sed trāsijt, sanitates impensæ magna beneficia, sed transierunt. Iterū mortuus est Lazarus quē resuscitauit dñs. Magnū beneficiū passio, qua deleuit peccata, sed transijt. Magnū mors, qua destruxit mortē, sed trāsijt. Maximū resurrectio ad vitam immortalē, hæc sola manet in æternū. Illa quasi media, ista omnium horum finis, quod declaro breuiter.

Resurre. Christi quid cōtulit.

Sed dicitis qd nobis est dñica resurrectio? Certè naturæ nostræ æterna, & beatifica stabilitio. Ad hāc consequēdā sum⁹ creati, hanc p peccatū amisimus lauit nrā peccata mors, & Christi passio, restituit beatitudinē eius gloriosa resurrectio Hinc in pfatione canit. Te qdē omni tēpore, sed in hoc potissimū &c. Qui mor. n.mo.dest. & vi.re. rep. Ecce in Christi resurrectione hodierna nrā natura iā suā consecuta est beatitudinē, & vltima tā inamissibilē perfectionē. Et hoc in Christo tanquā in nostro capite, consequet aūt indubiè in nobis singulis ei⁹ mēbris, quia caput necesse est mēbra sequātur. Vnde q suscitauit Iesū, & nos cū Iesu suscitabit 2.Cor.3. Hinc Gre. in hom. Ex hac solemnitate exēplū nobis datum est resurrectionis, spes cęlestis patriæ aperta est, & facta iā præsumptibilis cęlestis regni gloria. Nam & per illam electi (qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamē apud inferni claustra tenebātur) ad paradisi amena sunt reducti. Si dicis, hoc etiam in triduo consecuti sumus Solutio, si quo ad animam, non tamen quo ad corpus quia Christus primitiæ dormientium resurrexit.

Christus quomodo resur. à morte.

Resurrexit dominus resumendo, quā deposuit, humanitatē, nā separatione, animæ à corpore mortuus est hō Christus, qua separatione ita humanitatem deposuit, vt non esset homo in triduo, vtriusq; tñ (corporis, & animæ) vnionem cū pietate in verbo non soluit. Vñ etsi Christus non fuit homo in mortis triduo, quia verè mortuus. Mansit tamē Christus, quia mansit vnio carnis, & animæ cū verbo, pp q. Christus in inferno Christus in sepulchro, sed neque in inferno, neq; in sepulchro fuit homo. Nec obstat verbū Dam. Quod assumpsit non dereliquit. Intelligendum .n. est, quantum ad humanitatis partes integrales reuniendas, vel non deposuit humanitatem manentem quam reliquit. Sco. dist. 22. lib. 3.

Resumendo ergo, q. deposuit, resurrexit. Glorientur hodie fideles, plaudite manib⁹ omnes gentes, quia rex noster Christus post ligni pęnalē victoriam, qua victus carne virtute factus est victor. Vicit In cœlo olim spiritum apostatam. In crucis patibulo blasphemātem iudeum. In sepulchro carnis corruptionem. In inferno tenebrarū principem. In omnibus victor triumphauit cum gloriosus corpore, & anima, victor perpetuus hodierna die de sepulchro resurrexit.

Corpus nostrum quale fuit in paradiso & quale factū in resurr.

Sed nunc charissimi consyderate (si tamen capere potestis) quantū nobis cōtulit sacrosancta Christi resurrectio. Contulit animæ perfectā libertatē, corpori perfectā sanitatē. Longe pulchri⁹ reformata est caro nostra, quam olim fuit in paradiso condita, quia ibi mortalis, etsi non mortua, elementis subiecta, inedia consumpta, ideò indiguit loco temperato, cibo restauratiuo, ligno vitæ virtutis reformatiuo, Sco. in 2.di. 19. Non sic caro Christi hodie glorificata, cui conformabitur & nostra. Hæc enim per dotes gloriæ facta est immortalis, subtilis agilis, clara, vt sermone præcedenti patuit. Hinc pro sua conseruatione neque loco indiget neque cibo. Totus ei mundus paradisus est vt nec elementa, nec infernus ipse præualere possit. Hodie ergo gleba ista de terra formata, cui dixit olim dominus. Terra es, & in terram ibis, stabilita est super cœlorum stabilitatem, & claritatem exaltata. Vnde consyderate quantas iucundissimas gratias in hac festiuitate tenemur dominicæ resurrectioni etiam carnales, per quam sic refloruit caro nostra, longe facta ab hoc magno clamore pphetico Ela Ois caro fenū, & omnis gloria ei⁹ quasi flos

agri.

agri. Exiſcatum eſt fęnum, & cecidit flos cap.40.

Sed ecce ſuper omnem mutabilium regionem etiam cælum ipſum) ſtabilita in omni poſſibili gloria, & honore, & vltimata perfectione ſine mutabilitate collocata conſiſtit. Itaq; hæc dies vere eſt dies, quam fecit dominus, æternus, immutabilis, vnus ſine fine manſurus. Sed ſi tanta contuli reſurrectio corpori, parti minus nobili, vt ſermone præcedente de dotibus patuit, quantum contulit animę noſtræ, quæ dignior eſt corpore? De hoc ſermone diei craſtinę &c.

## *FERIA II. PASCHAE pars ſecunda ſermonis quarti.*

Diem paſchę quaſi ter fecit dominus

HÆC eſt dies, quam fecit dominus, vbi ſupra.

Laudem huius diei eximiam, qua ceteris diebus præfertur propheta ex auctore eius metitur, cum ait. Hæc eſt dies, quam fecit dominus, Sed quomodo hunc ſingulariter feciſſe dicitur, qui à principio tempus creauit, & dies omnes fecit. Denique ſi tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius.4. phyſicorum, & dies ſolis motus diurnus ſub polis mundi, ſicut annus motus eiuſdem proprius ſub polis zodiaci, quomodo hunc diem ſingulariter fecit, qui ſoli motum dedit? niſi fortè filium diem dixeris, ex die patre, ſecundum illud ſymboli Athanaſij, Deum de Deo, lumen de lumine, & quid, lux niſi dies, ſecundum illud Gen.1. Diuiſit lucem, ac tenebras, vocauitque lucem diem. Et in pſalm 95. Annunciate de die in diem ſalutare eius, de die patre, in diem filium Sed hunc diem, & lucē veriſſimam pater genuit, non fecit. Filius a patre ſolo eſt, nō factus, nec creatus, ſed genitus. An verò hunc ſecundum hominem factum non dubitamus? ſecundum illud Rom.1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Et ſecundum hanc dies eſt, quia lux, ſecundum illud Ioan.8. Ego ſum lux mūdi, cuius & nos filii ſumus, ſecundum illud Apoſtoli. Vos eſtis filij lucis, & filij diei, haud dubium, quin Chriſti. Sed hunc diem, Chriſtum ſcilicet ſecundum hominem dominus hodie non fecit, ſed magis in die temporalis natiuitatis. Niſi dicere placuerit, quod pater dominus tunc fecit diem ſub nubilo, lucem in lucerna, & quaſi ſub modio, quam per hodiernam reſurrectionem exaltauit, ac declarauit, dum diſcuſſis mortalitatis tenebris, de ſepulchro in claritate gloriæ ſuſcitatum, toti fecit mundo ſplendeſcere. Nouo ergo modo hodie filium ſecundum aſſumptam carnem dominus diem fecit, cui nouā claritatem per dotes gloriæ corporis, & animæ nunquàm auferendas ſtabiliuit, ac per hoc diem ſine nubilo glorioſum ſine defectu clariſſimum, & ſereniſſimū fecit, ſecundum quem intellectum catholicè cum propheta lætantes, & exultantes canimus. Hęc eſt dies, quàm fecit dominus, addentes Chriſt iſt erſtanden, cum angelica ſalutatione Aue Maria.

Referendo diem ad noſtræ ſalutis opera ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſer. heſterno, quàmuis dominus fecit quicquid ſaluti noſtrę congruit, qui operatus eſt ſalutem in medio terrę, & vult omnes homines ſaluos fieri 1. Timo.2. & alibi ait. Salus tua ex me Iſrael, Oſeę 13. Hunc tamen diem reſurrectionis præ omnibus feciſſe dicitur pręomnibus fecit dominus principaliter, & ſingulariter. Principaliter, quoniam per opus reſurrectionis conſummauit opus beatitudinis, quod in operibus omniū cæterorum dierum feſtorum finaliter intendit tanquàm opus perfectum, bonum vniuerſale, & perpetuum. In hac ergo die in Chriſto beatitudo quo ad corpus, & animam (quæ prius in ſola ſuperiori animę portione ſuſpendebatur incluſa) perfectiſſimè quantum ad omnes vtriuſq; potentias perfectiſſimè eſt completa, & in nobis complenda. Quę non partiale bonum, ſed totum eſt perfectum, ſecundum illud Boe.3. de conſo- Diem paſchæ dominus fecit principaliter.

la.

la. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & ita in se omnia bona continens, ad quem cętera salutis opera singula referuntur. Audistis heri, quod corpus perfectè restituit integritati, vt iam nullius extrinseci egeat, sed sibi sufficiat. Non medicina vel cibo, quia immortale, & impassibile. Non continente loco, quia subtile. Non vehiculi adiutorio, quia agile, & infatigabile. Non mendicato ornatu quia clarum, & pulcherrimum. Quia si tanta resurrectio tribuit corpori, parti hominis vtique viliori, quanta animæ. Reuera oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quanta præparauit dominus diligentibus se Esa. 4. Et 1. Cor. 2. præsertim secundum animam. Restituit potentiis animæ perfectam pacem ablata omni sensualitatis rebellione ad rationem, immo & necessaria ministeria. Non iam intellectus vt speculetur, indiget phātasmatibus ipse intuitiuè, & immediatè videt omnia, quæ videre debet in verbo, & præsentia in genere proprio. Nullus error in ratione, nulla obliquitas in voluntate, ibi sunt omnes docibiles Dei, nulla obliuio in memoria, transierunt temporalia, subsistunt æterna. Super hæc omnia per lumen gloriæ pulcherrimum speculatur, per charitatem consummatam bono summo fruitur, per tentionem firmam non superatur, per gaudium ineffabile incopręhensibiliter delectatur, hoc opus, hunc finem dominus principaliter intendit in omnibus nostræ salutis operibus, ad quod cætera referuntur. Quare præsentis diei opus rectè dominus præ alijs omnibus principaliter fecisse dicitur.

Dies paschæ est omnium festiuitatū finis. Fecit etiam huius diei opus singulariter, quoniam in cæteris donis, & operibus sibi cooperantes habuit. In isto beatitudinis dono solus sine adiutorio operatur. In natiuitate cooperantem habuit matrem. In pędicatione discipulos, quos misit binos ante faciem suā inomnem locum, quo erat venturus. In miraculis fidem infirmorum. In peccatorum remissione bonum liberi arbitrii motum In passione tortores. In beatifica resurrectione solus operatur, nedum in resuscitatione corporū, quoniam omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent in resurrectionem. Ioan. 5. Sed etiam in actibus beatificis mentium, quos secundum multos solus infundit, ita qđ respectu eorum anima se habet tātum passiuè, non actiuè, propter nimiam eorum perfectionem. Vnde secundum illos lumen glorię, quod solus infundit requiritur ad receptionem visionis beatificę, non ad productionem, quod si nō placet, nihilominus ipse se ostendit, quando vult, & non videtur, quando n̄ vult, vt vult Aug.

Hæc hodierni euangelii historia figurat, nam ipse aperuit sensum scriptu rarum, quo ad intellectum. Fregit panem, quo ad affectum, accendit ardorem, quo ad memoriam, hoc quantum ad mentem. Quo ad corpus autem impassibilitatem in perfecta corporis sanatione, claritatem in aspectus transformatione, agilitatam in subita apparitione, subtilitatem in infatigata ambulatione quo ad se, & discipulos. Nam vt historia euangelij dicit, duo ex discipulis &c. Applica, si placet totam euangelii historiam ad propositum.

## IN FESTO ASCENtionis domini Sermo I. in ordine verò. XXIX.



IDENTIBVS illis eleuatus est. Act. 1. Hodiernā dominicę ascensionis festiuitatem, dignum est sursū erectis nos cordibus celebrare. Si enim natiuitatis inquit beatus Bernar. ser. 4. de ascensione. Si resurrectionis domini cæ solemnia digna deuotione celebramus, hodiernum quoque ascensionis diem non minus deuotè conuenit celebrare. In nullo siquidem à festiuitatibus illis ista degenerat, sed finis earum, & adimpletio est fęlix quoque clausula totius

Ascensio nis Xp̄i sermo moralis.

totius itinerarii filii Dei. Merito olemnitatis, & lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercælestis sol iustitiæ nostris se præsentabat obtutibus, nube carnis, & mortalitatis sacco, fulgorem suum, & lumen temperans inaccessibilem. Magna quoq; lætitia, & exultatio multa, quoniam conscisso sacco lætitia, circundatus est, factaque de medio facci non substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicauit primordia resurrectionis. Sed quanta hodie lætitia nobis erit dum nostra natura olim in Adam protoplasto damnata, in Christo autem in die suæ passionis patri reconciliata Hodierna die paradiso non terreno, vnde pulsa est, sed cęlesti longè eminentiori, in Christo restituta est, dum magnificentia eius (vt propheta ait) eleuata est super omnes cęlos. Hodie (inquit Gregorius in homiliis) natura illa cui dictum est, terra es, & in terram ibis, in cęlum iuit, iuit in Christo, ibit postea, & in omnibus membris eius fidelibus, in eum spem suam ponentibus. Vado inquit, his, qui sibi fideliter adhęserūt Apostolis, vado parare vobis locum, Et si abiero, & pręparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Ioannis cap. 14. Qua spe plurimum erecti Apostoli, ascenso domino regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, vt Lucas testatur, qui prius eius recessum audire non poterat, nisi cum tristitia, & męrore, prius siquidem adhuc modicæ erant fidei, audiris credendo. Hodie verò in Christo omnia implera fuisse mysteria, seque in nullo deceptos, sed vero Dei filio, terra, cæloque potenti adhæsisse, sunt certificati, dum qui à morte se resurrexisse in mulris argumentis demonstrauerat, secundum prędicta. Videntibus illis, eleuatus est in cœlum de quibus pro gratia Aue Maria.

Ea, quę dominus in terra ad omniū salutem semel operatus est nascendo, patiendo, resurgendo ascendendo corporaliter, hoc ipsum in electorum suorum cordibus operatur per dies singulos spiritualiter, dum in eis suarum operationum merita innouata, atque fructus. Nosq; similia facit spiritualiter imitari, quos nisi contingat appræhendere, nihil nobis proderit omnis Christi actio, passio, & labor pro nobis in assumpta carne exhibitus. Quamuis itaque dominus ascendens in cęlum omnibus dominetur, sedens ad dexteram patris, non omnibus prodest sua ascensio, sicut nec tunc omnibus profuit iudeis in Hierusalem consistentibus, quoniam non omnibus innotuit, plurimis inuisa fuit. Multum autem suis contulit, quoniam videntibus illis eleuatus est. Ita & nunc illis solum præstat salutem, quibus videntibus ascendir, illis veniet iterum blandus sicut viderunt eum ascendentem, cæteris verò iudex terribilis, qui non credunt regnantem. Primò ergo recitetur historia ascensionis, vt fides instruatur, quoniam eleuatus est. Secundò quid agentes ad locū à domino præparatum tendamus, vt mores corrigantur, quoniam videntibus illis eleuatus est.

Quo ad primum sicut testatur Lucas. Act 7. Dominus noster suis amicis se viuum præbuit post passionem suam & resurrectionem in multis argumentis per dies 40. apparens eis, non quidē continuè conuersans cum eis, sicut dū adhuc mortali in corpore vitam agebat, sed vicibus interpellatis non sine causa, vt se nō ad vitam surrexisse mortalem, qualem prius habuit, demonstraret, si continuò vt prius cum eis conuersatus fuisset, sed ad vitam immortalem, & gloriosam &c. Apparuisse itaq; dominum post resurrectionem scriptura canonica, decem vicibus ostendit, quinque in die resurrectionis, die octaua, ac deinde in piscationem, ac in mōte Galileæ, vt Mattheus refert. Vide ad hoc I.y. Mattei vlt. bene ad propositum. Pluribus etiam vicibus apparuisse credendus est. [Nam & Paulus .1. Cor. 15. plus quàm quingentis fratribus apparuisse Item Iacobo & sibi testatur. Nec omnia tradit scriptura, sed quæ sufficiunt

Xp̄s decem vicibus apparuit post resurrectione.

ciunt

ciunt ad fidem nobis radicandam. Hodierna quoque die bis apparuit secundum Lyram super Lucam. Primum in Hierusalem recumbentibus, ac comedentibus vndecim discipulis vt dicit Marc. vbi etiam exprobauit incredulitatem. i. tarditatem, & duritiam cordis eorum in credendo, quam ostenderunt prius, quam ipsi dominum iam resurrexisse oculis corporalibus vidissent, & eo quod his, qui viderant eum resurrexisse, Angelis. s. & mulieribus non crediderunt, cum tamen mundus totus non visurus erat Christũ corporali specie, & nihilo minus eorũ testimonio crediturus. Ad quẽ conuertendũ misit dicens, Ite in orbẽ vniuersum, & ꝑdicate euãgelium omni creaturę. i. omni nationi gentiũ, Qui crediderit, & batizatus fuerit, saluus erit, Qui verò nõ crediderit, condemnabitur. Addens signa secutura credentes in ecclesia primitiua corporaliter, & vniuersos vsque ad finem seculi spiritualiter, credituros inquam fide formata, quæ salutem præstat. Et cõuescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, missionem. s. spiritus paracleti, quã audistis inquit, per os meũ. s. post cenam nouissimam, vt habetur Ioan. 15. & 16. dicens, Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto, per quam. s. eritis apti ad constãter prædicandum omni creaturæ euangelium meum. Interrogabant autem eum, qui conuenerant discipuli, dicentes, domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? dixit eis. Non est vestrũ nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem superuenientis spiritus in vos, & eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudea, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.

Et cũ hęc dixisset, præcepit, vt exiret de ciuitate in montẽ Oliueti, vt inde viderent eũ ascẽdentẽ in cęlum. Et hoc est, quod dicit Lucas vlti. Et eduxit, inquit, eos foras in Bethaniam, i. versus Bethaniam, secundũ Nico. de Ly. quia mons Oliueti, ad quem exiuerunt, est extra Hierusalem, in via eundi ad Bethaniam, & Bethania sita est prope montem Oliueti. Eduxit autem non conducendo eos, sed præcipiendo, vt exirent. Et postquàm præceperat eis, vt dicit Lyra super Lucam, disparuit ab eis, ipsi verò secundũ præceptum domini exeuntes, venerunt in montẽ Oliuarum, vbi iterum apparuit eis. Et eleuatis manibus in cęlum, vbi volebat ascendere, recessit ab eis, pręsẽtia corporali, apud quos tamen mansit præsentia maiestatis, & ferebatur in cęlum. Nam videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eũ ab oculis eorũ. Eleuatus autẽ est, & ferebatur in cęlum, non aliena, sed propria virtute, nedũ diuina, sed & humana iam glorificata, per dotẽ agilitatis, per quam glorificatum corpus obedit spiritui, quantum ad localem motũ. De quo latius vide alibi. Sic ergò assumptus est in cęlum, ait Marcus, & sedet ad dexteram Dei. s. patris. Hoc quomodo intelligi habet, vide sermone sequẽte. Apostoli verò adorabant dominum ascendentem, quandiu videre poterant eum. Cunq; intuerentur in cęlum euntẽ illũ. Ecce duo viri. i. Angeli in specie virorũ, in vestibus albis astiterunt iuxta illos, & dixerunt. Viri Galilæi quid statis aspicientes in cęlũ? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cęlum, sic veniet, quemadmodum vidistis euntem in cęlum. August. in serm. qui incipit, delectat aspicere. Profectus (inquit) est desyderabilis, non veniet vobis terribilis. Nubes in occursu, nubes in reditu, vulnera portabat, ipsa iterum reportabit, crucem retulit in triumpho, signum filii hominis vobis apparebit in cęlo. Sic veniet in ipso corpore, in ipsa nube, & ipsa veritate, vobis in amore, impijs in tremore. Beati qui bus verè, dicitur, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, sed non ipsa erit securitas. Et in alio sermone idem Sic veniet, vna erit euectio, vna lectica nubifera, vna species mansueta vobis clarifica, sed peccatoribus, metuen-

tuenda. Quibus auditis, reuersi sunt in Hierusalem cum magno gaudio, vt dicit Lucas ex causis supradictis, à monte qui vocatur oliueti, qui est iuxta Hierusalem, sabbati habens iter. Et cum introissent in cęnaculum, ascenderunt in superiora, vbi manebant Apostoli vndecim perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius, donec in eodem loco decima die reciperent spiritumsanctum. Hæc breuiter de historia. Et tantum de primo. Videntibus illis eleuatus est, sed reuersurus non ęqua sorte omnibus. Alijsnanque veniet blandus, aliis terribilis. Illis daturus benedictionem, istis maledictionē. Sicut etiā ascendens quibusdam benedixit, aliis maledixit. Benedixit Apostolis, quibus videntibus eleuatus est. Videntibus nō tam oculo corporis, quàm fidei, & amoris. Qui verò eum videre nolebant ascendentem, infidelitate cecati, aut desyderijs terreni pulueris obtenebrati, hos maledixit. Qui inquit, non crediderit, fide. s. formata, condemnabitur. Ita vt vera sit angelica prophetia Sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cęlum, nedum quantum ad corporis veritatē, sed etiā quantū ad iudicij executionem. Sicut ergo eum vidębimus ascendentem fideliter, & desyderose veniet ad consolationem. Non enim ait August. terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Ita dedignantibus eum videre ascendentem, veniet ad perpetuā desolationem. Nos ergo vt tunc videre mereamur blandū consolatorem, videamus hic fideliter ascendentem. Neque enim nobis ascendit spiritualiter, si ascendentem non vi demus diligenter.

Xp̄s non reuertetur æqua sorte omnibus.

Sunt enim [vt beatus Bern. ait sermone 6. de resurrectione] quibus nondum conceptus est Christus, vt infideles, qui penitus Christum non recipiūt, nullum locum in agro cordis diuino semini præbent, ipsi⁹. s. fidei, quæ est semē vitę æternæ, vt dicitur Ioan. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam, in semine scilicet, habiturus eam etiam postmodum in fructu.

Sunt, quibus nondum natus est, vt fideles superbi. Nam dominus vt nasceretur, seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, ad Phil. 2. Quomodo ergo Dei humilitas in superbo homine nasci potest? Nam quę participatio iustitiæ cum iniquitate 2. Corinth. 6 & ita quæ conuentio humilitatis, & superbię? Non potest qui adhuc tot terrenis honoribus, & diuitiis inhiat dicere, Paruulus natus est nobis, in quo paruitatis Christi nulla manent vestigia.

Christus nō omnibus nat⁹

Sunt, quibus Christus nondum passus est, qui pęnitentię labores fugiunt, in sordidis volutantur delitiis, non volentes carnē suam, vel in minimo ieiunijs, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, & similibus perturbare, Qui denique persecutiones metuunt, & mortem timēt vsque adeo, vt pro his vitandis parati sint à iustitia declinare, & viam vitæ, quæ Christ⁹ est relinquere, quasi Christus labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit. Quomodo enim illis passus est Christus, in quibus nondum hęc vox Petri conualuit. Christus passus est ꝓ nobis, vobis relinquens exē plū vt sequamini vestigia eius 1. Pe. 2.

Sunt, quibus dominus nondum surrexit, qui laboribus siue corporalibus siue spiritualibus subduntur, vitam exterius pęnitentium agentes, in vigilijs multis, in fame, siti, nuditate, paupertate, orationibus, disciplinis, persecutionibus, cæterisque laboribus, sed non sua sponte, magis autem metu, aut gehennæ, aut corporalis pęne, pudore, aut necessitate. In omnibus tædiosi, in omnibus tristes, nulla consolatione erecti, cum murmure mentis, & deiectione prope desperata incedentes angustiati. Illi se communicant passionibus Christi laborando, non tamen resurrectioni. Non enim in eis viuit Christus, quia non amore Christi, qui vita est animę, aguntur. Nam charitas Christi omnia suffert, semper patiens est, benigna, non æmulatur congaudet semper veritati. 1. Cor. 13. Hinc hortatnr Petrus communicātes Christi passionibus gaudere

Christus nō omnibus, resurrexit.

Christus non omnibus ascendit.

Sunt quibus Christus etiam si tesurrexit, non tamen ascendit, qui domino quidem seruiunt, & in certis obseruantiis laborant etiam sponte, & patienter, lætantur in domino benedicentes, sed quandiu eis benefecerit, quandiu temporalibus abundant, quandiu etiã interiori quadam dulcedine ad hęc trahuntur, quandiu delectatione mentis ad hęc pelluntur. In his quiescunt, in his finem constituunt, dicentes cum Petro. Domine bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula &c. Sed sicut super Cant. Rich. ait cap. 6. quandiu durat hæc dulcedo, durat & dilectio. Sed in bonis istis non cognoscitur amicus, sublatis autem Dei beneficiis, statim per impatientiam cadunt in murmura, & cessant ab omni eo, quod prius grati domino impenderũt. De illis propheta cum de peccatoribus ageret ait. Anima eius in vita ipsius benedicetur. Confitebitur tibi cum benefeceris ei, sed non sic itur ad astra Non enim hęc sufficiunt ad salutem, non enim isti diligunt Deum amore casto, sed magis amore quodam meretricio, vt Hugo de arra animę loquitur, quia munera dantis plus, quàm diligẽtis affectum, non Deum super omnia, sed super Deum sua amant munera. Ideò de illis vbi supra propheta ostendens quis finis huius amoris mercenarii, cum dixerat. Confitebitur tibi cum benefeceris ei, addit. Introibit vsque in progenies patrum suorum ei vsque in ęternum non videbit lumen. Quod si ita est de his vltimis, qui licet mercenario amore tantum diligunt Deum. Quid de prioribus, qui omnino nec diligunt?

Doctrina moralis, vt Christus nobis ascendat.

Quid ergo? Agendum nobis est omnimodis, vt is [qui nobis conceptus est Christus, natus, passus, qui & resurrexit] etiam in cęlum ascendat. Ascendit autem nobis, si illum videmus, dum tollitur à nobis. Vident autem Christum ascendentem, qui diligenter meditantes consyderant hunc, qui ascendit fore Christum Iesum. Christum .i. vnctu supersubstantiali deitate, & Deum verum Iesum, id est saluatorem, qui sicut in terris sui sanguinis precio redemit: ita in cęlum ascendens, locum vt ipse promisit, præparat nobis æternæ beatitudinis: vt vbi ipse est, illic & nos simus, non quidem separati, sed beatitudinis participatione vnus cum eo spiritus effecti. Vident quoq; ascendentem Christum: secũdum Bernardum, sermone tertio de Ascensio. qui cogitant, quo modo eos orphanos reliquit: ꝙ tandiu fętulenti corporis horrido carcere tenentur: & non sunt cum Christo. Hęc enim meditantes nedum videmus: sed & sequimur ascendentem dominũ nũc passibus fidei, & deuotionis. Erit exhinc cum domino occurremus venienti ad iudicium sine difficultate volatu corporis, per aera secum ascensuri: beatificandi in vtroq;.

Primum nanque meditando afficiemur ad cælestia, incalescimus in amore Dei. Quis enim in Dei amore non igniretur, qui attenta meditatione hũc esse bonum summum cognoscit, omnem amabilitatis rationem in se supra omnem compræhensionem concludentem? Quam consyderans propheta, in communem laudis confessionem hortatur, quasi nulla singularis laus sufficeret. Confitemini dño qm̃ bonus qm̃ in seculum misericordia eius. Quis non toto desyderio in supernas illas inardesceret delectationes attente consyderatas, quę omnem cogitationis nostrę mẽsuram excedunt? Felix (inquit. Bernar. sermo 4.) cuius meditatio in conspectu domini semper est, qui in corde suo delectationes dexteræ domini vsque in finẽ sedula cogitatione reuoluit. Quid enim illi graue poterit videri, qui semper mente pertractat, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Quid concupiscere poterit in seculo nequam, cuius oculus videt semper bona domini in terra viuentium, semper videt pręmia ęterna? Et beatus Grego. homil. 37. Si consyderemus fratres charissimi, quæ, & quanta nobis promittũtur in cęlis, vilescunt animo omnia, quę sunt in terris. Terrena nam

que

que substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium, temporalis vita mors potius dicenda est, propter quotidianos corruptionis defectus, quam vita. Potest hoc ostendi comparando omnia præsentis vitæ concupiscibilia ad æterna, honorem, voluptatem, diuitias, potentiam, corporis sanitatem, fortitudinem, agilitatem, pulchritudinem, & cætera huiusmodi ad similia in patria, scientiam, prudentiã, amorem terrenorum, ad visionem patris, & fruitionem &c.

Meditatio nostræ peregrinationis nos ascẽdere facit.

Secundo meditando scilicet peregrinationis nostræ pericula &c. non tenebunt nos desyderia, & misera huius vitę oblectamenta, vbi vt Bern. ait sermone.6. huius festi. malitię plurimum, sapientiæ modicum fidelitatis nihil, omnia lubrica operta tenebris, obsessa laqueis.. vbi periclitantur animæ, affligitur spiritus, omnia vanitas transeunt vniuersa, constant soliditate nulla. Turpe autem est diligere secundum Greg. hom.3. quod constat citius perire. Ideò ab eis nos reuocare cupiens Petrus nos peregrinationis nostrę admonet. Obsecro vos, inquit, tanquam aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desyderiis, quæ militant aduersus animam 1. Petri 2. Peregrinus siquidem, ait Bern. sermone 6. de quadragesima, via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque sinistram. Et si fortè iurgantes viderit, non attendit, si nubentes aut choros ducentes, aut aliud quodlibet faciẽtes nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, victum, & vestitum habens, non vult aliis onerari. Beatus planè, qui suũ sic agnoscit, & deplorat incolatum, dicens illud prophetæ. Quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Hæc Bern. Qui ita vident meditando, & ad visa suspirant desyderio, sapientes quæ sursum sunt, non quæ super terram, his ascendit dominus, his ascendit Iesus Christus.

Ad quod etiam Augusti. sermone, qui incipit, Glorificato domini nostri, hortatur dicens. Hodie dominus Iesus Christus ascendit in cęlum, ascendat eum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis, sic & nos cum illo iam simus, quamuis nondum in corpore nostro factum sit, promittitur nobis. In hoc ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus ęstuemus. Hoc meditemur in terris, quo eõputemur in cęlis. Tunc exituri carnis mortalitatem, nunc exuamus animi vetustatem. Facilè leuabitur corpus in alta polorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. Hæc visio ascendentis est, quę nos ascendenti vnit, & spiritum eius meretur duplicatum, sicut olim de Helisęo legitur, & Helia. 4. Regum 2. Sciens nanq; Heliseus, quia Helias dominus suus ab eo tollendus fuerat in cęlum. Oro, inquit, domine, vt fiat spiritus tuus duplex in me. Nimirum duplicari ei spiritum oportebat, vt magistri abeuntis absentiam gratia duplicata suppleret. Vnde & Helias ad eum. Si videris, inquit, quando tollar à te fiet, quod petisti. Duplicauit enim spiritum visio abeuntis, cum euidenter raptus in cælum, vniuersa eius desyderia pariter secum tulit, vt inciperet ipse quoque iam sapere, quæ sursum sunt non quę super terram. Duplicauit spiritum visio abeuntis, vt intellectui spiritali spiritalis iungeretur affectus. Quẽ nobis spiritum duplicatum mittere dignetur desuper qui ascendens in altum dedit dona hominib⁹ Iesus Xp̃s dominus noster, cum patre, & eodem spiritu Deus vnus super omnia benedictus in secula seculorum, Amen.

## *IN DIE ASCENSIONIS Domini. Sermo II. in ordine XXX.*

Declaratio articuli Ascẽdit ad cęlos.

ASSVMPTVS est in cęlum, sedet ad dexteram Dei patris. Marci vltimo.

Gaudia dominicę resurrectionis nobis hodierna festiuitas non terminat, sed adauget. In qua dominus noster Iesus

stus Christus postquam resurrectionis suæ gloriam in multis, manifestisq; documentis, multorum per hos quadraginta dies declarauit aspectibus, triumphum victoriæ, quem reportarat à mortuis, hodierna die intulit cęlis. Sicut ergo in solemnitate paschali resurrectio domini nobis fuit causa lętandi, ita ascensio eius in cęlum præsentium nobis est materia gaudiorum. Et merito hodie totis lætari oportet cordibus quo beati Apostoli, vt Leo ait in sermone præsentis festiuitatis, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen dominicæ passionis expauerant, & veritatem resurrectionis eius non sine hęsitatione susceperunt, tantum de ascensione domini profecerunt, vt quicquid eis prius intulerat metum, verteretur in gaudiū. Totā eñ cōtēplationē animi in diuinitatem ad dextrā patris consedentis erexerāt. Nec iam corporeæ visionis tardabantur obiecto, quo minus in id aciem mētis intenderent, quod nec à patre descēdendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo recesserat: Hodie siquidem filius hominis Dei filius excellentius, sacratiusq; innotuit, cum in paternæ maiestatis gloriā se recepit, & ineffabili mō cæpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior: Ideò que miro modo non eos vt prius mœstos reliquit, sed gaudio cumulauit, dicente Luca. Et factum est, cū benediceret illis, recess. ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cū gaudio magno, cum in conspectu sanctæ multitudinis, supra oīum creaturarū cęlestiū dignitatē, humani generis natura conscenderet, ac illius glorię sociaretur in throno, cuius naturæ copulatur in filio, dum hodierno die videntibus discipulis filijs ipse assumptus est &c.

Assumptus est &c. In hodierna dominicæ ascensionis solēnitate, dignū est nos magnis gratiarū actionibus saluatori nostro rñdere. Qm̄ per eā nr̄a infirmitas longè fęlicius reparata est, q̄ olim I primo parēte cecidit. Christi nanq; ascensio nr̄a ē pꝛouectio, ait Leo ser. de ascensione qui incipit. Post beatā. Et quo pcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis. Sequitur. Hodie eñ nō solū p adisi possessores firmati sum⁹, sed ēt cęlorū in Xp̄o supna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilē Xp̄i gratiā, quā p diaboli amiseramus inuidiā. Nā quos virulentus inimicus primi habitaculi fęlicitate deiecit, eos sibi concorporatos Dei filius ad patris dexteram collocauit. Verum cum dominicā ascēsionē celebramus, sextum articulum, quem Apostoli de humanitate Christi ediderant, tractamus, qui est, Ascendit in cęlū, sedet ad dexterā pr̄is. Quæ vt clarius credentes intelligamus. Primò de eius ascensione. Secundò de sessione ad dexteram patris sermo pręsens erit.

Quantum ad primū, Cū profitemur Xp̄m dn̄m nostrū quadragesimo resurrectionis suæ die, hoc est, hodie super omnes cęlos ascendisse, congruit intelligere, secundū q̄ naturā ascensio attribuatē Xp̄o, & qua virtute, quo ad primū. *Christus secundū quā naturā ascēdit.*

Nouim⁹ aūt in Xp̄o duas fore naturas. Diuinā. s. & humanā. Diuinā secundū quā æternaliter vnū est cū patre, & spiritusancto. Vbiq; est incircumscript⁹, illocalis, incōpræhensibilis, omnia tenet, oīa implet, omnia cōplectitur, omnia superexcedit, vt dicit Gre. ho. 8. Ezech. Humanam verò, quam ex tp̄e sumpsit ex virgine, quæ creatura est circūscripta. In certo loco existens, ad aliū locum localiter mobilis, licet naturę immobili hypostaticè sit vnita. Ex quo etiam hoc relucet, quod licet Christus sit vbiq; & ęternus, tamen natura humana in Christo tēporalis est, & nō replet oēm locū, qm̄ secundū Amb. li. de spiritusancto. In omnib⁹, & vbiq; esse, diuinitatis, & dominatiōis est propriū. Cū aūt ascensio motum quendā importet ad aliū locum altiorē vel dignitatē secundū Tho. in 3. parte quæst. 57. arti. 2. Manifestum est quod non diuina ascendere natura potest quo ad locum, quia illocalis & vbique est. Nec quo ad dignitatem, tū quia nihil diuinitate altius, tū qa simplex est, ac inuariabilis.

Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Iac.1. Quapropter ipsa ascensio tantum conuenit Christo secundum naturam humanam tanquã secundũ illud, quod ascendendo subuectum est à terris, & collocatũ ad dexterã patris. Quãuis ei attribuatur etiã secundũ naturã diuinam, tanq̃ secundũ illud, quod ascensionem huiusmodi principaliter efficit, quõ dicit Augu. in ser. de ascensione. De nostro fuit q̃d filius pependit in cruce, de suo aũt, q̃d ascendit. Et ideò articulus ille inter illos, qui ad humanitatẽ pertinent, cõputatur.

Declaratio Nemo ascẽdit in cęlum.

Sed fortè occurrit alicui scriptura Io.3. Nemo ascendit in cęlum, nisi qui descen. de cęlo. Et iterũ Eph.4. Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cę. vt a.o. Glo donis suis. Nunc aũt Christus non descendit secundũ naturã humanã, quę ante hodiernum diem nunquam fuit in cęlo, quare neq; secũdũ illam ascendit in cęlum? Sed facilè soluitur hęc quæstio, si verba scripturę diligentius attẽdantur. Neq; enim scriptura dicit Nemo ascendit in cęlũ nisi secundũ id, secundũ q̃d descendit de cęlo, sed nemo ascendit in cęlum, nisi qui descendit: sic non dicit Apo. Natura diuina, quæ descendit de cęlo ipsa est, quæ ascendit, sed qui descendit, ipse est, qui ascendit, non identitatem naturę, sed personæ vnitatẽ clarè significans. Christus siquidẽ nõ duę, sicut Nestorius hereticus mentitus est, sed vna tñ est subsistens in duabus naturis secundũ Dam. Et hęc persona Christi licet æterna sit, facta tñ est homo ex tẽpore eadẽ, quę Deus est, pp ꝙ Christus sicut verè, & naturaliter Deus est filius patris Dei, ita verè & naturaliter homo filius est virginis matris, ęternus, & tẽporalis, passibilis, & impassibilis, idẽ vtiq; Christus, sed non secundũ idem, quia secundum diuinitatẽ Deus, secundum humanitatẽ homo, ita eadẽ persona est, quæ ascendit, & descendit, sicut Aug. ait libro de symbolo. Quis est, qui descendit? Deus. Quis est, qui ascẽdit? idem ipse Deus homo. Verũ non secundum idem, quia Christus descendit secũdũ diuinam, ascendit autem secundũ humanã naturã. Et qũo descendit secundũ diuinã, quæ immobilis est? Non localis fuit ille descensus, sed secundũ exinanitionẽ, qui cũ in forma Dei esset, formã serui accepit. Sicut enim dicitur exinanitus, non ꝙ suã amitteret plenitudinẽ, sed quia nostram paruitatem suscepit. Itã de cęlo descendisse dicitur, non quia cęlũ deseruit, sed quia in vnitate personæ naturam terrenam suscepit. Qũo princeps de sua dignitate descendere dicitur, si alicui populari coniugio sociatur, secundũ humanã verò hodie localiter ascendit in cęlum & terram deseruit, cui visibilem præsẽtiam subtraxit, licet in sacramento Eucharistiæ in fine vsque permansurus hic inuisibiliter permansit.

Christus in cęlũ propria virtute ascend.

Ascendit autẽ dominus in cęlum, nõ subuectus ab alio, sed sua propria virtute. Virtute dico tam diuina, q̃ humana. Diuina quidẽ, quæ est principale agẽs, & mouens in omni positiua actione, sicut Io. ait. Omnia per ipsum facta sunt. Et Ro.11. Per ipsum & cũ ipso & in ipso sunt omnia. Et Act.17. dicit Paulus. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Hæc autem diuina virtus propria est Christi, immò ipse Christus, identice. Quęcunq; ergo Christ⁹ in carne egit, in quibuscunq; miraculis, propria virtutę effecit. De hoc Gre. hom.29. Redẽptor noster non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc etenim reuertebatur, vbi erat, & inde redibat, vbi remanebat. Quia cum per humanitatem ascẽderet in cęlum, per diuinitatem suam & terram pariter continebat, & cęlum Ascendit quoq; propria virtute humana glorificata. Cuius dos vna est agilitas, sicut dicit Sap.2. Sicut scintillæ in arundineto discurrent. Per hanc quidẽ dotem corpus glorificatum perfectæ subest animæ, ratione cuius anima poterit ipsum mouere ad omnem differẽtiã positionis, ad quãcunq; distantiam, & quacunq; voluerit agilitate, sicut ait

Aug.

Aug.22.de ciui.Dei cap.vlti. Vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus.

Christus an Angelorum & multis ministerio sit eleuatus.

Sed fortè mouere posset, quã Lucas ait act.1. Eleuatus est, & nubes suscepit eum. Et iterum describit Angelos affuisse, & Apostolos allocutos fuisse, vnde videtur, quod ministerio nubis,& Angelorum subuectus sit.Sed nihil hoc prædictis contrariatur. Eleuatus siquidem est Christus, non ab alio,sed à seipso, cuius nutu omnia alia subsistunt. Assumptus est à patre, cuius virtus nõ est alia à virtute Christi,sed eadẽ. Nubes verò illa, quæ ascendentem dominũ ab oculis suscepit discipulorũ, non amminiculũ Christo præbuit,sicut dicit Tho. sed in signum apparuit deitatis. Sicut gloria Dei Israel appatuit super tabernaculũ in nube, & in transfiguratione in testimonium deitatis nubes lucida obũbrauit eũ,& vox de nube Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,ipsum audite. Mar. 17.Ita etiã nec Angeli ipsum subleuasse dicuntur,sed post ascensionẽ astitisse discipulis, non tamen deuenerunt Angeli,non quidem subuehentes, sed suo imperio obtemperantes, & vt verè ꝓbaretur Deus, cui sẽper Angelicus subijcitur famulatus. De quo Leo sermone huius festi ait. Nec posset ambigi omnia illi subiecta esse, cui ab ipso corporeæ natiuitatis exordio famulatus seruiuisset Angelicus. Sicut enim concipiendum Christũ de spiritu sancto beatæ Mariæ Angelus nunciauit,sic & editum de virgine vox cęlestium pastoribus cecinit. Ambulanti in carne accedentes Angeli ministrabant.Agonizantemq; confortabant.Et sicut resurrexisse eum à mortuis supernorum nunciorũ testimonia prima docuerunt, sic ad iudicandum mundum in ipsa carne vẽturum Angelorũ officia declararunt,vt intelligeremus quãtę potestates affuturæ sint cum iudicauerit,cui tantæ ministrarunt ẽt nõ iudicãti. Et quid mirũ, quod propria virtute Christus ascendit, cuius gratia resuscitata gloria corpora sanctorũ,ꝑ dotẽ agilitatis virtute propria ad iudiciũ in occursum domino subleuabuntur in aera, & post iudicium in cęli empyrei culmina.Et quãuis etiam sic deferrentur ab Angelis, vt vult glo. 1.Thes.4.non tamẽ hoc fiat propter indigentiã, sed ad reuerentiã designandã,qui corporibus gloriosis ab Angelis,& ab omnibus creaturis deferetur,vt vult Tho.& Sco.in 4. Sic ergo patet primum,videlicet secundum quã naturã Christus ascẽdit,&qua virtute.

Christus quò ascẽderit & quare.

Nunc quo ad secundũ restat videre, quo ascenderit & quare. Ascendit autẽ ad dexteram Dei patris, in qua & sedere eum affirmat euangelista. Intelligitur autem patris dextra,vel gloria diuinitatis, vt vult Dam.in suo tertio, dicens Nõ localẽ patris dextrã dicimus Qualiter enim qui incircumscriptibilis & localẽ adipisceretur dextrã? Dextrã autem patris dicimus gloriã, & honorẽ deitatis. Vel nomine dextræ accipitur potiora bona patris,quæ sunt beatitudo ipsa scilicet ad visionem,& fruitionẽ summã naturæ creatæ passibilẽ. Vnde in psal. Delectationes in dextera tua vsq; in finem.Et beatus Aug.in ser. de symbolo. Credite Christũ sedere ad dexteram patris,beatus enim est,& ipsius beatitudinis nomen est dextera patris. Vel tertiò intelligitur iudicaria potestas.Vnde Aug.in alio sermone de symbolo. Ipsam dexteram intelligite potestatem, quã accepit ille homo susceptus à Deo,vt veniat iudicaturus q prius venerat iudicandus. Sedere autẽ quiescere est,vel habitare.De primo dicitur Lucæ 24. Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Sedete .i.quiescite.De secundo dicit Aug. sermone de symbolo. Sedere habitare intelligite, quomodo dicimus de quocũq; hoĩe.In illa patria sedit per tres annos

Christus secundũ quam naturam.

Christus itaq; secundũ vtranq; naturã sedet ad dexterã patris,secundũ diuinã quidẽ sedet ad dexterã, vel verius in dextera patris secundũ ęqualitatẽ,quia eius cũ patre manet æternaliter, & incõmutabiliter vna deitas, ęqualis beatitudo, & gloria, & coęterna maiestas iudiciariæ potestatis. Sicut in symbolo Athanasii innuitur,Patris,& filii,& spi

sancti vna est diuinitas ęqua . glo. coę. maiestas. Secundum humanitatem verò sedet ad dexteram patris, non secūdum ęqualitatem, sed accessum quendam excellentem super omnes creaturas. Ad, siquidem propositio transitiua est importans accessum. Christus autē ad honorē deitatis secundum naturā humanam & beatitudinem patris, ac iudiciariā potestatē propinquius accedit sup omnes creaturas, secundū gradum duplicē & gloriā, secundū gratiam personalis vnionis, quę singulariter conuenit humanitati Cristi, & nulli alię creaturæ, secundū gratiā verò habitualē q̄ est gratia vnionis spiritualis, qa illa cū Angelis, & cęteris hoībus data sit ad mensurā, soli aūt Xp̄i datus est spiritus nō ad mensurā Io.3. qm̄ de plenitudine eius accepimus oēs gratiā pro gratia. Io. 1. Ideòq; gratia illa habitualis vt in Christo dicitur gratia capitis, cuius est influere in cætera corporis mēbra. Non enim nisi per Christū gratiā accepit, quisquis hominū eā accepit. Et quia gratiā cū cęteris charismatib⁹ donorum super oēs creaturas accepit anima Xp̄i, nihil dubiū, quin & beatitudinis gloria super oēs est eleuata. Quāuis em̄ Christū secundū humanā naturā Deus pater paulominus minorabit ab angelis, quantū ad perfectionē essentialē humanitatis, tamen vt propheta ait gloria & honore coronauit eū, & cōstituit eum super opa manuum suarum .i. omnes creaturas. Et omnia subiecit sub pedibus eius dando ei.s. excellentissimā iudiciariā potestatē, quæ cōmunicare potest creaturę. Ideò dicitur iudicare subautenticè excellentissimè, vt declarat Sco. in 4. dist. 48. q. 1. Et in oībus bus sedet, quia nihil horū ab ea potest auferri

Sed fortè dicis. Q̄uo ascēdēdo sedet ad dextrā patris modis dictis, cum ea, quæ dicta sunt, secundū diuinitatē, conueniāt Christo ab ęterno, secundū humanitatē verò à primo instāti cōceptionis, sicut dicit magister li.3.di.18? Ab ipsa cōceptione tāta plenitudo spiritualiū charismatū in eo fuit, q̄ eis p̄ficere non potuit, & ideò melior ipsa anima fieri non potuit. Sed ad illud planè dicitur dominum in ascēsione sua ad dexteram patris secundū hominē consedisse, secundū illū tropū creberrimū in scriptura, quo dicitur res fieri, qn̄ innotescit, q̄ verò fuit ante passionē, per resurrectionē eius & ante ascensionē in euidenti positum est, vt scirent homines, & dęmones. Hoc eodē tropo dominus vsus est, etiam post resurrectionem dicens. Data est mihi omnispotestas in cęlo, & in terra. Mar. vlti. Non qđ tunc primo accepit, sed q̄ ante habebat, tūc manifestata est ptās. Hęc Magister. Verū tn̄ aliquā extrinsecā hodie consecutus est dignitatē, qm̄ sicut oēm creaturā excedit humanitas Christi meritis, beatitudine, ac dignitate, sic hodie in supremū locum cęlestis Hierusalē localiter conscēdit, qm̄ vt dicit Thom. in 3. parte q.57. arti.4. quanto corpora perfectius participant bonitatem diuinam, tantò sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Sicut videmus in elementis, quod magis spiritualia sūt superiora. Et quia corpus Christi gloriosum magis omnibus corporibus ad diuinam bonitatem accessit, ideò super omnes est eleuatum, sicut in psal. dicitur. Eleuata est mag.t. super capit. Et glo. super illud Ephes. 4. Ascendens Christus in altum dicit loco, & dignitate.

Hortatio vt ascendamus cū Xp̄o spiritualiter.

Ecce ad cęlū dn̄m ascendisse audiuimus, hoc seruemus in meditatione, qđ credimus. Etsi adhuc hic tenemur in infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, & vt Leo ait. Liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus, sursum vocatos animos, terrena desyderia non deprimant Ad æterna prę electos, peritura non præoccupent. Viam veritatis ingressos, fallaces illecebrę non retardent. Sed ita à fidelibus hæc tempora percurrantur, vt peregrinari in hac mundi valle se cognoscant. In qua si cōmoda blādiūtur, nō amplectēda sunt nequiter, sed transeunda sūt fortiter. Pensantes diligenter (vt Greg.

hos

hortatur) quia is, qui placidus ascendit, terribilis redibit. Et quicquid nobis cum mansuetudine præcepit, cũ districtione exiget. Nemo ergo indulta pęnitentiæ tẽpora paruipendat. Nemo curam sui, dum valet, agere negligat, quatenus dũ hic in suis præceptis deuoti inueniamur, ipsum, qui in cœlos ascendens suos discipulos non contristauit, sed lętificauit, sic venientem, non iratũ, sed mansuetum iudicem cum gaudio suscipere mereamur. Quod ipse nobis concedere dignetur, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum Amen. Quare ascenderit, sermo sequens declarabit.

## *IN FESTO ASCENsionis domini. Sermo. III. in ordine. XXXI.*

DOMINUS postquam locutus est eis, assũptus est in cœlũ Mar. 16. Sacramentum nostræ salutis, quam precio sanguinis sui vniuersitatis conditor æstimauit, vt ait Leo in serm. huius festi, à die corporalis ortus vsq; ad exitum passionis p dispensationem humilitatis impletum est. Licet multa etiam in forma serui diuinitatis signa radiauerint. Glorificatio autem eiusdem domini nostri Iesu Christi resurgendo, & ascendendo completa est. Resurrectionem verò ipsius paschali festiuitate celebrauimus. Ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies vterque, quia vterq; nobis magni beneficii causa extitit. Quoniam ideò surrexit, vt nobis exemplum resurrectionis ostenderet, & ideò ascendit vt nos desuper protegeret. Habemus ergo Deum, & saluatorem nostrum prius pendẽtẽ in ligno, nunc sedentem in cœlo. Precium nostrum dedit, cum penderet in ligno. Colligit, quod emit dum sedet in cœlo. Totum ergo nobis proficit, & quod in carnis assumpta infirmitate seminauit, & quod nunc gloriosus ascendens metendo in cœlum colligit. Quod ipse in eo se pulchrè figurauit dum iam ascensurus in cœlũ, multis sermonibus corda suorum discipulorum, quos relicturus erat, instruxit, & quasi semen vitæ largius sparsit, vt continuò eleuatus ad patris dextrã seminis sui fructum in cœlestis gloriæ collecturum horrea se signaret. Expletis enim omnibus, quæ euangelicæ prę‑dicationi, & noui testamenti mysterijs congruebant, quadragesimo resurrectionis suæ die, quam hodie colimus videntibus discipulis eleuatus est, secundum thematis verbum: Postquam dominus locutus est eis.

Põt alicui sensui humano videri, nobis longè vtilius fuisse, si dominus ex mortuis resurgens nobiscum manens in terris corporaliter conuersatus fuisset, vt sic sua corporali præsentia contra omnes aduersitates consolaremur, & sua ineffabili doctrina contra emergentes hæreses, & errores circa fidem doceremur. *Christus post res. cur nobiscum manere nolu.* Ob has enim causas discipuli domini suum recessum sine tristitia, & mœrore non poterant audire, teste domino, qui ait. Vado ad eum, qui misit me, sed quia hæc locutus sum vobis, tristi. &cet. Sed sic cogitantium error apparebit, ostenso quam congruum fuit dominum corporaliter ascendere in cœlum. Huius autem congruitatis duplices assignari possunt rationes. Quædam ex parte Christi ascẽdentis. Quædam ex parte hominis post Christum venire cupientis. Ex parte Christi ascendentis congruum fuit vt probata resurrectionis veritate in diebus 40. in multis signis apparens. Actu. primo. Ipsa die 40. secundum corpus suum iam glorificatum, ascenderet in cęlum quadruplici ratione. Prima sumitur ex parte corporis secundum se. Aliæ tres secundum habitudinem Christi ad nos. Ex parte itaque corporis glorificati congruè ascendit Christus, vt locus proportionaretur locato. Duplici autẽ respectu locus cœlorum supremus congruit

Christi corpori glorificato. Primo, quia secundum san. Thom. in 3. parte q. 57. arti. 1. Per resurrectionem vitam incorruptibilem, & immortalem inchoauit. Locus autem, in quo nos habitamus, locus est generationis, & corruptionis, sed cœlum locus est incorruptionis, ideò ille congruebat corpori Christi iam per dona gloriæ incorruptibilis. Secundo locus superior congruit locato dignori, quia superioritas loci arguit eius dignitatem. Corpus autem Christi propter gloriæ excellentiam, quo refulget super omnia alia corpora (etiam gloriosa) dignius est omni corpore. Et propter hypostaticam vnionē excedit dignitate omnē spiritū, & vniuersaliter omnem creaturam, vt idem dicit vbi supra. art. 5. Ideò sicut ascendit super omnes cœlos corporales secūdum corpus, quo ad primum: Ita etiā secundum idem corpus ascendit super omnes cœlos spiritales .i. angelos, & beatos, quo ad secundum. Et hoc, est, quod dicit apostolus ad Eph. 4. Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos. De hoc Leo in ser. qui incipit Sacramentum dilectiss. ita dicit. Natura nostræ humilitatis in Christo super omnem cœli militiam, super omnes ordines angelorum, & vltra cunctarū altitudinem potestatum ad Dei patris est prouecta consessum, vt illius gratiæ sociaretur in throno cuius naturæ copulatur in filio.

Christū ascendisse in cœlum congruum fuit triplici ratione. Fuit etiam congruum Christo ascendere in cœlum secundum beatitudinē eius ad nos triplici ratione. Primo quidem, vt sua ascensione nobis viam ascēdendi paret, sicut ipse ait Ioan. 14. Vado parare vobis locum, & Mich. 2. Ascēdit iter pādens ante eos. Quia etenim ipse est caput nostrum, oportet illic sequi membra vbi caput præcessit. Ideò vbi supra subditur. Si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad meipsum, vt vbi ego sū, & vos sitis. Et in signum huius, animas de inferno eductas traduxit in cœlum, secundum illud psal. Ascendens Christus in altum cap. duxit cap. quia à diabolo captiuatos secum duxit in cœlū, locum naturæ nostræ peregrinū, bona captione captiuos, vtpote per victoriā acquisitos. Secundò, vt tanquam aduocatus noster, & patronus assistens iudici interpellet pro nobis. Vnde sicut in ve. test. pontifex intrauit sanctuarium vt assisteret dño pro populo, ita Christ⁹ intrauit cœlum ad interpellandum pro nobis. Hinc Hebre. 7. dicit apostolus de Christo. Accedens per semetipsum ad Deum, viuens ad interpellandū prò eis. Et sequitur ca. 9. Iesus ipsum celū introiuit, vt appareat nūc vultui Dei ꝓ nobis. Cui concordat Ioa. 1. Ioa. 2. Aduocatum inquit, habemus apud patrē Iesum Christū iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ipsa .n. repræsentatio sui ex natura humana, quā cœlis intulit, est quædam interpellatio pro nobis, vt ex quo Deus humanam naturā sic exaltauit, etiā eorum misereatur, pro quibus filius Dei humanā naturā assumpsit. Tertiò, vt in cœlorū sede tanquā Deus, & dñs constitut⁹, exinde dona diuina mitteret hominibus, sicut ait psal. Ascen. Christus in al. cap. duxit captiuitatē, dedit dona hominibus. Et glo. super illud Eph. 4. Qui descendit, ipse est, qui ascendit super o. cæ. vt ad. omnia. s. donis suis. Dona ista sunt gratiæ spiritussancti tā gratis datæ, quā gratū facientes, immo ipse spiritussanctus dator donorū. Idcirco dñs ait Io. 16. Ego veritatem dico vobis expedit vobis, vt ego vadā. Si .n. nō abiero paraclitus non veniet ad vos. Si autē abiero mittā eum ad vos. Ex quibus clarē colligitur quantum nobis profecit dñm secundū assumptā naturā ascendisse in cœlū, qm ascensio Christi in cœlum causa est efficiens ascensionis nostræ ex parte sui, quantū ad ea, quæ tacta sunt, quæ ascēdens fecit pro nobis. Hinc Ber. ser. de hac festi. qui incipit Si natiuitatis. Vides ne quemadmodum cæterarum solēnitatum, ea quam hodie celebramus, & consummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiā. Sicut enim cætera omnia eius, qui nobis natus est, & nobis datus, ita ipsa quoque ipsius

ascensio

ascensio propter nos facta est, & fecit pro nobis, & Aug. in ser. Omnia inquã charissimi &c. ad idem loquitur.

Christo congruit ascendere.

Congruebat ad ipsum ex parte nostri totidem rationibus, quoniam per hanc dñi ascensioné ad ipsum in nobis excitata est reuerentia, fides aucta, spes roborata, charitas inflãmata, sicut Leo in ser. cuius principiũ. Sacramentũ dilectiss. ait. Ascensione dñi nos fundati nos ædificati sumus, vt mirabilior fieret gratia Dei cum remotis à conspectu hominum, quæ reuerentiam sui sentiebantur inducere, fides non deficeret, spes nõ fluctuaret, charitas nõ teperet. Domini itaq; ascensione creuit in nobis reuerentia ad Deũ, quæ timoris est principiũ, non illius solum, qui seruilis dicitur, sed & filialis timoris, & casti, qua timemus ne Deo irreuerentiã irrogemus Cum ergo Deum ascendisse cœlos credimus, iam nõ vt hominé, sed vt Deũ recolimus. Vnde 2. Cor. 5. Etsi cognouimus Christũ secundũ carnem, id est mortalé, per q̃ putauimus eũ tantũ hominem secundum glo. sed nunc non nouimus sic, sed hominem Deum, nedum in terris, sed in cœlo potentem. Et ideò meritò reuerendum.

Per dominicam ascensioné fides nr̃a recepit augmẽtũ, quæ est de nõ visis, de quo Leo in sermone Sacramentũ, dicit: Tunc filius hominis Dei filius, excellẽtius, sacratiusq; innotuit, cũ in paternæ maiestatis gloriã se recepit, & ineffabili mõ cępit esse diuinitate præsentior, qua factus est humanitate longinquior Tunc ad æqualem patri filiũ eruditior fides gressu cepit mentis accedere, & cõtrectatione corporeæ in Christo substantiæ, qua patre minor est non egere quin glorificati corporis manente natura, eo fides credentiũ vocabatur, vbi non carnali manu sed spirituali intellectu par genitori vnigenitus tangeretur. Hanc fidem ascensione dñi auctam & spiritussancti munere roboratam nõ vincula, non carceres, non vexilla, non fames, non ignis, non laniatus ferarũ, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum non solum viri, sed & fęmine, nec tñ impubes pueri, sed etiam tenerę virgines vsq; ad effusioné sui sanguinis decertarunt. Hæc ille. Hæc fides conformiter ad euangelium hodiernum. Demonia eiecit ægritudines depulit, mortuos suscitauit. Vnde & ipsi apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamé dominicæ passionis expauerant, & veritatem resurrectionis eius dubitando susceperant, tantũ de ascensione dñi profecerunt, vt quicquid illis prius intulerat metum, nunc verteret in gaudiũ & quibus abscessus corporalis domini tristitiã intulerat, postea ascensus in cęlum gaudium cumulauit. Vnde Luc. Et factũ est dũ bene diceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cęlum, & ipsi adorãtes regressi sunt Hierusalem cũ gaudio magno. Quid ni gauderent dum iam certissima fide Deum cognoscerent propria virtute ascendentem, cuius humanitati tã dulciter adhæserunt? dum iã se frustratos non esse scirent, quia dñm cęli fore iã nõ dubitarũt, qué in terris relictis omnibus sunt secuti.

Fides nostra augetur domini ascens.

Spes etiam nostra hac domini ascensione plurimum est roborata. Nam quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatr & corporis ait Leo. Ideò.n. nostram naturam in suo corpore leuauit in cœlũ, & nos ad se in fine leuaturum promisit. Ait .n. nunc: Si abiero, & præpara &c. quatenus per ea, quæ cognoscimus præstita, discamus sperare promissa, & Dei quoq; nostri præteritã, præsentéq; bonitatem quasi futurorum teneamus cautionem. Hinc Leo serm. qui incipit: Hodierno die, ait: Ille, per quem factũ est cœlum, & terram, propter eum, qué fecit de terra, descendit in terram, & in cœlum hinc leuauit terram. Quod ergo in illo præcessit, in fine speremus. Reddet nobis, q̃ promisit, securi sim⁹, cautionem fecit. Plus enim est, q̃ iam impendit nobis. Putamus eum non redditurum vitam suam q pro nobis iam erogauit morté suã. Humilitaté passionis, iniurias, contumelias, omnes indi-

Spes nostra roboratur domini ascens.

gnitates in terra suscepit pro nobis, regnum, felicitatē, immortalitatem non dabit nobis? mala nostra pertulit, bona sua nobis nō donabit? Ad hāc ergo spē (qa promissor verax est) securè ambulemus. Sed sic viuamus, vt bona frōte illi dicam[a]: Fecimus, q iussisti, redde, quod promisisti. Hæc ille.

Inflammata est demū per dñi ascensionē charitas apostolorū, & cunctorū Christifidelium. Domino siquidem in terra posito, & corporaliter conuersante cū eis, non valebant ipsi erigere mentē ad cœlestia, ac diuina. Attamē necesse erat apostolis tanquam hominibus mundanis, & carnalibus, qui vt Bern. ait ser. qui incipit: Hodie sede. ad fidei intellectū sine aliqui promotione affectus nō poterant promoueri, nec plenè ad spiritualia assurgere, ideò exhibuit eis verbū in carne, & in suæ carnis prouocabat affectū, vt amore quodā humano homini operanti mira, mira loquenti adhęrerent. Amore vtiq; carnali adhuc .s. tam valido, vt ceteris omnibus præualeret. Ita nimirū hic erat ille Moysi serpens, qui serpentes magorum omnes pariter deuorauit. Exo. 7. Vnde & apostoli dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Mat. 19 Ad hoc itaq; carnē suam eis proposuit vt omnē cogitatum suū ab humanis rebus ad carnē suam adunitam de carne trāsferret ad spiritū q plenè fieri non potuit, nisi aspectus subtraheretur carnalis, quia ipsa præsente, ab eius dulci conuersatione sicut ab vberibus infans auelli non poterant. Gratiæ verò spiritualis plenitudinem ait Bern. occupata mens admittit, non recipit animus, non capit affectus. Ascendente autem Christo in cœlum, ac corporalem subtrahente aspectū sicut ait Beda in hom. dominicæ: Cantate, & illi pariter omne desyderium suum illo transferebāt, iuxta hoc q alibi audierūt: Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuū erit. Inflammabatur ergo affectus apostolorum, verius innouabatur dum ablato ab eorū oculis, quod diligebant carnaliter, iam ad cęlestia suspirabant, desyderantes tam adhærere formæ serui, quam adhærere diuino spiritui.

Ex quo illud libeat aduertere, quātū errant homines isti, qui spiritualē spiritussancti consolationē expectant, & nihilominus carnis suæ, ac mundi solacijs seruiunt putantes simul seruire carni, & spiritui, mundo, & Christo, māmonę & Deo, & ita in vtranq; partē (vt Helias loquitur) claudicantes. Cōtra quos ita dicit beatus Bern. ser. quo supra: Amāt inquit, in carne sua terrenas consolationes, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, aut aliquo alio, & si hoc interrumpunt aliquando, non tñ abrumpunt. Inde est q raro affectiones suas dirigunt in Deū, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus diuinis anima q his distractionibus subiacet, non potest & quantò magis illis euacuabitur, tātò amplius illis implebitur. Si multū, multum, si parum, parū. Vel fortè si magis probas, nunquam ille istis misceri poterunt in æternū, quia vbi vasa vacua non inueniūtur, oleū stare necesse est. 4 Regu. 4. Nec mittunt vinū nouum, nisi in vteres nouos, vt ambo conseruētur. Lucæ. 5. Ita nec spiritus, & caro, ignis, & tepiditas in eodem domicilio commorantur. Et in alio ser. ait: Errat omnino, siquis cœlestem illam dulcedinē huic cineri diuinū illud balsamū huic veneno, charismata illa spiritus miscere posse huiusmodi illecebris arbitratur. Quis enim de cętero phantasticis quibusdam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis vtiq; peccatricis in peccatis genitæ, nutritæ, & assuetæ pariter expectare paracletum, supernæ visitationis consolatione voluptatis illum torrentem, & gratiam spiritus vehæmentis audeat, quam apostoli dominicæ carni, carni verbi adhærētes, quæ sola sancta, quia sancti sanctorum erat, sola pudica, & casta, sola omni honestate conuersationis gratia repleta, teste veritate recipere nullaten[9] potuerunt. Decipitur reuera, quisquis talis fuerit, nisi prius carnalibus consolationibus funditus renunciare tentauerit

Charitas inflāmatur ex ascen. domini.

Error eorum qui spiritualem S.S. cōs. expectāt in solatiis mundi.


berit, quod si inceperit tristitia, implebit cor eius, sed si perseuerauerit, tristitia sua in gaudium conuertetur. Hæc ille. Hinc doctrinæ multiplices pro eis, qui contemplatiuæ vitæ se deuouent, hauriri possent. Ad cuius ideò pauci perueniunt perfectionē, quia pauci carnaliū cōsolationē amplectuntur plenā, ac perseuerantem mortificationem, quę tamen principium est huius vitæ.

Doctrinæ pro contemplatiuis.

Ex quibus omnibus patet, nihil nobis obfuisse, sed profuisse valde dominicam ascensionem, qui etsi à nobis eleuatus est corpore, præsens tamen est spiritus sui gratia, & omni potenti deitate, quæ tantò in nobis operari præualet efficatius, quātò ab omni carnali amore nos inuenit euacuatos. Hinc de sua carne Ioan. 6. ait: Spiritus est, qui viuificat, caro nihil prodest. Hic nisi intus consoletur, nisi intus doceat nihil prodeɾunt verba, aut consolatio foris, etiā à corpore corporaliter audita, vt probat Greg. homi. 30. Eleuatus est ergo à nobis, corpore non consolationis vnctione, vt & nos eleuemur à terrenis desyderiis, & sequamur Christū agnū immaculatum, quocunq; ierit. Sequamur descendentem, sequamur patientē sequamur resurgentem, sequamur multò libentius ascendentem. Humilietur nostra præsumptio, vetus homo peccati crucifigatur cum illo, & quomodo ille resurrexit à mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Resurrectionis deniq; dignitas locum exigit altiorem. Sequamur ergo in cœlum ascendentē, quæ sursum sunt quærentes, non quæ super terram, vbi ille sedet ad dexteram Dei patris, quo nos perducat &c. Amen.

## *IN FESTO PENTECOstes. Sermo. I. in ordine* XXXII.

S.S. festiuitas laudatur.



PIRITUS domini repleuit orbem terrarum. Sap. 1. Adest nobis dies celeberrima, festiuitas eximia, solēnitas adoranda, exultent deuota fideliū corda, quoniam aduenit hodie ignis ille diuinus, non comburens, sed illuminans, non consumens, sed præparata discipulorum corda diuino amore inflammans, transformans, deificans, qui nisi iucundissimo, consolatorioq; suo aduentu spirituales faceret, quos inhabitat, non fieret salua omnis caro. Caro siquidem, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. 1. Corinth. 15. Siquis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Roma. octauo. Hinc audacter pronuncio, quia nulli præsentis temporis festiuitati hæc inferior aut secunda dici poterit, qua spiritussanctus tertia summæ trinitatis persona virtus ex alto missus est, vt discipulos Christi quos ascendens carnales reliquerat, spirituales efficeret, ac cœlestium donorum thesauris super funderet, & ditaret. Si nanque ex principio mittente scilicet & misso festi huius excellentiam pensare libuerit, profectò maximum fore patet, quoniam à patre, & filio, immo à seipso missus est spiritussanctus, eidem patri, & filio per omnia coæqualis. In trinitate .n. (ait August. in ser. huius festiuitatis, qui incipit: Discessurus) non minus aliquid, aut maius, quia si in Deum aliquid minus dicitur, imperfecta diuinitas accusatur. Si finem intuebimur, quod est beneficium nobis collatum, iam non solum paritatem, sed eminentiam quandam super cuncta festorum solēnia cognoscemus. In aliis festis vel impedimenta sublata, vel bona spiritualia nobis recolimus præparata. In ista verò per spiritum sanctum nobis sunt infusa. Vnde beatus Greg. comparans ad inuicem festum dominicæ incarnationis, & pent. ait in homil. Pensate fratres dilectissimi post incarnationem, vnigeniti filii Dei qualis sit festiuitas hodierna de aduentu spiritussancti. Sicut enim illa, ita & hæc est honorabilis. In ipsa quippe Deus in se permanens, semetipsum creauit hominem, in ista verò homines desuper venientem susceperūt Deū. In illa De⁹ naturaliter factus

Comparatio festi incar. & Pent.

factus est homo. In ista homines per adoptionem facti sunt dij. In illa ideò vsq; ad nostra infirma descendit, vt in hac nos ad sua excelsa exaltaret. Et beatus August. in ser. qui incipit: Sanctitati vestræ, inquit: Saluator noster victor diaboli, cum post triumphum cœlos ascendit, discipulos quoq; liberauit captiuitate, etiam benedictione ditauit. Liberauit autem nos, cum ad resurgendum per seipsum tartara nobis aperuit. Ditauit nos, cum ad regnandum per paracletum nobis cœlestia reserauit. Quibusdam enim quasi profectuũ gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modo autem de terra ad cœlos docemur ascendere. Et vt paucis multam concludam: Omnia, quæ nobis Christus in carne meruit, non proficerent, nisi per spiritum sanctum hæc nobis cõmunicarētur. Quod etiam ex ipso effectu declaratur: Venit Christus in carnem, liberauit, prædicauit, miracula fecit, paucos tamē ad modum discipulos collegit. Erat enim turba hominum simul fere. 120. Actu. 1. & quos iam collegerat passionis timor, quæ mundum redemit, dispersit. Sicut scriptum est: Percutiam pastorem &c. Zach. 13. Iterum apparens post resurrectionem collegit, sed non sine eorum timore. Promouit aliquantulum ascensione, vt regrederentur cum gaudio in Hierusalem, sed cum trepidatione. Adhuc enim in conclaui morabātur Sed dum hodierna die spiritusancto sunt repleti, iam velut perfecti, consummati igniti, postposito omni tempore portarum repagula irrumpentes in publicũ prosiliunt, pleni donis charismatum Christum prædicant tanta autoritate, vt in vno sermone ad fidē Christi tria milia sunt conuersi, qui & ipsi omnes in linguarum dono spiritum sanctum susceperunt. Ecce spiritus efficaciam plus in hodierna festiuitate, quam in quacunq; alia declaratam, vnde certissimè hodierna die verificatum credimus verbum thematis in principio assumptum: Spiritus domini &c. quæ vt nos plenius intelligere faciat veritatis doctor, dicamus: Veni sancte spiritus &c. Primò tractabitur thema generaliter. Secundò inquiretur specialius, quæ sint illa dona, quibus suos dotauit tam excellenter. Nunc verò historialiter videbimus quomodo spiritus domini hodierna die repleuit orbem terrarum. Tertiò pro intellectu clariori dissoluemus paucarum dubia quæstionum. Spiritus domini re. &c.

Quamuis spiritus domini idem cũ patre & filio dominus, vnus solus verus Deus, ab initio conditionis creaturæ orbem terrarum, & vniuersam re pleuerit creaturam. In ipsa enim creatione de ipsa scribitur Gen. 1. In principio crea. Deus cęlum, & terram. Terra autem e. in. & va. & tene. e. super fa. abyssi. Et spiritus domini fere. super aquas. Ly. tanquam voluntas artificis super materiam, quam formare, & ornare intendit. Et iterum Iob. 26. Spiritus eius ornauit cœlos. Quoniã etsi verbo domini cœli firmati sunt, nihilominus spiritu oris eius omnis virtus eorum, in fieri, in esse, in conseruari. Et deniq; idē spiritus cum patre, & filio in omnibus rebus, vt ait propheta Hiere. 23. Nunquid nõ cœlũ, & terram ego impleo? Impleo quidem potentialiter omnia mihi subijciens. Potentialiter omnibus localiter indistans. Essentialiter omnium intrinseca penetrans. Quod attendens propheta ait: Quo ibo à spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cę. tu il. es: si desc. ad infer. ades &c. & tenebit me dextera tua psal. 138. Quamuis ergo hæc ita se habeant, hodierna tamen die singulari quodam, & & longè excellentiori modo viuificator spiritus repleuit orbem terrarum. Non terræ illius, quæ apud philosophos sex elementorum dicitur, & vnica est, cui propter hominis transgressionem dominus maledixit, ac spinas, & tribulos germinare iussit, sed terræ rationalis secundum numerum hominum multiplicatæ, cui hodie benedixit dominus, & in cœlum transmutauit, sicut Grego. in homil. dicit: Qui in tantæ eos (haud dubium quin apostolos)

S.S. quomodo repleuit orbem terrarum.

los) celsitudinis culmen erexit: quid aliud dixerim, nisi q mentes terrenorum hominum cœlos fecit? Hodie nãq; quinquagesima die dominicæ resurrectionis, ac post ascensionem decima, vniuersani nostræ redemptionis dispẽsationem, dominus noster Iesus Christus iam in dextra patris residens consumauit, dum (vt Actuum refert historia) omnes discipuli erant pariter in eodem loco, cenaculi scilicet superioris, quo post ascensionem domini regredientes in Hierusalem ascenderant. Et factus est (inquit Lucas) repente de cœlo sonus tanquam adue.spi. ve.& re. t. do. vbi erant se: Ad præparata enim sibi apostolorum templa hac die spiritussanctus velut imber sanctificationis illapsus est, non visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nam sic de semetipso apostolis dixerat: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consu.seculi. Matt. 28. Ita etiam de spiritu sancto. Paracletum inquit dabit vobis pater, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Ioan. 14. Hinc in quodam ser. qui incipit: Post singularem, dicit Augustin. Affuit in hac die fidelibus suis spiritussanctus, non per gratiam visitationis, & operationis, sed per ipsã præsentiam maiestatis atq; in vasa non iã odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vngenti, ex cuius fragrantia latitudinem totius orbis impleret, & appropinquantes ad eorum doctrinas, Dei fierent participes, atq; capaces.

S. S. cur in linguis ignis apparuit. Apparuerunt autem. il. dist. li.tanquam ig. seditq; su. sin. eorum: ignis illę linguarum figuram habens. Repletiq; sunt omnes spiritu sancto Foris visibiliter spiritussanctus apparuit, intus inuisibiliter habitans donis, & gratijs repleuit. Ad hoc autem foris apparuit in signis, vt significaret, quid intus operaretur in donis neq;.n. signa illa, sonus ipse aut igneæ linguę erant.ss. aut ss. suppositaliter vnitæ, quomodo humanitas Christi in verbo. Neq; in eis ita visibiliter .ss. apparuit, quasi aliquid.ss. videretur, aut videri possit, quũ substantia quædã summa ẽ & spiritualis, & corporalibus oculis pęnitus inuisibilis. Visibiliter autem dicitur apparuisse, quia creaturæ quædã ad corporalẽ sensum apparuerunt, quæ spiritũ sanctũ inuisibilẽ aduenisse significabant, atq; suis naturalibus proprietatibus effectus quosdã gratuitos, quos in discipulis operat⁹ est spiritussanctus figurabãt. Vnde nõ poterant dicere secundũ sermonis proprietatẽ, videntes igneas linguas super apostolorũ capita, vidimus spiritũ sanctũ, sicut vidẽtes in humanis Christũ, videbant verbũ patris, siue Deũ. Communicatio idiomatum, qua vtraq; natura in Christo suas denominationes concretiuas communicabat supposito, hic locũ habere non põt, propter defectũ hypostaticæ vnionis signorũ visibiliũ ad signatũ spiritũ sanctũ. De hoc Leo in ser. Aug. quoq;. 2. de tri.& Mag.dist. 26. primi, multa loquuntur. Si verò in scriptura inuenitur visum esse spiritũ sanctũ sicut Matt. 3. dicitur quia vidit spiritum Dei descendentẽ sicut colũbã. Intelligendum est, sicut in signo videre dicimus signatum vt visio corporalis ad signũ terminari intelligatur, sed visio intellectualis ad signatum.

Quod aut quale signatum fuerit in die Pent. Quæris fortè q aut quale signatum fuerit hodie apparentiũ signorũ? Certũ est omnia illa vnius spiritussancti præsentiam repræsentare, sed & multiplices eius salutares effectus. Nã ignis super singulos sedens apostolos, hunc ignem accendisse singulorũ corda demonstrabat. De quo apostolus ad Heb. 12. Deus noster ignis consumens est, quia p hũc rubigo peccatorũ consumitur, vt dicit Greg. in hom. De quo etiã in ser. Aug. qui incipit: In hac solemnissima scribitur. O salutaris ignis, quẽ in suis accẽdere cupiẽs electis, clamabat filius maiestatis: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Lu. 12. O inquam salutaris ignis cremans stipulã peccatorũ, coruscans flamma virtutũ. Et secundum Greg. in hom. Bene in igne apparuit spiritussanct⁹, quia ab omni

omni corde, quod replet torporem frigoris excutit, & hoc in desyderio suæ æternitatis accendit. In igne ergo super apostolos apparuit, quos viui fontis luce perfudit, vt ipsi postmodum vniuersum mundum tanquam duodecim solis radij, ac totidem lampades veritatis illuminaret. Ob hoc quoq; linguæ figuram ignis iste habuit, quia omnium eis linguarum scientiam dedit, qui continens omnia, scientiam habet vocis, vt sic internas diuitias publicaturos, diuersarum gentium multitudinē, suauissimo prædicationis ardenti eloquio congregaturos designaret. Propterea quoque factus est repente sonus tanquam vehæ. spir. venientis, totam domum replentis, quia totum mundum veritatis eloquio vocibus virtutum granditate magnis erant repleturi, sicut propheta dixit: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et hoc est, q̄ teste scriptura continuò exequuntur. Nam repleti spiritu sancto cęperunt loqui varijs linguis magnalia Dei. Virtute magna reddentes testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri & omnium operum eius, vt Actuum docet historia. Ecce ad quid apostoli repleti spiritu sancto, & visibilibus signis hodie demonstrati sunt, nisi vt per eos ab hac die verbum salutis virtute multa seminantibus spiritus domini repleret orbem terrarum. Is vtiq; qui continens omnia scientiam habet vocis. Tantum de primo.

Penteco. dies cur solemnis

Vt autem eo ardentius huic festo inhęreamus, quo clarius magnalia Dei in eo nobis per spiritū sanctū donata cognoscimus. Libet nunc quibusdam quæstiunculis respondere. Pōt nāq; aliquis minus eruditus quærere. Quare tanta festiuitate spiritussancti aduentus hodierna die solennizatur, cum tamen non hodie primum, sed longè ante datus cognoscatur Nam vt Leo in ser. ait qui incipit. Plenissimè quidem. Cum in die Penteco. discipulos domini spiritussanctus impleuit, non fuit inchoatio huius muneris, sed adiectio largitatis, quoniā patriarchæ, & prophetæ, & sacerdotes, omnesq; sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdē sunt spiritus sanctificatione vegetati, & sine hac gratia, nulla vnquā instituta sunt sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria, vt eadē semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorum. Vnde 1. Pet. 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines. Hoc denique spiritu operante Christus est incarnatus, hoc obumbrante conceptus, hoc præ cunctis suis participibus super mensuram perunctus, hoc in specie columbæ apparente baptizatus. Nec huius potētia virtutis aberat à quibuscunq; operibus saluatoris. Si (inquit) in spiritu Dei eiicio de. igitur perue. in v. r. d. Matth. 12. Ipsi denique apostoli, quomodo siue hoc spiritu electi, quō vocati, purgati, miraculorum virtutem consecuti, ad prædicandum missi? Cum nemo possit dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto? 1. Cor. 12. Ipsis denique suis discipulis post resurrectionem dixit. Accipite spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata &c. Ioan. 20. Omnes quoq; qui ab initio mundi crediderunt in Christū, habebāt spiritū sanctū dicēte apostolo Ro. 8. Si q̄s spm̄ Christi non habet, hic nō est eius. Iterū posset quæri. Quare festū hodiernū spiritui sancto ascribitur, & non toti trinitati, cū tamen nō tm̄ spiritussanctus, sed æque pater, & filius discipulorū cordibus illapsus die hodierna inhabitauerit. Sicut etiā in hodierno euangelio domin⁹ repromisit. Siquis diligit me, ser. meū serua. & pater meus dili. eū, & ad eū ve. & man. a. ip. fa. Et sequitur de spiritu sancto. Paracletus autē spirit⁹, quē mittet pater in nomine meo &c. De hoc di 17. primi lib. Neq; visibilia signa & linguæ igneæ. s. plus spiritum sanctum quam patrē, & filium repræsentāt quia non solū de spiritu sancto, sed de tota trini. dic. Apostolus: Etenim De⁹ nr̄ ignis cōsumēs est. Et similiter tertiò q̄ri posset: Cur donorū charismata spiritui sācto tāquā datori attribuant, ita

Pentecostes cur S. S. adscribitur

vt

vt etiam dona sanctus spiritus dicantur communiter, cum tamen trinitatis opera ad extra penitus sint indiuisa, sicut & substãtia est indiscreta, & oẽs effectus ad extra ꝓducti nõ sunt magis ab vna personarum, quàm ab alia.

S.S. ante dié péte. nunquã visibiliter. Ad harum quæstionũ primã respondendo, hoc primũ ex eius propositione intelligimus, quia quantò frequentius scriptura sancta spiritum testatur missum, ac omnẽ vniuersaliter in omnib⁹ operatũ saluté, tãtò maiori gloria hodierna fulget solénitas, & exultatione. Erant enim vniuersa spiritussancti donorum charismata ab initio mundi nobis impensa soléni memoria, cũ gratiarum actione deuotissimè recolẽda. Sed quo die conuenientius quàm eo, quo hunc datum fuisse constat, euidentius generalius, copiosius? quod factum hodierna die constat. Hodie nanque visibiliter missus est spiritussanctus, vt dictum est, quod in toto. ve. test. nunquã factum legitur, vt declarat Augu. 4. de trini. Neque enim decuit signum plenitudinis gratiæ exhiberi visibiliter ante tempus plenitudinis gratiæ, quod à Christi aduentu incępit, vt vult Apostolus Gal. 6. Sed neq; ante hunc diem visibiliter missum legimus spiritum sanctum in no. test. nisi ad Christum in specie columbe, & nubis lucidę. Inuisibiliter verò frequẽtissimè ab initio mũdi credimus missum. Sed cum ecclesia, simul & scriptura creberrimè rem dicit, aut recolit fieri; cũ innotescit, (propter quod Apostolus dicit Christum per obedientiam passionis exaltatum in resurrectione, & accepisse nomen qđ est super omnem nomen quo vocabatur Deus, quod tamen habuit homo Christus à initio conceptionis) sed in resurrectione in euidenti positum est, vt scirent homines, & dæmones. Et secundum hunc tropum dominus dixit Matth. vlt. Data est mihi potestas in cęlo, & in terra post resurrectionem, quã tamen prius habuit, sed in resurrectione fuit manifestata. Ob eandem causam maiori solemnitate colit ecclesia festum natiuitatis Christi, quàm incarnationis, eo quod tunc Christi incarnatio prius in vtero virginis facta apparuit incorrupta natiuitate. Ideòque hodie colit missionem spiritussancti tanquam primò factam, quoniam primò euidentibus signis facta hominibus declaratur. Est quoque missus hodie generalius, quia omnibus discipulis 120. & 3000. per prædicationem Petri hodie conuersis, qui & ipsi continuò cęperunt loqui linguis, ita vt non dubitetur prophetia Ioelis impleta, q̃ hodie allegabat Petrus, Erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. De hoc Beda in hom. de vigil. Pente. Missus quoque est ad vtilitatem non vnius gentis, sed vniuersi orbis in vnitatem fidei colligendi Apostolorum prædicatione, ideò ipsi omnium linguis grandi, & inaudito loquebantur miraculo, propter quod qui erant in Hierusalem ex omni natione, quę sub cœlo est, conueniebant, & audiebant &c. Act. 2. Missus quoque fuit hodie in donis copiosius. Nam secundum Duran. in suo primo, distinct. 16. missio visibilis fit principaliter ad significandum plenitudinem gratiæ in eo, cui fit, & hoc secundum, quod potest in alios rédundare.

Aliorum dubiorum solutio ab vno dependet fundamento. Nam intellecto cur dona hodie missa spirituisancto approprientur, satis patet quàm congruè festum hodiernum spirituisancto ascribatur. Quamuis ergò vt Leo ait, in tribus personis summæ trinitatis nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis sit vlla diuersitas, sed huius beatissimę trinitatis incommutabilis deitas, vna est superba, indiuisa opere, concors voluntate, par omnium potentia, æqualis gloria. Ne tñ fideliũ confessio de trinitate erret, vt veritas trinitatis insinuetur, q̃dam per proprietaté, vel appropriationẽ patri, quędã filio, quædã spirituisancto attribuuntur, quæ tamen non ita diuidit intellectus, sicut distinguit auditus. Si eñ omnia hæc de trinitate insepa- Attributa trinitati.

parabiliter diceretur,sicut ipsa inseparabilis est, nunquã intelligeretur trinitas esse. Sic ergo opus creationis patri, opus reparationis filio,opus sanctificationis spirituisancto attribuitur. Nam in opere creationis relucet potentiæ infinitas. In opere reparationis, qua nos filius à potestate diaboli liberauit in assumpta humana natura, & debitũ nostrum soluens, ac serpentis astutias deludens,relucet sapientia.In opere verò sanctificationis bonitas diffusiua.Potentia autem patri, sapientia filio,bonitas spiritusancto appropriatur, secundum magistrum dist.34.primi.

Possumus tamen si oculatius rem inspicimus aliam fundamentaliorem huius appropriationis reddere rationem. Nam opus sanctificationis animæ fit per infusionem gratiarum, donorum, & virtutum,quas nobis infundi meruit Christus in sua passione,& morte benedicta, In his autem donis diuinitas ipsa mentibus nostris illabitur, & seipsã ex incompræhensibili amore nobis donat,sicut tractaturdist.14. primi & 37. primi.Ea ergo, quæ liberalissimo nobis amore donantur, cui rectius attribuuntur personæ in trinitate, quam ei, quę per modum amoris,& voluntatis amãtis ad intra procedit? Hic est spiritussanctus,sicut ait Aug.4.de tri. Sicut natum esse est filio à patre procedere, sic spirituisancto donum esse Dei est à patre procedere, & filio. Quæcunque in nobis Deus liberaliter ad nostram salutem operatur,siue remittendo culpã, siue infundendo gratiam, siue largiendo virtutes,& dona, immo dando seipsum, quod est donum super omne donum,quãmuis quæ tota trinitas operatur rectè, tamen spirituisancto per appropriationem,quę dicta est,attribuuntur.Ideò etiam Christi incarnatio,quę maximi amoris,& diuinę liberalitatis opus extitit, spirituisancto tanquàm autori attribuitur.sicut Mat.1. dicitur, Quod enim in ea natum est de spiritu sancto est Et in symbolo, Qui conceptus est de spiritusancto.Et propter idẽ hodierna festiuitas,in qua visibilibus signis charismatum infusio,atque aduentus totius trinitatis pa.fi. & spirituisancti in animas discipulorum ostensa est, spirituisancto,cui tota illa operatio attribuitur,dedicatur. Non tamen ita accipiendum est,quasi spiritussanctus,nõ pater,& filius sit hodie colendus,aut minus spiritusancto adorandus. Neque enim festiuitate separantur, quorum est vna,eademque adoratio.Sicut enim vna diuinarum personarum sine altera cognosci nõ potest,nec amari,nec frui, vt vult Aug.1.de tri.cap.10.tractans illud Ioan.14.Philippe, qui videt me.Et Beda de hom.dominicæ, quia dicitur, vocem iucunditatis, Ita nec vna sine altera debet adorari. Sed vna,eademque adoratione latria patrem colimus, & filium,&spiritumsanctum.Et ita quidem super facimus de facto, quamuis fortè non super attendamus actu, super autem attendimus habitualiter. Quamuis enim quis iam cogitando de patre proprio conceptu,fortè non cogitat de spiritusancto, & sic patrem adorat non cogitans actu de spiritusaucto,habitualiter tamen & spiritumsanctum adorat quia si de eo per conceptum proprium cogitaret, vtique adoraret simul cum patre,alioquin erraret nimium, qui cũ deliberatione ab adoratione patris secerneret filium,& spiritumsanctum, & econuerso.Et secundum hoc dirigenda est intentio in orationibus illis,qua aliquãdo ordinantur appropriatione quadam speciali ad patrem,aliæ ad filium, aliæ ad spiritumsanctum,vt scilicet ita actualiter intentio feratur ad patrem, vt tamen habitualiter in filium, & spiritumsanctum.

Per idem dicitur quod signa illa visa, linguæ scilicet igneæ principaliter significabant effectum Dei in Apostolis causatum, & per hoc præsentiam Dei. Sicut ergo effectus illi appropriantur spirituisancto, ita & signa per appropriationem spiritumsanctum significabant,quia ignis amorem significat. Amor autem spirituisancto appropriatur, & ideò ignis eodem modo spiritũ sanctum significabat. Et sic patet dubio

rum

rum solutio. Et tantum de primo articulo. Secundum articulum sequens sermo prosequetur de donorum collatione.

## SERMONIS PRIMI DE *Pentecost. pars secunda, inordine sermo.* XXXII.

SPIRITUS domini repleuit orbem terrarum, vbi supra.

Deus cur produxit creaturã

Omnipotens Deus volens suam bonitatem ad extrà creaturę communicare, à principio temporis spiritualē creaturam produxit simul, & corporalem, vt tangit magister 1. dist. 2. & Gen. 1. originaliter. Sed quia Dei perfecta sunt opera, vt operi suo nihil deesset, nec vlla possibilis creatura, saltem secũdum genus, perpetuo sub nihilo lateret, creaturam ex vtroque, corpore. s. & spiritu mixtam, vel compositam ad esse vocauit, hominem. s. cuius corpus de terra finxit, spiritum verò rationalem de nihilo creans, corpori inspirauit, atque terræ incolam fecit hac lege, vt caro spiritui seruiret, & tanquam ancilla dominæ obediret, spiritus verò Deo adhæreret subiectione, & amore, quem vt creatorem suum nouerat infusa cognitione. Sic quoque tandem totus homo transferretur in cælum, cum creatore suo fœlicitate perpetua gauisurus. Et vt sine difficultate caro seruiret spiritui, data est originalis iustitia, per q̃ tanta concordia caro spiritui subesset, vt sine molestia immodelectabiliter spiritui obediret, magis quoque ea, quæ spiritus dictabat, etiam sensum delectabant, quàm obiecta propria. Per hoc denique sublata esset omnis rebellio sensus carnis aduersum sensum rationis. Sed cum suasu serpentis, spiritus domini creatorem suum reliquit, factus inobediens, atque mandati transgressor, originali iustitia perdita, caro quoque spiritui rebellabat, quæ carnis sunt, delectabant, ac quæ spiritus sunt cruciabant, ità vt iam non modo non obediret, sed etiam repugnaret, & totis conatibus sibi spiritum subiugaret, & suis delectationibus obruere non cessaret. Et quia secundum August. lib. 19. de ciui. Dei. Nemo est, qui nó pacem amet, ne semper cũ carne sua (quam vt Apostolus ait ad Eph. 5. nemo vnquam odio habuit) tanta sentiat bella, suæ dignitatis oblitus, carni condelectatur, obedit, seruit, sicque totus homo effectus carnalis, spiritualia fastidiendo contra Dei ordinationem, damnationi perpetuæ se subiecit. Cum ergo Deus, qui spiritus est, ab homine animali iam amari non potuit, vt spiritus, carnem (sed nó vitiatam, non rebellantem, sed spiritui per omnia consentientem) induit, oculis hominum obiecit; vt à carnalibus Deus (incarnatus, & visibilis factus) amaretur, quod & factum est. Nam magno dilectionis feruore, domino discipuli adhęrebant, quod fuit initium q́dam amoris Dei, sed imperfectum nimis, quoniam & amor ille adhuc erat carnalis, vt vult Bern. ser. de ascensi. Restabat igitur vt soluto debito nostro in assumpta carne, promotisque iam aliquantulum discipulis perficerentur, vt nunc non carnaliter sed spiritualiter Deum diligerent, sine qua non sufficeret quicquid in carne dominus exoluisset. Pro isto verò necessarium erat tantis donis, & virtutibus spiritum hominis roborari, quatenus ita spiritus subiugaret, ac vinceret carnem sicut prius spiritum vicit caro. Sublata ergo Christi in cęlum serui forma, bodierna die misit à patrem spiritum sanctum non carnis, sed spiritus consolatorem, signo quidem visibili, sed opere inuisibili, quo terrenum hominem spiritualem efficeret, atque ad carnem vincendam, & fortiter sibi inhęrendum, donis infunderet copiosis, secundum verbum dudum à sapiente promissum. Spiritus domini repleuit orbem terrarum. De quibus effusis donis nunc dicendum. Pro gratia, Aue Maria.

S.S. quibus donis orbē repleuit.

Quantum ad secundum sermonis præcedentis articulum heri reseruatũ

videndum est, quibus donis orbemterrarum domini spiritus repleuit. Et quidem dictum est, quoniam quecunq; dona ad salutem consequendam necessariò à spiritusancto sunt, propter quod orbemterrarum replesse dicitur, quia est, quo terrenus homo indiget, vt cęli habitator fiat, quod nō abunde tribuat spiritussanctus. Nam ipse nos facit declinare à malo. Ipse nobis tribuit facere bonum, vt latè ostendit Bernar. ser. 1. huius festi. In quibus consistit iustitia ad vita præparatiua. Verum quia vniuersa, quę nobis spiritussanctus tribuit charismatum numero cōpræhendi non possunt, ad septenarium donorum numerum in genere reducuntur. Et quia septem numerus est vniuersitatis, eo qđ septem diebus vniuersum tempus reuoluitur, vt dicit Greg. hom. 16. in Eze. Et quia illis septem donis vita hominis in terra peregrinantis ad salutem sufficienter ordinatur, ea propter septiformis spiritus nominatur Vnde canit ecclesia, Tu septiformis munere. Et Gre. super Exech. homil. 19. per septiformē spiritussancti gratiam, aditus nobis vitę cælestis aperitur. Annumerat, hæc Esa. propheta cap. 11. loquens de flore, qui pcessit de radice Iesse, hoc est Christus dominus de Maria virgine, super quem spiritussanctus secundum omnem sui plenitudinem, non ad mensuram requiescit. Ioan. 1. semper ipsius cōtentus māsione pectoris. Ait enim, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapiētiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientię & pietatis &c.

S. S. dona multipliciter figurata.

Hæc dona multiplici septenario in scriptura sunt figurata. Iudicum 14. septem crinibus in capite Sansonis, quibus manentibus, præualere non possunt Philistei, eis verò abrasis, debilis homo redditur, & ad resistendum hostibus infirmus, eo quod eis sublatis ab anima pugnatorum dominus simul recedit. Item septem filiis Iob. Iob. 1. prout exponit Grego. 1. moralis. Septem quippe nobis filiis nascuntur, cum per conceptionem bonę cogitationis, sancti spiritus in nobis virtutes septem oriuntur. Item septem gradibus, quibus ascēdebatur ad portam templi. Ezech. 40. sicut ait Greg. hom. 19. in Ezech. Septē gradibus ad portam ascenditur, quia p sancti spiritus septiformem gratiam aditus nobis vitæ cęlestis aperitur. Item in Apocal. 1. Septem stellis in dextera Christi, quia præsentem vitam illuminant, quæ nocti rectè comparatur, & propter aduersitates, quibus plena est, & propter tenebras duplices culpæ, & ignorantiæ, quibus abundat. Hęc autē in dextera Christi esse dicunt, quia in sua potestate est dare, cui voluerit, & dona donorum auctorem spiritussancti, sicut ipse ait Ioan. 15. spiritum paracletum, quem ego mittam vobis à patre. Vnde & Christus dextera patris dicitur, spiritussanctus autem huius dexteræ digitus. Dextra enim immediate à corpore dependet, digitus ab eo mediante dextra, ita filius à solo patre est, spiritussanctus autem à patre, & filio. Multę ad idem possent aptari figuræ; sed istæ exemplariter positæ nunc sufficiunt.

Vitæ necessaria ad 7. dona reducuntur.

Quomodo autem omnia, quæ ad vitam sunt necessaria, ad hęc dona reducuntur, vario modo assignant doctores, multipliciter etiam distinguen. inter virtutes, & dona, fructus, & beatitudines. Sed quia omnia recitare magis cōfusionem inducit, quàm informationē, sequar in hac parte doctrinam Scoti in suo. 3. quęst. 1. distinst. 34. qui ostendere videtur, quod per septem virtutes tres theologicas, & quatuor morales homo sufficienter disponitur in via cuiuslibet obiecti, quatenus bene viuat ad salutem. Omne enim obiectum, circa qđ perficitur viator, est Deus, vel creatura. Circa Deum sufficienter perficitur tribus virtutibus theologicis. Nam circa ipsum vt intelligendum in via, sufficienter disponit fides. De Deo enim in via non potest haberi cognitio, nisi fide saltem excellentior propter cognitionem naturalem, quā habemus de Deo:

sed

sed ista est inferior fide. Circa ipsum vt in se diligibilis sufficienter perficit charitas. Et circa ipsum vt appetibilé tanquam cómodum mihi, perficit spes. Neq; enim contingit viatoré circa Deũ habere aliũ actũ ordinatum, quã intelligere Deum, diligere eum in se, & appetere eum mihi, vt bonum meum. Perficitur aũt viator magis, & minus, secundũ quod virtutes illi sunt magis, vel minus intensę. Nã qui habet has virtutes in summo, quomodo haberi possunt in via in summo & perfectissime se habet circa Deum secundum statum viatoris. Perfectissimè cognoscit Deum, qui habet fidem perfectissimam. Summè diligit, qui summam habet charitatem. Sperat quoq; securius, quo spes habita fuerit intensior.

Homo perficitur per prudentiam. Circa creaturam verò non curando de scientiis speculatiuis (quę secundum Augustinum plus habent superuacaneæ curiositatis, quàm vtilitatis) perfectissimè homo perficitur per prudentiam quantum ad intellectum, si ipsa fuerit perfectissima, quia ipsa est de omni agibili, quantum ad omnem conditionem agibilis. Et quantum ad appetitum sufficienter perficitur tribus virtutibus moralibus, & hoc siue circa alterum, & appetibilia alteri, quàm circa seipsum & appetibilia sibi, siue primò, & directè, siue secundario propter illa prima. Nam circa alterum disponit iustitia, qua quis rectè se habet ad alterum, dando cuilibet, quod suum est; Circa seipsum, & appetibilia sibi non primò siue ex se, puta quę statim ex se nata sunt conuenire, vt sunt honor, delectatio, perficit temperantia. Sed circa appetibilia sibi non primo, sed quasi secundario propter primo appetibilia, sicut est velle vindicare se circa offendentes puta prima bona auferentes, aut velle sustinere offensam. Et circa hoc sufficienter disponit, ac perficit fortitudo. De primis virtutibus theologicis habetur 1. Corint. 13. Excellentiorem viam vobis demonstro. Et sequitur, Fides, spes, charitas tria hæc, maior horum est charitas. De aliis virtutibus moralibus, quæ cardinales dicuntur, habetur Sap. 8. Sapientia enim sobrietatem, iustitiam, prudentiam, & virtutem. i. fortitudinem docet, quibus in vita nihil vtilius est hominibus. Iste ergo septenarius virtutum, quarum quælibet multas habet species, si perfectissimus est, perfectissimè perficit viatoré.

Vitæ & beatitudines & dona ad 7. dona reducuntur. Vnde omnes habitus perfectiui viatoris, respectu creatoris, vel creaturæ, quatenus promouent ad salutem, ad aliquem de illis septem habitibus reduci habent, vel plures eorum, quamuis in scripturis variis nominibus nominantur. Vnde & beatitudines, dona, & fructus, non sunt nisi habitus virtutum, vel saltem delectationes actus eorum consequentes, propter quædam quæ in fructibus numerantur. Vnde qui perfectissimè habet illas septem virtutes, habet omnes fructus, dona & beatitudines. Quod sic potest ostendi. Nam donum sapientię duas complectitur theologicas virtutes charitatem scilicet, & spem. Est enim sapientia dicta quasi sapida scientia, & communiter in scriptura accipitur pro habitu charitatis, quia sapientia est habitus, quo sapit habenti obiectum summum, & æternum, quod in se est sapidum. i. quo placet illud bonum in se, & illud volo mihi. Et hoc est, quod dicit Magister in. 3. dist. 35. Sapientia non modo capimus supe riora, sed etiam incognitis delectamur. Sapit autem, siue diligitur Deus sapientia, vt dictum est, & quia in se bonus, qua dilectione volo Deo bonum, & quãtum ad hunc actum perficit charitas. Hac enim Deum in se, & propter se diligimus, volendo sibi bonum summum. Verum qui sapit bonum, & saporem in se approbat, etiam sibi id bonũ appetit tanquàm commodum suum, & ad sic appetendum perficit spes vt alio sermone dictum est. Sapientia ergo generaliter accepta, qua summum bonum mihi sapit in se, & appeto mihi, charitatem compræhendit simul, & spem. Donum autem intellectus, & donum scientiæ simul fidem expri-

primunt secundum eius perfectionem & imperfectionem. Nam in naturalibus. 6. Eth. intellectus dicitur notitia principiorum, scientia verò conclusionis. Ita in proposito, per intellectum intelligitur fides imperfecta idest notitia primorum articulorum, quæ est fides simplicium, quibus speculamur implicitè saltem creatorem, & creaturas. De vtrisq; enim articuli faciunt mentionem. Per scientiam verò intelligitur fides perfecta, & explicita, nedum primorum articulorum, sed etiam eorum quæ in eis latent, & ex eis deduci possunt quasi conclusio ex principiis, & hac scientia non solum articuli primi creduntur, sed etiam fides eorum nutritur, defenditur, ac roboratur. Et ita loquitur Aug. 14. de trini. Illud tantũ huic scientiæ tribuo, quo fides saluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinẽ gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant plurimum ipsa fide .s. imperfecta. Aliud est enim scire tantum, quid homo debeat credere propter adipiscendam beatã vitam. Aliud est scire hoc ipsum, & quomodo piis opituletur, & contra impios defendatur, quæ proprio vocabulo appellatur scientia.

Fides imperfecta per intellectum.

Per alia quatuor dona, quatuor virtutes cardinales designantur. Fortitudo quidem sub proprio vocabulo exprimitur, quã nos bene habemus respectu offendentium, & contra terrorẽ periculorum. Prudentia verò nomine consilii, quia prudentia habitus est cõsiliatiuus de omni agibili. Iustitia verò exprimitur in sua specie scilicet pietã te. Pietas enim siue intelligatur habitus ad cultum Dei nos perficiens, quæ theosebia gręce dicitur, sicut dicit Magister dist. 35. lib. 3. siue misericordia qua proximis compatimur, miserias eorum subleuando, vt vult Sco. & Lyra super Esa. manifestum est, ꝙ ad iustitiam pertinet, quia nos bene ordinat ad alterum, dando alteri, quod suum est, Deo honorem, proximo iuuamen. Donum timoris ad temperantiam pertinet, secundum Scotum, quia idem omnino est timor, quod humilitas. Sicut patet per Augu. super illud Matth. 5. Beati pauperes spiritu. Quod scriptura frequenter commendat timorem domini initium sapientiæ, nihil aliud est, quã ꝙ humilitas est principium vertutum, & rectè, quomodo eo, quis timet quo humilis, humilitate nosipsos paruos, insufficientes, & defectuosos cognoscimus, & ideò fortiora timemus. Humilitas ad temperantiam pertinet tanquam species ad genus, nam moderatur circa concupiscentias honorum. Vel si hoc placet, vt timor identificetur humilitati, nihilominus ad temperantiam pertinet. Nam vt dicit Lyra super Esa. contra concupiscentiam inordinatam delectabilium, ordinamur per donum timoris, sicut scriptum est Prouerb. 16 per timorem declinat omnis à malo. Patet ergo ꝙ dona illa septem extendunt se ad omnia, ad quæ virtutes theologicales, & acquisitæ, tã intellectuales, quam morales, & pe consequens sufficienter replent animam omnibus necessariis ad salutem.

Virtutes cardinales per q̃ dona designantur.

Et quamuis virtutes cardinales naturaliter acquiri possunt non tamen superfluunt dona, quoniam vt dicit Magister vbi supra. Per hæc dona illa naturalia reformantur, & adiuuãtur. Sũt deniq; perfectiora, quam virtutes, quas naturaliter acquirimus quia à perfectissimo principio, ab eo vtiq; cuius perfecta sunt opera. Deniq; spiritussanctus subito hæc infundit, quæ secundũ naturam non nisi longissimo temporis exercitio acquiruntur. Nescit enim tarda molimina spiritussancti gratia, dicit Ambr. super Lucam. Et secundum hoc multi distinguunt hæc dona à virtutibus, licet fortè insufficienter.

Hæc autem dona omnia adueniens spiritussanctus discipulorum cordibus prehabita confortauit, & auxit, non habita infudit, & quantum ad omnia sibi ac aliis fidelibus necessaria perfecit, quod actus eorum euidenter demonstrant. Donum sapientiæ in eo ꝙ omnibus

S. S. dona vel infundit vel auget.

nibus spretis, soli Deo adhæserunt, ita vt nec mensis seruire liberet. Actu. 6. ca. Donum scientiæ, & intellectus, quia & articulos ordinauerunt, & fidem in alijs gignebant, nutriebant scripturarum doctrinis solo spiritussancti dono genitis, quæ errantes defendebant, vt patet in prædicationibus Petri, & Stephani. Donum consilii prudenter ad vtilitatem fidelium omnia temporalia ordinando, nam quotquot possessiones agrorum, aut domorum, erant vendentes, afferebant prætia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum, qui diuidebant singulis prout vnicuique opus erat. Actu. quarto. Donum fortitudinis in eo quod nec minis, nec terroribus, nec morte, nec verberibus deterreri poterant, ne nomen domini non prædicarent, atque ne non commissam exequerentur dispensationem, publicè fidei aduersarios confundentes, & confidentes quia oportet plus obedire Deo, quã hominibus Actu. 5. Donum pietatis vtroque modo habere se ostenderunt. Ad Deum, quoniam quotidie erant perseuerantes vnanimiter in templo, communicatione fractionis panis, & orationibus Actu. secundo. Ad proximum verò, quoniam non solum proximorum miseriis compassi sunt, sed eas fecere suas Nam multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebant suum esse dicebat. Sed erant illis omnia communia. Actu. quarto. Donum timoris manifestauit magna apostolorum humilitas, quia omnem à se proiecerunt mundi honorem. Nam Petrus, & Ioannes cum claudum illum ex vtero matris suæ. 40. annos habentem, in nomine Iesu perfectè restituissent sanitati eosque concurrentes populi admirati fuissent, ne eis honor attribueretur, ait Petrus. Viri Israelitæ quid nos admiramini, aut quid nos intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare &c. Actu. tertio. Simile illius de Paulo, & Barnaba expresse continetur Actu. decimotertio vbi dicitur. Paulus, & Barnabas morabantur in Listris Et quidam vir Listris infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suę, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem, & credidit. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, vt saluus fieret (mente scilicet, & corpore) dixit voce magna (quatenus ex vocis altitudine plus ad diuinum honorem miraculum deuolueretur) Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit omnibus astantibus videntibus, & ambulabat. Et sequitur ibidem. Turbæ autem cum vidissent, quod fecerat Paulus, quasi hoc sua virtute perfecisset, leuauerunt vocem suã Licaonitæ, dicentes. Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam (qui senior erat) Iouem. Paulum verò (qui doctor verbi extiterat) Mercurium, qui fertur fuisse eloquentissimus. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas afferens cum populis, volebat sacrificare Paulo scilicet & Barnabæ tanquam veris diis. Ipsi verò beati apostoli non sibi, sed Deo honorem in omnibus operibus querentes vbi hoc viderunt, conscissis tunicis suis exiluerunt in turbas clamantes, & dicentes. Viri quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Ecce si honorem mundi voluissent, maximum adepti fuissent, sed quia timorem domini, qui peccatum expellit, cum primo habuerunt hunc caducum honorem penitus spreuerunt. Similiter tantus erat in eis timor Dei, quo malum declinatur, vt non solum ipsi in se, sed & in alijs conuersis mala grauissimè punirent vt in facto Ananiæ, & Saphiræ vxoris eius patet. Vnde magnus timor factus est in vniuersa ecclesia, & in omnes, qui audierunt ipsum. Actuum. 5.

Ecce si iam statum illum, & perfe-

Ecce si iam statum illum, & perfectionem quam per diffusionem charismatum sancti spiritus consecuti sunt Apostoli ad priorem eorum torporem, dubitationem, hebetudinem, carnalitatem, infirmitatem, propriam sollicitudinem, præsumptionem, quis comparare voluerit, luce clarius videbit, quanta mutatio, immo innouatio dexteræ excelsi, quos spiritus domini non quibusdam munusculis adornauit, sed fluminis sui impetu, ac vnctionis suauitate totos repleuit, ita vt vnguentum hoc de capite Christo in barbam barbam Aaron fluens, descenderit in oram vestimenti eius: dum vsque ad fines orbis terræ, apostolica doctrina conuersi, huius vnguenti pinguedine, & exultationis oleo sunt peruncti, vt fideliter dictũ sit per prophetã, Spiritus domini repleuit orbẽ terrarũ &c. Et tñ de secundo.

Pro S.S. receptione quæ sint necessaria.

## In festo Pente. Sermo. II. in ordine. XXIIII.

Spiritu oris eius omnis virtus eorũ psal. 32.

Hactenus egit ecclesia festa celebrans diuina beneficia, & opera, quibus redemptor noster nos redemit debitũ nostrum soluendo, salutis impedimenta remouendo, locumque apud patrem præparando, & viam perueniendi ostendendo, omniaq; exhibendo, quę ex parte redemptionis nostrę acquirendę per ditæ beatitudinis necessaria videbantur, ita vt nihil vltra restaret, nisi vt ipsi transiremus, & reparatam nobis beatitudinem apprehendendo possideremus. In hac autem gloriosissima solemnitate beneficium summè necessarium recolit, quo nos ad ambulandum, & iter perficiendum conualescimus, & confortamur, sine quo omnia priora beneficia, licet maxima, & preciosissima, cassa forent, & sine fructu. Quid enim proficeret delicatissimũ conuiuium præparaseci, qui ex corporis debilitate ad ipsum perfruendum iter arripere non valeret? Primum facta est per verbum ex patris obedientia humatum, qui in carne sua debitum nostrum soluit Ephes. 2. Natum enim ex virgine illuminauit sedentes in tenebris, & vmbra mortis, principi tenebrarũ suis idolatriis seruientes, quorum primi fuerunt Magi stella duce ad veritatis agnitionem perducti, sua conuersatione viam ostendit. discite à me (inquit) quia mitis sum, & humilis corde. Mat. 9. Passione chirographum decreti suo sanguine deleuit, affigens illud cruci Col. 2. Mortem cũ suo principe diabolo vicit, & infernum fregit. O mors ero mors tua, morsus tuus inferne. Oseę. 13. Resurgens captiuitatem in inferno detentam reduxit, & spem immortalitatis dedit. Psal. Ascendens in altum captiuam duxit capti. &c. & Ioan. 17. Volo pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus &c. Ascendens locum nobis apud patrem parauit, & disposuit. Ioan. 14. Vado parare vobis locum &c. Secundum verò missione spiritussancti hodierna perfecit. Nam adueniente hodie spiritusancto in signo visibili, ac fideles replente, nedum perfectè ad omnis veritatis cognitionem illuminati sunt, sed & cęlestis igne charitatis accensi, ac roborati, vt quæcunque intellexerant, fortiter sine timore perfecerunt, & qui timidi vsque huc clausi mortis timore latuerunt, accepto spiritussancti dono, portas & repagula irruperunt, seque in medium populi, & principum dederunt, & quem prius territi negarunt, nunc publicè testificantur, verbis prædicando, opere miraculis confirmando, & sanguine, pro ipso voluntariè moriendo. Prius vt carnales, & terrestres timuerunt, nunc verò repleti spiritu, vt cęlestes, & terrena omnia contempserunt. Hinc Chrysostomus. Hodie nobis terra facta est cœlum, non stellis de cœlo ad terram descendentibus, sed Apostolis ad cęlum ascendentibus, quia effusa è copiosa gratia S. sancti, & p vniuersum orbem operata est cęlum, non immutãs natũ, sed volũtatẽ emendãs:

infusis donis cęlestibus, ac virtutibus. Vnde verificatum est hodie, quod longè ante prophetatum est. Spiritu oris eius, Scilicet verbi domini, omnis virtus eorum, cęlorum. s. ex hominibus formatorum. Pro gratia, Veni sancte spiritus reple &c. Aue Maria.

S.S. tertia persona, quō in diuinis intelligitur.

Quia agimus hodie festum spiritus sancti tertię personæ in diuinis, qui hodie visibiliter missus est Apostolis, & cūctis fidelibus, aliquid de ipso, ipso donāte loquendum est. Et vidēda sunt tria. Primum quomodo intelligenda est tertia personā in diuinis, quæ spiritus sanctus dicitur. Secundò de operatione, & donorum multiplicitate. Tertiò de homine, quem inhabitat, dispositione. Circa primum licet trinitas superbenedicta nedū sit ineffabilis, sed etiā inuestigabilis, secundū illud Ro. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quā incōpræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius (& hoc quantū ad perfectā eius cognitionem) non tñ penitus nobis ignotus est. Nā inuisibilia eius à creatura mundi. i. homine, per ea, quę facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ad Ro. 1. Inter ea aūt, quæ facta sunt, nihil ita ducit in cognitionē dei, sicut homo. Quippe cū in cęteris apparet vestigium trinitatis, In homine etiam imago eius impressa est. Vnde homo creatus dicitur ad imaginem, & similitudinem Dei, Gene. 1. Creatus est autem ad imaginem Dei, nō secundū corpus, sed secundū animā siue spiritum, quoniam & Deus nō corpus, sed spiritus est. Io. 4. & 1. Cor. 3. Iō in spiritu, seu anima nostra quærenda est imago trinitatis, vt per eam venire possimus in notitiam eius. Inuenimus autem in anima nostra quandā trinitatē, quia habemus in nobis intellectum voluntatē, seu affectum, & vtriusq; opationē siue actū, sed cum magna imperfectione, & quantū ad obiectū, quia non multa simul distinctè cognoscere, nec amare possumus, sicut sensu percipere Et quantum ad mutabilitatē, quia nūc hoc nunc illud, nunc amamus, nūc quæ amauimus, odimus. Et quantū ad modū, quia nos per similitudines phantasmata, & fictas imagines, nihil per essentiam cognoscimus. Deus autē intellectum habet, voluntatē & actus eorū sine imperfectione, quantū ad substantiā quia omnia hæc in Deo idē sunt, quia vna simplicissima essentia. Aug. de triplici habitaculo. Quātū ad obiecta omnia simul distinctissimè, sine mutatione non per speciē, sed per essentiā suam, & & rei cognitę, semper & immutabiliter etiam mutabilia videt, & circa cognita immutabilē, & æternā habet voluntatē, nec vult aliquid mō, q̄ aliquādo non voluit, aut aliquando velle desinet. Omnia enim, nuda sunt, & aperta oculis eius, ad Hebre. 4. & voluntas eius in eternum permanet. Prou. 19. Et Augu. in medi. c. 28. Opera mutas, sed nō consilium. Ecce tenuis similitudo, & magna differētia imaginis nostrę ad Deū.

Dei dilectio disponit. SS. receptionem

Sed nunc propinquius accedamus. Experimur in nostro intellectu quandā vim fictiuam rei cognitæ, per quam in seipso format imaginem, tantò rei cognitę similiorem, quantò ipsam perfectius cognoscit. Vnde si intuitiuè, & perfectè cognosceret, imaginem simillimā fingeret, quæ imago manet in intellectu. Et si haberet vim productiuam, produceret rem simillimam, immo cōsubstantialem rei cognitæ ab ea in nullo differentem, nisi quod hæc ab illa esset producta, & si seipsum sic cognosceret, de se imaginem simillimam produceret, sibi consubstantialem, & à se sola productione distinctam. Quę & verè esset filius, quoniam filius viuens est de viuente, in eadem specie, & natura productus. Sic voluntas nostra habet quādam vim inhęsiuam, nam cum obiectum cognitum volendo acceptat, in se quandam complacentiam, vel dilectionem, aut fauorem producit, quo obiecto volito inclinatiuè, & complacenter inhęret, & quasi primo se volito, seu amato donat, qui & amor dicitur, quo amans se communicat amato, qui similiter manet in voluntate, per quem semper est inclinata ad bene faciendum,

dum, & complacendum amato.

Sic in Deo pater seipsum sua essentia cognoscens, cognoscendo imaginē suam perfectissimam in se producit sibi per omnia ęqualem, & substantialem, in nullo differentem, nisi quod hæc est producta, pater verò producens. Hæc imago proprijssime verbum dicitur à patre dictum, & viuit in eadem natura non specifica, sed indiuiduali singularissima & simplicissima, ideò verissimè filius est, & dicitur patri consubstantialis & coæternus, & in omnibus perfectionibus coęqualis vt vult Augustin⁹ in de cognitione verę vitę.prope finem cū inquit. Nihil aliud est filius vel verbum Dei, quàm cogitatio vel ars vel sapientia Dei. Nempe cum nos aliquam rem cogitamus, ipsius rei imaginem in cogitatione nostra formamus. Sic deus cum seipsum cogitauit, similem sui per omnia imaginem formauit, & ideò verbum vel imago Dei dicitur. Sed nihil aliud nisi eadem essentia exprimitur. Et supra. Certum est, quod mēs gignit cogitationem. Cum autem mens seipsam cogitat, quasi aliam sibi similem generat: Sic summus Deus cum seipsum talem, qualis est, cogitauit, proculdubio similem sibi per omnia imaginem genit. Et sicut gignens iure vocatur pater, ita rectissimè imago filius nominatur. Et infra. Nihil in rebus creatis ad integrum eius imaginem seruat, à quo nascitur, vbi declarat. Infert. Hic autem per omnia gignenti est simillimus & ideò verissimè filius non filia nominatur. Hæc ille.

S. S. quomodo à patre ℞ cedit. Sic pater volendo se, & verbum suū, & similiter verbum volendo se & patrem, quorum vna, eademque est voluntas, & essentia, & per hoc se amantes amore essentiali, qui secundum eundem vbi supra est idem omnibus modis essentiæ, producunt quendam fauorem, quo pater inhęret, & connectitur filio, & filius patri, & quem vt Rich. ait. Pater tanquam donum infinitum impendit filio, & filius rependit patri, & hic fauor est amor productus, & tantæ perfectionis, quantę pater est amabilis, similiter filius, & diuina essentia, quæ cum sit infinita, infinitè est amabilis, & per consequens infinitus, quia identificatur essentiæ, & amor essentiali infinitæ, solum ab ea differēs, quia productus. Ille autem amor essentialis, & illa diuina essentia nec productus, nec producta. Et quoniam hic amor notionalis, siue productus identificatur essentiæ, ideò viuus Deus omnipotens, & in omnibus perfectionibus, patri, & filio coęternus, & ęqualis non quidem ex formali ratione productionis qua producitur, vt donum, sed ex ratione suę perfectionis, propter quam producitur in eadem essentia. Audiamus & de hoc beati Augustini testimonium in libro præfato, vbi vice magistri respondit fratribus quærentibus. Quomodo spiritussanctus dicitur à patre, & filio procedere dicens. Nihil aliud spiritussanctus, quàm amor Dei intelligitur. Constat autem quia pater filium, vt seipsum diligit, & item filius patrem tanquam seipsum diligit. Vita namq; diligit se sapere, & iterum, sapientia diligit se viuere, vitæ autem, & sapientię probata est vna esse essentia, igitur dilectio, vel amor, vel charitas, quod est spiritussanctus in substantia patris, & filii coessentialis existit, & ideò ab vtroque æqualiter procedit. Et statim supra Dei viuere, intelligere, diligere, nihil aliud est quàm existere. Dilectio ergo Dei est vita, & vita est spiritus. Hæc ille. Hæc tertia persona in diuinis spiritussanctus dicitur, quasi communi nomine. Nam & pater spiritus est, & filius spiritus est, & vterque sanctus, vt sic denotetur esse communis amor, & nexus amborum. Quod sic declarat sanctus Bonauent. dist. 10. primi sententiarum. q. vlt. Nam hoc nomen spiritus à spirando, vel spiratione sumptum est. Actus autem spirationis in corpore, est actus internus, actus continuus, actus viuificus, habens originē à calore. Hęc autem omnia amori eō ueniunt. Amor enim venit ab intrinseco, quia actus est animæ. Et amor est actus viuificus, & sic viuificus vt homo non sit, qui non amet. Est etiam amor

Persona tertia in diuinis dicitur.

actus

actus continuus, & hic perfectus est, qui enim nunc amat, & postea non amat, non perfectè amauit, Est denique amor calor spiritualis. Vnde & à poetis ignis dictus est. Et quia spiritussanctus à patre, & filio procedit per modum amoris, & patuit. Amori autem omnes conditiones actus spirationis conueniunt, ideò in huius euidentiam tertia in trinitate persona propriè spiritus dicta est. Et non solum spiritus sed & spiritussanctus, ad insinuandū, quod hæc tertia persona non sit patris, & filij amor immundus, sed omnino mundus Duplex enim reperitur amor. Primus, qui purus est, & mundus, Alius, qui immundus est, atque libidinosus. Ad significandum ergo, quod illa tertia persona non est & patris, & filii amor immundus, imperfectus seu libidinosus, sed mundus, perfectus, atque castus, dicta est non solum spiritus, sed spiritussanctus. Vel quia tanquam ex nostro vsu loquendi, non habens nomen appropriatum retinet nomen commune. Verum nomen (spiritussanctus) vt dicit, spiritum diuinum spiratione productum, proprium est tertiæ personæ, & neque patri conuenit, quia productus non est, neo filio, quia & si productus est non tamen spiratione, sed generatione. Vnde non est spiratus à duobus spiratoribus, sed à solo patre genitus. Hæc breuiter sufficiant ad qualemcunque manuductionem cognoscēdi spiritumsanctum.

Personæ ... diuinis ... dicitur.

S.S. non est creatura. Hæresis Macedonii de. S.S.

Ex quo tamen multę veritates elici possunt, quas fortè vnius sermonis breuitas capere non valet. Prima veritas est Spiritussanctus non est creatura, contra Macedonium, quoniam spiritussanctus est essentia diuina, & amor essentialis secundum Augustinum vbi supra, & procedit tanquam amor, & donum adequatum principio productiuo infinito, sed omne infinitum necessariò est Deus. Infinitas enim creaturæ repugnat. Hinc 2. Cor. 3. Dominus spiritus est. Et Ioan. 6. Spiritus est qui viuificat, & ita de similibus proprietatibus diuinis ex scriptura colligi posset quæ conueniunt spirituisancto.

S.S. neque est pater neque filius Hæresis subbestii.

Secunda veritas. Spiritussanctus neque pater est, neq; filius, sed ab vtroque non essentialiter, sed personaliter distinctus, contra Sabellium. Non pater, quia productus. Non filius, quia nō genitus, sed per modum doni liberè productus De hoc 1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cęlo, pater, verbum, & spiritussanctus, & hi tres vnum sūt. Vna scilicet essentia diuina, non vna persona.

S.S. producitur à patre & filio.

Tertia veritas. Spiritussanctus producitur à patre, & filio simul. Non à solo patre, nec tanquam à diuersis, sed tanquam ab vno principio, contra errorem grecorum dicentium spiritumsanctum à solo patre procedere. Hæc veritas est chatolicæ fidei. Et potest breuiter sic ostendi. In instanti generationis pater communicat omnem perfectionem filio, & sic infinitam voluntatem, quæ est principium producēdi spiritum sanctum. Cū aūt illa voluntas sit infinita, impediri non potest. Nec in instanti productionis filii intelligitur iā productus à patre spiritussanctus, cum filius sit prior origine spiritusancto, licet nō tempore, aut duratione, hoc est, filius est genitus à patre, cum quo producit spiritumsanctum. Exemplum rude poni posset. Si enim duo ignes haberent eandem vim calefaciendi, simul eundem calorem producerent in obiectum approximatum. Sic pater communicat voluntatem suam vt perfectum principium spirandi spiritumsanctum, prius origine, quam producatur spiritussanctus. Ideò sicut pater ita filius eadem voluntate spirant spiritumsanctū.

Quarta veritas, In diuinis sunt solum tres personę. Vna producens, & nō producta. s. pater. Producens, & producta, quæ est filius. Producta & non producens, quæ est spiritussanctus. Quinta veritas, Nulla est alia maior, dignior prior tempore, aut duratione, quia eadem est omnium perfectio, & coęternitas, ac consubstantialitas. Sexta veritas. Non dispar cultus adoratio, aut honor, sed idem debetur omnibus per-

sonis diuinis. Hęc de processione ęterna spiritussancti ad intra balbutiendo dicta sufficiant, quæ & si non intelligimus,non minus credamus, dicentes cū Hila .12. de trinitate , iuxta finem libri . Ante tempora vnigenitus tuus,ex te manet natus . Ex te per eum spiritus sanctus tuus est . Quod si sensu non percipiam, non tamen teneo conscientia . In spiritualibus enim tuis rebus hebes sum. Conserua hanc oro , fidei meæ religionem incontaminatam, vt quod in regenerationis meę symbolo professus sum : semper obtineam patrem.s.te nostrum , & filium tuum vna tecum adorem,&sanctum spiritum tuū qui ex te per vnigenitum tuum est, promerear . Hęc sunt Hila. hincinde iuxta finem libri 12.de trinitate Quē spiritum nobis insundat idem pater cum filio, & spiritusancto in secula benedictus : Amen .

*SECVNDA PARS Secundi sermonis de festo Pentecost. in ordine Sermo. XXXV.*

SPIRITV oris eius omnis virtus eorum,vbi supra.

Dei dilectio erga nos.

Sapiens architectus opus à se inchoatum non deserit , donec ad perfectum illud deducat.Summus itaque artifex & rerum omnium opifex Deus pater omnipotens filium suum vnigenitum ad hoc misit in mundum, vt qui prius eramus filij ire adoptionem filiorum Dei acciperemus.Gala.4.& Io. 1.Dedit eis potestatem filios Dei fieri his,qui credunt in nomine eius. Hæc fides , vt vniuersis prædicaretur , idem Dei filius iam dispensationis suæ mysteria consummaturus per passionem, triumphalem resurrectionem , gloriosamq; ascensionem, Apostolis suis iussionem ineuitabilem imposuit , quatenus euangelium veritatis, quod ipse in patriis Galileæ , & iudeæ partibus prędicauerat, toti mundo nunciarent . In omnem quoque terram sonus eorum exiret,& in fines orbis terræ verba eorum . Vnde Act. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem,& in omni iudea, & samaria, vsq; ad vltimum terræ, vt sic ex vniuersis iudeis , & gentibus in vnitatem fidei conuenientibus vna constitueretur ecclesia Christi sponsa . Ad huius autem commissionis magnæ efficacem executionem , & moriturus atque post resurrectionem ascensurus, frequenter spiritumsanctum promisit , qui consolaretur pusillos, erudiret ignaros , omni virtute roboraret infirmos.Vnde Io. 14. Non relinquam vos orphanos , sed rogabo patrem , & alium paracletum dabit vobis,quo ad primum.Item cap. 16. Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, quo ad secundum . Et quo ad tertium Lucæ. 14 Ego mittam promissum patris in vos,vos autem sedete in ciuitate,donec induamini virtute exalto . Omnes has promissiones hodierna die impleuit , dum sedens ad dexteram patris , victor gloriosus seruulis suis dona largitus est cęlestia.s. spiritumsanctum diuinę virtutis magistrum . Siquidem teste Psal. Spiritum oris eius omnis virtus eorum,psal.32.Pro gratia Aue Ma.

Hesterno sermone aliquid pro nostra humilitate locuti sumus pro articulo primo sermonis huius , quomodo intelligenda sit , & concipienda tertia persona in diuinis, quæ spiritussanctus dicitur & est . Ex quo , & aliis tunc,& nunc dictis colligi potest, duplicem esse spiritussancti processionem secundum magistrum dist 14. primi.Vna est æterna de patre,& filio, quæ ita spiritui sancto præstat essentiam sine vllo temporis initio,& sine vlla naturę mutabilitate , sicut filio pręstat essentiam sine temporis initio,& sine naturę mutabilitate , æterna generatio de patre , vt ait Aug.de trini. De hac aliquid heri balbutiendo locuti sumus . Alia est temporalis, quæ communi vocabulo missio nominatur, quę ad sanctificandum creaturam mittitur ex tempore à patre , & filio immo, & à seipso,vt ait

S.S.duplex processio

Aug.

Aug. dist. 15. de trini. & Magister dist. 15. de qua nunc dicendum.

S.S. missio est duplex.

Hæc duplex est. Quædam visibilis. Quędam inuisibilis. Missio spiritussancti visibilis est apparitio alicuius rei corporalis circa creaturam rationalem, missionem inuisibilem spiritussancti creaturæ factam repræsentans. Sicut baptizato domino in Iordane visa est columbę species descendere super eum: vt dicitur Matt. 3. ad significandum in Christo homine habitare spiritũsanctũ. Hoc ergo signo spiritussanctus dicitur visibiliter missus, nõ quia spiritussanctus in se visibilis sit, sed quia aliqua creatura visibilis apparẽs, spiritumsanctum alicui missum repræsentat, vt vult Leo papa in ser. huius festi, qui incipit. Hodiernam solemnitatem. Multum quippe dissimiliter se habuit spiritussanctus ad creaturas, in quibus visibiliter mitti dicebatur, & filius ad naturam humanam. Filius nanque humanam naturam, in qua visibilis apparuit vnitatem suppositi assumpsit. Vnde verum erat dicere Filius in diuinis est homo, sicut Ioan. ait. Verbum caro factum est. Naturam quoq; humanam assumptam beatificauit. Per sona autem spiritussancti non assumpsit ad vnionem personalem columbã, flatum, nubem, aut ignem, & ideò nec columba, nec nubes dici potuit, neque tales naturas sanctificauit, aut beatificauit, vt vult Aug. 2. de tri. Creaturæ itáq; illę nulla speciali vnione fuerunt spirituisancto vnitę, sed duntaxat ad hoc specialiter à Deo ordinatę, vt spiritumsanctum inuisibiliter illos inhabitare, eisque donatum fore, circa quos apparuerunt, repræsentarent, quare nec adorandę, si adhuc in terris essent.

S.S. duplex processio.

S.S. Cur sub creaturis.

Nec tamen huiusmodi creaturę apparitio significat missionem inuisibilẽ spiritussancti tunc primo fieri: quando huiusmodi creaturę apparent, sed significant vel tunc missionem inuisibilem esse vel factam fuisse & adhuc permanere. Non enim cum columba super Christum apparuit in baptismate, tunc ei spiritussanctus mittebatur, aut habita gratia augmentata est quam in conceptionis instanti receperat, sed totam animæ suę capacitatem. Sed nec hodierna die Apostoli primo, aut spiritũ, sanctum, aut gratiam receperunt, quibus ante ascensionem dominus dixit. accipite spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Io. 20. quámuis hodie habita gratia non modicè fuerint augmentata, secundum Leo. in sermone festiuitatis præsentis, qui incipit Plenissimè quidem.

Tali missione visibili hodierna spiritussanctus datus est discipulis in ciuitate virtute ex alto secundum promissionem acceptam expectantibus Post immolationem nanque paschalis agni Christi domini, eiusq; resurrectionis victoriosę, illuscente die quinquagesima, quæ est dies hodierna, vt Act. historia refert cap. 2. Cum omnes pariter essent in eodem loco, factus est repente de cęlo sonus tanquàm aduenientis spiritus vehementis, repleuitque totam domum, vbi erant sedentes, insolita scilicet claritate secundum Lyram. Apparueruntq; illis dispertitę linguæ tanquàm ignis, seditq; supra singulos eorum spiritusancto scilicet in figura linguarum supra singulorum capita apparente. Et repleti sunt omnes spiritusancto. Int[us] in cordib[us] inuisibiliter, vnde cęperunt loqui variis linguis, prout spiritussanctus da. eloqui illis

Pentecostes episcopus quid significet.

Ecce quã apertè initio gratię euangelicę respondet initium legis datæ, euangelii perfectionem significatę. Vt enim Exod. docet historia cap. 20. liberati de seruitute Ægyptiorum filij Israel pergentes per desertum, vt in terram promissionis venirent. Venientes ad montem sinai, quinquagesimo die immolationis paschalis agni descendit dominus in igne super montem, concomitante sonitu buccinæ, tonitruis, & fulgoribus, decalogum eis aperta voce disposuit: Ita immolato paschali agno Christo domino (Etenim pascha nostrum immolatus est Christus primo. Corinth. quinto. Qui sui sanguinis precio nos à peccatorũ seruitute re-

de-

demit, suæque resurrectionis exemplo nobis spem perpetuę libertatis ostendit) quinquagesima die ab eius resurrectione, hoc est, hodie spiritussanctus ad legis euangelicæ prædicationem similibus in signis visibiliter Apostolis missus est, non quod sicut figura à veritatis significatę deficit perfectione, ita ea quę in legis datione ostensa sunt signa à donis datis hodie Apostolis.

Apparuit quidem in monte ignis, scilicet fumans. Apparuit in cœnaculo ignis, sed lucens, quoniam Apostolorū pectora (vt ait Beda in homil. vigil. Pentecost.) spiritussanctus inuisibili luce scientiæ radiauit, & inextinguibili charitatis ardore succendit, ad intelligendam, & operandam altitudinem cęlestium præceptorum, quam ibi montis cacumen, & hic cenaculi altitudo indicat. Sed hic omnes, qui accipiebant spiritum, in cenaculo erant positi. Illic populus quidem omnis infra montem stabat, & pauci seniorum montis partem conscenderunt. Solus Moyses in ipsum verticem (vbi in igne, & caligine diuina maiestas præfulgebat) ascendit, quia nimirum altiora, & intima legis arcana, perfectiores carnalis istius populi capere solum, & seruare nouerāt, populus verò superficiei litteræ adhærebat. Adhuc enim velum oppansum erat, quod sanctasanctorum contegebat. Nunc autem data gratia spiritusancti ad intelligendum sublimius, simul & adimplendum perfectius sancti euangelii dicta, fidelium corda subleuantur, vtrobique sonitus ingens auditur, sed ibi ad terrendum, hic ad consolandum. Hinc populus ille timore attonitus, ait Moysi, Loquere nobis tu, non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. Ecce timor.

S. S. in igne qd sign. Apostoli verò accepta spiritussancti consolatione, ibant gaudentes à facie concilii, quia digni habiti sunt pro Cristi nomine contumeliam pati act. 5. Et isti auditis legalibus edictis vna voce responderunt, Omnia, quę locutus est dominus audiemus, & faciemus. Apostoli autem illustratione spiritus, omnium nationum linguis Dei magnalia loquebantur, ad designandum, quia legis obseruantia vni tantum iudeorū genti data sit. Verbum verò euangelii cunctis per orbem gentibus prædicandum Et cunctorum linguis populorū christianæ fidei essent præconia edicenda. Hæc Beda.

Et quod omnibus perfectius est, his signis Apostolis apparentibus spiritussanctus visibiliter missus, eorum corda & sanctificabat, & illuminabat, & inflāmabat, donorumque cœlestium plenitudinem contulit. In signis verò ve. te. etsi Dei præsentia significabatur ad legis approbationem, nequaquam tamen in eis spiritussanctus mittebatur visibiliter ad populi singularem perfectionem, quoniam neque circa populum signa, sed in monte apud maiestatem apparuere diuinam. Neque enim aliquando in ve. testa. legitur spiritussanctus (vt August. ait 4. de tri.) visibiliter missus. Neque decuit signum plenitudinis gratiæ exhiberi visibiliter ante tempus plenitudinis gratię, quod à Christi aduentu incepit, vt vult Apostolus ad Gal. 4. Christo verò adueniente, missus est spiritussanctus visibiliter Christo, & Apostolis. Christo non in instanti conceptionis, quo recepit spiritussancti plenitudinem, sed dum iam se manifestare 30. ętatis suę anno incępisset. Et Apostolis, dū statim mittendi erant ad salutem ministerialiter mundo offerendam. Cuius rationem assignat Durandus in suo primo dist. 16. Nam missio visibilis fit principaliter ad significandum gratiæ plenitudinem in eo, cui fit, & hoc secundum, quod potest in alios redundare Gratia Christi in cæteros redundabat tripliciter, effectiue principaliter, inquantum Deus. Sed sic ad eum non fit missio, sed magis sic mittit, meritoriè in quantum homo, & ministerialiter. Meritoriè redundabat in sacramentorum collationibus, quibus efficaciam meruit, ideò in baptismate, vbi tactu sanctissimæ suæ carnis aquis vim contulit regeneratiuam, vt dicit Beda. missus est ad eum spiritussan-

Gratia Christi tripliciter redūdabat.

sanctus in specie columbę, quod est animal fecundum. In sua prædicatione autem redundabat gratia ministerialiter, quia per eã hominum corda ad gratiã disponebantur. Ideò tunc missus fuit spiritussanctus in specie nubis lucidæ, cuius est lucem præceptam spargere, quomodo prædicatores doctrinam. Ab Apostolis autem gratia solum redundabat ministerialiter, & hoc vel per sacramentorum administrationem, vel verbi prædicationem. Propter primũ fuit missus ad eos spiritussanctus in specie flatus, quando dominus dicens, Accipite spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, commisit eis dispensationem sacramenti pęnitentiæ, quod est magis necessariũ sacramentum post baptismum &c. Flatus nihil est eius qui flat, vel spirat, & in sacramentorum collatione ministeriali, nihil ex ministri bonitate, vel malitia contrahit effectus sacramenti. Propter secundum missus est hodie in specie linguarum ignitarum, vt essent profluẽtibus, & feruidi charitate, atque ad suam, & aliorum salutem zelosi. Sic ergo patuit aliqualiter, quid sit, ad & quid fiat missio visibilis.

S.S. inuisibilis missio. Est etiam missio spiritussancti inuisibilis, ad quam repręsentandam, vt dictum est, visibilis missio ordinatur. Quia sicut ęternaliter à patre, & filio communiter procedit, ita etiam temporaliter ab vtroque mittitur, & procedit, cum ad sanctificandum rationalem creaturam à patre, & filio, & à seipso mittitur, ac deuotis mentibus quotidie datur, per specialem, ac inuisibilem vnionem, vt vult magister dist. 14. primi. Est quidem spiritussanctus, immo tota trinitas generaliter in omnibus creaturis (Incommutabiliter tamen in se existens) potentialiter, pręsentialiter & essentialiter, vt per Hieremiam dominus ait, Nunquid non cęlum, & terram ego impleo? eiusdem. 23. Et de spiritusancto Sap. 1. dicitur, Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Eius enim potentiæ omnia sunt subiecta. Omnia denique cognoscit, & indistanter sibi habet omnia pręsentia. Singulorum denique essentiis intimatur, vt nec ab extrinseco cuiuslibet rei aliquatenus distet, ergo in omnibus secundum potentiam, pręsentiam, & essentiam, vt latius tractat doctor angelicus dist. 37. primi.

S.S. est in omnibus spiritibus sanctis. Specialiter tamen & excellentiori modo est in sanctis spiritibus, & animabus, quas inhabitat per gratiam, hoc autem esse in animabus, non est aliud quàm eas per gratiam, quam confert, illapsu sanctificatiuo acceptare ad vitam, & in filios adoptare, & sic non est in his, qui gratia gratumfaciente carẽt, stante lege. Excellentissimè autem in Christo homine, in quo diuinitatis plenitudo habitat corporaliter. Col. 2. In eo enim est per gratiam non adoptionis, sed vnionis, vt habet magister dist. 37. primi. Licet ergo spiritussanctus sit in omnibus hominibus, non tamen omnes inhabitat, quia omnes per gratiam acceptat ad vitam. In his ergo, quos acceptat gratificando, dicitur habitare, & mentes eorundem ad Deum meritoriè eleuare. Dicitur etiam quandoque locutione vulgata esse in bonis, & non in malis ad hunc sensum, quia bonos acceptat per gratiam ad vitam, non sic malos. Et isto modo idẽ est dicere, Deũ esse in homine, & eum per gratiam acceptare. Sic dicitur venire ad aliquos, cum tamen sit vbique, quia aliquibus nunc confert gratiam, & per gratiam in filios adoptat, qui prius erant inimici, & non grati Deo. Et quantò maiora & plura in aliquo operatur bona, quàm in alio, tantò amplius, & plus in eo esse dicitur per gratiam suam. Plures autoritates ad hoc adduci possent, quas vide dist. 37. primi, Talis itaque gratiæ inuisibilis collatio, dicitur spiritussancti inuisibilis collatio, dicitur spiritussancti inuisibilis missio, & hominis per gratiam adoptatio: Eia charissimi, tam benignissimum hospitem colligere festinate, habitum retinete. Est enim dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in ęstu temperies, in fletu solatium, vt habetur in prosa. Et hęc de missione temporali, vtcunque di-

dicta sufficiant.

S.S. quo modo in feratur in donis &c.

Sed di. Quomodo spiritussanctus in se datur nedum in donis prius se non habenti, cum in se sit immutabilis. Nec alicubi esse possit, vbi prius non fuit, quia Deus est. Apud quem non est trāsmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Iac. 1. Ad hoc respondet doctor Angelicus, di. 13. & 18. primi Res dicitur alicui dari in se, cum in alterius dominium, vel quasi dominium transfertur, ita quod illa alius vti potest, vt libet ad agendum, hoc modo etiam mos habet hominum, vt alter alteri se dare dicat, cum ad hoc se offert, quod paratus est alterius parere voluntati, facietq; quecunque alter rationabiliter ab eo fieri optabit. Cum ergo spiritussanctus illapsu suo sanctificatiuo hominem per gratiam inhabitando, paratus est hominem iuuare in omni actione meritoria, & tandem eum in beatitudine sublimare, dicitur quodammodo voluntati hominis obtemperare. Stat enim ad ostium, & pulsat, si quis aperit, ingreditur. Et nunquam manum suam subtrahit. Sic ergo hominem acceptando per gratiam, & in actione meritoria, modo singulari eum iuuando, dicitur se homini dare. Possent ad hoc aliquo modo aptari exempla Iosue. 10. quando sol stetit in cęlo ad nutum hominis, ita vt nec antea, nec postea longior dies fuerit. Exo. 35. cum ait dominus Moysi, Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos &c.

Cum autem spiritussanctus sic sese homini dat veluti donum increatum semper infundit, etiam gratiam gratūfacientem donum creatum, quo anima ornatur, & in Dei sponsam adoptatur. De cuius effectibus vide ser. 2. de Circumcisione domini. De alijs verò donis, quæ spiritussanctus confert, vide in parte secunda primi sermonis de festo Pentecost. Item quomodo dona illa claruerunt, & patuerunt in Apostolis. Vide ser. 4. inferius de festo præsenti.

*PARS TERTIA SERmonis secūdi In festo Pente. Ser. XXXVI.*

S.S. Cor quomodo præparetur.

QVIA verò vt ex precedentibus & potissimum ex sermone tertio de festo præsenti statim post Aue patet, necessarium est homini adeo tam, quatenus cor suum præparet habitaculum spirituisancto. Nemo enim à Deo glorificabitur in patria, quem hic in via non inhabitat spiritussancti gratuita præsentia. Siquis enim spiritum Christi, qui est spiritussanctus nō habet (ait Apostolus Roma. 8.) hic non est eius, vt in sermone tertio post Aue latius patebit. Ideò expedit, immo summè necessarium est ad vitam consequendam scire, quomodo huiusmodi hospitioli præparatio fieri debeat. Et licet hoc elici posset ex verbis thematis præmissi, clarius tamen hoc edocet diei festi euangelium.

S.S. Capacē hominē faciunt quatuor.

Itaq; vt ex euangelio colligi potest. Ioan. 14. Quatuor faciunt hominem capacem spiritussancti .s. Dilectio Dei, quia est spiritus amoris, dulcis, & benignus. Sap. 1. Obseruatio verbi, quia est spiritus veritatis. Ioan. 14. Pacificatio cordis, quia est vinculum pacis. Vnde solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Eph. 4. Gaudium de perfectionibus diuinis, quia est spiritus paracletus tollens tristitiam, ingerens gaudium. De primis duobus ait dominus in euangelio, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Quo fructu? Sequitur, & pater meus diliget eū. & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus &c. Ecce diligendus est à nobis dominus cum mandatorū obseruatione, vt ad nos veniat pater, & filius, & mansionem in nobis faciat, haud dubium, quin spiritussanctus, de quo prius dixerat, Sic diligitis me, mādata mea serua. &c. Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum. Primum ergo est diligere Deum affectu cordis secundum

affectu operis, per mandatorum obseruationem. Affectu cordis diligimus Deum, dum dulci, ac benigno animo, mouemur ad Deum, congaudentes illi in suis perfectionibus,& complacentiam habentes in eis. Hic affectus mentis nostrę in Deum proximum, & immediata dispositio est ad infusioné spiritus S. vt vult doctor angelicus,& Scotus.

Amoris affectus quô acquiritur

Sed quomodo hunc amoris affectũ in nobis acquirere possumus, & per hoc aptari ad spiritussancti receptionem? Respondeo, duplici medio. Remouendo impedimenta, Adhibendo fomenta. Impedimentum huius amoris, & per consequens susceptionis spiritussancti est amor mundi. Nam & Christus dum spiritum veritatis suis discipulis promitteret, addidit, Quem mundus non potest accipere Ioan. 14. Mundus.i.mundi amatores. Vnde Beda in homil. vigil. festiuitatis huius. Quisquis consolationem foris in mundi rebus inquirit, hic diuinæ consolationis munere intus reformari non valet. Cum enim termini motus à quo,& ad quem sint contrarii 5. Phys. Motus autem recessus est à termino à quomodo, & accessus ad terminum ad quem. Termini verò in dispositione, & motu ad spiritum sanctum sunt mundus, & spiritussanctus,& hi contrarii,secundũ illud, Amicitia huius seculi, inimica est Dei, ideò qui vult esse amicus huius seculi, inimicus Dei constituitur. Iaco 4. & Ioan. in prima can. capit. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.i.spiritussanctus. Relinquendus est igitur mundus.i.amator mundi, vt in nobis sit amor Dei. Et quid dicimus de amore mundi, cum amor carnis seu carnalis præsentiæ Cristi, impedimentum fuit discipulis in receptione spiritussancti, teste domino, Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos quasi dicat. Nisi hanc carnalem dilectionem à vobis subtraxero, non eritis digni, vt paracletus veniat ad vos, quandiu enim de me carnaliter sentietis, non eritis digni, siue idonei, vt spiritumsanctum recipiatis. Hinc Bernard. Delicata est consolatio diuina, & non datur admittentibus alienam.

Homines in hac vita sunt in triplici differentia.

Dicis fortè, durus est hic sermo, si nemo saluatur sine inhabitante spiritu: nec spiritum recipere potest carnis, & præsentium amator, ergo nemo saluatur. Nam quis potest esse in mundo & mundialibus rebus non delectari? Immo nemo carnem suam vnquàm odio habuit, sed fouet, & nutrit, Ephes. 4. Ad huius replicę solutionem notandũ quod homines in hac vita sunt in triplici differentia. Quidam in mundo, & de mundo sunt. Quidam in mundo sunt, de mundo autem non sunt. Et hi duplices, vt infra dicitur. In mundo sunt omnes mortales, qui viuunt hac vita mortali. Sed de mundo sunt, qui secundum mundum viuunt.i. qui toto desyderio falsis, & perituris mundi bonis adherent, eisque acquirendis principaliter intendunt. Magnam, & primã curã pro terrenis,nullam pro cęlestib⁹ habent. Præsentia amant, futura contẽnunt. Carnis curam in desyderiis perficiunt, vitiis inseruiunt, virtutes negligunt. In mundo sunt, & non de mundo, qui in carne nõ secundũ carnem viuunt, sed quorum vita ratione regitur, virtutibus ornatur. In quibus mundi concupiscentiæ per gratiam superantur. Hanc differentiam innuit domin⁹ Io. 17. dicens, discipulos suos esse in mũdo, sed non de mundo. Et ideò non rogat patrẽ, vt tollat eos de mundo, ita vt non sint in mundo, sed vt seruet eos à malo.i.peccatis, & illecebris, quibus tenentur, qui sunt de mundo. Hi autem, qui in mundo sunt, & non de mundo, sunt duplices. Quidam mundo, in quo sunt, vtuntur, licet sint quasi non vtentes, vt loquitur Apostolus 1. Co. 7. Qui ita habet temporalia, vt non habeatur ab eis, quibus presentia tẽporalia sunt in vsu, ęterna in desyderio. Tertij quidem in mundo sunt, qui in carnẽ viuũt sed mundũ cũ suis concupiscentijs penitus reliquerunt, puri, & nudi Christũ sequuntur, abdicãt diuitias, voluptatibus renunciant, sub arcta obedietia p-

pte

pter Deum se constringunt, quales sunt perfecti. De quibus veritas ait: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ possi. & da pauperibus, & sequere me. Matth. 19. Primi spiritum sanctum habitatorem habere non possunt, dicente domino: Spiritum veritatis mũdus non potest accipere. Mundus idest amore mundi implexus. Ab illo nos re uocat. Ioan. di. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo. Quare? quia qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. Et quid intelligat per mundum, & per ea, quæ in mundo sunt, statim exponit dicens: Omne, quod est in mundo, aut est superbia vitę, aut concupiscentia oculorum &c. Et alibi: Totus mundus in maligno idest malo igne positus est. Per mondum ergo intelligit vitia mundi.i. hominum secundum mundum viuentium. Secundi spiritum sanctum habent inhabitatorem, quantum ad necessaria salutis, quomodo eum apostoli habuerunt adhuc carnales ante ascensionem, & resurrectioné domini. Quomodo etiam hunc habent omnes electi. Vnde 1. Cor. 3. Nescitis quia templum Dei sanctum est, quod estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis. Tertii habent spiritum sanctum non solũ quantum ad necessaria ad salutem, sed ad singularem consolationem, & familiarem dilectionem, & gratiæ plenitudinem. Sic hodie acceperunt apostoli, & cęteri fideles, eorum exemplo omnia relinquentes. Et per hoc patet solutio replicæ. Quoniam etsi quęlibet cõsolatio mundi impedit consolationem spiritus secundum plenitudinem solũ, tamen illa, quæ quæritur contra præceptum Dei, repellit spiritum sanctum quantum ad necessaria salutis

Homines mundo ligati sed nõ victi qui sint.

Nunc ergo qui mundo alligati, sed non victi sunt à mundo, quia nondum possunt recipere quantum ad gratiã, & & plenitudinem consolationis vt hũc recipiant quantum ad necessitatem salutis imitentur apostolum. 1. Cor. 7. dicentem: Qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Et qui flent, tanquã non flentes. Et qui gaudent, tanquam non gaudentes. Et qui vtuntur hoc mũdo, tanquam non vtantur. Præterit.n. figura mundi huius. Quæ exponens beatus Grego. homil. 36. siue dominica 2. post Penteco. dicit Vxorem habet, quasi non habeat, qui sic studet placere coniugi, vt non displiceat creatori, flet, sed tanquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris animum semper consoletur. Gaudet, tanquam non gaudeat, qui sic temporalibus bonis bilarescit, vt tamen semper perpetua tormenta consyderet. Et hoc, quod mentem gaudio subleuat, hanc continuò pondere prouidi timoris præmat. Emit autem quasi non possidens, qui & ad vsum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione præuidet, q hæc statim relinquat. Mundo quoq; vtitur, sed quasi non vtatur, qui necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hęc eadem non sinit suæ menti dominari, vt subiecta foris seruiant, & nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Si sic terrena omnia non ad desyderium, sed ad vsum assint, vt rebus necessariis vtantur, sed nihil cum peccato habere cupiant. De ipsis quoque habitis quotidie mercedes quærant, & plus gaudeãt de bono opere, quam bona possessione. Sic mundo vtentes & corpus suum nutrientes, à spiritussancti præsentia nullatenus excluduntur.

Amor Dei quibus fomentis acquiritur.

Fomenta verò, quibus amor Dei acquiritur, sunt iuges, & deuotę meditationes diuinorum beneficiorum, exhibitorũ, & promissorum: per has ad diuinæ bonitatis ardorem deuenimus. Bonitas enim rei intrinseca, non aliter nobis, quam per opera ab ea procedentia innotescit.

Ex his autem attentis meditationibus exardescit ignis diuini amoris, teste propheta. In meditatione mea exardescet ignis. Haud dubium quin amoris. Et primò quidem amoris mercenarii siue concupiscentiæ gignitur ex huiusmodi meditatione beneficiorum, qua propter benefi-

beneficia nobis exhibita diligitur De⁹ ac deinde ex meditatione diuinæ boni tatis, qua in se Deus essentialiter bonus est oritur dilectio filialis, seu amor amicitiæ, quæ est immediata dispositio ad infusionem spiritussancti.

Et licet bona nobis à Deo collata innumerabilia sint, quonia ab ipso sunt omnia bona, siquidem nulla bona à Deo non collata cogitari possunt. Ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Rom. 11 Ipse principium, & finis totius boni, qui aperit manum, & implet omnia bonitate. psal. 103. tamen pro faciliori memoria diuinorum beneficiorum, possunt ipsa in genere reduci ad quendam numerum, siue membra. Sūt ergo diuina dona, & beneficia nobis celitus collata, duplicia scilicet increata, & creata. Creata sunt multiplicia .s. naturæ, fortunę, gratiæ, & gloriæ. Naturæ inquam corporis, & animę, in quibus notanda est superexcellentia donorum Dei super dona hominum in magnitudine, multitudine, perfectione, necessitate, & singularitate. Nullum enim donum maius cœlo, & elementis. Omnia deniq; creata, & increata Dei sunt. Et infusa nobiliora sunt acquisitis. Dei etiam dona plus necessaria sūt & quædam à solo Deo haberi possunt, vt aer, aqua, sine quibus nec homo esse nec bene esse potest, ita de aliis elementis. Gratia etiam ad salutem necessaria à solo Deo est. Item Dei dona nullo precio comparari, vel appreciari possunt, secus de donis hominum. Bona increata sunt pater, filius, & spiritussanctus. Non suffecit Deo omnia creata nobis dare, nisi & seipsum daret. Pater se nobis dat in præmium, filius in precium, spiritussanctus in pignus certissimum. Hęc omnia testantur, quoniam nobis bonus, & optimus est Deus, & ideò meritò saltem amore mercenario, & concupiscentiæ à nobis diligendus. Sed si causa attenditur nulla ex nobis inuenitur Quid enim apud Deum mereri potuimus prius, quam essemus, vt produceret nos, qui futuri sibi (qui solus sufficiens) nihil aducere potuimus? Sed quid mereri potuimus dum creati, rebellantes inimici, & totius misericordiæ, & bonitatis indigni pęnas soluere debuimus? Sola ergo causa tantorum beneficiorum intrinseca, & essentialis, bonitas est Dei, qui nullis nostris meritis prior dilexit nos, teste euangelio hodierno. Sic De⁹ dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret &c. Huius autem amoris, ex sola essentiali, & intrinseca Dei bonitate procedentis, diligens meditatio excitat in nobis dilectionem amicitiæ, qua eum propter seipsum (quia bonus est) diligimus qua dilectione eā quam principalissima dispositione in nobis existente, sine mora spiritussanctus illabitur. Non enim potest hæc dilectio stare sine spiritu sancto, cum sic dispositio sufficiens, & immediata. Nō enim æstimandi sunt homines, sed lapides adamante duriores, quos tantotum memoria beneficiorum ad diligendum Deum non emollit. Hinc Bern. ser. 2. de Pentecost. post recitationem beneficiorum Dei. O duri, & indurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro tam vilibus sarciculis tam præciosas merces expendit.

Beneficia diuina sunt duplicia

Amor Dei quibus fomentis acquiritur.

Ex illo amore summi boni fluunt cetera, ad spiritussancti susceptionem dispositiua scilicet obseruatio sermonis Dei. Nam & hæc obseruatio est amor effectiuus, sine quo amor affectiuus nō est verus, neque enim perfectè, & efficaciter vult Deum omnibus dominari, qui non vult Deo omnia seruire, & subesse, sed non vult omnia subesse Deo, qui per mandatorum eius contemptū vult ipsi obtemperare. Hinc quasi consequens necessariò infert dominus obseruantiam sui sermonis, hoc est mandatorum ad amorem sui di. Si quis diligit me &c. sermonem meum seruabit. & in eodem cap. (quasi nihil intersit inter diligere Deum, & mandata seruare) ait. Qui habet mandata mea in in memoria, & seruat ea in opere, hoc est, qui diligit me. Et 1. Ioan. quinto.

Amore summi boni fluunt cętera.

Hæc est inquit, charitas, vt mandata eius custodiamus, Et B.Greg. Charitas ociosa non est, operatur magna, si est, si autem operari renuit, charitas non est.

Pax cordis ex amore dei. Ex eodem amore etiam sequitur pax cordis, pax interna, licet non externa huius mundi, quam neque dat, neq; exigit spiritussanctus. Hinc cum dominus dixerat in euangelio, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis statim addidit, Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Est enim pax exterior, quam mundus dat, nihil aliud nisi quies exterior, qua quis sine molestia vtitur bonis temporalibus mundi, quam frequẽter concomitatur multiplicatio peccatorum, secundum illud Deute. 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit Et illud psal. Pacem peccatorum videns. Hanc pacem aufert Deus à suis dilectoribus, ac per multas tribulationes introducit in regnum cęlorum. Act. 14. Hinc 2. Timot. 3. Omnes, qui pie viuere volunt in Christo, persecutionem patiuntur. Pax autem cordis siue conscientię consistit in tribus, quę in ipso homine debent ordinari: vt. s. primo intellectus non non obscuretur errore. Secundò voluntas ab intellectu non diffideat sua liberalitate. Tertiò sensualitas non obruat arbitrium sua passione. Quartò inordinata obedientia ad Deum per amoris indissolubilis vinculum. Quintò inordinata affectione ad proximum per charitatis consortium. Et secundum hanc diffinit pacem Aug. in verbis domini. Pax est serenitas mentis, simplicitas cordis, tranquillitas animi, amoris vinculum, consortium charitatis, referendo suo ordine clausulas ad quinq; prædicta In corde igitur, quod diuina dilectione eleuatur, ratio non errat, passio non vincit, animus Deo subiicitur, & concordia ad proximum cõseruatur, immo secundum Aug. 19. de ciui. Dei. cap. 14. omnis pax hominis bona in dilectione Dei fundatur. Consequitur itaque dilectionem Dei pax bona, secundum illud prophetę, Pax multa diligentibus legem tuam. psal. 118. Quam in suo habitaculo requirit spiritus sanctus, secundum illud Esa. vlt. Super quẽ requiescit spiritus meus? Super humilem, & quietum, hoc est pacificum. Ex eodem amore Dei sequitur gaudium de perfectionibus diuinis. Nã qui amat, bene vult, quem amat. Cum autem impletur volitum, sequitur delectatio mentis, quæ est gaudium. Ad huiusmodi gaudium frequẽter nos scriptura hortatur dicens. Lętamini in domino, gaudete in domino semper. &c. Hęc quatuor, quę ex diei festi euangelio colligi possunt, disponunt hominẽ ad dignam spiritussancti receptionem, & ad præparandum sibi habitaculum, in quo manere placet per illapsum sanctificatiuum &c. Hic sermo vltimus, seu pars vltima sermonis huius correspondet euangelio diei Pentecostes, quod si prædicare placet; potest hic sermo adaptari, vt iacet ad diem festum.

## De eodem Sermo. III. in ordine. XXXVII.

APPARVERVNT illis dispertitę linguę tanquam ignis. Act. 2.

Dies nobis fratres grauissimus illuxit, quo sancta solemnitas fidelium fulget aspectibus, ferueat nunc in cordibus. Celebramus quippe diem istum, quem spiritussanctus nouis muneribus consecrauit, quæ quoniam eidem spiritui sancto dedicatur, nulli omnino festiuitati secunda habetur. Quis enim hodiernam celebritatem vel patris, aut filii festis postponeret, nisi qui cum impiissimo Macedonio hęretico spiritum sanctum putaret esse inferioris naturę: & non firmissimè crederet, & catholicè profiteretur spiritumsanctum patris, & filii esse, non sicut quęcunque creatura, quæ patris, & filii est, sed sicut in vtroque viuens, & potens, & sempiternè, ex eo quod est pater, filiusq; subsistens, nõ attendens horribilem comminationem filii dicentis Matt. 12. Quicunque dixerit verbum contra filium ho. remitte-

Festum Pent. ex tolliẽ cęteris festis diui narũ personarũ.

Heresis Macedonii de S.S.

sit ei. Qui autem dixerit verbum cō tra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Permanens nanq; in hac impietate sine venia est, ait Leo sermone huius festi, qui incipit. Hodiernam solemnitatem, quia excludit à se eum, per quem poterat remissionem consequi peccatorum. Nos verò qui cum sancta matre ecclesia eodem spiritu edocti, cō fitemur beatisimā Trinitatē esse vnū Deū, atq; in tribus personis, nec substā tiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis vllam esse diuersitatem, nihil dissimile, nihil impar, sed omnia, quę de illa possunt substantia cogitari nec virtute, nec gloria, nec æternitate fore discreta, magnitudinem festi, ac solemnitatē diei præsentis non ignoramus, in quo idem spiritussanctus sine initio à patre, & filio in diuinę naturę identitate verus Deus procedens, & ab initio humanæ creaturę sanctificandis patribus, & prophetis, cunctisque electis inuisibiliter missus, visibiliter hodie missus discipulis, euidentius, generalius, atq; copiosius est illapsus, sicut ait Bern. ser. 2. de hac festiuitate. Spiritussanctus procedens à patre largiore munere suæ maiestatis in apostolos superuenit, & tribuit eis charismatum dona dum in eodem cęnaculo congregatis, apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. De quibus vt sermo detur ignitus, dicamus. Veni sancte. Aue Maria.

S.S. missionis solemnitas & consumatio omnium festiuitatum.

Hodiernam solemnitatem missionis sancti spiritus ad rationalis creaturæ sanctificationem nemo paruipendat fidelis. Ipsa enim quasi consummatio, siue perfectio est omnium aliarum festiuitatum. Nam in receptione summi huius doni tota nostra salus perficitur & consistit. Hinc ait apostolus ad Ro. 8. Si quis spiritum Christi non habet hic non est eius. Quod si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum in vobis. Quicunq; enim spiritu Dei agūtur, hi filii Dei sunt. Ad hoc quoq; cętera omnia per Christum nobis impēsa ordinata sunt, vt spiritu inhabitāte sanctificaremur, sicut ait apostolus 1. Thes. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Ad hoc Christus saluator noster descēdit, laborauit vsq; ad cōsummationē crucis, vt affixis cruci peccatis nostris purgaremur, sicq; digna sancti spiritus habitatio efficeremur. Ideò rursus ad cœlos ascendit, vt dispositis habitaculis, inde mitteret spiritum sanctum, sicut ipse ait. Si abiero ad patrem, mittam paracletum ad vos. Ioann. 16. Nec prodesset nobis vniuersis Christi labor, & actio in assumpta carne exhibita, nisi inhabitante spiritu viuificaremur. Hic ait Ioan. 16. Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam scilicet sine spiritu. Ipse enim sua inhabitatione vniuersa confert commoda, ac necessaria ad salutem. Nam declinare nos à malo ipse facit, sicut dominus dum loqueretur de spiritu, quem erant accepturi credentes in eum, ait Ioan 16. Ille arguet mundum de peccato .i. mundanam mentem. Nec solum arguet, sed & lachrymarum flumina pęnitentibus, quibus abluantur peccata, ipse tribuit sicut dicit apostolus. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus .i. postulare nos facit, secundum glo. Roma. 8. Sed & peccata ipse remittit. Hinc cum discipulis data esset potestas soluēdi, audierunt. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis &c. vt clarè ostenderetur, cuius virtute soluerent, & ligarent. Ipse est, qui carnaliter natum, ac conuersatum regenerat ad salutem, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, nō potest introire regnū Dei. Ioa. 3. quia caro, & sang. reg. Dei possidere nō possunt. 1. Cor. 15. Quod verò natū est ex carne, caro est, & quod natū est ex spiritu, spiritus est. Io. 3. Ipse deniq; facit operari bonum, quia adiuuat Ifirmitatē nrām multiplici iuvamine, sicut in psa, & hymnis ecclesia

multipliciter decātat. Et vt paucis multa concludā, quicquid virtutis est quicquid beneficii, quicquid gratiæ cuiuslibet gratis datę, siue gratum facientis, aut horū quodlibet non nisi per hunc spiritū datur nobis. Propter quod apostolus 1. Cor. 12. Diuisiones inquit, gratiarū sunt, vnus aūt spiritus. Et sequit. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alii quidem per spiritū datur sermo scientiæ, alii sermo sapientiæ secūdū eundē spiritū; alteri fides, in eodē spiritu, alii gratia sanitatū in vno spiritu, alteri operatio virtutum, alii genera linguarū, alii prophetia, alii discretio spirituū, alii interpretatio sermonum. Hęc autē omnia operatur, & cooperatur vnus, atq; idē spiritus, diuidens singulis prout vult.

Spiritus solus est qui ad salutē suffi cit.

Solus ergo spirit⁹ est qui sufficit ad salutē ēt sine aliis, q̄m ipso in habitante præstat omnia abunde, sine quo vniuersa nō sufficiūt, q̄m ipse est pign⁹ hæreditatis nostræ Eph. 1. Exēpli cā. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu &c. vt sup. dic. est Verū est, si aqua pōt haberi, quæ si absit, sufficit baptizari in spiritu sancto, in quo nisi quis baptizetur, nihil sufficit baptismus aquæ ad salutē. Sicut manifestū est de baptismo Ioan. qui corpora lauit, sed animā non mundauit, vt docet apostol⁹ Actu. 19. & magister 4. sent. dist. 2. Et sic de aliis sacramentis, in quib⁹ omnibus spiritussanctus operatur, qui etiā sine eis sā ctificat, sine spiritu autē sacramēta nūquā. Cū autē dico, solū spiritū nobis sufficere, aut solū spiritū salutē nobis pręstare, & gratiā, nō intelligēdū est quasi pater, & filius excludantur, q̄m quorū vna est substantia, & voluntas et operatio est indiuisa. Deniq; nihil sine patre & filio operatur ī nobis spiritussanct⁹ à quibus per æternā processionē accepit, vt operetur. Sic iterū pater est in filio, & filius in patre p circūincessionē vt habetur Ioa. 14. ita & spiritussanctus est in patre & filio, & pater, & fili⁹ in spiritu sancto. Licet deniq; se ipsū dat spiritus eius ei, cui illabitur, nihilo min⁹ tñ datur, atq; mittitur, & visibiliter, & inuisibiliter à patre, & filio, nec q; venit sine patre, & filio, sed veniēte spiritu sancto, simul tota trinitas illabitur, vt habetur ex euang. hodierno. Quæ cū ita sint, cur omnis gratiosa, & salutifera operatio attribuitur spirisancto, in sermone primo tangitur.

S. S. in linguis igneis cur.

Idcirco modo his dimissis, videam⁹ quid sibi vult ignis, quid linguæ in quibus visibiliter spiritū sanctū Lucas refert missum. Quoniā etsi cętera vniuersa plena sunt sacramentis, non tñ explicare poterit sermo breuis. Referente igitur Luca: Dū cōplerentur dies Pentecostes, hodierna .s. die .l. à resurrectione, ac decima à dominica ascensionis, congregatis omnibus in cenaculo discipulis secundū mādatū dñi ascendentis. Vos inquit, sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Luc. vlt. Factus est repente de cœlo sonus tāquā aduenientis spiritus. i. venti vehementis, & repleuit totā domū vbi erāt sedentes in solita .s. claritate, vt dicit Lyra Et apparuerūt illis dispertitę linguæ tanquā ignis, seditq; supra singulos eorū ignis ille, linguarū figurā hñs. Et repleti sunt oēs spiritu sancto, & cœperunt loqui prout spiritussanctus dabat eloqui illis. Facta autē hac voce tā sonitus, quā laudis apostolorū, conuenere viri religiosi iudæi, qui de diuersis nationibus, (quorū aliquas enumerat Lucas) ad quas parentes eorū ducti, translati, ac venditi fuerāt, in captiuitatibus regū Salmanasar, Nabuchodonosor, & Antiochi, nec quantū ad habitationē redierūt in iudæam. Nunc aūt festiuitatis gratia confluxerant in Hierusalē. Stupebantq; mirantes: q̄m audiuit vnusquisq; lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Exponētibus aūt discipulis q̄m spiritussancti esset gratia, quā cernebāt, olim quidē voce prophetarū ꝓmissa, tūc autē ex munere missā crediderunt ex eis tria milia virorū, & baptizati acceperunt & ipsi spiritussā cti donū. Hæc est diei huius annua celebritas. Hæc gratiæ cœlestis semper grata festiuitas. In linguis itaq; igneis corporalibus oculis apparentibus supra

pra capita singulorũ missus est spiritus sanctus visibiliter, nõ quod linguę illę fuerint spiritussanctus, aut spiritui sancto speciali vnione vnitę, sed signa fuerunt corporalia ad hoc apparẽtia, vt ostẽderent spiritũ sanctũ inuisibiliter illis illapsum apud quos ipsa visibiliter apparuerunt, vt vult Aug. 2. de trini. ca. 8. & Magister di. 16. primi. Hoc est visibiliter mitti alicui spiritũ sanctũ aliquibus corporalibus, siue sensibilibus signis circa creaturã rationalẽ apparentibus, repræsentare præsentiã spiritussancti eãdẽ creaturã sanctificatiuẽ inhabitãtis.

S. S. præsentiam quõ per signa sensibilia repræsentãtur.

Sed di. forte, quomodo sensibilia signa põt repræsentare põtiã spiritussancti inuisibilis, ac nullo sensu pceptibilis, cũ repræsentatio om̃is fiat ratione alicuius similitudinis, sed inter sensibile, & insensibile nulla omnino cadit similitudo? Sed ad hoc planè dicitur quod inter sensibilia, & insẽsibilia nõ deficit similitudo proportionis, qm̃ reperitur aliqua similitudo, vel conformitas in spiritualibus ad seipsa, vel ad suos effectus, aut proprietates spirituales, qualis est rerũ corporaliũ ad se vel suos effectus, vel proprietates corporales, secundũ quẽ modũ sacra visibilia dicunt formæ, vel similitudines gratiæ inuisibilis, secũdũ b. Aug. 14 de ciui. Dei c. 4. Ignis aũt materialis iõ spiritũ sanctũ significat, qa amorẽ similitudine multiplici repræsentat, pp quod amor frequẽter in scriptura ignis dicit: Quo vri propheta expostulabat di. Vre renes meos & cor meũ do. psal. 25. Et ab amore feruidissimo suprem9 angelorũ chorus seraphin, q ardẽs interpretat, nomen habet. Et omnes angeli lapides dicuntur igniti. Cuius proprietates euoluere ad instar ignis sermonis breuitas non admittit. Amor aũt spiritussanctus est & excellentissimum spiritussancti donũ. Amor increatus ipse spiritussanctus ẽ, nõ solũ essentialiter quõ, & pr̃ est amor & fili9 ẽ amor, sed notionaliter i. amor spiratus. Cui etiã amor essentialiter appropriatur, eo quod à patre, & filio procedit p modũ volũtatis, siue amoris. Deniq; pr̃, & fili9 diligere se dicuntur spiritu sancto, vt tradit Aug. 6. de trin. & recitat Magister dist. 32. qa amando se amore essẽtiali spirat sanctũ spiritũ tã quã amoris donũ infinitũ patri, & filio p omnia coæquale, quod pr̃ impendit filio & filius repẽdit patri, vt dicit Rich. in suo de trin. Et ob idẽ nexus dicitur, & cõmunio vtriusq; patris .s. & filii dilecti, & redilecti p modũ doni vnientis. Et quia multiplici ratione spiritussanctus amor ẽ increat9, iõ igne, q amoris est repræsentatiu9, significatur & ignis dicit teste saluatore Luc. 12. Ignẽ veni mittere in terrã. i. spm̃ sc̃tm̃ secũdũ glo. Amor deniq; creatus ipsa charitas .s. donũ spiritussancti p appropriationẽ, donũ tale, à quo nunquã separatur. Nũquã .n. charitatẽ infundit menti rationali quin seipsum donet. Nec aliquando illabit absq; dono charitatis. Quoniã & si in omnibus cęteris donis diuisiones gratiarũ sunt, & inter se, & a spiritu sancto. Inter se, quia vna sine alia datur, vt supra tactũ est, & à spiritu sãcto. Dantur .n. cętera dona etiã reprobis, & actu in peccato mortali existentibus, quibus non illabitur spiritussanctus, sicut patet de dono fidei. Nam secundũ Iacobũ, dæmones credunt, & cõtremiscunt. Est quoq; in plerisq; fides, mortua. Sic Caiphas, & Balaam donũ habuere prophetiæ, quos tamen non inhabitauit spiritussanctus. Eis enim dũtaxat illabitur, quos inhabitat sanctificatiuè, quos & intima sua præsentia regit, & gratificat, & assistit ad opera meritoria exercenda, tamen ob hoc charitatis nullatenus patitur diuisionẽ sicut ait apostolus Roma. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Deniq; cętera dona non tã ad profectum proprium sicut ad vtilitatẽ tribuũtur aliorũ, sed nec omnibus eam desyderantibus dãtur, etiam dispositis. Donũ verò charitatis ad profectum propriũ datur ipso .n. viuit anima. Viuunt etiam vniuersa eius, ad quæ ipsa inclinat opera, sicut Greg ait. Ille ignis Charitatis vitalis est calor animæ, quo ardente, viuit anima, & viuunt omnia opera eius bo-

Amor creatus ipsa charitas est donum S. S.

na, ita etiam nulli (obicem non ponenti) negatur, sine qua, vt docet apostolus 1.Cor.13. cętera dona nihil proficiunt ad salutem. Ex quo patet ineffabilis largitas spiritussancti, qui & si quędam munera minora negat, maxima tamé .s. seipsum, & Charitatem omnibus influit recipere præparatis.

Et apostolorum, quia prędicationibus omnium linguarũ gentes in vnitaté ecclesiæ fuerant congregandæ, quę hoc charitatis vinculo nectitur, rectè ignis ille vnus visibiliter apparens, diuersarũ linguarũ specié habuisse describitur. Ob hoc spiritussanctus in vno apostolorũ sermone omniũ linguarũ intelligentiã instituit, quas olim in Babylone spirit⁹ supbię diuisit, secũdũ Bedã super Act. vt vnitas ecclesiæ futura per oés gentes significaretur, vt dicit Aug. 18. de ciui Dei ca.49. Vnde rectè credũtur spiritũ sanctũ nõ habere, qui diuidũtur à corpore .i. ecclesia, q̃ p oés gétes linguis omnib⁹ meruit personare, vt dicit in sermone, q incipit Anniuersaria.

S.S. igni comparatur. Quia demũ ignis natura omnia resoluit, omnia in se conuertit, & in se cõuersa sursum agit, rectè in dispertitis linguis igneis spiritussanctus visibiliter apostolis missus apparuit, quoniam ad hoc missus est apostolis vt omnium linguarũ gentes apostolorũ prædicatione colligẽdæ spiritu sancto repleantur, ac de carne in spiritũ conuersi, despectis terrenis, reiecta pusillanimitate cuiuslibet mundani terroris, liberrimo, ardentiq; desyderio sursũm tendãt. Cui consonat glosa, super illud Lu.12. Igné veni mittere super terram. Igné ait .i. feruoré spiritussancti, qui illuminans corda ad superna prouocat, qui vitia cõsumit, vasa dona probat, qui etiã accédit lucernas, quas in manibus Christus ardere monebat, propter q̃ secundũ Ber. sermone primo de præsenti festiuitate nobis illa manifestatio poti⁹ quã apostolis facta est. Ad quid .n. fuerunt necessariæ linguæ gẽtiũ nisi ad cõuersioné gentiũ? Studeam⁹, itaq; habere hunc spiritussancti ignem saluificũ, quo gustato desipit omnis caro &c.

*IN FESTO PENTECOstes Sermo. IIII. in ordine. XXXVIII.*

GLORIOSISSIMAM dié in maximis anni solemnitatibus numeratam, hodie celebritate præcipua veneramur, vtinã præcipua deuotione. Diem inquam, spiritussancti tertiæ personę in illa summa, & supersubstantiali trinitate, ad cuius dignitatem intelligendam cum oculos mentis intendimus, nihil diuersum (ait beatus Leo ser. qui incipit Plenissimè) ab excellentia patris, & filii cogitemus, quia in nullo ab vnitate sua discrepat diuinæ trinitatis essentia. Festiuitas Pét. ex trib⁹ ostenditur. Sempiternum est patri coęterni sibi filii esse genitorem. Sempiternum est filio intemporaliter à patre esse progenitum. Sempiternum quoq; est spiritui sancto spiritũ esse patris, & filii, vt nunquã sine filio pater, nunquam pater, & filius fuerit sine spiritu sancto, & omnibus existentię gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius .n. beatæ trinitatis incõmutabilis diuinitas vna est in substantia, indiuisa in opere, consors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. Hæc Leo. Huius itaq; summi spiritus missionem temporalé, & visibilé hodie colimus, qua vt Act. refert historia. 2. ca. cõgregatis in cenaculo Christi discipulis secundũ præceptũ eiusdé iã ascendẽtis in cęlũ. Vos inquit, sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Lu.24. & Act.1. Hodierno die facto repẽte de cęlo sono tãquã spũs vehemẽtis, spiritussanctus in visione ignis, diuisioné quasi linguarũ hñtis super caput singulorũ foris apparens, scientiã illis oĩm linguarũ tradidit, cũ charismatũ plenitudine, & donorũ. Facta aũt hac voce, cõuenere viri religiosi, q de diuersis nationibus paschalis festiuitatis gratia confluxerant, vt dicit Beda in hom. de vig. Stupebãtq; mirantes, quomodo audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Exponentibus

bus autem discipulis q spiritussanctus esset gratia, quam cernebant. Olim quidem voce prophetarum promissa, nunc autem Christi munere missa, crediderunt ex eis tria milia virorum, & baptizati receperunt etiam ipsi donū spiritussancti. Hæc est diei huius annua celebritas, hæc gratiæ cœlestis semper grata festiuitas, cuius solemnitatē, ac mysteria vt intelligere, eadē quoq; valeamus gratiam participare, eiusdē spiritussancti illapsum, qui non foris in specie ignis sed intus in ardore charitatis illuminet, & accendat deuotissimè exposcamus, dicentes. Veni sancte spiritus.

S.S. festiuitas iucunda & dulcis

Hodierna solemnitas valde iucunda est spiritibus, & cæteris festiuitatibus dulcior. Qui interioris spiritussancti visitationis experti nouerunt, quam verum est, quod de spiritu sancto æterna sapientia Eccle. 24. dixerat. Spiritus meus super mel dulcis, qui etiam gustauerunt, quam magna multitudo dulcedinis eius, quam abscondit timentib' se, qui senserunt suauitatem, ac consolationem diuini illius vnguenti effusi sine mensura in capite Christo, quod vnxit Deus pater præparticibus suis, descendentis de hoc in barbam Aaron vsq; ad oram vestimenti eius, sicut ros hermō in monte Sion secundum mensuram donationis Christi, sicut scriptū est. Ascendens Christus in altū, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus, qui ex animo cum beato apostolo dicere possunt. Etsi cognouimus secundū carnem Christū, sed nunc iam non nouimus, quia cū illo iā principiū viarū veritatis, & vitæ, q in carne sua dominus præbuit, iam transierunt, quā uis adhuc in via ad palmam supernæ vocationis sequantur vocantē Deū, tñ ea, quæ retro sunt obliuiscentes, ad ea, quæ ante sunt extenti, sicut loquitur Aug. 1. de doctrina christiana. Quamuis etenim huiuscemodi spiritu ambulantes festa dominicæ incarnationis, qua verbū caro factū nostrā infirmitatē assumpsit, resurrectionis, qua carnē assumptā perfectè sanatā glorificauit, ascensionis, qua glorificatū corpus ad dexterā patris subuectis sibi angelis, & virtutibus, & potestatibus sublimauit, deuotissimè venerātur affectu, & cultu sicut oportet dignissimo, dulcius tamē ac familiarius hodiernā amplectuntur solemnitatem, qua verbū non secundū carnē, sed secundū eā, qua patri cōsubstantialis est diuinam naturā spiritum sanctū suis miliē dilectoribus; cū charismatum plenitudine, vt promisit, quo iā Christū, patri æqualē agnouerunt, atq; vinciēte se, & agglutinate eodē spiritu non iā in carne, sed in eodē summo, & incōmutabili bono poterūt pmanere. Sed talibus siqui sint, quid opus ē meis cōmemorare verbis, q certius ipsi experiuntur, q necessariò iam eius familiaris intus docet? De quibus & B. Ioa. ait. Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus 1. Ioa. 2. ideò ad carnales adhuc, quorum numerosior est multitudo, sermonem conuerto, si fortè declarata vtcunq; huius festi magnitudine, pariter moueamur, accēdamurq; ad vehementius desyderandū eiusdem spiritussancti aduentū saluificū, & illapsum. Quoniam plerūq; carnalibus minor affectio est, quia minor cognitio ad suscipiēdū spiritū sanctum, apostolo teste. Animalis homo nō pcipit ea, q̄ sunt spūs dei 1. Cor. 2. Nā & q hodie visibiliter spūs sanctus apparuit, hoc ipsum pp carnales actū est, vt his exterioribus signis gratiā cognoscerēt spiritussancti. Spiritualibus quidē sufficit internus illapsus. Signa verò exteriora requirunt, qui nondum spiritales sunt effecti, eodem apostolo teste. 1. Cor. 14. Linguę in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.

S.S. festū trib' modis ostenditur magnum.

Potest autē huius diei magnitudo q̄ tū nunc sufficit tribus modis ostendi, videlicet ex eius legali præfiguratione ex eius finalitate, & ex eius significatione, quoniam de mittentis, missiq; infinitate, donorumq; magnitudine, ac multiplicitate, ex quibus præcipue festi huius dignitas colligitur, alias recolo prædicatum. Quo ad primum

manifestum est horum exhibitionem dignissimam esse, quæ festiuis legalibus obseruantijs præcurrentibus figurantur. Nam vbi figura dignificatur, atq; signum, quis nesciat veritatem, atq; signatum, à quo vtrq; signum defici esse dignissimum? Hodierna, autem solemnitas, vt dicit Beda in Homil. de vigil non euangelicis tantum consecrata charismatibus, verum etiam legalibus iam olim est præsignata mysterijs. Nam quod hebræo quondam populo a b Ægyptijs liberato. 1. die post immolationem paschalis agni lex data est in monte Sina, descendente domino in igne super montem, comitante sonitu buccinæ, tonitruis, & fulgoribus, cuius etiam memoria perpetua illius diei festiuitate, ac nouorum sacrificiis præcepta est continuari: prout Exodi tradit historia c. 23. & Leuit. 34. Præfiguratio fuit hodiernæ festiuitatis.

Hodie nanque quinquagesimo die post veri paschalis agni immolati resurrectionem, lex noua perfecte data est atq; scripta, non sicut illa vetus in tabulis lapidæis sed in cordibus fidelium, vt dicit Aug. in de spiritu & litera. Dum in superiori cenaculo montis Sion effuso in discipulos sancto spiritu, in ignis linguis apparente, omnẽ veritatem docuit, non alterum per alterum, sed suo illapsu immediatè quẽlibet per se ipsum, sicut per prophetas suos longe ante promisit. Ait enim de hoc Esa. 2. Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem. Et Hiere. 31. ait, & allegat apostolus ad Hebre. 8. Ecce dies venient dicit dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouũ, non secundum pactum, quod pepigi cũ patribus vestris in die quando appræhendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti, iquia illud fuit timoris istud verò amors. Et sequitur. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum. Omnes enim cognoscent me, à minimo vsque ad maximum, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non ero memor amplius. Quæ omnia hodie completa sunt, dum ignis ille spiritussanctus peccati rubiginem consumens, mentem illuminans, corda inflammans omnium, quibus visibiliter missus est, magister, non foris verba protulit, sed intus veritatis notitiam cum amore infudit. Ab hoc ergo die (ait Leo sermone huius festi, qui incipit Hodiernam) tuba euangelicæ prædicationis intonuit. Ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, & vniuersam aridam rigauerunt, quoniam ad renouandam faciem terræ spiritus domini ferebatur super aquas, & ad veteris test. tenebras abigendas, nouæ lucis fulgura coruscabant, cum micantium splendore linguarum, verbum domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum consumendumq; peccatum, & efficacia illuminãdi, & ius inesset erudiendi. Hæc Leo. Si ergo datio legis moysaicæ, quæ euacuatur fuit in gloria, & festiuitate annua, quãtò magis legis gratiæ quæ manet, hodierna datio erit nobis in gloria, sicut apostolus ait. 2. Cor. 3? Si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, quæ euacuatur quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? & cętera quæ sequuntur. Vocat autem legem ve. ministrationem mortis, non quia mortifera, quoniam sanctam eam esse, & iustã testatur ad Rom. 7. Sed quia peccatũ prohibendo ostendit, nec gratiam cauendi tribuit carnalibus, qui in vetitũ nituntur peccati occasionem aliquam præstabat, sicut etiam ad Rom. latè idem apostolus tangit.

S.S. festũ excellẽs ex legali præfiguratione.

Secũdò principaliter huius festi magnitudo attendi potest ex eius finalitate, quia alia in ipsum ordinantur quasi in finem. Dominus enim Iesus æterni patris filius, qui venit in hunc mundũ

vt

ut saluaret mundum. Ioan. 3. Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Duo in assumpta pro nobis carne principaliter egit, propter quæ etiam carnem assumpsit. Nam & nos duobus grauissimis laborauimus incommodis Siquidem propter originale peccatum patriam amisimus, & mortis æternæ damnationem incurrimus, & per iustitiæ originalis ablationem, ac peccati fomitem, carnales effecti, viam ad creatorem nostrum (qui spiritus est Ioan. 4. spiritualiter non potuimus ambulare. Sicut notatur in parabola descendentis ab Hierusalem in Hiericho gratuitis spoliati, in naturalibus vulnerati Luc. 10. Contra primum itaq; diuinæ iustitiæ. & veritati satisfaciens debitum mortis nostræ in carne sua ipse soluit, atq; decreti chirographum contra nos scripti ipse suo sanguine deleuit, sicut ad Colos. 2. apostolus ait. Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis idest actualibus, & originalib⁹ peccatis, cõuificauit in illo, donans vobis omnia peccata, delens, quod aduersum erat chirographum decreti, & ipsum tulit de medio affigens ipsum cruci. Et. 1. Petri 2. Tradebat autem iudicanti se iniustè, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Sequitur. Cuius liuore sanati sumus. Contra secundum seipsum viã nobis in eadem assumpta carne fecit, qua per carnem eius ambularemus ad spiritum, per exteriora sensibus obiecta ad interiora veniremus. De quo Beatus Augu. 1. de doctri. christiana. Ille qui non solum peruenientibus possessionem, sed etiam viam se voluit præbere venientibus ad principium viarũ, voluit carnem assumere, secundum illud. Dominus creauit me in principio viarum suarum Prouerb. 8. vt inde inciperent, qui vellent peruenire. Ibi .n. aggrediendum, & exordiendum est omnibus, qui ad veritatem peruenire, & in vita æterna desyderant permanere. Sic enim ait dominus Ioan. 14. Ego sum via, & veritas, & vita, per me itur, ad me peruenit, in me permanetur. Via est humilis in carne, veritas, & vita excelsus in deitate, vt alibi idem dicit sermone. 55. de verbis euangelij. Per carnem ergo Christi eundum est ad spiritualem deitatem, non in carne manendum. De quo etiam pulchrè beatus Bern. sermone. 6. de ascensione domini multa loquitur, inter cętera ita dicens. Quando ad spiritualia effici possent animales. Ideò discipulorum affectus nondum ad spiritualia assurgere præualentes, in suę carnis prouocabat affectum, vt amore quodam humano, operanti mira, mira loquenti homini adhærerent, amore vtique carnali adhuc, sed tam valido vt cęteris omnib⁹ præualeret. Nimirum hic erat ille Moysi serpens, qui serpentes Magorum ægypti omnes pariter deuorabat. Sed non vt manerent in carne, sed vt transferretur in spiritum, totus ab eo in illam carnem collectus discipulorum affect⁹ quoniam ipso teste Ioann. 6. Spiritus est, qui viuificat, caro nõ prodest quicquam scilicet sine spiritu, quod in eis manifestum est, qui eam corporaliter viderunt, & tamen eum oderunt, & patrem eius, qui blasphemauerunt, qui crucifixerunt.

Ex quo etiam hanc regulam secundum beatum Aug. 1. de doctrina Christiana notare debemus, ac intelligere quia nulla res in via nos tenere debeat quando nec ipse dominus in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus quamuis ab ipso pro salute nostra susceptis, & gestis hæreamus infirmiter, sed per eas potius susceptas curramus alacriter, vt ad eum ipsum, qui nostram naturam temporaliter liberauit & collocauit ad dexteram patris, prouehi, atque peruenire mereamur. Hęc Augustinus. Hanc autem translationem de amore carnali ad spiritualem in credentibus hodie operatus est spiritussanctus, qui ad diuina, & spiritalia eorum dona corda inflammauit, nihil iã solliciti erant de carnali Christi pręsentia, cuius iam illapsa diuinita

te ardebant, sicut ait Augustinus sermone. 61. de verbis euangelij. Spiritussanctus hoc munus magnum attulit credituris, vt eum, quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria,& spiritualib⁹ desyderiis ebria suspirarent. Ex quibus manifestè colligitur, quod propter spiritussancti susceptionem, quo spiritualiter Deo adhæremus, viuificamur,ac hæredes regni efficimur. Caro Christi assumpta est, qua impedimentum sublatum est, atque ad spiritus disponimur munera consequenda. Quid enim nobis prodesset satisfactio Christi pro peccatis nostris exhibita, si nos carnales maneremus? dicente apostolo. Quia caro, & sanguis regnũ Dei possidere non possunt. 1. Thes. 4. Nimirum quia qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Sed si spiritus Christi habitat in vobis,qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corda vestra propter habitantem spiritum eius in vobis. Roma. 8. Tota denique Christi conuersatio in carne ad hoc ordinata est vt ad spiritussancti susceptionem, tanquam ad melius aliquid præparemur. Propter quod vt illum plenius accipere mereremur, vtile iudicauit etiam corporalem sanctissimę carnis suę præsentiam subtrahere Ait enim. Veritatem dico vobis: Expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Ioan. 15. Semper quidem ait Augustin. diuinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus. Qua fide iustificati ad ipsum verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia, & quod caro factum est vt habitaret in nobis, corde mundato contemplari mereremur. Ecce quantum hoc est, quam desyderabile, quam beatum, pro quo pleniter adipiscendo assumpta, & iam diuina caro nobis est vtiliter subtrahenda. Patet denique susceptionem sancti spiritus esse finem, propter quem omnia in carne dominus operatus est. Nonne verbum caro factum est, vt nos deos faceret? Dedit enim potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius. Dico filios Dei, non natura, sed adoptione. Sed non nisi spiritum sanctum nobis largiendo in filios adoptat ideò & ipse adoptionis spiritus ab apostolo Roma. 8. nominatur. Hinc Gregorius comparans hanc festiuitatem festo incarnationis in homil. ait. In illa festiuitate incarnationis Deus in se permanens ipsum creauit hominem. In ista homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus est homo. In ista homines per adoptionem facti sunt dij. Cum autem finis his, quę ad finem sunt prę-stãtior esse cognoscitur,comparet, qui velit hanc spiritussancti solemnitatem ad cęteras Christi festiuitates, & inueniet illam nulla minorẽ, esse imo hoc respectu quasi finia media eas excellere. Cumq; sic eius dignitatem inuenerit, dignum se huic exhibeat, quod tunc facit secundum Bedam si se aptũ reddiderit, ad quem spiritussanctus venire dignetur, & in eo feliciter habitare.

S.S. festi magnitudo ex significatione.

Attenditur tertiò huius festi magnitudo ex eius significatione. Repræsentat enim festum hodiernum perpetuæ festiuitatis statũ, maximè quo ad animam, sicut Christi resurrectio, quo ad corpus. Christus enim resurgens in corpore mortali, & glorioso, corporis nostri statum ostendit in æternitate beata, in qua similes ei erimus in gloria. 1. Ioan. 3. Spiritus autem sanctus hodie discipulorum corda replens, statum animę figurauit in cœlesti vita. Ad hoc facit ꝙ datus est die quinquagesima, quinquaginta etenim numerus est perfectę libertatis, & restitutionis omnium propter quinquagesimi anni iubileũ, vnde repręsentat nobis patrię cęlestis beatitudinẽ vbi est perfecta restitutio omniũ libertas summa, omniũ remissio debitorum &c. De hoc Bed. in homil. de vigi. pentec. Quid .n. aliud

Numer⁹ quinquaginta qd significet

est

est beata vita, quam possessio Dei per clarã visionẽ,& fruitiuũ amorẽ? Siquidẽ de vtroq; dicit Aug. q̃ est tota merces. Hæc aũt consequitur gaudiũ,& delectatio summa tanquã coniunctionẽ summi boni. Vniũtur beati Deo vt sint cũ eo vnus spiritus plenissima volũtatis conformitate,& p̃ hoc potestatem cõsequuntur,& fortitudinẽ ad omnia,quæ voluerint exequenda. Vniuntur etiam inter se vt nihil ibi sit in discordia,sed quies,& trãquillitas in pace perpetua, prout hęc & alia clarè colliguntur ex dictis Aug. 22. de ciu. Dei.

Hęc autẽ adueniẽte spiritu sancto in effectibus interioribus, & signis exterioribus demonstrantur. Nã spiritussanctus hodie corda discipulorum replẽs, contulit eis claritatẽ diuinę cognitionis,feruorem intensissimi amoris gaudiũ spirituale vnionis cum Deo, & inter se constãtiæ libertatẽ, vincendi potestatem,pacis tranquillitatẽ. Quis rogo mundanę sapientię peritissimus,nostris comparari poterit piscatoribus,& rusticis,quos in puncto tẽporis sine labore,& exercitio verę sapienriæ radijs illustrauit, nedũ ad personalis salutis necessitatẽ,sed totius ecclesiæ catholicę fundationẽ,omniũq; philos. & errãtiũ hęreticorũ cõfutationẽ? Ecce q̃ pri⁹ verba Christi plana capere non poterant,nec scripturas auditas intelligere tanquã rudes discipuli, propter q̃ eis obiecit Christus: Adhuc & vos sine intellectu estis. Mat. 15. & Lu. vl. O stulti, & tardi corde ad credendum. Et Ioan. de seipso,& Petro dicit. Nondũ .n. sciebant scripturas, nunc spiritu sancto repleti, repente mutantur in doctores, mysteria populo euoluunt, prius toti mũdo clausa,& veritatẽ prædicatã prophetarũ,ac scripturæ testimoniis pharisæis, ac legis doctoribus ignotã, clarissimè demonstrarũt, vt ex predicatione Petri quã Actuũ recitat historia, satis patet. Hinc Hiero. ad Paulinũ c. 4. Si rusticũ Petrum, rusticũ dicimus, & Ioannem. Ioannes rusticus, & piscator indoctus. Et vñ illa vox obsecro. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ,& Deus erat verbũ? Sequit. Hoc doctus Plato nesciuit: hoc Demosthenes eloquens ignorauit.

Feruorẽ intensissimi amoris diuini quo spiritussanctus discipulorũ pectora accendit, manifestat cęlestis eorum conuersatio, qua omnia terrena despicientes,sursũ acti,soli Deo viuebant, sicut & postea Paulus eodẽ spiritu accẽsus ait. Mihi viuere Christ⁹ est,& mori lucrũ. Phili. 1. Et iterũ: Cupio dissolui & esse cũ Christo. Ibidẽ. Non iam ad piscationẽ redeunt, non quæ sua sunt, quærunt,sed q̃ sunt Iesu Christi. Huic testimoniũ semoto timore præbent,huius cõmissionẽ p̃dicandi euãgelium oĩni creaturę exequũtur,nec minas,nec carceres,neq; plagas, nec ipsã deniq; mortẽ omnibus terribilẽ metuentes, publicè testificantes, quia oportet Deo plus obedire,quã hominib⁹. Actu. 4. Nõ mõ ait Petrus,bonũ est nos hic esse,sed magis gaudet quia velox est depositio tabernaculi sui. Hinc omnis eorum doctrina de charitate: Ante omnia mutuã charitatẽ continuã habentes, quia charitas operit multitudinẽ peccatorũ 1. Pet. 4. Et Paulus omnia sine charitate nihil esse clamat. Ioan. verò ita charitatem cõmendat,vt præter charitatẽ nihil nouisse ęstimetur. Nimirũ validissimus charitatis ignis non nisi scintillas .i. ignea charitatis verba poterat euomere. Qua ita repleti fuerant, vt nec eam inimicis negarent.

S. S. pectora apostolorum feruore accendit.

Per hanc Deo vnitissimos quis dubitat,cũ charitas vinculũ sit perfectionis? Colos. 3. vinculum vniens se amantes. Nam vnire,ac transformare amantem in amatum, proprium est charitatis. Qui adheret Deo ait Paulus,haud dubium quin per charitatem vnus spiritus est. 1. Cor. 6. Quãta concordiæ vnitatẽ tribuit discipulis,ac omnib⁹ p̃ eos tũc ad Christũ conuersis, clarè describit Lucas Actu. 4. dicens. Multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna. Nec quisquam eorum, quæ possidebant aliq̃d suũ esse dicebat, sed erãt illis oĩa cõia. Neq;.n. q̃squã egẽs erat inter illos. Q̃d q̃d .n. possessores agrorũ

aut

aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Diuidebant autẽ singulis prout vnicuiq; opus erat. Ecce vnitatem perfectam in voluntatum concordia, quia erat illis cor vnum. In sensu, & fide non ficta, quia anima vna. In rebus exterioribus quia erant illis omnia cõmunia, quippe sublatum erat meum, & tuum, quæ pacem hominum turbant, quietem tollunt, odia, & lites conuocant. Vnde 12. q. 1. Dilectissimi. in glos. Quietissimè viuerent homines, si de medio sublata essent duo verba, meum, tuum. Abstulit & spiritussanctus mentis tristitiam, cõtulit gaudium spiritale, quo non tantum delectabantur in prosperis pacifico scilicet fidelium conuictu. Nã quotidie perdurantes in templo vnanimiter, & frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum. Actu. 2. Sed etiam delectabantur in aduersis, quæ pro domino patiebantur. Cęsi nanq; ibant à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro Christi nomine contumeliam pati. Actu. 5.

SS. libertatem dat. & mentis constantiam.

Libertatem quoq; & mentis constãtiam in intrepida prædicatione Christi à qua nec minæ, nec plagæ, nec mors, nec vita retrahere poterant. Nec mirum si ignis ille libertatem tribuit, qui peccatorum rubiginem purgans, conscientiam suo testimonio securam reddit. Nam hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ 2. Cor. 1. Nõ quod conscientia nostra dat quę falli potest, sed quod spiritussanctus reddit. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro ꝙ sumus filij Dei Rom. 8. Denique vbi spiritus domini, ibi libertas. 2. Corin. 3. Fortitudinem denique, & potestatem, quam in miraculorum operationibus attulit spiritussanctus cooperando discipulis, & sermonem cõfirmando sequentibus signis Actuum historia manifestat. Multa inquit, prodigia, & signa per apostolos fiebant in Hierusalem cap. 2. & sequitur c. 4. Virtute magna reddebant apostoli testimoniũ resurrectionis Iesu Christi domini, & gratia magna erat in omnibus illis. An non potestatis magnę, ac fortissimi fuere, per quos vniuersus orbis victus, immo sanatus ac Christo est subiugatus, de quo Chrys. homili. 15 pulchrè loquitur. Peragrarunt piscatores orbem terrarum, & infirmum eum inuenientes ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum, ad stabilitatẽ reuocarunt, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non eloquentiæ confidentes, sed erant nudi seculo, induti Christo, pauperes, non diuites, pecunia indigentes, sed regnum cœlorum possidentes, non habentes humana solatia, sed habentes dominum suum &c.

S. S. dat victoriã.

Et victoriam, quid sequitur nisi pax & trãquillitas? Hæc enim est finis belli secundum Aug. Hanc pacem à domino promissam, pacem reli. vobis, pacẽ meã do vo. Io. 14. hodie perfectissimè consecuti sunt, cum pacis autorem spiritum sanctum receperunt. Hanc intus in mentis suæ tranquillitate habuerũt hanc foris etiam in posse cum inimicis tenuerunt, pro quibus laborauerũt, pro quibus non inutiliter deprӕcati sunt. Ecce quomodo bona patriæ iam per spiritum sanctum non solum significatiuè sed etiam initiatiue consecuti sunt fideles. Quæ etiam exterioribus signis denotantur. Nam ignis lucens, feruens, atq; deficientes refouens, ac delectans, claritatem visionis, perfectionem fruitionis, plenitudinem gaudij repræsentat, linguæ dispartitę, sed vnitæ vnionem potentiarum in Deo, & cum proximo. Quinquagesima libertatem, ac pacem & omnium restitutionem. Væhementia soni, & spiritus fortitudinem, ac potestatẽ figurant beatorum in patria. Vnde manifestum est huius festi magnitudo ex eius sanctificatione, quæ perpetuæ festiuitatis statum optimum repræsentat. Quo nos virtus spiritussancti dignos efficiat sua pręsenti inhabitatione, & inseparabili conso-

consolatione, qui cum patre, & filio viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum: Amen.

## IN FESTO BEATISsimæ trinitatis Sermo. I. in ordine XXXIX.

Trinitatis festũ quare post festa dictarum, personarum: Hæresis arrij de trinitate.

BENEDICAT nos Deus Deus noster benedicat, nos Deus. psal. 66. Magnam nobis hodie festiuitatem sancta mater ecclesia instituit celebrandam, festum videlicet superbenedictæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad nutriendam fidei pietatem, ipsamque contra emergentes hæreses defendendam.

Cum enim arriana hæresis filium, & spiritum sanctum à patre tanquam creaturas à creatore substantialiter separans, sua perfidia plurimos maculasset, sancta mater ecclesia suos filios ab hac perfidia, doctrina veritatis illuminare satagens, post distincta festa, natiuitatis, paschæ, penteco. personis appropriata, hodiernam solemnitatem superaddit, quam non alicui personarũ sed vnitati simplicis vsiæ attribuit, vt sicut in prioribus vnitatem in trinitate, ita hodierna festiuitate in vnitate trinitatem deuotissimè adoremus. Ad hoc autem deseruit verbum prophetæ quo ait: Benedicat nos Deus &cet. in quo trina confessio Dei, trinitatem exprimit personarum. Vnitatem verò essentiæ cum singulariter subiungit, eũ, vt ait Magister dist. 2. primi. Sed quia secundum Bern. ser. 38. super Cantic. vtraq; cognitio, Dei & sui necessaria est ad salutem. Nemo inquit absq; cognitione sui saluatur, de qua mater salutis humilitas oritur, & timor domini: Sed nec poterit esse spes salutis cũ Dei ignorantia, quia ignorans ignorabitur. Et quia nec amare quem nescis, nec habere poteris, quem non amas. Primo ergo nobis inquirendum, quid per nomen Deus intelligendum Dein de quomodo in taliter intellecto personarum trinitas imaginanda. Ac demũ de attributis personarum aliquid breuiter disserendum. De quo pro gratia impetranda Aue.

Deus qd Deui nomine qd venit in telligendum.

Circa primum. quia secundũ Aug. 1. de doctrina christiana. Omnes cuiuscunq; sectæ fuerunt, aut opiniones Deum naturam excellentissimam esse consentiunt, qua nihil melius, nihil sublimius excogitari poterit. Et quanquam hanc naturam, quam sonante nomine Deus, cogitant, diuersi diuersimode inquirant, omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deũ credat qui est aliquid melius, sed omnes hoc esse Deum consentiunt quod cęteris rebus omnibus anteponunt. Vnde ad inquirendum quæ Deo sint attribuenda, & quæ ab eo remouenda, hanc ponit regulam in suo monologió Ansel. Sicut nefas est cogitare vt substantia supremæ naturæ sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non ipsum sic necesse est vt sit quicquid omnino melius est quam non ipsum. Hoc est, Deo attribuitur prædicatiuè quicquid melius est in quocunq; ipsum quam nõ ipsum idest quicquid tale est ꝙ cuilibet melius est esse tale quam non tale. Et ab eo negatur quicquid in aliquo melius est non tale, quam tale. Secundum quam regulam facile ostenditur, ꝙ Deum necesse est esse viuentem, sapientem, potentem, iustum, verum, beatum, æternum &c. Ipsum verò non esse corpus, animal, hominem. Siquidem alicui, puta spiritui melius est non esse animal, hominem, corpus, quam esse tale. Et quia secundum Rich. 1. de tri. c. 20. Contingere videtur quasi quædam dote nature, ꝙ cuncti pęnè tam eruditi, quam minus eruditi solent habere familiare & quasi pro regula tenere, Deo .s. quicquid optimum iudicant incunctanter attribuere. Cui etiam cõcordat philo. 12. Meta. dicens. Eia quę secundum se illius optima, & sempiterna esse. Ex quo manifestum est, ꝙ quicquid Deus est summè id est, vt dicit Ans. vbi sup. Est ergo summa essentia.

essentia

Summma { essentia, vita, iustitia, sapientia, veritas, bonitas, magnitudo, pulchritudo, immortalitas, incorruptibilitas, immutabilitas, beatitudo, æternitas, potestas, vnitas,

Dei notiones apud philosophos.

Hęc sunt, quę gentiles philosophi de Deo, rationis naturalis ductu cognouerunt, quæ vtinam non à multis ignorarentur Christianis, cuius ignorantia destructio est totius religionis, sicut cognitio radix, & fundamentum omnium virtutum, vt infra dicitur. Verum non solum illa, sed & alia, quo ratio non pertingit, fides catholica ab ipsa summa veritate reuelata nobis firmissimè credenda tradit .s. illam summam naturam, quam Deum dicimus vnum solum, verum, & simplicissimum Deum esse in substantia, & trinum in personis, patrem, & filium, & spiritum sanctum. Et licet pater totus Deus est, filius totus Deus est, & spiritussanctus totus Deus, quia vna, & tota diuinitas in singulis est, non tamen pater filius est, nec spiritussanctus, filius non pater est, nec spiritussanctus, nec spiritus sanctus pater est, aut filius, quoniã vnus est Deus pater de nullo genitus, qui solus essentialiter de seipso vnũ genuit filium siue initio, Deum sibi coæqualem, & eadem, qua ipse naturaliter coęternus est diuinitate coęternum. Et vnus solus est filius de vno patre natus. Vnus solus spiritussanctus de patre, & filio in eiusdem naturæ identitate coæqualis, & coæternus æquè procedens: Quia tamen tres vnum Deũ credimus, eo ꝙ prorsus vna ęternitas, vna immensitas, vna naturaliter est trium personarum diuinitas, ideo per hanc vnitatem naturalem totus pater in filio, & spiritusancto est, & totus filius in patre, & spiritu sancto est, totus quoque spiritussanctus in patre, & filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut pręcedit æternitate aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Hæc in sententia Aug. in de fide ad Petrum. Et licet hęc à nobis plenè intelligi non possũt, sicut b. Amb. dicit & allegat magister dist. 9. primi. Nam mens deficit, vox silet, non mea tantum inquit, sed & angelorum, tamen vt puriores de Deo cõceptus formemus, & de personarum emanatione vtcunq; loquentes, nihil carnale cogitemus secundum sanctorũ patrum scripta, ex actibus nostris manuduci possumus.

Trinitas personarum quo modo à nobis imaginari.

Intellectus itaq; noster dum aliquid intelligit intuitiuè, fingit in se quandam imaginem simillimam rei intellectæ, quam in seipso tanquam in speculo intuens rem intellectam quasi pręsentem recognoscit. Et hæc imago ficto simillima est, & talis in esse obiectiuo, qualis res, cuius est imago inesse subiectiuo (Exemplum de artifice vidente domum extra, statim fingit domum simillimam intra) Sicut imago in speculo simillima apparet rei, cuius est; quæ si verè esset in speculo talis, qualis apparet, verè simillima esset. Sic intellectus noster dum intuitiuè intelligit seipsum, fingit in se quasi suiipsius speculo imaginem simillimam sibi. Etsi haberet vim productiuam realiter sicut fictiuam, produceret de seipso, & in seipso imaginem suam, per omnia sibi cõsubstantialem, & eiusdem rationis, immo in nullo absoluto differentem, sed sola productione distinctam, & per consequens tale productum esset verè ab eo genitum, & filius eius, quia viuens de viuente eiusdem rationis. Sic est in illa summa trinitate imaginandum. Nam pater in diuinis, qui à nullo est, perfectissimè, & æternaliter suam essentiam, & quicquid est cognoscendo, in seipso quasi in speculo lympidissimo verbum, siue notitiam, vel imaginem simillimam sibi intellecto non fingit, sed realiter,

realiter, & verè producit, quia ipsius dicere producere est dicente propheta. Ipse dixit, & facta sunt. Et hæc imago producta verè est filius, sibi per omnia æqualis, in nullo ab eo distincta, nisi quia producta est a patre producente, propter quod est essentialiter id, quod pater. Non autem pater, quia non producens, sed producta, sed tamen patri consubstantialis, coæterna, coæqualis, & in patre semper manens. Et hoc innuit Aug. 15. de trini. cum dicit verbum patris de sciētia patris nasci. Hæc quo ad productionem filii De hoc aliquid sup. ser. 2. de festo Pentecost. secū dum imaginationem b. Aug. in de cognitione veræ vitæ propè finem.

Fili⁹ quō gignitur & S. S. spiratur.

Voluntas quoq; creata eo ipso q̃ diligit aliquid, non habet virtutem productiuā, vel fictiuā alicuius similis amato, sed posita dilectione habet vim donatiuā, qua pōt aliquid donare, siue simile, siue dissimile obiecto amato, si habet præexistens, si non habet, produceret, si posset. Ita aliquo modo similiter imaginari possumus in diuinis. Nam pater sua voluntate diligit se, essentiā suam, & filium amore essentiali, & infinito, & eodem amore filius diligit patrem, seipsum, & essentiam. Virtute illius amoris pater, & filius producunt donum infinitum æquale ei quod amatur, quod tanquam donum gratissimū pater donat filio, & filius redonat patri, quod quia infinitū est, identificatur diuinæ essentiæ infinitæ, & ita est verus Deus, patri & filio per omnia coæqualis, & hoc donum est spiritussanctus. Quod quia virtute amoris producitur, ideò amor frequēter nominatur sicut dicit Richar. Pater amorem impendit filio, & filius rependit. Et eodem modo dicitur nexus patris, & filii per modum doni, dilectum, & redilectū vnientis. Et communio vtriusque tanquam donum vtriq; mutuò datum, sic & spiritus vtriusq;.

Ex illo colligite quid concipere, vel cogitare debetis cum auditis filium in diuinis, non personam aliquam à patre separatam, ab eo qualitercunq; genitā sed cogitare debetis quandam pulchram patris imaginem, in ipso patre tanquam in speculo clarissimo manentem, in qua pater, & diuina essentia, & omne cognoscibile declaratur, & relucet. Sic dum spiritum sanctum audis, cogita donum infinitum, quod pater & filius imago sua, ex infinito amore, quo se diligunt, in se producendo sibi impendunt, & rependunt, sibi per omnia æquè dignum, & eiusdem bonitatis, & per consequens essentiæ, manens in ipsis idem secundum substantiam, distinctum secundum personam.

Ex illo etiam potest considerari, quare potentia, sapientia, bonitas, & cetera attributa, quæ cum omnia ad illa tria reducantur æquè conueniunt patri, & filio, & spiritui sancto, nec vni magis, quam alteri, quia omnia hæc fundantur in diuina essentia, verius sunt diuina essentia, quę est vna & eadem in tribus. Patri tamen attribuitur potentia, filio sapientia, & bonitas spiritui sancto, sicut dicit. Magister distin. 34. primi. Cum enim pater principium est totius diuinitatis, vt dicit Augustinus. & Ioann. primo. In principio erat verbum. Et in creaturis virtus siue posse producti est formaliter, vel eminenter in principio productiuo, ideò patri tanquam principio attribuitur potentia. Filius autem producitur per modum intellectus propter quod & verbum est, ideò sapientia, & quicquid ad intellectum pertinet, attribuitur filio. Spiritussanctus procedit per modum voluntatis, virtute amoris, ideò bonitas, benignitas, amor, & quicquid ad voluntatem pertinet, attribuitur spiritui sancto Ex his aliqualiter, & imperfectę patet quō intelligenda est vnitas diuinę essentiæ in trinitate personarum, & personarū trinitas in essentiæ vnitate, quā propheta subtiliter designauit cū dixit. Benedicat nos Deus &c. Et tantum de primo.

Potētia & sapientia filio, & bonitas S. S. tribuit.

Audistis de trinitate ineffabili, & increata, superest modicum adiicere de nostra trinitate creata, quæ hu-

ius

ius trinitatis increatæ templum est. Ipsa nanq; trinitas superbenedicta hominem ad sui imaginem creans in principio temporis secundum animam Gen. 1. in ipsa essentia animæ constituit memoriam, intellectum, & voluntatem, per quas Dei capax est, vt sit templum domini, ipsum benedicendo inhabitantis: & inhabitando benedicentis, & in quantum capit notitia, & amore imago est repræsentans trinitatem increatam. Et licet ratio imaginis in natura animæ fundatur, tamen sola Dei inhabitatis benedictione perficitur, vt vult Aug. 11. & 12. de trini. Nostrum ergo erit, templum hoc ornare & præparare, quatenus dignetur dominus sua benedictione inhabitare. Præparare quidem per viciorum euacuationem. Ornare per regalium characterum inscriptionem, vt verè in nobis luceat summi regis imago, & superscriptio. Fit hoc si memoriam nostram inscripta diuinæ legis mandata pingant. Si omnes intellectus nostri, cogitationes, & consilia in ipso permaneant. Si voluntatis nostræ actus, & desyderia ei tanquam fini vltimo inhæreant, vt potentiæ patris memoriam subiiciant timor, & latria, sapientiæ filii intellectum nostrū proportionent pudor, & reuerentia, bonitati sancti spiritus voluntatem nostram conglutinent amor & obediētia. Hæc omnia obtinere possumus si Deū secundum prædicta cognoscimus, & sedulo meditamur. Quid multa? Tota causa irreligiositatis christiani populi hæc est, quia Deum, quem amore fatentur, aut ignorant, aut non cogitant. Et ediuerso totius religionis causa est, Dei fidelis cognitio, & frequens meditatio. Sententia est Guilhel. parisien. de fi. & le. & Ioan. Gerson dicentis in libello de meditatione. Asq; meditationis exercitio nullus secluso miraculo Dei speciali, ad perfectionem contēplationis dirigitur, aut peruenit, nullus ad perfectissimam Christianæ religionis normam attingit immo vix se componit psal. In meditatione mea exar. ig. Nec mirum, quoniam teste sapiente, Nosse Deum consummata iustitia est, & scire iustitiam, & virtutem eius radix immortalitatis. Sap. 15. Quomodo enim christiani suæ carni, ac mūdo seruientes, si Deum saltem tanquā gentiles cognoscerent, tam turpiter ab eo in sua conuersatione declinarent, & creaturæ quasi meliori bono adhærerent? Qua propter charissimi si in cunctis veris virtutibus crescere complaceat, Dei notitiam memoriæ infigite, intellectum meditationi, frequenter cogitantes quid sit Deus.

Anima nostra ad Dei imaginē creata exornari debet nisi meditatione perfectionum diuinarum

Quis nanq; hunc summum bonum, desyderabilissimum omnium, delitiosissimū misericordissimum, & super omnia amantem cuncta, quæ creauerat, & maxime hominem, quem reparauerat, & non desyderabit, quæret, & amabit? Quomodo enim in omnibus, quod bonum est, & desyderabile quærunt, & ꝙ melius reputant, præeligunt diligentius, immo & laborosius prosequuntur, & quod optimum & in se, & nobis crederent, non amarent, desyderarent, sed penitus negligerent, præsertim cū multorum doctorum sit opinio, ꝙ vltimus finis propter infinitatem suę bonitatis nostram voluntatem absorbeat, vt non possit attente cogitari, & non amari? Quis hunc cogitabit sapientissimū omnia videntē, cuius oculi multò plus lucidiores super solem, circūspicientes omnes vias hominum, Eccle. 23 Verissimum quoq; & iustissimè omnia regentem, & à temerario iudicio, ac blasphemia in Deum non se temperabit? Sciēs quia nihil fit, quod non de interiori, atque intelligibili aula summi imperatoris egrediatur secundum ineffabilem iustitiam, atq; sapientiā, vt dicit Aug. 3. de trinit. Nam & sapientum hominum regimina, & actus non iudicamus licet intentiones eorum, & fines ignoremus. Quinimmò qui hæc meditatur patienter sustinet sicut prospera, sic & aduersa, quomodo pii medici, & sapientis sectiones suffert, & pocula. Sed & sollicitè cauebit nequid pudendum coram diuinæ maiestatis oculis cogitet, vel operetur. Omniā enim in oculis domi

Religionis Christiani causa est Dei fidelis cognitio.

hominis agere impudenter, & sine timore, non est hominis, qui credit hęc Deum inspicere,& videre, ait Guilhel. vbi supra. Hinc Boetius. 5. de consol. prosa vltima. Magna vobis inquit indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Quis deniq; hunc potentissimum, fortissimum,æternum cogitabit,& non timebit? sciens eum vitæ,& mortis potestatem habere, eiusq; ditioni omnia subiecta, immo non ei spe firma tanquam fortissima adiutori inhærens, nihil præter ipsum timebit sed & tanquam vniuersitatis dominum venerabitur, colet, & adorabit? Vides quantum in nobis confert meditatio Dei, eiusque potentiæ, sapientiæ, & bonitatis summæ, ꝙ si in seipso cognoscere non vales saltem in eius operibus attēde. In creatione potentiam, in gubernatione sapientiam, charitatem in reparatione. Deniq; in omni creatura considera modum, siue limitationem, speciem,& ordinem ad finem. Primum potentiam, secundum sapientiam, tertium bonitatem testificat creatoris. Sic Deum cognoscentes,& meditātes, imaginem nostram præparamus,& ornamus, eumq; ad nos venturum cum benedictione confidimus aduocatum per nos clamantes suppluraliter: Benedicat nos Deus,Deus noster,benedicat nos Deus. Quod ipsa præstare dignetur trinitas benedicta: Amen.

### *Sermo. II. vnde supra in ordine X L.*

BENEDICAT nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus psal. 66.

Dei esse tiam rationabiliter inuestigare est vtile.

In hodierna festiuitate beatissimæ trinitatis loquendum est de summa,& incompræhensibili trinitate. Ipsa est enim summum bonum, teste Aug. de trini. quod purgatissimis mentibus cernitur. Mentis enim humanę acies inualida in tam excellenti luce non figitur,nisi per iustitiam fidei emundetur. De qua cum modestia, & timore agendum est, atq; attentissimis auribus, & deuotis audiendum, vbi quæritur vnitas trinitatis, patris .s. & filii, & spiritussancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quęritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Hæc Aug. Error in principio periculosior est in principiatis secundum philosophum. Ipsa autē trinitas super benedicta principium est totius creaturę & fides trinitatis principium, & fundamentum cęterorum fidei articulorum. Vnde nihil rectè credit,qui in fide trinitatis summè errat. Verum errare non potest culpabiliter, qui eiusdem doc. Augu. regulam tenet, qui li. quo supra ait. Non pigebit me, inquit, sicubi hæsito quærere, non pudebit sicubi erro discere. Quisquis ergo audit hęc vel legit vbi pariter certus est, pergat mecum,vbi pariter hæsitat, quærat mecum, vbi errorem suum recognoscit redeat ad me, vbi me errare cognouerit, reuocet me, ita ingrediamur simul charitatis viam,tendentes ad eum,de quo dictum est, quærite faciem eius semper. Deniq; licet laboriosum sit quærere tamquam id, quod humani ingenij facultatem excedit, est tamen fructuosius omnibus aliis cognoscendum. Illi enim appropriatè correspondet visio beatifica eiusdem summæ trinitatis in pręmio, quo melius nihil. Vnde Aug. in de cognitio. veræ vitæ, iuxta principium ait. Diuinitatis essentiam rationabiliter inuestigare,est ad vitam æternam festinare. Hanc verò negligendo ignorare, est vtiq; ad mortem indeficientem properare. Tria igitur nobis de trinitate super benedicta cum omni humilitate sunt inuestiganda .s. essentię vnitas,personarū trinitas,operationum inseparabilitas, quę nobis prophetia innuit, cum in themate dicit: Metuant eum, non dicit eos. Secundum cum ter repetit, Deus. Tertium cum singulariter præmittit verbum,benedicat.Pro gratia Aue.

Trinitas in tribus inuestigatur.

Pro fundamento omnium supponatur ꝙ Deus est quædam natura summa

qua nihil maius, aut melius cogitari potest. Hoc est quod dicit August. 1. de doctrina christiana. Omnes pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inueniri potest, qui non hoc datum credat esse, quo melius aliquid non est. Itaq; hoc omnes Deum consentiunt esse quod ceteris omnibus rebus anteponunt. Clarius de hoc Ans. in prosol. c. 1. & 2. Ex illis quatuor oriuntur veritates de Deo. Prima, De⁹ est vnus quia summus, quo maior cogitari non potest. Secunda Deus est simplex, quia nullius indigens simpliciter perfectus. Tertia, Deus est intelligens, quia vita nobilissima. Quarta, Deus est volens, quia delectatio summa.

Deus qd sit.

Veritates quatuor de Deo.

Ex illo ostenditur secundum .s. trinitas personarum. Nam Deus intelligit se perfectissimè. Cum autem omnis intelligens in se producat imaginē rei intellectę in se, ergo intelligendo se producit imaginem perfectissimam sui, atq; simillimam tantæ perfectionis quantę se intelligit, producendo ergo sui imaginem infinitam dat & esse infinitum, quod non est nisi sua essentia diuina, quia non possunt esse plura infinita. Imago itaq; illa est filius, eandem habens essentiam eum patre, nunquam à patre separabilis. Item: Amans amādo impendit amorem amato tanquam donum principale, Deus perfectissimè se amat, & imaginem productam, quæ est filius, ergo producit amorem quasi donum perfectissimum, igitur infinitū, quia infinitè amat, quia tantæ, quantum est amabilis. Donum illud non potest esse aliud ab essentia, igitur est Deus, & hic est spiritussanctus. Ex quibus deducitur trinitas personarum, & vnitas essentiæ in tribus.

Trinitas personarum quó intelligitur.

Quo ad tertium, quia vna essentia in tribus, ergo quicquid respicit essentiam, æqualiter conuenit tribus. Quæ verò respiciunt relatiuas proprietates originis, conueniunt singulis personis, & non omnibus, vt pater, paternitas, filius, spiratio. Hoc est, quod dicit Bona. In Deo omnia sunt idem, in quibus non obuiat relationis opposito. Hinc intellectus, voluntas, potentia, sapientia, bonitas, & vniuersaliter omnis perfectio, quia primò, & principaliter respiciunt essentiam, sicut ipsa essentia, ita & illa vnum, & idem sunt cū essentia, & inter se, & communia trib⁹ personis, secundum Aug. in de cog. verę vit. in fine. Et propter hoc operatio ad extra, quę exigit potentiam, sapientiā, & bonitatem, & per consequens intellectum, & voluntatem vna est trium, & penitus inseparabilis. Vnde sicut tres vna sunt essentia, ita vnus creator, vnus gubernator, iustificator, beatificator.

vna in tribus p sonis.

Et licet aliquando quædam prædicta attribuuntur specialiter patri, vt potentia propter aliquam specialem rationem prius tactam, tamen sine exclusione aliarum intelliguntur attribui. Vnde diligenter in laudibus diuinis attendendum, quid proprium, quid appropriatum, vel attributum, vt quæ propria sunt soli personæ inesse, quæ verò appropriata, communiter tribus conuenire credamus. Et hoc in themate attendi potest in verbo singulari Benedicat, & relatiuo eum scilicet benedicentem benefacientem, quia Deus benedicendo, nobis benefacit, secundum illud. Dixit & facta sunt &c. Tantum de illo.

## IN FESTO TRINItatis Sermo III. in ordine. XLI.

INVESTIGABILES vię eius Roma. 11.

Rem altissimam omni humano cogitatui imparē, hodierna festiuitate sancta mater ecclesia prædicat, trinitatis scilicet abditæ mysterium, piè suis prouidens filiis, nedum singulas de singulis summæ deitatis personis solemnitas instituit, arrianæ impietatis error surriperet vt diuisæ crederentur, secundum substantiam, quibus vel nominum aut festorum pluralitas discretionem

Trinitatis mysterium quó inuestigari possit.

tem designaret. Magis autem hodierna festiuitate doceremur, vnum Deum in trinitate,& trinitatem in vnitate venerandam. Verum de excellentissimo inuestigabili mysterio lingua deficit, quia ratio minime comprehendit. Ait enim sanctus Martinus in suo de trinitate. Mysterium hoc mens humana capere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermonis bibliothecarum volumina, si totum mundum libri repleant diuina scientia, nō posset inenarrabilis enarrari. Quanta enim sit diuina clementia, nemo scit, nisi qui genuit,& nemo comperit secreta patris, nisi is, qui per naturam nascendi initium amisit. Et beatus Augustinus in ser. qui incipit Apostoli lectionem, dicit. Hoc est Deus, quod & cum dicitur, non potest dici, cum estimatur, non potest estimari, cum comparatur, non potest comparari, cum diffinitur, ipsa diffinitione crescit, quia cęlum manu sua cooperit, pugno omnē mundi ambitum claudit, quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Et quid mirum si diuinę essentiæ pelagus infinitum (vt Damasc. nominat) à nobis sciri nequit, cum & opera eius, ac iudicia, quę essentiam eius indicare solent in creatura, scrutari poterunt nullo pacto. Vnde Apostolus quædam tractare ex his cum concepisset, in admirationis stuporem versus, exclamat. O altitudo sapientię, & scientiæ Dei, q̄ incōpræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles eius. Veruntamen qđ inuestigari non potest, nec inuestigatū eloqui, credi potest,& creditum prædicari. Hinc propheta ait. Credidi, propter quod locutus sum. Nos ergo primò credamus,& sic de his, quę dominus sua sponte credentibus manifestare dignatus est, aliquid proferre pariter,& audire, concedente eiusdem gratia tentemus. Pro cuius impetratione oremus ad virginem. Aue Maria.

Deus à nobis cognosci- tur quia & q̄do.

Inuestigabiles viæ eius. Quia ineffabile hoc superbenedictę trinitatis mysterium ignorare non licet, nec tamen inuestigatione compræhendi potest. Videndum primo breuiter, quomodo, & quo ad quid sciri potest,& respectu quorum inuestigari, neq; valet, neq; decet. Secundo veritas articuli de sancta & indiuidua trinitate præponenda est,& in creata imagine, quæ in nobis est, quantum phas est, intelligentia eius est inuestiganda. Tertiò ad morum instructionem quomodo imago clarificanda est, vt sic vtiliter in ea dominum cognoscamus subiungendum. Teste autem Arist. 1. poste. rem contingit cognoscere quo ad quia est, vel quo ad quid, siue propter quid est. Ita enim ex effectibus cognoscimus quia causa est, sed non semper quidditas causæ. Ex artificiato ente cognoscimus factorem fuisse artificem peritum, nec tamen sic scire valemus, quis artifex fuerit. Sic cum videmus eleuari vaporem, cognoscimus, quia adest aliquid calefaciens, quod resoluit vaporem sed vtrum sit sol, vel ignis, aut aliud, non sic noscimus per vaporem. Quantum ergo ad cognitionem rei quidditatiuam propriam, particularem, & distinctam, res magis cognoscibiles ex parte sui, nobis sunt occultiores. Cuius ratio est, quia res quanta est perfectior, tanto ex parte sui est cognoscibilior. Sicut res habet esse, ita & cognosci, ait Philippus. Perfectissima autem nobis sunt minus cognoscibilia, quia sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad ea, quæ sunt manifestissima idest perfectissima naturæ. 2. Metaph. Nostra siquidem cognitio à sensu oritur 1. poste. & 3. de anima. Sed res quantò perfectior, tantò spiritualior, & quantò spiritualior tantò à nostris sensibus remotior, & ita ad cognoscendum nobis difficilior. Non sic autem quantum ad cognitionem quia, quoniam hac cognitione res perfectior, etiam nobis est notior. Res enim perfectior fęcundior est, & plurium effectuum productiua, qui ducunt in cognitionem suę causæ. Ex quo patet quod res notissimæ, quo ad quia, sępe in cognitę sunt, quo ad

ad quid est. Sicut patet de sole, & anima cognoscentis. Nihil notius cognoscenti est, quàm quod habet animam, siue vitam. Quid autem sit anima siue vita non sic notum est. Suo modo inuestigabilis nobis est summa maiestas, quantum ad quid est in se, & hoc cognitione particulari .i. distincta, propria & simplici. Illa enim est intuitiua, & beatifica, & pro statu illo viatori impossibilis. De hoc vide Ockam in 1. distinct. 3. quæst. 2. Hac enim cognitione per creaturam inuestigari nō potest. sed videtur ab eis, quibus se ostendit, dum vult, & dum non vult, minime videtur, vt vult Augustinus. Sed quantum ad quia, tantò nobis Deus est notior, quantò plus omnibus in omnibus relucet creaturis, propter quod, & Deum esse Damasc dicit naturaliter fore cognitum, quoniam nobis naturaliter in est potentia, qua Deum esse cognoscimus ex creaturis. Hinc ait Apostolus. Inuisibilia Dei à creatura mundi id est homine, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Deus enim reuelauit illis. Reuelauit (inquit magister dist. 3. primi) dum fecit opera, in quibus artificis aliquatenus relucet indicium.

Perfectio creatoris multiplex relucet in creatura

Relucet nanque in creatura multiplex perfectio creatoris. Siquidem nihil perfectionis, & bonitatis est in effectu, quin eminenter sit in causa. Idcirco secundum metaphysicam inquisitio nē Deum cognoscere possumus in qualibet creatura. Si in creatura consyderatur aliqua perfectio, abstrahantur ab ea omnes imperfectiones, attribuendo summam perfectionem, sic cognoscitur Deus, vt dicit Sco. lib. 1. dist. 3. quæst. 1. Gratia exempli. In corpore inanimato hoc perfectionis est, quia esse quoddam habet: sed est dependēs, corruptibile, compositum, finitum &c. Abstrahantur imperfectiones, & consyderemus esse independens, simplex, incorruptibile, infinitum, & hoc est Deus. Sic de viuente sic de creatura intelligibili, quæ sapit, intelligit, vult &c. suo modo. Immensitas autem diuinæ virtutis ex incompræhensibilitate viarum eius intelligitur. Viæ domini secundū Gregorium ipsa est creatura. Ait enim 26. more cap. 8. Via ad creatorem sunt opera desyderata creaturæ, quæ cum facta cernimus, potentiam factoris miramur. Factores enim nobis virtus inquirenda proponitur, quasi omne, quod mirabiliter factum, videtur. Cum autē creatura quantum ad totam compræhensibilitatem plene cognosci non potest, & in ea quædam infirmitas cognoscibilitatis inuenitur, sicut ait Salomō Ecclesiastes 1. Cunctæ res difficiles &c. Ait etiam Philosophus. Difficile æstimamus, quæ in terris sunt, quæ in cœlis sunt, quis æstimabit? Sapient. 9. Latent enim in qualibet re corporali infinitæ figuræ, quæ per partium ablationem apparent. Ea propter artifices de die in diem inueniunt, quę prius latuerunt, nec in finem mundi quærere, & inuenire cessabunt. Infinitus ergo creator rectissimè intelligitur. Quapropter compræhensiuè inuestigari non potest infinitum, & non nisi ab infinito intellectu compræhendi. Quapropter repræhendendi sunt, qui trinitatis mysterium, atque operum Dei rationem, & vias consiliorum eius non inuestigabiles scrutantur, sicut Augu. ait in ser. qui incipit Audio fratres. Lutum, & vas fictile de creatore disputat, & ad naturæ suæ rationem non potest peruenire, & curiosè scire quærit de mysterio trinitatis, quod Angeli de cęlo scire non possunt. Vis scire naturam Dei, hoc scito, quod nescias. Nec in hoc contristeris, quia nescias, quia & Angeli nescierunt, & similiter omnes creaturæ. Ecce patet aliquantulum, quomodo inuestigabilis est, & quomodo ignorari non debet. Audi de hoc Beatum Bernar. ad Eugenium papam. Scrutari hoc temeritas, credere pietas, nosse vita est, & vita ęterna. De primo propheta. Mirabilis facta est scilicet t. ex me, confor. ex & non po. ad eam. De secundo Qui non credit, iam iudi. est &c. Io. 3. De tertio Ioan. 17.

Hęc

Hæc est vita æter. &c. Et tantum de primo.

Deo in vnitate essentiæ, quid credendũ.

Quia autem inuestigabiles sunt viæ Dei, quibus natura diuina particulariter cognoscatur. Hæc autem cognitio confusa, quam ex creaturis per naturalem cognoscendi virtutem assequi valemus, ad salutem nostram non sufficit, vt aliàs ostensum est. Idcirco dominus ipse certius aliquid, quantum nobis expedire iudicauit de imméso hoc mysterio dignatus est reuelare, vt non vanè per rationem, sed meritoriè per fidem, quæ necessaria sunt, cognoscamus. Nemo enim sic nouit de natura sua dicere, quomodo ipse, qui Deus est Nobisq; hoc credere sufficiat, quod exponere dignatus est ipse. Hoc est autem, quod dominus credere docuit, patrem scilicet, & filium, & spiritumsanctum, vnum esse naturaliter Deum, vt ait Augustinus in li. de fide ad Petrum. Neque tamen ipsum patrem esse, qui filius est, neq; filium ipsum esse, qui pater est, nec spiritumsanctum esse, qui pater est, & filius. Vna est enim & patris, & filii, & spiritussancti essentia, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritussanctus, quàmuis sit personaliter alius pater, alius filius, alius spiritussanctus. Hæc est fides patriarcharum, & prophetarum figurata in lege naturæ, pronunciata in lege scripta, reuelata à Christo domino, & doctrinata, & ab Apostolis vsq; in fines orbis prædicata à sanctis martyribus sanguinis effusione testificata, ab omnibus orthodoxę fidei professoribus firmiter confessa.

Anima nostra vt liber cõtinet, q̃d de Deo credendum.

Vt autem ad huius mysterii lucidiorem intelligentiam ascenderemus: Exemplum nobis dominus ipse non remotum, sed coniunctum, animam. s. nostram donauit, quam idcirco ad imaginem suam dominus formauit, vt in ipsa legeremus, quid de Deo recta fide sentiremus, sicut ait Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Non ergo immodicè ad intelligentiam trinitatis suffragatur distincta cognitio eorum, quæ sunt in homine. Est autem anima humana creatura nobilis, & beneficio creatoris multipliciter fęcunda, propter quod etiã diuersa sortitur nomina. Ipsa nanque mediantibus corporeis organis, exteriora cognoscit sensibilia, conuenientia prosequitur, disconuenientia fugit, & vt sic nominatur virtus sensitiua. Ipsa denique quod nullo sensu percipit, consyderat, cogitat, speculatur, nedum particularia, sed etiam vniuersalia, nedum pręsentia, sed & futura, & pręterita, & vt sic, dicitur intellectiua. Ea denique, quæ intellectu cognouit, amando appetit, vel odiendo refugit, & sic dicitur volitiua. Hęc omnia in nobis experimur. Sed in illa parte sensitiua non oportet quęrere imaginem trinitatis benedictæ, quoniam illam virtutem communiter habemus cum brutis, secundum illam etiam nõ sumus Dei capaces, sed duntaxat rerum temporalium. Ait autem August. 14. de trinita. Licet humana mens nõ sit eius naturæ, cuius Deus est, imago tamen illius (quo nihil melius est) ibi quærenda, & inuenienda est, quo natura nostra nihil habet melius. i. in mente. Sequitur. Eo enim ipso imago dei mens est, quo capax eis est, eiusq; particeps esse potest. Mentem intelligit partem intellectiuam, vel superiorem animæ portionem.

Dei imago tibi quęrenda in homine.

In anima itaq; intellectiua est consyderare ipsam animæ substantiam siue naturam vt est fęcunda, & actuum vitalium in seipsa productiua. Experimur quoque in nobis actus cognitiuos, siue intellectiuos, quibus nunc ista, nunc alia speculamur. Experimur & actus appetitiuos, siue volitiuos, quibus ea, quæ cognouimus, desyderamus, siue volumus, aut amamus. Ecce quandam inuenimus in anima trinitatem, scilicet animæ fęcundam essentiam, & duos actus eius, scilicet intellectionem, & volitionem. Neque in parte animæ intellectiuæ est aliquis actus, qui non sit intellectio, vel volitio. Hæc creata trinitas in nobis significat trinitatem increatam in diuinis propter magnam

similitudinem illius cum ista. Nam in diuinis est consubstantialitas cum personali distinctione, quoniam ibi est vna summa essentia, eadem in tribus personis, realiter inter se, sed non ab illa distinctis. Est quoque ibi ordo originis quoniam pater à nullo est, à quo solo generatur filius, ab vtroque autem, patre, & filio procedit spiritussanctus. Est tertiò inter has personas summa æqualitas, ita quod neutra personarum est alia maior, & minor nec duę maiores vna, nec vna minor duabus, quoniam omnium triū est vna maiestas, vna potentia, bonitas, & sapientia, quia eadem substantia, vt probat magister dist. 19. primi. Et infra.

Ordo originis est in anima nostra in trinitate.

Ita in hac trinitate creata quodammodo est inuenire illa tria. Est enim consubstantialitas quædam, quia in ipsa essentia animæ est intellectio, & volitio. Est & distinctio illorum actuum, realis inter se, & ab essentia animæ, sicut manifestum est ex eorum separabilitate. Veruntamen magna est hęc dissimilitudo. Est enim hic nedum vera realis distinctio partium imaginis, sed etiam essentialis, qua sic diuersificantur, quod etiam non solum hęc non est illa, sed etiam non sunt aliquod idem hęc, & illa. Et ideò non est in eis vera consubstantialitas, sed duntaxat quædam intima præsentia, ac inhæsionis indistantia, quæ non nisi extensè nimis consubstantialitas dici potest. Neque ex hac parte secundum Augustinum decimoquinto, trinitatis. & Hila. aliqua similitudo dari potest inter creatorem, ac creaturam, vt non maior sit dissimilitudo, quàm similitudo, quia nulla vna res simplex in creaturis dari potest, quæ sit res realiter distincta.

Etsi assignarentur partes imaginis in potentiis animæ, erit maior dissimilitudo. Quia aut ponerentur distingui ab anima, & sic non est consubstantialitas, aut idem animæ, sic nulla esset distinctio realis, & neutro modo saluatur originis ordo. Et prætereà inter illa tria est ordo originis talis, qualis in diuinis. Sicut pater in diuinis habet fęcunditatem ad producendum filium, & spiritumsanctum, & filio communicat fęcunditatem producendi spiritum sanctum, ita ipsa animæ substantia est fęcunda, & tam productiua actus intelligendi, quàm volendi. Actui verò intelligendi tribuit fęcunditatem respectu actus volendi. Neque enim anima sine actu intelligendi producere potest actum volendi. Procedit ergo simul ab anima, & intellectione actus voluntatis, sicut à patre, & filio spiritussanctus.

Sic ergo animę substantia non est ab alio creata, intellectio verò ab anima, volitio autem ab vtroque. Sicut in diuinis pater à nullo, filius à patre solo, & spiritussanctus ab vtroque

Est quoque ęqualitas in his tribus, vt se mutuò capiant, & non excedant, consimiliter ad dicta Augustini decimo, de trinitate. Nam anima actus, quos producit, in se capit. Intellectione verò seipsam, & quæ in ea sunt, noscit. Volitione seipsa & omnibus cognitis vtitur, ita quod nihil est in anima obiectiuè, quod notitia non repręsentet, nec aliquid cognitum, quod volitio non amplectatur, nec refutet. Ipsa demum anima, vt potens producere intellectionem, & amorem dicitur memoria perfecta à beato Augustino, quare sibi rectè attribuitur potentia; sicut patri. Vt autem stat sub actuali notitia genita, dicitur intelligentia: cuius vt sic est sapientia, quę attribuitur filio. Vt autem est sub actu volendi perfecto, imperfecta voluntas dicitur, cuius vt sic est amor, & bonitas, quæ sunt spiritus sancti. Ecce magna similitudo in natura animæ, qua ad clariorem creditę trinitatis ascendere possumus intelligentiam, propter quod rectè imago dicitur. Et hæc de secundo.

Quāuis autē sic vt dictū est in ipsa

Anima nostra ad imaginem Dei condita ornanda é.

natura animæ, & eius actibus respectu cuiuscunq; obiecti trinitas illa reperitur. Imago tamen Dei perfecta non est, sicut vult Augustinus. 15. de trini. nisi actus illi in anima sint respectu Dei, vt scilicet eis sempiterna, & immutabilis natura recolatur, conspiciatur, & concupiscatur. 15. trinitatis. Minus perfecta est dum illi actus circa seipsam animam versantur. Deformis verò est, & polluta, quando circa creaturam illicitè occupantur. Quia ergo actus animæ in nostra sunt potestate, in nobis est imaginem illam Dei in nobis adornare, vel polluere. Sed attendite quæso, si reprehensibilis est, qui ligneas, depictasque crucifixi, imagines, & sanctorum volens violat aut deturpat, immo econtrario auro, & gemmis, & præcioso vestitu adornamus multa diligentia: Quantum illi culpabiles sunt, ac Deo odibiles, qui imaginem Dei viuam à Deo omnium artifice formatam turpiter commaculant. Quo contra tota diligentia imaginem nostram adornemus. Hoc facimus si totum, quod in nostra creata imagine inuenitur, in Deum conuertamus.

Dei imago in nobis est per ecta

Sit in nobis partium imaginis consubstantialitas, vt actus nostros intra se anima contineat, nihil nobis curæ sit de vanitatibus seculi exterioribus, nec ita multa scire placeat vt nosipsos ignorare non pudeat. In nobis Deum quæramus, quem nisi in nobis nunquam inuenire possumus. Ait enim apostolus secundo. Corint. 13. An non cognoscitis vosipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis &c. Inueniemus autem in nobis si cautè caueamus, ne in nobis aliquid sibi displicens, aut contrarium memoria in cognitione, aut amore inueniat, semper nos ad nos conuertamus, examinando, arguendo deuia, approbando sibi conformia, sic erit consubstantialitas. Sit etiam originis ordo non peruersus, ne voluntas aliquid præter rationem, nec ratio dictet aliquid, quod diuinæ legis memoria nō pariat.

Ordo originis & qualitas debet esse in anima nostra.

Sed primum in omnibus agendis occurrat diuinorum memoria præceptorum Ab ista gignatur iudicium rationis de agendis, & ab vtroq; procedat voluntatis castus amor. Sese capiant per equalitatem, vt eorum quę ad Deũ coniungunt, operum diuinorum, perfectionum, beneficiorum, actuumq; nostrorum continua sit memoria. Et quæ memoria tenet, cognoscat intelligentia, ametque voluntas, nec aliqua harum potentiarũ ab altera excedatur.

Dei potẽtia sapiẽtia bonitas quõ tb anima nſa cognoscenda.

Assurgamus denique ex animæ nostræ fęcunda potentia ad cognoscendam Dei potentiam: Ex nostra intelligentia diuinam sapientiam: Ex voluntate ineffabilem Dei amorem ac bonitatem. Ex his cuncta in nobis bona orientur. Consyderata siquidem diuina bonitate, inflammatur in nobis amor Dei. Attenta eius omniscientia, sapientia, reuerentiam ad eum in nobis adauget. Perfecta denique creatoris omnipotentia, maxima in fidelibus confidentia oritur. Sicut in sermone de symbolo ait Augustinus. Maxima credentibus oritur confidentia, cum cognoscunt illum omnia posse, quem credunt omnipotentem. Quos enim rogo aduersarios timere possemus, cum cogitamus nos habere Deum omnipotentem, cui resistere nemo potest? Si (inquit apostolus) Deus pro nobis, quis contra nos? Roma. octauo. Quomodo etiam de nobis diffidere valemus si omnipotentem dominum nos confortantem aspicimus? De quo idem apostolus: Omnia possum in eo qui me confortat. ad Phili. 4. Proinde verè) vt Hierem. ait 17. Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Quomodo homines huius seculi, qui in agendis omnibus longè plus in humana potentia, astutia, ac fauore, quam in domino cõfidũt. Etiã in arduis nihil consiliantur, si taliter agitur quõ Deo placet? nec apud eos, qui Deo seruiunt, sua quærunt cõsilia, sed in mundana pollentibus prudẽtia ita vt aliquando etiam nõ vereã

tur dicere, quod non hodie vt olim Deus in omnibus sit præponendus, non attédentes quia non abbreuiata, nec paruula facta est manus domini, vt saluare non possit. Esa 1. Non illi omnipotentiam Dei consyderant in exhibendo adiutorium, nec timent in vlsciscendo culpam, quare imaginem suam deturpant, in eo quoq; nullum benedictæ trinitatis vestigiũ derelinquunt. Quod à nobis auertat ille, cuius inuestigabiles sunt viæ, pater, & filius, & spiritussanctus: Amen.

## IN FESTO TRINITATIS Sermo IIII. in ordine. XLII.

IN nomine patris, & filii, & spiritus sancti Matth. 28.

Deũ nec cogitare nec comprætendere possumus, sed credere.

Angustiæ mihi sunt vndiq; dixerat olim fortis illa Susanna Danie. 13. inter metum mortis naturalis & diuinæ timorem offensionis agitata, sed nó oppressa. Et nos idipsum non incongruè dicimus, quibus ignorare Deum damnabile, secundum Augustin. in de cog. veræ vitæ in principio. Cognoscere autem in via perdifficilè. ne dicam impossibile est. Si enim ignoras Deum ait Bern. sermone. 38. super cantica, poterit ne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare, quod nescias aut habere, quem non amaueris. Deniq; brutis animantibus ignorare natura est, hominibus verò vitio venit, ait Boe. 2. de consola. prosa. 5. Cognoscere verò Deum quomodo potest humana fragilitas, ac spiritum summum vile lutũ? Lamentatur super hoc Aug. serm. 64. de verbis euangelii ita dicens. Proiectus sum à facie oculorum tuorum, longè sursum est, longè deorsũ sum. Quid enim dicamus fratres de Deo? Si enim quod vis dicere sic cępisti, non est De⁹. Si comprætendere potuisti, aliud pro Deo comprætendisti, si quasi comprætendere potuisti, cogitatione tua te decepisti, hoc igitur non est, si comprætendisti, si autem hoc est, non comprętendisti. Cum enim quælibet res secundum Hugo. de sancto vict. parte 10. cap. 1. de sacramentis apud nos subsistant, vel per actum, quando videlicet præsentes sensu comprætenduntur, vel per intellectum, quando absentes vel etiam non existétes in similitudine sua, & in imagine per intellectum capiuntur, vel per experientiam, quando ea, quæ in nobis sunt sentiuntur à nobis, vt est gaudium, tristitia, timor, & amor quæ subsistunt in nobis, & sentiuntur à nobis. Nullo horum modorum inuisibilia Dei comprætenduntur à nobis, quæ credi solum possunt, comprætendi omnino non possunt. Neque enim actu præsentia sunt, vt à sensu comprętendantur, quia nec corpora sunt, nec in corporibus subsistunt. Neq; in similitudine aliqua imaginabiliter ab animo comprætendi possunt, quia longè omnem similitudinem & corporum, & corporalium suæ diuinitatis & puritatis excellentia transcendunt. Neq; qué admodũ alia, quæ in nobis sunt & sentiuntur à nobis. Quoniam neq; de substantia animi sunt, neq; de his quæ animo subsistunt. Ergo fide sola subsistunt in nobis, & subsistentia eorum est fides eorum, qua creduntur quia sunt, sed non qualia sunt comprætenduntur. Ergo Deus credi potest, comprætendi nó potest. Et sequitur: Dicis mihi. Quid dicam? Quid est Deus? Ego tibi respõdeo, quia indicibile omnino est quid est Deus. Saltem inquis: Quid cogitabo quãdo cogitare volo, quid est Deus? Amplius dico quia incogitabilis est Deus. Quicquid dicitur, vel cogitatur, secundũ aliquid dicitur, vel cogitatur. Quod enim secũdum aliquid dici, vel cogitari non potest, dici omnino, & cogitari, non potest. Quid ergo dices, vel cogitabis, cum id, quod Deus est dicere, vel cogitare volueris? Si terram cogitas, si cęlum cogitas, si omnia quę in cœlo, & in terra sunt cogitas, nihil horum est Deus. Deinde si spiritum cogitas, si animam cogitas, non est hoc Deus. Hæc ille. Quid ergo? Desperabi

mus? Absit. Est enim quo duci possumus eius munere vt tandem perueniamus, fides scilicet ab ipso reuelata, qua possumus credere etiam, quæ intelligere non valemus. In cuius obsequium, vniuersus noster intellectus, tota libertate animi est captiuandus. Nisi enim credideritis, non intelligetis. Esa. 7 Et ad Hebre. 11. Credere oportet accedētem ad Deum. Et bea. Augu. 1. de trin. c. 2. Mentis humanæ acies inualida in tam excellenti luce nō figitur, nisi per iustitiam fidei mundetur. Scrutari ergo temeritas est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est. Bern. 5. de consi. c. 6. Ad nutriendum itaq; in nobis pietatem, fidei sancta mater ecclesia inualescente Arrianorum hæresi, festum hodiernum sub nomine trinitatis instituit, vt quæ in cęteris festis, nunc de patre, nunc de filio, nunc de spiritu sancto tradidit, hodiè quasi simul collecta proponit, vt certissimè credamus, & confiteamur vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate, non confundentes personas, aut substantiam separantes, sed in vnius simplicissimæ naturæ nomine, patrem, filium, & spiritū sanctum personaliter distinguentes. Quod dominus insinuare dignatus est clarissimè sub breuitate huius verbu li: In nomine patris, & filii, & spiritussancti. De quibus pro gratia Aue Maria. Primò videndum quam fidei nostrę professionem hęc verba prætendant. Secundo quantum nobis colenda sunt, & contra aduersa omnia amplectenda.

Fidei nostræ professio in quibus verbis fiat.

In nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Verba hæc domini nostri Iesu Christi omnibus christifidelibus vsitata & frequentata atq; communissima sunt. Semper in ore, recedant vtinam nunquam à corde, his regeneramur ad salutem sicut ipse mandauit: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos. In nomine, & filii, & spiritussancti Cętera quoq; sacramenta his perficiuntur, quæ nostris verbis conferuntur. Sola quippe eucharistia non nostris, sed domini verbis consecratur. His lecto procumbimus, his à somno excitati resurgimus, his nosipsos & vniuersa ad nos pertinentia contra aduersæ potestatis insidias communimus, ad omnia dicentes: In nomine patris, & filii, & spiritussancti, vt in omnibus nos ostēdamus vnius trinitatis indiuiduæ & trinæ vnitatis insolitariæ professores, per quam creati sumus, & recreati, bona cuncta recepimus, & sperata expectamus, in qua vniuersa spes nostra consistit, confidentia deuotio, atq; salus.

Trinitas super benedicta ostenditur nobis in omnibus creaturis.

Quam nobis reuelare dignata est ipsa trinitas benedicta. In omnibus creaturis: In spiritualibus figuris, atq; in vtriusq; testamenti paginis, & scripturis. In creaturis enim omnibus tanquam diuina arte formatis, opificis sui vestigiale relucet indicium. In mente verò rationali imago, quæ eiusdem trinitatis perfectius esse signum noscitur, vt sic inuisibilia Dei (sicut ad Roma. 1. ait apostolus) à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciātur, sempiterna quoq; virtus eius, & diuinitas, quæ latè prosequitur magister dist. 3. primi. Et doctores ibidem. In figuris spiritualibus, vt Gen. 9. Abraā, dum tres vidit, & vnum adorauit, mysterium trinitatis agnouit. Deniq; in baptismo Christi in voce pater, in colū ba spiritussanctus, in homine Christo filius apparuit. Sic in transfiguratione Matt. 17. In voce pater, in nube spiritussanctus, in humanitate filius. In scripturis quoq; latenter notificauit, sicut illud: In principio creauit Deus cœlum, & terram. In principio .i. in filio. Et sequitur: Et spiritus domini ferebatur super aquas. Deinde magis apparenter, sicut est illud Psal. 32. Verbo domini celi firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Apertissimè autem in verbis Christi, illis præsertim. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritussancti.

Trinitatis essentiæ vnitas ostendit verbis in n. p. & f. & S.S.

Quia enim per singulas penè scripturæ syllabas significatur, his verbis veritas clarissimè manifestat. Siquidē essentiæ vnitatem in eo, quod dicit: In nomine, non in nominibus, vt dicit Ambr.

Ambro. 1. de trinita. Nomen enim ad essentiam pertinet, secundum illud philosophi. 4. metaphy. Ratio, quam signat nomen est diffinitio eius. Diffinitio autem quid est esse rei indicat. Quia ergo singulariter dicit: In nomine, ad vnitatem essentiæ pertinet, quæ vna est in tribus. Quod autem sequitur, patris, & filii, & spiritussancti, personas diuinas, non solum per appropriata, sed per propria exprimit Quas non solum vocibus, sed realiter distingui repetita coniunctio, & designat quę secundum grammaticorum regulas, distinctionem eorum, quæ coniungit repræsentat. Neq; enim de eodem loquentes verè dicimus: Iste est homo, & animal copulatim, sed verè dicimus q̀ est animal homo, siue animal, quod est homo. Horum deniq; verborum intellectum hunc dilectus domini discipulus beatus Ioannes in prima cano. cap. vlt. clarè demonstrat, cum dicit: Tres sunt, qui testimonium dant in cęlo, pater, verbum, & spiritussanctus, & hi tres vnum sunt. Personarum verò originem, qua pater à nullo, à patre filius, ab vtroque est spiritussanctus, ipsa nomina satis important Nam nomen est non principiati, sed principiantis. Neq; enim de ratione patris est vt sit ab alio, sed q̀ ab eo sit alius. Filius verò manifestè originem, siue productionem à patre demonstrat. Spiritus verò sanctus processionem ab vtroque. Scimus enim spiramen hominis neque ab anima sola, neque à corpore, sed ab vtroq; simul procedere.

Differentia productionum in trinitate.

Sicq; productionum differentiam, quarum vna est per modũ naturæ, altera per modum voluntatis liberæ, nomina ista insinuant Filios nanq; modo naturę per generationẽ. s. produci certũ est Spiritus deniq;, qui & flatus hoĩs, est prima operatio libera apparens ad extra. Nã in exterioribus operibus nihil magis in nostra potestate est quam spirare, & ita operatio procedens à voluntate, saltem quantũ ad spirationis mũdum aliquem quia potest quilibet pro voluntate citius, vel tardius spirare, & spiracnlum ad tempus licet modicum continere. Idcirco modum processionis tertię personæ in diuinis, quæ procedit per modum doni amantis voluntatis congrua similitudine repræsentat, propter quod etiam dominus post resurrectionem daturus spiritum sanctum discipulis insufflauit, & dixit: Accipite spiritum sanctum &c. vt exteriori flatu modum procedendi spiritussancti ostẽderet ad intra. Æqualitatem etiam personarum coniunctio copulatiua, & innuit, quæ æqualiter extremis copulantis conuenire denotat illud, respectu, cuius fit coniunctio. Vnde nomen deitatis æquè conuenire patri, & filio, æquè spiritui sancto designat, non vni magis, aut perfectius, quam alteri. Sed & effectum baptismatis, quod est creatio gratiæ, per quã deletur originale peccatum, æquè fieri per patrem, & filium, & spiritum sanctum demonstrat. In hoc enim differt associatio alicuius casus per prępositionem cum, & copulatio per & vt in exẽplo. Pater cum matre generat, vbi denotatur de rigore sermonis quædam principalitas in patre, & minus principalitas in matre, quantum ad generationis actum, sed cum dicitur, pater & mater generant, æqualitas importatur. Sic ergo ex verbis illis saluatoris, & vnitas essentię, & personarum trinitas in propriis suis nominibus, siue rationibus significatur. Ordo etiam originis, atq; modus, ęqualitas quoq; personarum, & in natura diuina, & in operatione ad extra.

Baptizãtem non mutare debent formam à Christo traditam.

Quare baptizantes cautè videant, ne hanc formam mutent, dicentes: Baptizo te in nominibus patris, & filii, & spiritussancti. Aut nomen ad singulas personas, dicendo: In nomine patris, & in nomine filii, & in nomine spiritussancti. Aut etiam mutando coniunctionem & dicendo: Baptizo te in nomine patris cum filio, & cum spiritu sancto, quia in talibus mutationibus dubium magnum foret, si verus esset baptismus, & probabilius q̀ non, quã q̀ sic, vt habetur. 4. sententiarum. Hanc

ergo trinitatis fidem inconcussam ex verbis Christi colligimus, qua profitemur patrem, & filium & spiritumsanctum tres personas realiter distinctas, quorum pater à nullo est, filius à solo patre genitus, spiritussanctus ab vtroq; æternaliter procedens. Et ideò nec pater est filius, nec spiritussanctus, nec filius pater est, aut spiritussanctus, nec spiritussanctus pater, & filius. Sunt tamen hi tres vnius substantiæ, & naturę per omnia vnus æternus verus Deus in secula benedictus. Et tantum de primo.

Verbum in nomine patris, & filii, & spiritussancti ē verbum summę dignitatis.

Ostenso nunc quō credéda de summa, & superbenedicta trinitate latent in verbo domini, quo ait. In nomine patris, & filii, & spiritussancti, superesset nuuc ad creditorum intelligentiā sursum mentem attollere. Sed quia tūc meremur intelligentiam creditorum, dum ea, quę credimus, opere adornamus, consilium beati Aug. puto nobis audiendum, pariter & imitandum, vt dominus det intellectum. Ait enim sermone. 39. de verbis euangelii. Fratres ad magna tendimus, parua capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudinem Dei, cape prius humilitatem Dei Et sequitur. Credite præceptis Dei, & facite illa, & dabit vobis robur intelligentiæ. Non pręsumatis, & quasi anteponatis scientiam præcepto Dei, ne inferiores, non solidiores remaneatis, arborem attendite, petit prius ima vt sursum excrescat, figit radicem in humili, vt verticem tendat ad cęlum. Nunquid nititur nisi ad humilitatem? Tu autem sine charitate, sine humilitate vis excelsa comprehendere. Sine radice auras petis, ruina est ista, non incrementum. Et iterum in eodem. Si vis illum mente contingere, purga mentem, purga cor tuum, purga oculum tuum, vnde illud, quicquid est possit attingi. Mundum fac oculum cordis. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.

Sed ad humiliandum seipsum, ad mundandum mentis oculum, necesse ē omnia intendere, & operari. In nomine patris, & filii, & spiritussancti. Est nā hoc verbum siue nomen diuinum, summæ dignitatis, maximę efficaciæ, & virtutis, & ideò nobis summæ reuerentiæ & timoris. Cum enim omnia nomina repręsentantia Deum quantum ad signatum, vnum nomen sint, sicut dicitur Zach. 14. Deus vnus, & erit nomē eius vnum, & secundum hoc de quolibet dicit propheta. Magnus es tu, & magnum nomen tuum. Est tamen inter ista nomina Dei in ratione signorum distinctio aliqua, secundum q̄ distinctius ea, quæ Dei sunt, significant. Sicut nomina propria digniora sunt appropriatis, & quæ ex institutione Deum significant, pręferuntur eis, quæ ex quadam circumlocutione, & analogia Deo attribuuntur. Sicut etiā apud iudæos nomen Dei Tetragrammaton omnibus aliis maioris fuit reuerentiæ, & inter nomina Christi Iesus (quia nomen proprium est) dignitatis obtinet principatum. Sed per hoc verbum. In nomine patris, & filii, & spiritussancti, diuinę essentię vnitas, & personarum trinitas distinctissimè, & sub propriis rationibus (vt dictum est) designatur clarius, quam in quocunq; alio nomine Deū repræsentāte, & quicquid in aliis circumlocutiuè, attributiuè, & quasi sub velamine includitur, in hoc expresse, & propriè significatur, ita vt de hoc verificari posset illud Canticorum: Oleum effusum nomen tuum Omnia .n. nomina patribus reuelata quasi oleum inclusum. In hoc autem oleum diuinæ cō municabilitatis claret effusum per patrem in filium, & ab vtroq; in spiritum sanctum. Ideò hoc nomen non propheta, non angelus attulit, sed ipsum primò os domini nominauit. Esa. 62. Ipse enim filius, qui solus nouit patrē Mat. 11. & patrem & spiritum sanctum nobis clarè reuelauit, & hoc nomine designauit. De hoc ergo verissimū est verbum psal. 112. A solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen domini.

Est quoque maximę virtutis, neque ad id enarrare sufficere poterit mens humana, dicente Moyse Exod. 15.

Omni

Verbum in nomine patris &c. est à nobis colendum, & amplectendum aduersus hæreticos.

Omnipotens nomen eius. Et Prouerb. 18. Turris fortissima nomen domini, ad ipsum fugit iustus, & saluabitur In hoc nomine cuncta in principio sunt creata, natura hominis perdita restaurata, gratia infusa, peccata deleta, dæmones expulsi, infirmi curati, mortui suscitati, martyres confortati, atq; miraculis glorificati, vniuersa vitia; & inimici superati De quo Bern. sermone. 15. super Cantic. ait Tristatur aliquis vestrum, veniat in cor nomen domini, & inde saliat in os. Et ecce exortum nominis lumen, nubile omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper in laqueum mortis desperando, nonne si inuocat nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia vt assolet cordis, ignauię torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lachrymarum, inuocato nomine domini non continuo erupit vberior, fluxit suauior? Cui in periculis palpanti, & trepidanti, inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui quæso, in dubiis æstuanti, & fluctuanti ad inuocationem clari nominis non subito emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iamiamq; deficienti, si nomen adiutorii sonuit, defuit fortitudo? Et sequitur. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, & totius indecoris fugat pruriginem, deniq; excitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honestos, castas souet affectiones. Hæc Ber.

Fidei secreta nemo potest capere sine mundo & humiliato corde.

Dicis fortè. Hoc de nomine Iesu Bernardus scribit, sed & apostoli in nomine Iesu Christi miracula operati sunt, & baptizarunt, vt habetur Actu. decimo. Ad quod dicendum secundum beatum Ambro. lib. 1. de spiritu sancto. In nomine Christi tota trinitas intelligitur, & similiter in nomine Iesu. Et ita quicquid in his nominibus dignitatis veneramur, ex eo est quia in eis nomen hoc, de quo loquimur, pater, filius, & spiritussanctus intelligitur. Ait enim: Si Christum dicas, & patrem, à quo vnctus est filius, & ipsum qui vnctus est filium, & spiritum sanctum, quo vnctus est designasti. Scriptum enim Actu. secundo. Hunc Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus spiritu sancto. Iesus etiam nomen est suppositi diuini, & humani, & interpretatur saluator. Est autem Iesus saluator secundum vtranque naturam, secundum humanam quidem salutem nobis meruit, sed secundum diuinam, cum patre, & spiritu sancto salutem dedit. Ideò ait Ioan. 14 Pater in me manens ipse facit opera. Et præmisit. Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor. Et Esaię. 61. Spiritus domini super me, eo ꝙ vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde &c. vt pro se allegat gat Lucæ. 4. Sed nemo dubitat maiorem esse, qui dat, & qui coronat, quam qui meretur. Qui etsi solus carnem suscepit propter nostram salutem, eum tamen ad nostram redemptionem, & pater, & spiritussanctus, immo & ipse filius misit, vt habetur in primo. dist. 25. Et hoc innuit ipse Bernar. vbi sup. cum dicit. Cum nomino Iesum, hominem, mihi præpono omni sanctitate conspicuum, eundemq; ipsum Deum omnipotentem. Sumo vtique mihi exempla de homine, auxilium de omnipotentia, principalius ergo toti trinitati attribuitur omnis dignitas, & efficacia, quæ in nomine Iesu Christi inuenitur.

Ex quo manifestum est quantæ nobis esse debet reuerentię, & timoris. Reuerentiæ, vt semper id geramus in corde, semper proferamus ore, & tanquam baculum nostræ infirmitatis sit nobis in manibus, quo, sustentati progrediamur de virtute in virtutem, & quasi scutum contra omnes corporis & animæ molestias, nostris appensum sit corporibus Scientes quia omnis, qui inuocauerit nomen domini, saluus erit.

erit. Ioelis. secundo. Timoris verò, ne id polluamus, ne id blasphememus, sicut scriptum est Deuteron. 28. Et timueris nomen eius gloriosum, & terribile. Et in psal. Sanctum, & terribile nomen eius. Si enim imaginem passionis Christi pictam, aut crucis signaculum, qui polluit, grauiter punitur. Quid si tantum nomen, quod intrinseca diuinitatis significando penetrat, à nobis inhoneretur contra præceptum domini Leuit. 19. Ne polluas nomen Dei tui. Et ne assumas nomen Dei tui in vanum. Summopere itaque curemus Dei nomen revereri, & honorare, quatenus eiusdem nominis effectum in nobis sentire valeamus &cet.

## IN FESTO TRINITAtis Sermo V. in ordine. XLIII.

NOBIS autem vnus Deus. primo. Cor 8.

Trinitatis festū quare institutum ab ecclesia.

Deorum pluralitatem non solum qui legem acceperunt iudæi, & christiani, sed & gentilium reprobant philosophi. Multiplicibus rationibus vnum tantum Deum, omnium rerum summum principem, & principium, à quo omnibus datum est esse, & viuere comprobarunt, ita vt nulli rationis naturalis ductu agenti dubium relinquatur nihil esse idolum in mundo, vt dicit apostolus vbi thema id est idola nihil diuinitatis habere. Verum quia hunc solum Deum scriptura nec solitarium, nec diuersum esse prædicat (quoniam & consortium trium personarum profitetur in essentiæ vnitate, vt vult Hilar. quarto. de trinita. Et Magister distinctione 23. primi. Consonat Hugo de sacramentis parte tertia capitu. 29: ad quod humana ratio non pertingit) Idcirco quidam suo sensui innitentes, quamuis scripturas vtriusque testamenti receperint, non capientes in vnitate substantię personalem distinctionem, in oppositas hęreses prolapsi sunt. Quibusdam tenentibus essentiæ vnitatem, & distinctionem personarum negantibus, quorum author fuit Sabellius. Aliis econtra personarum distinctionem attendentibus, & vnitatem scindentibus substantiæ, quorum seductor fuerat Arrius. Primi personas confuderunt, dicentes eandem personam nunc dici patrem, nunc filium, nunc spiritum sanctum. Secundi essentiam diuiserunt, dicentes filium, & spiritum sanctum non solum personaliter, sed & essentialiter distingui à patre. Contra quos in symbolo dicit Athanasius. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Et 1. Ioann. 5. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, pater, verbum, & spiritussanctus. Et hi tres vnum sunt. Ecclesia ergo catholica inconcussam filiis suis fidem tradere cupiens, distincta festa personis appropriauit, quę iam volente domino exegimus contra Sabellianos personas non distinguentes: Hodiernam quoque superaddit solemnitatem quam neutri personarum appropriando attribuit, sed magis vnitati diuinæ essentię, quę vna est, & eadem per omnia in tribus, pater, filius, & spiritussanctus, contra Arrianos, filium & spiritum sanctum à patre separantes substantialiter, & ita essentiam in eis multiplicantes, vt sic suos filios rectè instruat, non solum trinitatem in vnitate in festis personis appropriatis, sed & vnitatem in trinitate venerari in solemnitate hodierna. Cui seruit sermo apostoli in themate præmissus: Nobis autem vnus Deus. Pro gratia Aue.

Hæresis Sabellii.

Dei cognitio quomodo ostendenda.

Quia in hodierna solemnitate vt ad necessariam nobis Dei cognitionem pertingamus, vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate firmiter credenda, cognoscendaque proponitur. Ideò primum declarandum est quo modo ad tantæ rei cognitionem quærendam est procedendum. Secundò de illis, quæ de Deo cognosci oportet, inuestigandum. Tertiò quid à nobis

cogni

cognito domino quantum in via fati est, fit agendum. Hæc tria thema amplectitur. Quantum ad primum. Qui secundum Magistrum distin. 2. primi[a] mentis humanæ acies in tam excellenti luce diuinitatis non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur. Ideò de hac summa, & excellentissima re cum modestia, & timore est agendum, & attentissimis, ac deuotis auribus audiendum, vbi quæritur vnitas trinitatis patris, & filii, & spiritussancti, vt dicit August. 1. de trinitate. Et subdit rationem. Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.

Trinitatis inuestigatio periculosa quibus.

Periculosè quærunt, qui curiosè quærunt. De his dicitur Prouerbi. 25. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Vtiliter verò & fructuosè quærunt, qui in simplicitate cordis quærunt. Quomodo vt illum quæramus, hortatur scriptura Sapien. 1. Sentite inquit de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quęrite illum. Quoniam inuenitur ab ijs, qui non tentant illum. Et in psalmo 104. Lętetur cor quærentium dominum. Et iterum. Inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Ad hoc Augustinus decimo de trinitate. capit. primo. Quærunt autem dominum curiosè, qui dumtaxat quærunt ad pascendum intellectum scientiæ naturaliter cupidum, non ad rectificandum affectum, ea, quæ supra se sunt aut ad se non pertinent scrutantes. Quibus dicitur Eccle. 3. Altiora te ne quesieritis, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ percepit tibi Deus cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Tales curiosi per scrutatores diuinę maiestatis fuere gentilium philosophi, de quibus Roman. 1. Cum cognouerunt Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes.n.se esse sapientes, stulti facti sunt. In simplicitate cordis quærunt Deum, quorum cor diuisum non est, siue multiplex, non querentes aliud scire, & aliud velle, vel operari, sed id ipsum quod scientia ministrat intellectui, exequi conantur effectu & voluntate. Hi vtiliter Deum quærunt, quoniam quæsitum inueniunt, sicut per Hieremiam 29. pollicetur dominus. Quæretis me, & inuenietis cum ex toto corde me quæsieritis.

Deus variis modis quæritur ab hominibus.

Primi quærunt dominum, quomodo homines nouitatibus delectati studiosè audiunt gesta, & habitudines regum & principum multum distantium, nihil ad se pertinentium, quo cognito nihil minus, nec magis, nec aliter agunt. Secundi verò Deum nosse gestiunt quomodo serui aut subditi suum regem, aut principem. Cuius mores cum didicerint, secundum hoc vitam, & mores suos sollicitè componunt, ne suo principi, cuius iram timēt displiceant. Sic & nos intelligere Deū laboremus, quia vtilissimus est labor. Beatificat enim ipso teste domino. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Ioann. 13. Et hoc est, quod latenter in themate innuit apostolus cum ait: Nobis autem vnus Deus. Volens enim contra gentilium idolatriam ostendere vnum solum, & verum esse Deum, cur adderet nobis (cum ipse Deus sit omnium cęli, terræ & infernorum, immo sicut Iob. 11. scribitur. Cœlo excelsior, inferno profundior, longior terra, latior mari) nisi erudire vellet, vt ea, quæ de Deo intelligimus, non tanquā de alieno principe, vel domino, sed tanquam de nostro summo, & omnipotente creatore, ac gubernatore, ac rege, cuius serui, ac subditi nos sumus capiamus, & secundū hæc cognita vitam nostram dirigamus? quasi diceret: Et sibi, qui se existimant scire Deum quasi alienum scrutantur, nihilominus idolis suis seruientes, quæ dicuntur apud eos dii, quamuis nihil sunt. Scimus tamen nos quia nullus Deus nisi vnus, qui & si omnium Deus est, nobis tamen vnus Deus est, ita honorandus sicut nobis cognitus. Tantum de primo.

Quæ

Deus dupliciter cognosci pôt in se.

Quę autem de ipso cognoscéda nobis sunt, his verbis Apostolus docuit quia nobis vnus est Deus, neque aliud aliquid de ipso scire possumus nisi qđ nobis vnus est Deus. Si enim de ipso scimus quia res quędam summa est, si tamen res appellari potest. Si de ipso simus, quia potentissimus, quia infinitus, quia sapientissimus, incomprehensibilis, quia omnium causa efficiens, exemplaris, finalis omnia producens, omnia conseruans, omnia regens, & cætera similia, quid aliud scimus, nisi quod nobis vnus est Deus. Propter quod Magister distinct. 1. libri primi. Non inquit, potest facile inueniri nomē, quòd tantę excellentię conuenit, nisi quòd melius dicitur trinitas hæc vnus Deus. Verum Deus dupliciter cognosci potest. In se, aut similitudine quadam. In seipso quidem à nobis in hac peregrinatione constitutis cognosci non potest. Sic enim posuit tenebras latibulum suum. Et Moysi in caligine nubis apparuit in monte. Siquidem tenebrosa aqua in nubibus aeris, quoniam lympiditas diuinæ cognitionis tenebrosa est, nō solum communibus hominibus, sed nubibus aeris. i. sanctorum mentibus eleuatis. De hoc beatus Aug. in meditationibus. cap. 28. Certum est corporeis oculis te non posse sentiri, sed nec ab vllo mortalium in propria essentia potuisse aliquando uideri. Hinc Dionysius ad Gaium monachum scribit. Et si aliquis videns Deum intellexit, quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquod eorum, quæ sunt eius, quæ existunt, & cognoscuntur. Vide de hoc Hugonem de sacramentis, parte 10. c. 1. Greg. 29. moral. optime consonat in §. 8. Et beatus Greg. hom. 8, in Ezec. Quantalibet intentione se mens humana tetenderit, etiamsi iam phantasias imaginum corporalium à cogitatione compescat, adhuc tamē in mortali carne posita videre gloriā Dei non valet, sicuti est, sed quicquid de illa est, quę in mēte resplēdet, similitudo, & non ipsa est. Propter quod vigilanter describens Ezechiel visionem sibi à domino ostensam. Hęc inquit visio similitudinis glorię Dei, non gloriæ dicit, sed similitudinis glorię Dei eiusdē 1. Et Paulus in tertium cœlum raptus, Videmus autem nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem 1. Cor. 13.

Quē verò in seipso cognoscere nō valemus, in similitudine cognoscimus, in qua seipm reuelauit nobis. Reuelauit siqdē seipm nobis in creatura, sed obscurius. Reuelauit ēt se nobis clari' in scriptura. De primo Ro. 1. Qđ notū est dei manifestū est in illis. Deus ēm illis reuelauit. Inuisibilia ēm ipsius à creatura mūdi. i. hoīe, p ea, quę facta sunt, intellecta cōspiciūtur, sēpiterna quoque virtus, & bonitas tanq̄ causa per effectū Dimissis pnūc scripturę testimonijs, ī quib' clari' cognoscitur Deus, Videamus, qd nobis de deo loquūtur creaturæ. Hoc ēm mō nihil nobis Deo notius quoniā eū clamant oēs creaturæ simul, & quęlibet singillatim. Sicut anima sua cuilibet inuisa est, & quintum ad quid est in ipsa incognita. Quia tñ in corpore sit, ipsumq; viuificet, & regat, nihil homini magis cognitū. Hæc enim vniuersi corporis motus, & quælibet hominis opera clamant simul, & singillatim. De hoc verò, quod omnes creaturę Deū clamant, ita loquitur Hugo. parte 3. ca. 18. Loquitur omnis natura auctorem suum, & indicat, quod factum, est opificem intelligendi sensum habentibus. Ad idem beatus Aug. 15. de trini. cap. 4. Neque enim diuinorum librorū tantummodo autoritas Deum esse prædicat, sed omnis, quæ nos circunstat, ad quam etiam nos pertinemus, vniuersa ipsa rerū natura proclamat se habere pręstantissimum conditorem, qui nobis mētē, rōnēq; dedit naturalē, qua.

Creaturæ omnes clamant Deum.

Viuentia, non viuentibus.
Sensu prædita, non sentientibus.
Intelligentia, non intelligentibus.
Immortalia, mortalibus.
Impotentibus, potentia.
Iniustis, iusta.
Deformibus, speciosa.
Malis, bona.
Corruptibilibus, incorruptibilia.

Immutabilia, mutabilibus.
Incorporalia, corporalibus.
Beata, miseris præferenda judicamus, ac per hoc quoniam rebus creatis sine dubio præponimus creatorem, oportet & eum summè viuere, cuncta sentire, & intelligere, mori, corrumpi iuuariq; non posse, nec corpus esse, sed spiritum, omnipotentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur.

Perfe-ctiones 12. in creatore. Ecce duodecim nobilissimas perfectiones in creatore nobis testãtur creaturę, quæ sunt.

Eternus
Immortalis
Incorruptibilis } Ecce quatuor.
Immutabilis

Viuus
Sapiens
Potens } Ecce quatuor.
Speciosus

Iustus
Bonus
Spiritus } Iterum quatuor.
Beatus

Reducit tamen illa beatus August. ad tria. Prima quatuor ad ęternitatem quæ reliqua compręhendit. Eternus enim eo ipso immortalis est, incorruptibilis, & immutabilis. Alia quatuor ad sapientiam. Si enim sapiens, ergo viuus, potens, speciosus. De sapientia enim (quia pulcherrima forma) scribitur. Amator factus sum formæ illius. Quid sapientia potentius, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter &c.? Sap. 8. Alia quatuor ad beatitudinem. Si enim beatus erit vtique bonus, iustus, & spiritus.

Eternus Pater { Immortalis. Incorruptibilis. Immutabilis.

Sapiens Filius { Viuus. Potens. Speciosus.

Beatus spiritussanctus { Iustus. Bonus. Spiritus

His autem tribus, æternitate, sapientia, beatitudine relucet personarum trinitas per appropriationem, qua ęternitas patri, sapientia filio, beatitudo appropriatur, spirituisancto.

Sed & hæc tria Aug. reducit ad sapientiam, ostendens apertè omnia his 12. nominibus expressa in Deo idem esse, nec diuidi, nec separari posse inter se, vel à Deo. Non enim hæc de Deo dicuntur secundum accidens, sed secundum substantiam. Nec est aliud à Deo quicquid est in Deo. Cum enim Deus sit entitas summa, & perfectissima, & secundum Ansel. quo melius excogitari non potest, necesse est, vt nullam perfectionem ab alio mendicet, sed esset sibi possibilem sibi identificet. Vnde clarissimè relucet vnitas dei, & impossibilitas pluralitatis deorum. Vide Hugonem de sacramentis parte 3. cap. 11. Si enim plures, cum neuter alio perfectior esse potest, alio quin imperfectior Deus non esset. Et si æquè perfecti, vel quilibet identificaret sibi alterius perfectionem. & ita idem essent. Aut non, & sic neuter Deus esset, cum cuilibet perfectio deesset alterius formaliter, & eminenter, & ita quilibet imperfectus Vnus ergo tantum est Deus, & ideò perfectissimus. Nec aliter esse posset, quæ dicta sunt, scilicet omnium potẽtissimus, sapientissimus &c. nisi vnus. Pulchrè itaque omnem diuinam perfectionem designauit Apostolus cum dixit, Nobis Deus vnus est. Sed neque in hac vnitate trinitas latet personarum: quam in eo ostendit Aug. 15. de trini. quia est summa sapientia, ad quam reducit omnem diuinam perfectionem. Vbi nanque est sapientia, ibi est mens generans, verbum nascens, & amor nectens. Mens generans pater est, Verbũ nascens, filius. Amor nectens, spiritussanctus. Ecce nihil de Deo tacuit Apostolus cum dixit, Nobis autem Deus vnus est. Tantum de secundo. Relinquitur propter prolixitatem quomodo in singulis creaturis repræsentatur Deus per modum vestigii, vel imaginis, qđ tamen foret hic declarandum.

Perfe-ctiones quæ patri, quæ alio, quę S. S.

Cognouimus ex verbis Apostoli vnum esse Deum, & ideò summè perfe-

ctum

ctum & omni bonitate plenissimum. Curemus autem ut ille sit nobis unus Deus.i.unicus, ad quem omne nostrum tendat desyderium. Faciemus hoc si nos fuerimus populus eius & oues pascue eius. Sic enim ait propheta. Ipse est dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuę eius. Quo modo autem populus domini constituemur? Certè si sibi configurabimur, si sibi assimilemur. Solet enim populus, & familia principis suo domino in vestitu, vel signo quodam configurari. Et quidem ad hoc tota natura festinat, vt suo creatori assimiletur quantum potest, sicut ait Aristoteles 2. de anima. immo (eodem teste) illius causa agunt, quæcunque agunt secundum naturam. Omnia siquidem naturalia opera cuiuslibet suppositi ad hoc tendunt, vt suum esse, in quo diuina sibi participata est bonitas, & similitudo, conseruent in indiuiduo vel in specie. Ideò resistit omne ens corrumpenti, appetitque permanere. Boe.3.de consol.prosa 11. Rationalis verò creatura nō in hoc solum, sed etiam naturaliter tendit in diuinas perfectiones. Intellectus ad verum: Affectus ad bonum. Hæc sunt optima, ad quæ naturaliter ratio depreca tur, vt dicit Arist.1.Eth Nitamur ergo (naturali inclinatione docti, & adiuti) vni Deo nostro conformari, vt primū in nobis inueniatur trinitas in vnitate.i.memoria, intellectus, & voluntas in Deo nostro vniti. Fiet hoc si pro nostro modulo hęc, quæ Deo inesse audiuimus, nosipsi habere laboremus. Sic em̄ in hoc mundo homo Deo assimilatur secundum Hugo. in suo didalca. si fuerit sapiens, iustus, ac cęteris virtutibus adornatus. Eo enim Deo similior, quo sapientior, & iustior &c. & eo sapientior, & iustior quo Deo similior.

Dei ęternitas, sapientia bonitas, pōt innobis inueniri.

Et quia cunctas supra memoratas diuinas perfectiones August. reducit ad tres, ad ęternitatem, sapientiam, beatitudinem, satagamus has in nobis habere, quantum valemus. Eternitas stabilitatem importat & indeficientiam. Ad eam ergo tendimus, si ab omnibus caducis, & transitoriis retracti, stabiliter ęterna quærimus, procedendo, semper crescendo, & non relabendo, sicut Apostolus ait. Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum prosequor brauium diuinę vocationis Phil.3. Quid enim proficit bona incipere, & non in eis stabiliter perseuerare, & crescere? Nunquam viator ad terminum veniret, si quoties inciperet ab itinere resiliret. Sic erimus immortales, si iuxta Apostolum fuerimus in bono non deficientes, quia tunc tantum moritur anima, cum à bono separatur. Simus incorruptibiles nulla caduca, & sensuali delectatione vincibiles, quæ corrumpunt bonos mores, & immutabiles, sēper in vnum.s.Deum summum bonum tendentes. Et quamuis diuersa pro causarum qualitate agere contingat, à fine tamen vltimo, in quem ordinanda sūt omnia, intentionem operis nequaquā reflectamus. Sic in multiplicitate vnitas, & in actionum varietate vnius intentionis seruabitur immutabilitas, sicut Apostolus hortatur, Omnia in gloriam Dei facite.1. Cor 10.

Conemur etiam ad sapientiam, quæ est æternorum contemplatio, vt secundum Apostolum.1. Tim.2. Prophanas, stultas, & sine disciplina quæstiones deuitantes, doctrinæ veritatis interiorem accommodemus auditum. Sic verò viuemus, si ocio sapientiæ vacabimus. Alioquin quid est ocium sine bonis literis nisi viui hominis sepultura, vt dicit Seneca? Erimus & tunc potentes atque ad operandum robusti, si consiliis sapientię operum, & agendorum exitus metiemur, sicut scriptum est. Vir sapiens, & fortis est, vir doctus robustus & validus. Prouerb. 24. Speciosi quoq; tunc erimus, quia corde mundi, & pulcherrimis supernorum cogitationibus, & formis pleni. Simus demum beati, fruentes nunc Deo nō in re, sed in spe, diligendo Deum purè, & mundè propter seipsum. Hoc enim est frui amore alicui inhærere propter se, vt dicit August.1. de doctrina christiana. Hic amor,

persona vniebantur. Sicque panis vitæ, panis Angelorum, panis qui de cœlo descendit, in virginis matris conctus est vtero, eodem spiritusancto docente, intellexit eundem filium suum iam cibum hominum factum, qui est cibus Angelorum, sub sacramentali panis, & vini specie, homines fructu multiplici refecturum. Ideò in laudibus, quibus anima sua pro accepto beneficio magnificabat dominum, exultante spiritu eius in Deo salutari suo, hoc ipsum grande mysterium prophetando cecinit, & expressit dicens.

Euch. fructus licet ineffabilis tamen verbulo designâtur à virgine.

Esurientes impleuit bonis. Nec breuius, nec efficatius cęlestis edulii vtilitatem, & fructum edicere potuit, dum non quoslibet, non vtique diuites (de quibus mox subiunxerat. Et diuites dimisit inanes) sed esurientes bonis prædixerat adimpleri. Esurientes sunt pauperes, quorum animus renuit consolari in hoc mundo, quorum stomachus iustitiam esuriens, à noxiis humoribus secularium delectationum euacuatus est, qui extinctis inanibus desyderiis, sitiunt ad Deum, quatenus veniant, & appareant ante faciem eius. De quibus propheta prædixerat. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Et iterum. Edent pauperes, & saturabuntur. Et in alio cantico. Famelici saturati sunt. Beati vtique, qui sic esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur, dum implebuntur bonis.

Verum quia esuries ista ad dispositionem pertinet cibandorum. De qua, dum ad communicandum fideles conueniunt, puta in præparatione paschæ, solet conuenientius prædicari. Nunc ad bona, quibus sacrosancta replet esurientes Eucharistia, mentis oculum reflectamus. Hæc (vt supra dixi,) nec efficacius, nec breuius, nec plenius exprimi poterant, quam verbis iam sępius repetitis. Esurientes impleuit bonis. Cum enim tanti sunt fructus eucharistiæ quantus ipse, qui sumitur Enumeret fructus eius, & effectus, qui potest compręhendere incompręhensibilem, ineffabilem eloqui, atque sub numero concludere mensura, & pondere infinitum. Innumerabiles itaque fructus in particulari, pulchrè regis superni filia diuinorum secretorum, super omnes creaturas in vnionem suppositi diuini nō assumptas conscia in vniuersali bonitatis nomine conglomerauit, cum esurientes non affici, non tangi, sed impleri bonis dixit.

Quibus bonis? omnibus nimirum, quia vniuersali bono omnia includente, scilicet Christo domino totius scaturagine bonitatis. Vnde panis iste secundum magistrum distinct. octaua. quarti. Eucharistia excellenter, idest bona gratia dicitur, quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis, & gratiæ, sed ille totus sumitur, qui fons est totius gratiæ, & origo. Rectè itaq; hęc dicens prudentissima virgo, panis huius exhibitrix, imitata est patrē suū Dauid, qui eodem spiritu infusus dū diuinā benignitatē magnificare voluisset, ait. Quā bonus Israel Deus. Et iterū. Confitemini dño, quoniā bonus, quoniā in seculum misericordia ei9, dicendo dominū bonum in se, & misericordē nobis, nec tamē exprimendo in quo illo, vel isto in particulari bono significauit ipsum esse bonum vniuersale, omne, omne, q̄ est bonū est includēs, nullo particulari bono designandum. Quē cum iterum in alio psalmo misericordem cecinisset Memoriā, inquit, fecit mirabiliū suorū misericors & miserator dominus, addidit, escam dedit timentibus se, quasi in hoc cibo salutari nobis pręstito omnē bonitatis suæ misericordiā collegisset. Quia ergo ad cōpręhendendū omnes fructus quibus implet esurientes, bonorū nomine designatos, huius panis supcęlestis non sufficimus, altè aliquos pro qualicūq; desyderii nr̄i, ac deuotiōis excitatione iperfectè balbutiēdo, put ipse donare dignabiť disseramus, qa de excellentia huius sacramēti quantum ad contenti veritatem miraculosam, prius quædam memoror prædicasse.

Eucharistiæ fructus æternationem reducūt.

O Possu-

imperfectè balbutiendo prout ipse do nare dignabitur differamus, quia de ex excellentia huius sacramenti quantum ad contenti veritatem miraculosam, prius quædam memoror prædicasse.

Possumus autem primò fructus eius sub ternario quodam distribuere, secundum sanctum Bonau. in breuiloquio. Quoniam est fructus, siue bonum huius sacramenti vnus, sacrificij oblatio, alius viatoris refectio, tertius est refectionis communio. Primus assignatur quo ad Deum. Tertius quo ad proximum. Secundus quo ad seipsum. Nam oblatione sacrificii recōciliamur Deo, communicatione conuiuii participamus proximo, & refectione edulii in nostro animo saginamur. Apta quidem est hæc assignatio, & quantū ad charitatis ordinē ad deū, seipsū, pximū, & quātū ad ea, quæ in hoc scrato cōsyderant. est enim sacramentum illud repræsentatio dominicę passionis, sicut domin⁹ ipsum instituēs, ait. Hoc facite in meā commemorationem Lucę. 22. Et Apostolus 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem domini bibetis, mortem domini annunciabitis, donec veniat. Et ideò effectū, quem passio Christi fecit in mūdo, hoc sacramentum facit in homine dispositio, vt dicit Tho. parte 3. quæst. 59. arti. primo. Vnde Chrysost. super illud Io. 19. Continuo exiuit sanguis, & aqua. dicit, quod hinc suscipiunt principium sacra mysteria. Cum accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa ita accedas, vt & ipse dominus dicit. Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Traditur quoque hoc sacramentū per modum cibi, & potus, & ideò omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quantum, quem cibus, & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem sustentando, agendo, reparando, delectando, hoc totum facit illud sacramentum animæ, quantum ad vitam spiritualem. Ideò dominus ipse ait. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ioan. 6. Ambro. lib. de sacramentis. Iste panis est vitæ æternæ, & animę nostrę substantiam fulcit. Traditur denique in his speciebus, quæ vnionem habent ex multis ideò ipsum vniuersa membra Christi corporis vnit capiti ex sibi ipsis. Hinc August. super Ioann. Dominus noster (inquit) corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquod reducuntur. Ex multis nanque granis vnus panis conficitur, & ex multis racemis vinum confluit. Et ideò alibi dicit super Io. O sacramentum pietatis. O signum vnitatis. O vinculum charitatis.

Euch. sacramentum figuris figuratum.

Secundum hæc quoque tripliciter figuratum est quantum ad figuras principales. Sacramentum expiationis quā tum ad sacrificium. De quo Apostolus ad Hebre. nono. Licet omnia sacrificia veteris legis fuerint figura Christi passi in hoc sacramento contenti, maxime tamen illud sacramentum expiationis, quod erat solennissimum, à solo pontifice summo semel in anno sancta sanctorum cum sanguine ad populi expiationem intrante, vt habetur Leuit. decimosexto, & Nume. decimonono. Figurabatur quantum ad fructum refectionis per manna in deserto, quod (vt scribitur Sa. decimosexto) omne delectamentum in se habebat, & omnem saporem suauitatis. Quantum verò ad vim vnitiuam participantium, figuratum est, Melchisedech panem, & vinum, quæ ex multis collectis & vnitis constant, obtulit Gen. decimoquarto. Paschalis verò agnus omnia hæc figurabat, vt latius ostendit Tho. parte 3. quæst. decimaseptima, articul. sexto. Habet nihilo minus secundum hęc tria etiam triplex nomen panis iste salutaris. Quo ad primum dicitur sacrificium. Quo ad secundum viaticum, quia reficit in via, & perducit ad patriam, vitam, scilicet æternam, & propter idem dicitur Eucharistia, quod est bona gratia Nam gratia Dei vita ęterna. Roman. 6. Quo ad tertium dicitur communio vel synaxis secundum Damascenum, in quarto, quia commu

nica

dicamus, & vnimur per ipsum, vt suo loco patebit. Oblatio itaque initiata est in cruce facta Deo sacrificium. Viaticum perducit hominē ad terminum. Communio tenet interim proximos in vnum. O si habeamus amicum, ad quē vadamus media nocte pręsentis miseriæ, & dicamus ei, Amice ac commoda.i.commoda mihi tres panes, idest intelligentiam huius triplicis fructus, & bonitatis. O vtinam præcum instantia victus det, quotquot habemus necessarios, & esurientes impleamur bonis. Sunt autem, qui conantur sub quolibet trium duodecim fructus ordinare, sub mysticis assignationibus in scriptura. Verùm nimiam prolixitatem fugientes, duodecim fructus speciales notare possumus indifferenter prædictos tres generales respicientes secundum numerum duodecimum, panum 5. & 6 quibus dominus saturauit turbas. Ioan. sexto, Marc. octauo. Vel duodecim cophinorum repletorum ex collectis de iis, quæ superfuerunt in refectione quinque panum ab Apostolis. Aut etiam duodecim fontium in Helim quasi totidem refectionum. Exo. 15 quia nihil prohibet omne quod reficit panem dici, secundum quam acceptionem petimus Panē nostrum quotidianum da nobis hodie. Nec mirandum si fontes vocamus panes, cum de lachrymis testatus psalm. Fuerunt mihi lachrymæ meæ pa. die, ac nocte. Vel postremò duodecim fructuum ligni vitæ Apoc. 22. quia verè lignum vitæ est panis iste, de quo qui gustauerit, non morietur, sed viuet in ęternum. Ioan. 6.

Eucharistiæ effectus tres generales. Cancellarius parisiē.

Colligit autem & tres fructus generales prędictos, & duodecim speciales sub his metris Cancellarius parisiensis super Magnificat, ita scribens. Hostia sacrificat, sociat, cibat. Ecce tres fructus generales. sequitur quantum ad duodecim spirituales. Et cibus iste. Restaurat, satiat, delectat, roborat, auget. Obdormire facit, caro seruit, mens dominatur vim genitiuam dat, transformat, inarrat, & vnit. Aliquid de primo effectu, qui est restauratio deperditorum dicamus, cæteris, vndecimo, profuturis sermonibus reseruatis. Restaurat igitur cibus ille de perdita, & inquantum sacrificium, & inquantum viaticum. Inquantum sacrificium, restaurat nobis omnia veteris legis sacrificia. In hoc siquidē vnico sacrificio holocaustum, & vitulos typicos super altare crucis imposuit. Introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. ad Hebr. nono. Facta est hostia peccati, damnauit de peccato peccatum, liberauit ecclesiam suam ab intolerabili iugo tot sacrificiorum, quæ neq; perfecta, neq; pleni, neq; placita per se erant, vt puta populo isti carnali ad idolatriam promptissimo in onus imposito. Nec placita reputabit illa dominus ex bonitate offerentium, propter malitiam studiorum suorum. Legatur Esa. Psal discutiantur, nihil apertius inuenitur, quàm reprobatio, & abominatio cum prohibitione sacrificiorum, si ad literam prout accipiebant, tunc iudei referantur, sicut latè ad Hebre. decimo, Apostolus manifestat. Sacrificium nihilominus expetit dominus, sed quale figurabant sacrificia illa, non litera, sed spiritu. Neque enim absque sacrificio manere, debuit homo, in protestationem supremi dominii, quod habet Deus super omnia, per omnia, in omnibus.

Euc. effectus declaratur qui estde perditorū restauratio.

Sacrificium ergo sicut, & verbum abbreuiatum fecit Deus super terram, hostiam vnam, vnicam, mundam, plenam bonis, plenam effectibus omnibus illis, pro quibus solebat offerri hostia literalis. Si inquam dilectionem peccatorū petis, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. Si gratiarum actionem. Gratias agit Christus Deo patri. Pater (inquit) gratias ago tibi quia audisti me, ego autem sciebam, quia sem per me audis, videlicet pro populo supplicantem. Ioan. vndecimo. Si malorum euitationem, sanat ipse nos & liberat. Quia verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, Esaiæ quinquagesimotertio

tio: Si bonorum consecutionem celerem, interrogatus latro docebit, qui tempore huius sacrificij vespertini audire meruit cum iuramento, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Luc. vigesimotertio. Sicque litteralis vetustas transijt, quæ omnia Deus pater in hoc sacrificio spiritualiter innouauit. Quia si curiosius es, & nouitas, vt assolet, placet, Ecce nouus rex, noua lex, nouum sacrificium, nouum testamentum, non vitulorum, sed Christi sanguine confirmatum, testamentum hæreditatis æternæ, propter quod dicit, qui sedet in throno, Ecce noua facio omnia. Apoc. 21. & 2. Corint. 5. Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christū, Tollantur & in nobis vetera veteris hominis carnalia, vt noua sint in nobis cor opus, & lingua, vt sic innouatis sint omnia noua. Siquidem latissima hoc est nouitatum materia ei, qui considerat tot varietatibus sacrificiorum, oblationum, holocaustorum veteris legis, nouit tollere nebulas figurarum ab eis, auferre ab oculis suis velum tempore huius sacrificij scissum, & conferre ad interiorem legis spiritum. Orietur protinus illi sol iustitię Christus, qui in sacrificio corporis, & sanguinis sui noua fecit omnia. Paschalem agnum, manna deserti, panem cęli, tauros immolationis, vitulos, hircum pro peccato cum hirco emissario, passeres, turtures, & columbas, vinum, & libamina, sal in omni sacrificio, caudam cū capite, neque mel, neque fermentum, quotidianum denique bis sacrificium, cum vespertino matutinum. Omnia hæc in Christo, in corporis sui, ac sacro sancti sanguinis sacrificio quotidie innouantur, vt ex infra dicendis patere poterit diligentius attendenti.

Euch. vnicum & perfectū est sacrificium.

Vnde solum hoc, ac vnicum est sacrificium perfectum, in quo spiritualiter omnia perficiuntur, Dei cultus, & honorificentia, gratiarumactio, offensæ reconciliatio, satisfactio, populi deuotio, adunatio, & cęteri sacrificiorum fines infra magis declarandi. Vnde sanctus Bonau. ait Tolle ab ecclesia hoc sacramentum, & sacrificium, quid erit in mundo nisi error, & infidelitas? Et erit populus christianus quasi grex dispersus, & idolatriæ deditus, sicut est videre in alijs infidelium sectis. Per hoc autem sacrificium roboratur ecclesia, fides viget, viret christiana religio, diuinus cultus perficitur, deuotio fidelium excitatur. Pulchrè siquidē dicit ait Sc. in suo 4. dist. 8 quæst. 1. quomodo tota christiani populi deuotio ad hoc sacro sanctum mysterium colligitur. Hinc ēt Guil. Parisien. in summa de sacramentis ait. Si manus sacerdotum nostrorū vacuę essent, si non illas veneranda illa, & sancta oblatio viuifici corporis, & sanguinis impleret, periret spes, & deuotio populi in ipsum redemptorem, quæ eidem populo maxima, atque fortissima est, quod tam inęstimabili benignitatis dulcedine, tam mirifica promptitudine se misericors redemptor exhibet per manus sacerdotum toti ecclesiæ suæ, & electorum suorum singulis. Deinde ipso bono sacrę communionis, spiritualisque refectionis Dei fraudaretur populus, maximoque suo ornatu, maximaq; opulentiæ suę parte, & templum Dei, & domus priuaretur, si illo tantæ flagrantię sacrificio huius tam necessarię, tamq; opulentę refectionis mensa careret. Hęc Guil.

Dei cultus gratia, actio perficiūtur in sacramento.

Pro illo itaq; admirabili munere, quo se totū sic nobis oīpotēs dn̄s dedit in sacrificiū, cibū, cōmunionis vinculū, datu rusq; est in pręmiū beatificū, cū vniuersos esurientes replebit bonis, quid ratio nabilius, ac magis debitū, quā vt nos totos sacrificemus Deo, credēdo illi, & amando illū, laudando, & gratias referēdo pro eo, quod à tā graui legis onere, & innumeris ei⁹ cerimoniis nos liberauit?

De quib⁹ Petrus pro se, & suis coapostolis testatur, quia nec ipsi, nec patres eorū portare potuerunt. Act. 15. Et tamen in nullo sacrificiorum, ac cęrimoniarum fructu nos priuauit, quinimo quicquid his quæsitum fuerat, plenissi

sissimè in hoc sacrificio dulcissimo cu mulauit. Concremetur hic totum cor nostrum, ardeat in holocaustum suauissimum domino. Dicit propheta domino de malignis idest male ignitis. Pone illos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dicat idem de benignis. Sic ipsi clibanus boni ignis, qui est in sion, & caminus eius in Hierusalem. Monstruosum minus gelidum est, si non fluat sicut cera cor nostrum à facie huius ignis, sicut fluxit, qui dicebat in Canticis: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Iam habemus non vocem, sed præsentiam. Cuius vtinam ignis nos totos deuoret, nam & ignis consumens est. Deuteron. quarto & pedes eius sicut electrum in camino ignis. Apocalyps. capi. primo. Iacuit ad pedes eius congelata prius Maria, tota mox in lachrymis instar niuis ad solè feruidum liquefacta est. Quisquis se abscondit à calore eius, congelatus erit, infelix erit.

Non ergo abscondamur, sed accedamus tanquam algentes ad calorem, famelici ad mensam ditissimam, quia esurientes implet bonis, accedentes gratiarum replet donis, idem Deus, & dominus noster Iesus Christus cum patre, & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula benedictus: Amen.

## *IN FESTO CORPORIS Christi Sermo. II. de mirabilibus sacramenti eucharistiæ in ordine. XLV.*

MEMORIAM fecit mirabilium suorum psal. 100.

Diuina potentia nullibi ita claret vt in sacramẽto Euch. Vniuersa domini opera magna sunt miracula, dicente propheta. Magna opera domini. Et alibi. Multa fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua. An non grandia sunt, totius mũdi creatio, tam varia creatorum distinctio, cunctorum benigna administratio, quæ dominus operatus est, vt visibilis creaturæ productione, qualis esset maiestas inuisibilis, doceremur? Ex magnitudine nanque creaturarum (ait magister distinctio. 3. primi) intelligitur conditor omnipotens, ex ordine, & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. Verum quia ista sua assiduitate viluerunt, vt pene nemo digne tur attendere opera Dei mira, & stupenda. Ea propter senescente iam mundo maximum nobis suæ miserationis exhibuit miraculum omni adoratione dignissimum cum nimia charitate impellente, vt nos, qui puluis sumus, & cinis, de morte æterna redimeret, quam nostra ex culpa incidimus, creator ipse dominus vniuersitatis formam serui accepit, ac pro nobis, cum inimici essemus, sanguinem suũ preciosissimum fudit, ac seipsum per passionem, & mortem patri offerens, nostra facinora expiauit. In quo plus, quam omnibus suis operibus reluxit sapientia, & potentia ac bonitas infinita. Horum mirabilium misericors, & miserator dominus memoriam non minus admirabilem reliquit, cum hoc diuinissimum sacramentum instituens, seipsum escam, dedit timentibus se. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. Luc. vigesimosecundo. Quotienscunque enim panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis. 1. Corinth. 11. Verè memoriale dignissimum, idemque ei quod proponitur memorandum. Solet magnificentissimus dominus primò omnium donorum seipsum dilectoribus suis donare, ita seipsum nobis memoriale suorum mirabilium contulit tantis admirationibus, suauitatibusque plenum vt nulla sui assiduitate vilescere possit etiam, per secula infinita, quinimmmo plenitudine suæ admirationis, mentes eius mysteria speculantes in nouas, trahat assiduè admirationes, ipsumque, spiritualiter degustantes, in recentes, inducat delectationes ipso dicente:

dicente, Qui me edunt, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Eccle. 24. Quare nedum passionis suæ semper mirabilis dici potest memoriale, sed etiam omnium suorum mirabilium, sua magnitudine miraculum præcipuum, & idcirco memoriale maximum. Vnde Augustinus in de speculo ecclesiæ ait, Reliqua sacramenta, quę tenentur in ecclesia tua domine, stupenda sunt, & veneranda. Sed illud tuum sacramentum præcellit vniuersa. Quod præsentiens in spiritu regius propheta, diuinã ex eo magnificaturus misericordiã, quo seipsum dedit escam timentibus se, admirando præmisit priorum tenorem verborum. Memoriam inquiens fecit mirabilium suorum &c. Aue Maria.

Diuina potentia, cuius mirabilia (vt dictum est) sunt opera, mirabilius, sublimius, & secretius in hoc sacramento operatur, quorum aliqua secundum temporis congruentiã enumerare placuit. In sacramento Eucharistiæ quatuor est consyderare. Quoddam enim est ante consecrationem, & non manet post consecrationem. Aliquid est ibi ante consecrationem, & manet post. Manet iterum aliquid post consecratioñe, quod non præfuit ante. Est & aliquid, quod nec ante, nec post realiter in hoc continetur sacramento, significatur autem & per sacramentum, & per rem sacramenti. Primum est substantia panis. Secundum species, siue accidentia panis, vt ponderositas, sapor, caliditas, color, figura, & si quę sunt talia. Tertiũ est corpus Christi verum. Quartum est corpus Christi mysticum. De quo Apostolus 1. ad Corinth. 10. Vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus. Et capitulo 12. In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Circa quodlibet primorum trium tria poterunt consyderari mirabilia inibi realiter per dominum operata, quę & singula mysticè in mystico corpore attendi quæunt, si consyderationis oculo prçuidentur.

In pane igitur primum est miraculum, siue mirabile, scilicet quod panis substantia transsubstãtiatur in verum corpus Christi. Transsubstantiatur. i. secundum suam substantiam totaliter transit, vel conuertitur in verum corpus Christi. Transit autem sic, Nam prolatis verbis consecrationis à sacerdote debitam intentionem habente, super materiam debitam, panis virtute diuina, suo signo, puta prolatione verborum efficaciter assistente pro primo instanti, non esse verborum desinit esse secundum se, & quodlibet sui, manentibus accidentibus, ita, quod nihil existens de substantia panis, neque materia, neque forma manet, cui pani succedit verum corpus Christi, non simpliciter quo ad esse, sed quo esse hic. i. sub illis speciebus. Hoc autem naturę facultatem omnino excedit, quæ etsi formam aliquam prima transmutatione corrumpit, materiam tamen nequaquàm potest deducere ad non esse. Ex illo sequitur, quod cum dicitur, Ex pane fit corpus Christi, ex, debet dicere circunstantiam ordinis, & non causæ materialis, quomodo dicimus, ex mane fit meridies, ex albo fit nigrum, quia desinente mane, aut albedine, sequitur meridies, vel nigredo. Non enim est panis materia, vel aliquid corporis Christi, cui. s. corpori Christi per hanc conuersionem, nulla penitus fit additio. Vnde manifestum est, cum tot panes per singulos dies in corpus Christi conuertuntur, corpus tamen Christi nullatenus augmentatur, non enim conuertitur panis quasi additus, vel manens secundũ se, vel aliquid sui in corpus Christi. Ex illo patet, quod omnes illę propositiones de virtute sermonis acceptę, falsæ sunt in quibus corpus Christi in recto affirmatur de pane in recto, etiã mediante quocunque verbo est, fit, erit, potest. In omnibus enim illis significatur vnio extremorum, panis scilicet & corporis Christi pro aliquo nunc, quæ tamen non est possibilis. Nunquam enim panis est corpus Christi. Si autem aliquæ illarum in sanctorum scriptis reperiuntur, vt illa, panis erit corpus Christi,

Panis cõuersio in corpus Christi quas propositiones concedẽdas babet.

sti,panis fit corpus Christi, exponendæ sunt per illas de pane fit corpus Christi,vel panis conuertitur in corpus Cristi. Per quas omnes nihil aliud volunt sancti, nisi quod sub speciebus eisdem vbi fuit panis ante consecrationem,est corpus Christi verum post consecrationem. Nonnunquam etiam panis vocabulo accipitur corpus Christi, aut etiam ipsa accidentia. Vnde Apostolus 1.Corinth. 10.Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Per panem intelligit corpus Christi sub specie panis. Hoc clarè habetur per glo. de conse.dist.2. species. Vbi dicitur, Scriptura species panis, panem, & speciem vini, vinum,similiter corpus domini panem, & sanguinem, vinum, & calicem consueuit nominare, propter speciem panis,& vini. Vnde Grego. in homil. paschali. Species(ait) & similitudo illarum rerū vocabula sunt, quæ ante fuerunt.s. panis,& vini,quæ iam non sunt, addit gl. vbi supra. Ex prędictis etiam patet, qđ sub qualibet parte specierum est totum corpus Christi. Nam cum panis secundum se,& quodlibet sui conuertitur in totum corpus Christi, sequitur, quod vbicunque fuit aliquid panis ante consecrationem ibi est totum corpus Christi post consecrationem, sub qualibet autem parte accidentium fuit verus panis,siue verè panis pars, quare propositum &c.

Mirabile secundum in Euch. Secundum mirabile in pane est,quod non annihilatur. Extra propositum dari potest exemplum. Si aliquod compositum substantiale corrumpitur secundum se totum, quantum videlicet ad materiam,& quantum ad formam,ipsum annihilatur, eo quod omnino nihil sui post se relinquit. Sicut ex opposito,si aliquod compositum totaliter de nouo produceretur,& quo ad materiā, & quo ad formam, ipsum verè crearetur, eo quod ibi nihil educeretur de potentia materię præsuppositæ, cum ipsa materia simul cum forma in casu de nouo produceretur, & ita de nihilo. In proposito verò, Deo miraculosè agente corpus Christi succedit sub accidentibus proprijs panis. Propter quod panis,licet totaliter esse desinat, quia tamen succedit corpus Christi, non est hæc desitio in nihil, sed in corpus Cristi, in quo panis ipse conuerti dicitur, propter huiuscemodi successionem. Annihilatio quidem est à termino positiuo in terminum simpliciter negatiuum. Hic verò est progressio ab esse panis, quod desinit, ad esse corporis Christi sub speciebus eius, tanquàm ad terminum positiuum,saltem extrinsecum huius desitionis, quod sufficit ad rationē annihilationis tollendam.

Mirabile tertiū in Euch. Tertium mirabile est, quia cum panis in solum corpus,& vinum in solum sanguinem conuertatur, est tamen sub speciebus panis facta conuersione totus Christus sub vtraque specie,corpus scilicet, & sanguis, anima & deitas, corpus sub panis specie, & sanguis sub accidentibus vini, vi conuersionis.Cętera verò vtrobique per concomitantiam naturalem. Est enim corpus Christi tale in sacramento, quale est in naturali sui existentia, secundum magistrum dist.11. quarti, puta animatum, gloriosum dotibus vtriusque,sui & animæ deitati hypostaticè vnitum. Et sub speciebus vini est sanguis viuus, & per consequens in corpore viuo,& ita animato vnito deitati. Ex quibus hoc sequitur mirandum, quod eadem consecrationis verba, & intentionem ministri pro diuersis temporibus non sequitur idem sacramentalis effectus. Nam si apostolorum aliquis ante passionem Christi in nocte quintę ferię celebrasset: corpus Christi viuum cum anima, & deitate,sed passibile, & non gloriosum ibi fuisset. Etsi in mortis triduo consecrasset, corpus cum deitate, sine anima, & sanguine, tale.s. quale tunc iacebat in sepulchro contentum fuisset, quod sacramentum sic in mortis triduo consecratum, si reseruatum fuisset in diem dominicę resurrectionis, fuisset ibi sine noua consecratione corpus Christi viuum,& gloriosum, quale nunc est sub Eucharistia, & in cęlo. Consecratio si facta fuisset in quintę feriæ noctem qualis fuisset.

Ratione accidentium panis post cō secrationem manentiū tria etiā possumus attendere miracula. Primum, quia stāt ibi accidētia sine subiecto. Non.n. sunt in Pane, quia panis desiit, & non est ibi, quod verò non est, nulli subiicitur non in aere circunstante, quia ille non est simul cū accidentibus, se motis ipsis cedit, oportet ante accidēs, & suū subiectū esse simul penetratiue. Neq; in corpore Xpi, qa cū illud sit gloriosū, nō est susceptiuū huiuscemodi accidentiū Nō est ēt corpus Xpi sic albū, rotundū saporosum, figuratū &c. qđ oporteret, si ei accidentia ista inhęrerēt, Sūt ergo p se stātia sine subiecto. Grāde autē hoc ē miraculū, quo accidēs modū induit superbiæ, & tantò maius, quantò à perfectione superbię accidens est remotius. Et maius videtur hoc miraculū fore, q̄ si corpus aliqđ cōditiones indueret spiritus, vel econuerso, eo quod minus āſe distāt corpus, & spirit⁹ (quia vtrunque superbia) quā accidēs, & superbia. Inest se deniq; à Deo naturę accidentis innectitur, vt secundū Philosophū ei⁹ diffinitionē īgrediatur. Distinguit quoq; phi. esse p se, & esse in alio, substātiā ab accidente. Est tñ possibile Deo, qa pōt Deus oēs effectus cōseruare sine qualibet ei⁹ cā extrinsecа, qui p se pōt quicqd in gñe causę efficientis pōt cū alio. cū ergo conseruat accidens in subiecto, q̧ est extrinsecū accidenti, quia nihil eius (nō.n. subiectū est pars accidentis) potest igitur conseruare accidens sine subiecto, q̧ & facit in venerabili sacro. secundū miraculū in accidētib⁹ est, qa cōtinēt corp⁹ Xpi, & nō afficiūt ipsū. Cōtinēt qdē, vt quocūq; transferātur accidentia, concomitetur corpus Xpi. Vnde etsi sacerdos portans, vel leuans sacramētū leuet spēs, & moueat eas localiter, nō tñ mouet corpus Xpi, ad qđ mouendū, vires sacerdotis sunt inproportionatę, maximè secundū modū, secundū quē est in Eucharistia, sed miraculosè Christus seipsum mouet ad motū specierū. Manet ēt Xpus sub speciebus, quandiu tales sunt, quod possent, vel potuissent panem informasse, si non fuisset facta transsubstantiatio. Quamuis autem continent, non tamen afficiunt, quia neq; inhęret, neq; denominant corpus Christi. Ideòq; si transimutantur accidentia, nulla per hoc fit mutatio in Xpi corpore benedicto, quare nec fractis speciebus, frāngitur corpus Christi, sed integrū manet in partibus singulis, vt ait Hiero. Quod valde est mirabile, accidentia. s. esse pręsentia superbiæ, & eā non informare, quia licet Deus possit ea sine subiecto pręsente conseruare, videtur tñ adhuc mirabilius ipsa esse præsentia subiecto, & tamen non recipi in subiectum.

Tertium miraculū, quod huiusmodi accidentia naturales retinent actiones, & passiones, vnde & nutriunt, seu nutritur corpus sumentis quasi panis esset pręsens. Experientia quidem docet, q̧ per ignē adhibitum sacramento corrūpitur frigus, & generatur calor, per quē possent species rarefieri, & causas oppositas condensare. Conuertuntur tādē, si nō sumantur in vermes. Sūptę verò, in corpus animatū, quod nutriunt. Quę pro tantò sunt miracula, qa agēs naturale non agit nisi in materiam pręsuppositam, de cuius potētia educit formā. Cū ergo hic nulla accidentibus materia substernatur, transcendit naturę limites facere quamcunq; mutationem aliam à locali circa species sacramentales. Ideò pleriq; dixere omnes huiusmodi actiones sensui apparentes immediatè fieri à Deo, supplente in hoc infirmitatem causarū secundarū, vt fides nostra meritū habeat, dū huius transsubstantiationis nullū habet experimentū, videns ita omnia contingere post consecrationem, quæ contingerent eisdem causis adhibitis, si nulla fuisset facta consecratio. Et hoc quidem dicere in generatione vermis, & nutritione videtur necessariū, quoniā ibi producitur noua materia, vel saltē materia panis, quę prius desiit, redit per reproductionē. Respectu materię aūt nulla causa secundo habet actiuitatē, qñ verò spēs sacrales in tantū alterantur, quod si esset in pane, panis corrumperetur, & generaretur

Miraculum secūdum in accidentibus.

Miraculum tertium in accidentibus.

fâretur vermis, vel pars corporis animati, quod nutritur, in eodem instanti producitur, & in ea forma vermis, vel corporis animati nutriendi.

Ex parte corporis Xp̄i tria ēt miracula aduertim⁹. Primū, q̄ corp⁹ Xp̄i quātū ꝓpria quātitate, qua in cęlo extēditur, cōtinetur sub hoc sacr̄o, sed nō quātitatiuè, Cōtinet.n. in sacr̄o corp⁹ Xp̄i illud idē, q̄ in cęlo mãet, ĩ quo peculdubio extēsū ē, & formosū? Prǣcūctis filiis hoīm, & ita quātū, nō aūt quātitate, qa nō est ibi habitudo ꝑtiū corporis Xp̄i ad spēs, vel locū specierū, qualis est habitudo earū ad locū circunscribentem eos in cęlo, quia in cęlo est dimensiue, sic quod ꝑs vna corporis Xp̄i correspōdet vni ꝑti loci ipsum ambiētis, & altera alteri. In sacr̄o verò totum corpus Xp̄i, & quælibet eius ꝑs est in qualibet parte sacr̄i. Sed inter oīa ꝓdicta miracula difficile intelligitur miraculū hoc ꝑ grāde, ꝓ eo, q̄ mēs nr̄a nō capit tm̄ corpus speciosū occultari posse sub tā modica quātitate sine ꝑtiū cōfusione ꝑ ingressū vni⁹ in aliā. Ad qualēcunq; tn̄ manuductionē duplicē ponūt hoc doctores imaginationē. Quidā distiguūt duplicē hebetudinē partium corporis Xp̄i, imò cuiuslibet corporis. Vna ē habitudo, vel ordo partiū in toto, secūdū quā partes hn̄t ad se inuicē debitā propinquitatem, & distātiā in toto, etiam circumscripto omni extrinseco, & ab hac hebitudine corpus dicitur quātū, qđ ēt diceretur, si per possibile vel impossibile nullus esset locus extrinsecus. Alia est hebetudo partiū in ordine ad corpus extrinsecū ambiēs ipsas, quod dicitur locus earū, quæ.s. partes ipse habēt certā propinquitatē, & distantiam ad locū extrinsecū. Sic qđ vna pars corporis vni parti loci est propinquior, & alteri distātior, hūc ordinē ꝑtiū vocant positionem situs, secundum quē corpus est locale, & hic est posterior primo, quia presupponitur primū. Nisi.n. partes in se sint ordinatę, & in toto, nūquā habebunt ordinē, vel hebetudinem ad locū extrinsecum. Cum ergo Deus possit separare prius à posteriore, potest

Manuductio duplex doctorū, ꝓcognoscēnda quantitate in sacramēto

conseruare primā habitudinē sine secūda. Sic facit in sacramēto, vbi manet ordo partium corporis Christi inter se & tollitur habitudo earum in ordine ad species sacramentales. Hinc est, qđ partes corporis Christi quanti, & ordinati in toto coassistunt speciebus sine ordine locali ad species, & ita oēs partes corporis Christi equè co assistunt omnibus partibus specierū. Aliis verò vix videt̄ intelligibile, q̄ partes habent ordinē propinquitatis, & distantię in toto, quin illū haberēt respectu extrinsecè, si essent extrinsecū præsens. Non .i. facilè intelligitur, quod pedes distēt à capite per interiacentes partes in toto, & tn̄ sint simul cum capite respectu puncti, vel minimę partis speciei. Ideò dicunt ipsi, quod partes corporis Christi nullum habent ordinē propinquitatis, & distantiæ in sacr̄o, nec ad totum, nec ad locum, sed sunt simul eo modo, quo gradus vel partes albedinis, & dulcedinis sunt simul in lacte, & quęlibet pars corporis Christi coassistit pluribus immo infinitis partibus speciei, eo modo, quo vna, eadēq; anima indiuisibilis est in qualibet ꝑte corporis. Quia verò primum sit possibile, patet, quia non minus potest Deus partes eiusdē corporis exponere simul, quàm distincta corpora facere sibi totaliter pręsentia, quod fecisse constat in Christi natiuitate, resurrectione, & introitu ad suos discipulos ianuis non apertis. Saluatur nihilominus per hunc modū partiū distinctio, quia quamuis simul sint caput & pes, non tamē ideò caput est pes, nec oculus in pede, aut digitus in capite, prout in dicit circunstantiam partis. Non enim oculus est pars pedis, sed capitis &c. Ex quo sequitur secundum illos, quod licet corpus Christi, quod est extensum in cęlo, sit in sacramento, tn̄ vt ibi est, non est quantum, immo si solum esset in sacramento, & nō in cęlo, nō esset quantū, nūc aūt corpus Cristi quantū, qa in cęlo extensū est in sacr̄o.

Secundū est, quia corpus Christi verè & realiter est in plurib⁹ locis, manēs nihilomin⁹ ĩ cęlo localiter, dimēsiuè. Cū enim

Corpus Christi, verè & realiter est in pluribus locis.

enim in loco cōuersi est illud, in quod fit couersio, & in pluribus altaribus diuersi panes conuertantur in corpus Christi, sequitur ipsum esse in diuersis locis, in quibus fuerunt panes conuersi, non quidem localiter, sed vt in sacramento modo dicto, manet tamen nihilominus in cœlo secundum suam naturalem existentiam, & localiter, secundum Augu. dicentem: Donec seculum finiatur, sursum est dominus. Ex quo etiam hoc sequitur ꝙ consecrato pane non descendit dominus localiter de cœlo per aera, ac cętera elementa, aut absumptis speciebus in stomacho non ascendit corpus Christi per medium ad cœlum, sed per conuersionem incipit esse sub speciebus panis, sub quibus prius non fuit, & post sumptionem desinit esse, vbi prius fuit sine quocunq; motu locali hinc, vel illinc. Sicut si digitus abscinditur à manu, desinit anima intellectiua esse in digito, & tamen non ideò mouetur localiter retro cedendo in manum, in quo prius fuit. Et agglutinato nutrimento corpori humano, anima hominis incipit informare materiam nutrimenti, quam prius nō informauit, sine egressu eius ab aliis partibus corporis. Quia verò Gregorius, & alii sancti dicunt in hora consecrationis cœlos aperiri, & filium Dei descendere, atq; iterum ab angelis rapi in cœlum, non est intelligendum de locali ascensu, vel descensu, sed vel mysticè. Vel sic, ꝙ ita realiter est sub sacramento peracta consecratione, qualiter esset, si localiter de cœlo descenderet. Quia verò Deus sic facere possit (cui non impossibile est omne verbū) satis patet, quia non plus implicat rem aliquam coassistere diuersis locis discōtinuis, quam continuis, sed eadem anima numero est in diuersis partibus corporis, & qualibet parte tota sic intelligentia, siue angelus coassistens orbi cęlesti, tota est in qualibet parte orbis, quantumlibet à se distent, & hoc naturaliter. Potest ergo verbum Dei corpus suum, quod in sacramento est, aliquo modo similiter sicut species in loco, quia totum in toto, & totum in qualibet parte esse simul illo modo in diuersis locis sacramentaliter.

Christi corpus nihil agit ad extra nec patitur à causa extrinseca.

Tertium mirabile est: Cum sub speciebus sacramentalibus sit verè, & realiter corpus Christi nihil tamen agit ad extra, nec patitur à causa extrinseca. Hinc est ꝙ nullo sensu est perceptibile, quia non multiplicat de se species ad organa sensus circumstantia, neque illuminat sua claritate aerem circumstantem, nec calefacit, neq; patitur à quocunq; actiuo materiali appoximato .s. igne, vel aqua. Cuius ratio est, quia in omni actione, qua producitur forma materialis, requiritur agens, & patiens debitè approximata secundū certam habitudinem propinquitatis, & distantiæ, ideò necesse est agens, & patiens esse in loco commensuratiuè, quomodo corpus Christi non est sub hostia consecrata, vt ex dictis patet. Vel si hoc non oportet vt quibusdam placet, dicentibus, ꝙ si tota caliditas ignis poneretur in punctum indiuisibile, nihilominus calefaceret circumstās passum, & tantò intensius, quantò ipsa caliditas magis est vnita. Tunc huiusmodi actionem, & passionem (in quā posset corpus Christi) Deus miraculo sè suspendit, ne tanti mysterii certum caperemus experimentum. Neq; nutrit corpus Christi sumptum à fidelibus, non enim conuertitur in substantiam corporis ipsius sumentis. Quomodo autem species nutriant, dictum est. Hinc canitur in prosa, nec sumptus absumitur. Hæc itaq; mirabilia in spiritu præuidens propheta dixit: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator dominus, escam dedit timentibus se. Qua nobis dignè refici concedat cibus ipse animæ salutaris Christus dominus in secula. Amen.

## *Mysticatio prædictorum.*

Miracu'a quæ sunt in sacra-

Hæc autem nouem mirabilia sicut per fidem cognoscuntur in hoc sacramento realiter, ita fieri in dignè sumēte

te

mento realiter, spiritualiter sũt indignè sumente

te contemplantur spiritualiter. Primò quidem dictum est, panem totaliter cõuerti in corpus Christi. Ita anima dignè accedens ( quæ per panem nõ incongruè intelligitur, dicente apostolo 1. Cor. 10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus ) conuertitur in corpus Christi, dum ei per intimam, & gratiosam vnionem incorporatur. In corporalibus nullus inuenitur illapsus intimior, quam vt cibus cõuertatur in cibatum, manet enim iam non in se, sed in comedente, viuit eius vita, non sua. Sic per hanc conuersionem anima manet in Christo, & viuit vita gratiæ, quæ est per Christum. Qui inquit, mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Conuenit deniq; animæ principalis illa conditio panis, vel cibi, quæ est conuerti in substantiam rei alitæ. Non .n. sumptus Christus conuertitur in animam, vt induat conditiones suas, quæ de se est in corpore terreno, & ita animalis, & terrena, sed anima mutatur in Christum cum iam fit cęlestis, & ordinatur per hunc cibum in vitam æternam, secundum illud Ioan. 6. Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum, hoc est, quod in persona domini dicit Augu. 7. confes. libro: Cibus sum grãdium, cresce, & manducabis me, non me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Transit autem panis totaliter, & quantum ad materiam, formam. Materia panis (vt vulgariter loquar) farina est, quam in grãnis terra producit, & aqua. Forma autem panis esse, quod per ignis decoctionem inducitur. Ita à simili materiam animæ possumus accipere inclinationem eius naturalem in ipsa ad terrena, & ad corpus proprium, & vires sensitiuas, quæ omnia velut de terra genita terram sapiunt, atq; carnem, formam verò appetitum intellectum, qui præsupponit dictamen rationis, licet non ei conformetur. Vel per materiam, quæ est pars ignobilior compositi intelligatur portio rationis inferior, quæ inferiora agenda dispo-nit. Per formam verò portio superior, quæ de æternis rebus consyderat. Hæc inquam, anima conuertitur in corpus Christi, dũ huiusmodi cibi sumptione sic anima deuota inflammatur, vt iam nullis suis viribus, quæ sua sunt, quærat, non commodum terrenum per portionem inferiorem, sed neq; principaliter commodum æternum per portionem superiorem propter se, sed solum quærat, quæ sunt Iesu Christi, cui participatione huius sacramenti iam est vnita, in cuius amorem, honorem, gloriam, se & omnes suas operationes refert, dicens cum apostolo: Viuo ego, non ego sed viuit in me Christus, & illud prophetæ. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?

Anima quæ deuotè suscipit, & in eum conuertitur non annihilatur.

Secundum mirabile fuit ꝙ panis non annihilatur. Planè anima cum deuotè in hunc cibum conuertitur, non annihilatur, & si vetus homo noster corrumpitur, non autem interior, sed innouatur, sed exaltatur, sed glorificatur.

Hæresis Almarici.

Fuere nonnulli dicentes ꝙ in vnione illa perfecta animæ cum Deo, anima perdit esse suum, & redit in ideam propriam, quam incommutabiliter, & æternaliter habuit in Deo, sic ꝙ iam non ẽ creatura, sed ipse Deus, qui amatur, quorum autor fuit Almaricus hæretieus ab ecclesia condemnatus, & ab Augu. inter hæresiarchas nominatus. Non ergo annihilatur, aut deficit anima in suo esse, sed similitudinariè trãsformatur, sicut amatorum dicitur esse cor vnum, & anima vna, immo perficitur, & viuificatur. Sicut enim materia ante susceptionem formæ est imperfecta, & sine decore, sine virtute, sine actione, quæ tamen consequitur per formæ infusionem: Ita anima prius; quam vniatur Christo per amorem viuificum, qui plurimum in huius perceptione sacramenti augmentatur, manet in quadam morte spirituali sine decore, sine virtute ad actus viuificos vitæ æternæ. Si autem Deo coniungitur tanquam formali totius vitæ princi-

pio

pio, datur sibi vita quædam diuina per internum illapsum, quo anima ipsa iam Deo incipit viuere, Deum concupiscere, & amare.

Anima indignè sumētis corpus Christi in corporat corpori mystico.

Tertium mirabile ꝙ licet panis in corpus Christi conuertatur, concomitatur tamen anima, sanguis & diuinitas. Sic suscipiens dignè hoc sacramentum incorporatur primò corpori Christi mystico, cuius Christus secundum humanitatem est caput. Vnde super illud Ioan. 15. Ego sum vitis vera, dicit Augu. secundum hoc se dicit vitem secundum ꝙ est caput ecclesiæ, nosq; membra eius, mediator Dei, & hominū homo Christus Iesus. Vnius quippe naturę sūt vites, & palmites. Propter quod cum esset Deus, cuius naturæ nō sumus, factus est homo vt in illo esset vitis humanæ naturæ, cuius & nos palmites esse possemus. Est deniq; memoriale præcipuum dominicæ passionis, in qua primo corpus afflictum sanguinem fudit, & anima patri obtulit precium nostræ redemptionis, vt nos per peccatum à Deo longè positos, & separatos, Deo nos reconciliando vniret. Ita & anima hoc cibo innouata primo amorosè in Christum hominem cōuertitur, & per Christi humanitatem, qua nobis salutis vitam ostendit tanquam per viam tutam tendit in Deū, ibi quiescendo. Vnde fit vt non solum participatione huius sacramenti dicatur homo Christiferus, quasi Christum ferens, vel habens, sed diuinus, immo Deus non per essentiam, sed participatione, eo modo, quo propheta ait. Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Cū enim sic per hominem Christum anima per effectum coniungitur in ipsius similitudinē dilectionis societate trāsformatur, ita vt verius sit in Deo, quē amat, quam in corpore, quod animat, vt vult Bern. ad fratres de monte. Verius, inquam, non essentiæ permutatione, quam vt dictum est, non amittit, sed obiectiua operationum suarum directione, plus scilicet tendendo per cognitionem & amorem in Deum, quam in se vel corpus suum. Con cor. Scot. lib. quarto distinctione 49. quęstio. 1.

Accidentia panis manet sinē subiecto ita accidentia veteris hominis

Quartum mirabile, manent accidētia panis sed sine subiecto. Et quinto continent, sed non afficiunt, & sextò augunt, & nutriunt. Accidentia veteris hominis quæ adueniunt, & recedunt, concupiscentiæ sunt instabiles partis sensitiuæ, sunt & tentationes impetus mundi, carnis, & maligni spiritus, qui nonnunquam æquè, vel plus post sumptionē huius viuifici sacramenti adhęrent, & prosternere quærunt. Sed agente virtute huius sacramenti sine subiecto efficiuntur, dum in eius virtute innouatus iam homo, & roboratus, non se concupiscentiis subdit, neq; ab eis denominationem trahit, sicut ab accedente subiectum. Vnde fit, vt licet afficiatur vana gloria, non fiat superbus, licet tentetur carnis voluptate, ira vel inuidia, non tamen carnalis, seuus aut amarus denominatur. Hugo in de arra sponsæ. O maculæ fedæ, & turpes. O maculæ veteres recedite, & abite, in vanum mihi adhęretis, quia etiam mecum manentes meæ non estis. Habeo aliud exemplar, cui conformari cupio. Ex quo etiam hoc didici, ꝙ vos exterminare debeo, & qualiter hoc faciam, iam agnosco.

Accidentia veteris hominis hominem nō sibi subiiciunt.

Quintum. Nec solum sibi hominem non subiiciunt, sed etiam continuant, & occasionaliter in eo Deum, cui iam vnitus, est manere faciunt, dum tentati sollicitè vigilant, & aduersario (vt Leo rugiens) circumeunti, ac deuorare quærenti nullum pandunt aditum. Nam secundum Guil. parisien. in de virtutibus: Periculosissima diaboli astutia est cessare à perceptibilibus tentationibus, quæ dum nulla tentatione valet vincere, dissimulat pacem, vt sic in eis, quo ad tempus non inquietat, generetur fatua securitas, qua Dei timor, qui electorum est vigilantissimus custos negligitur, desidia, & tarditas ad bona opera perficienda, ignorantia sui, & propriorū defectuum, quæ mater est elationis; & superbię, ac fraternus generatur contemptus. Hanc pacem periculosam

losam suspirans propheta ait: In pace amaritudo mea amarissima. Ad custodiam igitur virtutum, & præseruationem à lapsu manent tentamentorum accidentia, eisque manentibus manet Christus dicente propheta: Prope est dominus omnibus, qui tribulato sunt corde. ideò Iac. 1. dicitur. Omne gaudium existimate fratres dum varias tẽtationes incideritis, huiusmodi verò perceptibiles tentationes ex habẽtib⁹ præuis derelictis genitæ, dum sentiuntur, aut nonnunquam à domino excitãtur, sunt veluti clypeus contra priores non sensas tentationes, & hominis pũctio ad profectuum, iuxta illud prophetæ. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accel. Non tamen afficiunt quia dum eis nõ consentitur, sed virtute sacramenti vincuntur, iam sunt materia virtutis, & conscientiam non maculant, sed saluant.

Acciden tia hominis veteris quid agant in homine.

Hoc etiã modo accedentia hęc agũt suas actiones, & sic agendo nutriunt, non virtute propria, sed diuina. Dũ hõ hoc cibo refectus viriliter ea oppugnet meretur charitatis augmentũ, ac interioribus suis bonis electionibus, nouos virtutũ in se causat habitus, aut prius genitos nutrit & confortat. De hoc loquitur Gerson super magnificat. Confundãtur, inquit, & erubescãt, neq; spũs qui pastos hoc cibo, dum prosternere quærunt, eleuant, dum expugnant, coronas fabricant, dum se extollũt super omne illud, quod dicitur Deus, vident inuidi hominem, quem suscitat Deus, egenũ de puluere, & de stercore pauperem, vt sedeat cum principibus, & soliũ glorię teneat. Vnde excommunicati vt sulphur in abyssum ceciderunt.

Corpus Christi q̃ est in cœlo est incon-gruum in sacramento.

Restant adhuc tria mirabilia ex parte corporis Christi. Quorum primum, & in ordine septimum est, q̃ corpus Christi, quod est in cœlo extensum, & magnum, est integrum in sacramento, quia cũ omnibus suis partibus & toto illo, quod est de eius integritate, sed nõ quantitatiuè. Ita mysticè Christus animæ, cui vnitur assistit, quantificans eam magnis donis ratione omniũ quę sunt in Christo. Consequitur nanq; anima ex corpore Christi participationẽ oĩm meritorũ, virtutũ, & gratiarũ, q̃ quia laboribus, & sudorib⁹ cumulauit. Caput siquidem omnẽ suã virtutem membris influit Christus ante caput ẽ ecclesię, nosq; mẽbra eius efficimur pticipatione huius sacramẽti. Ex sanguine expiationẽ pctõrũ. Sanguis Christi (ait apostolus) emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis ad Heb. 9. Ex anima redemptionem, quam ipse obtulit patri pro ouibus sui tanquã pastor bonus (animam meam pro ouibus meis pono. Io. 10.) Et quotidie offertur in altari, vt à peccatorum obligationibus redimamur. Ex deitate verò consequit̃ gratiã viuificationis, ac plenitudinem omnis perfectionis. Io. 6. Qui manducat me, viuit propter me, vita spiritualis, quã solus Deus dare potest, vt dicit apostolus. Neq; qui plantat est aliquid neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus 1. Cor 3. Incrementum est gratiæ, & charitatis, quæ vita est animæ spiritualis, ecce quantus vnitur animę, sed tamen nõ est in sacramento quantitatiuẽ. Quantitatiuè est in aliquo, quod extenditur, & per partes foris distenditur: Sic non est de anima, quoniã p hęc magna dona, quæ percipit seu participat, nequaquã foris distẽditur, inflatur aut sensibus hõ magnus apparet, sed econuerso in se contrahitur p humilitatẽ, & quantò maioratur virtutibus, tanto humiliatur moribus, congnoscẽs se nihil esse in omnib⁹ apud se, sed omnia gratuitẽ à Deo per hanc sacram communionem immerita recepisse. Et apud proximum in exteriori subiectione, q̃ optimè in Virgine gloriosa signatur, quæ iam sublimata gloria inaudita dixit. Ecce ancil a domini. Et exurgens abiit in montana cum festinatione suæ cognitæ seni ministratura.

Octauum est, quia simul est in pluribus locis, & tamen totus in singulis. Sic spiritualiter cum in omnes à quibus sumitur se diffundat. Albe. magnus in libr. de sacramentis. Sic communis est omnium dignẽ sumentium vt

nihil

Corpus Christi è in pluribus locis totus in singulis sic spirituali-- ter in omnes se diffūdit.

nihil minus fit totus singulorū, ac per hoc singulos in se vnit, vt sicut singulis se totum participat, sic singuli meritis communicet singulorum, quemadmodum & eiusdem corporis omnia membra participant singulis, vt si quid patitur vnum, patiuntur omnia, si gloriatur vnum, congaudent omnia. 1. Cor. 12. Ita & singulorum merita communia sunt singulis huic corpori incorporatis. Et propter hanc caulam rectè dicitur huius sacramenti perceptio communio, quia omnibus bonis Christi, & omnium sanctorum facit nos cōmunicare, vt siquid deficit in singulis, omnium sanctorum abundantia suppleatur.

Corpus Christi etsi realiter sit in sacramē.

Nonum & vltimum fuit, ꝙ cum realiter sit in sacramento, non tamen ad extra percipitur, nec corpus nutrit, verum ad intra mens videt per fidem, sentit per deuotionem, degustat per internam dulcedinem. Sed & nutrit, satiat, delectat, cor roborat, secundum Gerson super Magnifi trac. 9. per 4. Et breuiter omnia confert bona. Quam enim gratiam non conferret fons totius gratiæ, veraciter, & realiter in sacramento cōtentus, & acceptus? Hinc eucharistia dicitur per excellentiam .i. bona gratia. Hinc dicit apostolus Rom. 8 Qui proprio fi. su. non pepercit &c. quomodo non omnia nobis donauit cum illo? Cū ergo tot, tantaq; bona confert communio venerabilis eucharistię, nō satis consultè agunt, qui se reddunt inhabiles ad susceptionē tāti cibi, stultè qui sine causa rationabilis impedimenti se subtrahunt. Prudenter verò, qui sibi cōscij frequenter accedunt, quia quæ dicta sunt, etsi cōferat quandoq; propter opus operantis, addit tamen multum virtute operis operati, ꝙ nō consequūtur, qui se subtrahunt etiam ex deuotione Faciat ergo nos dignè accedere, & sibi incorporari idem dominus noster Iesus christus.

to non tamē ad extra percipitur, quod sit in anima.

## Sequuntur nunc indulgentiæ à summis pontificibus concessæ pro festo Corporis Christi, interessentibus diuinis officiis &c. ab Vrbano scilicet, Martino, & Eugenio.

| | Vrbanus | Martinus | Eugenius | Summa dierum |
|---|---|---|---|---|
| Ieiunantibus in pro festo | | 100 | 100 | 200 |
| Interessentibus vesperis | 100 | 200 | 200 | 500 |
| Completorio | 40 | 80 | 80 | 200 |
| Matutinis. | 100 | 200 | 200 | 500 |
| Primis. | 40 | 80 | 80 | 200 |
| Tertiis. | 40 | 80 | 80 | 200 |
| Sextis. | 40 | 80 | 80 | 200 |
| Nonis. | 40 | 80 | 80 | 200 |
| Missæ. | 100 | 200 | 200 | 500 |
| Processioni. | | 100 | 100 | 200 |
| Communicantibus. | | 100 | 100 | 200 |
| Vesperis. | 100 | 200 | 200 | 500 |
| Completis. | 40 | 80 | 80 | 200 |

Summa dierum omnium. 3800

Per octauam indulgentiæ.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Interessentibus matutinis | 100 | 100 | 200 |
| Primis. | 40 | 40 | 80 |
| Tertijs. | 40 | 40 | 80 |
| Sextis. | 40 | 40 | 80 |
| Nonis. | 40 | 40 | 80 |
| Missæ. | 100 | 100 | 200 |
| Vesperis. | 100 | 100 | 200 |
| Completis. | 40 | 40 | 80 |

Summa omnium dierum per octauam. 6000. dies.
Singulis enim diebus habentur mille dies.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Celebrantibus | 100 | 100 | 200. Summa 1200. dies |
| Nihil negligentibus | 100 | | 100. Summa per se. 100. dies |

Summa omnium dierum per totam octauam vndecimmillia, & centum dies.

*IN FESTO CORPORIS Christi Sermo. III. in ordine XLVI.*

ESVRIENTES impleuit bonis. Lucæ. 1. Adest nobis dies opulentissima dies cœlestis conuiuii, quo esurientes dominus impleuit bonis, atq; in sua dulcedine pauperibus refectionem delicatissimam præparauit. Quoniam & si diuites rerum cœlestium fastidiosi inanes relinquantur. Attamen propriam consyderantes miseriam, atque inediam, fontem viuum sitiunt, atque peritura fastidientes, panem super cœlestem, qui dat vitam mundo, quē qui gustauerit, mortem non videbit in æternum, esuriunt, quales sunt quicunque hodierna festiuitate deuotis mentibus Christo domino sub sacramentali specie veraciter præsenti seruierunt, non vacui, sed bonis omnibus sunt impleti. Animo mihi fuerat de his bonis parumper meditari, & ex sanctorum patrum dogmatibus huius viuifici sacramenti fructus, quibus esurientes dominus implet, colligere. Verum infirmos reuerberat oculos, horum multitudo magnitudoq;: Tot namq; & tanti sunt, vt numerum excedant pariter, & mensuram, propter quod eos vniuersali bonitatis nomine exprimere voluit sapiens mulier illa inter mulieres benedicta, quæ omnia Christi verba cō seruabat conferens in corde suo, dicēs. Esurientes impleuit bonis. Attento siquidem quis in hoc sacramento continetur, ipse videlicet qui solus bona omnia largitur, vnigenitus patris, per quē sunt omnia, manifestum erit, ꝙ nullum omnino bonum est, quod non huius nobis sacramenti vsu donetur. Attamē ex multis pauca specialius circa ipsū inquirere satagimus, quæ animum hominis plus mouent, & veracius circa appetenda dirigunt, secundum philosophum 2. Eth. cap. 6. quatenus ad huius venerationem magis accendamur, accensi auidius esuriamus, esurientes solicitius quæramus, quærentes citius inueniamus, inuenientes bonis eius perfectius impleamur, secundum verbum thematis: Esurientes impleuit bonis, Pro gratia Aue Ma.

Esurientes impleuit bonis, vt ex innumeris huius sacramenti bonis, quibus

Sacrificium qd est.

bus pietatis fons in eodem conteptus, implet esurientes aliqua particularius cognoscamus, ordo datus est in primo sermone trifarius, secundum triplicẽ finem institutionis eius. Nam & finis rei fructus eius est. Id autem non incongruè fit in hodierna die, quam ad venerandum illud sacramentum saluberrimum post sacrosanctæ Eucharistiæ à Christo institutionem ecclesia instituit, quatenus post priorem in cœna domini habitam informationem, de multiplici huius cibi, & sacramenti sumptione, qui bonis in vitam, malis in mortem sua culpa prouenit, auditis eius fructibus innumeris ad dignam tanti sacramenti sumptionem nos sollicitius præparare studeamus. Non autẽ de indignè accedentium effectu, & peccato nefario, de quo supra, sed de fructu dignè sumentium nunc aliquid, vel breuiter dicere placuit. Et licet diuersi diuersimodè id attentauerint, attamen breuitati studens omnes, & singulos in duo diuidere placuit, secundũ ꝙ hoc sacramentum eucharistiæ principaliter institutum est in sacrificium, & in sacramentum seu cibum. Ideò ex consequenti omnem fructum sacrificii, omnemque fructum spiritualis cibi gignit, & influit. Pro intellectu primi, quomodo scilicet eucharistia instituta est nobis in sacrificium, Aduertendum secundum beatum Aug. 10. de ciui. Dei c. 4. ꝙ sacrificium cultus quidam est soli Deo debitus, secundum ꝙ scribitur. Sacrificans dijs eradicabitur, nisi soli domino. Siue vt alij dicunt, & præsertim Cancellarius in suo super Magnificat: Sacrificium est oblatio facta Deo in recognitionem summi dominij sui, siue ista oblatio sit interior, siue exterior in affectu solo, vel etiam in effectu. Nam secundum beatum August. 10. de trinita. Omne sacrificium visibile inuisibilis sacrificii est sacramentum idest sacrum signum. Est autem inuisibile sacrificium, in quo Deo spiritum suum offert homo secundum illud psalmus. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Ideò quicquid adhibetur

Sacrificiũ aliud visibile aliud inuisibile.

ad hoc vt spiritus hominis feratur in Deum ꝙ se subiciat Deo tanquam supremo domino, sacrificium dici potest. Indiget autẽ homo sacrificio propter tria, vt dicit sanctus Thom. in 3. parte quæst. 22. artic. 2. videlicet propter remissionẽ peccati, per quod à Deo auertitur. Vnde ad Hebr. 5. ait apostolus. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Secundò vt homo in statu gratiæ conseruetur, & Deo semper adhæreat, quo modo hortatur apostolus Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam sanctã viuentem, Deo placentem. Tertiò ad hoc vt spiritus hominis Deo totaliter vniatur, quod maximè erit in gloria. Ad quod potest referri illud 1. Pet. 2. Offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo. Acceptabiles inquam ad gloriam sempiternam.

Homo indiget sacrificio propter tria

Et secundum hoc in testamento veteri fuerunt oblationes triplices ordinatę. Nam pro peccati expiatione fiebat sacrificium pro peccatis. Leuit. 4. Pro conseruatione gratiæ, pacis, & cęterorum beneficiorum Dei obtulerunt hostias pacificorum, cuius ritus habetur Leuit. 3. Sed pro perfecta vnione hominis cum Deo holocaustum obtulerunt, quod idcirco totum cremabatur super altare, ad significandum totum hominem transformari, siue vniri debere Deo, vt vult Nicola. de Lyra Leuit 1.

Verum imperfecta fuerunt illius tẽporis sacrificia quantum ad omnia illa tria. Nam siue ex se, siue ex opere operato peccata non abstulerunt. Heb. 10. Impossibile est sanguinem hircorum, aut vitulorum auferre peccata. Neque gratiam contulerunt, & ita multò minus gloriam. Roma. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Et iterum. Nihil ad perfectuum deduxit lex. Hebr. 7. Et ideò sacrificia, & præcepta cęrimonialia veteris legis dicuntur Deo non placuisse, & præcepta non bona idest minus bona. Hinc Heb. 6. Holocausta vestra non sunt accepta. Victi

tuæ vestræ non placuerunt mihi. Item in psal. Holocaustum pro peccato nō postulasti, & similia multa. Et Ezech. 20. Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent, quia nec abstulerunt morbum culpæ, nec vitam gratiæ contulerunt quod vtiq; de ceri monialibus, & iudicialibus verum est, non autem de moralibus, quæ consistunt in actibus animæ interioribus, qui cum debitè circunstantionati fuerint, maxime circunstantia finis disponunt ad gratiam. Quia verò frequenter Moyses dicit obseruantes legem viuere in ea, vt Leuit. 18. Deut. 5. & 32. quantum ad literam loquitur de vita naturæ, vita .s. præsenti in hac terra, vt patet inspicienti textum, quā eis dominus conseruauit in pace, & tranquillitate, quādiu præceptis obedientes fuere, licet dū ea seruaret ex fide venturi mediatoris, & obedientia; nō sequebantur vitam gratiæ, & per hanc vitam gloriæ, vt exponit Lyra Leui. 18. Remittebant tñ quandā irregularitatem, vel legis pœnam. Et ideò dicit apostolus ad Hebre. 9. Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Sanctificat dic. .i. sanctos quod est ad cultum Dei, ingressum ecclesiæ, aptos facit, per ablationē irregularitatis propter contactū mortui, vel alterius carnalis immunditiæ, quam hic apostolus dicit emundationē carnis. Sed à reatu culpæ cōsciētiam non purgabant, nisi quantū offerentiū fide, quæ in suis sacrificiis Christum cognouerunt figurari, obedientia, vel deuotio merebatur. Neq; ad agenda instituta sunt, sed magis in onꝰ & ad figurandum sacrificium perfectū, vt ostendit Magister distinct. 1. lib. 4.

Tempore autem plenitudinis gratiæ dedit nobis pater hostiā perfectissimam habentem omnis boni plenitudinem, vnigenitū suum, qui etiā (vt apostolus ad Eph 5. dicit) semetipsum pro nobis obtulit, oblationē, & hostiā Deo in odorem suauitatis. Obtulit autem se semel in ara crucis in mortem, qua oblatione sufficienter omnes à morte liberauit, & cuncta, quæ ad vitam pertinent, meruit, sicut ad Hebr. 10. dicitur. Hic (haud dubium quin Christus) vnā pro peccatis offerens hostiam, per vnam etiam oblationē consummauit .i. ad perfectum deduxit in sempiternum sanctificatos. Complacuit enim patri per eū reconciliari, omnia in ipso pacificans per sanguinē crucis eius, siue que in terris, siue quæ in cœlis, ad Colos. 1. Quam oblationem Christi in cruce factam omnia veteris testamēti sacrificia figurabant, sicut deducit apostolus ad Hebr. 9. & Rom. 10. Finis legis Christus omni credenti. Et ideò propter Christum in eis figuratum poterant gratiam conferre, qui hæc spiritualiter offerebant credentes explicitè vel implicitè in eis Christum figurari. Et secundum hunc modum dicit Ioa. in Apoc. ca. 13. Agnum occisum ab origine mundi, quia ab origine mundi figurata est eius occisio, & promissa, & ab origine mundi saluauit, licet nondum exhibita. De quo etiā Ber. in ser. de sacramento altaris ita ait. Christus pro salute mundi semel factus est hostia salutaris, rei recōciliatio generalis, omnibus sacramentis tam præcedentibus, quam sequentibus virtutem dedit, & efficaciam, vt tanta, ac tali hostia sanctificarentur omnes sanctificandi p illā. Vñ legitur quia agnꝰ occisus ē ab initio seculi, his videlicet, q fuerūt ab initio, ita vt p hoc, q dicit ab initio, determines, nō tēpꝰ occisionis, sed salutis. Priꝰ. n. mors eiꝰ p ro fuit, q̄ fuit, priꝰ pmissio, ac demū exhibitio Hæc Bern.

In hac ergo vnica, & pfectissima oblatiōe Christi I cruce, habemꝰ pfectè q̄cūq; lex in suis sacrificiis, vel contulit, vel figurabat impfectè. Per hāc .n. nrā pctā deleta sunt. Roma. 14. Traditus est propter delicta nostra. Per ipsam accepimus gratiam nos saluantem, ad Hebræor. quinto. Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Per ipsam adipiscimur perfectionem gloriæ, ad Hebre. 10. Habemus fidu-

*Oblatio perfecta perfectè habet quæcūq; lex imperfectè figurabat.*

ciam per sanguinem Christi in introitum sanctorum .s. celestem gloriam. Et iterum. Deglutiens morte ut vitę æternæ hæredes efficeremur 1. Petri. 3. Quãuis autem semel oblatus est in cruce Christus, offertur nihilominus quotidie idemipse, velatus tamen sub panis sacramentali specie non quidẽ quantũ ad ea, quæ pęnam important, quasi iterum vulneraretur, pateretur, & moreretur. Surrexit enim in corpore impassibili, & glorioso, non iterum moriturus Roma. 6. Sed ex aliis duabus causis Prima quia illius sacrificii vniti in cruce immolati, huius panis in altari consecratio, oblatio, & sumptio representatiua est, & continuum memoriale. Secunda quia similium effectuum operatiua in singulis offerrentibus, vel sumẽtib⁹, quos vnica illa generaliter in omnib⁹ operata est in cruce, vt vult Tho. in parte 3. q. 79. art 1. Hinc canit ecclesia. O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur &c. Solent nanq; (vt ait Aug. ad Simplicium) imagines illarũ rerũ quarum sunt imagines, nominib⁹ appellari: sicut cum intuentes tabulam aut parietẽ pictũ dicimus, Ille Cicero est, iste Salustius. Celebratio autẽ hui⁹ sacramenti, imago quędã est passionis Christi repræsentatiuæ, quæ est vera immolatio: quare & illa immolatio nominatur. Hinc b. Amb. super epistolam ad Hebr. In Christo inquit, semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Et si quotidie offero, ad eius memoriã fit. Et vna est hostia, non multę. Quõ vna, non multæ? quia semel immolatus est Christus, hoc autem sacrificiũ exemplũ est illius. Idipsum .n. semper, & idipsum offertur. Et infra. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus, & nunc. Sed ꝙ nos agimus, est recordatio sacrificii. Quæ exponens Algerius lib. 2. de corpore, & sanguine domini. ca. 16. dicit. Quotidianum sacrificium idipsum dicit cum eo, quo semel oblatus est Christus in cruce, quantũ ad eãdem hic, & ibi corporis Christi substãtiam. Quod verò nostrum quotidianũ illius semel oblati dicit esse exemplum .i. figuram, vel forma. Non dicit vt hic vel ibi essentialiter alium Christum constituat, sed vt eundem in cruce semel, in altari quotidie, alio modo offerri, & immolari ostendat. Ibi in veritate passionis, qua pro nobis occisus est, hoc in figura, & imitatione passionis eius, quã Christus non iterum verè patitur, sed ipsius verè passionis memoria quotidie nobis iteratur. Quod ita fieri debere dominus in eius institutione docuit, dicens Lucæ. 22. Hoc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis .i. in memoriam meę passionis, secundũ glo. Hoc quoq; verbũ pertractans b. Bern. in sermone de venerabili eucharistia, ita exclamando dicit. O summa, pia, & suauis memoria, annunciare mortẽ domini donec veniat. Quid facis homo ingrate? adora deuotius, recole frequentius in sacramento altaris salutẽ mundi pro te passam, vitã pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Sequitur. Cęterum vt amplius mouearis immo vt magis incalescas in amorem tui redemptoris, voluit Christus, vt iugiter coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium, & illa perennis victima viueret in memoria, & præsens esset semper in gratia. Hæc Bern. Ecce quale prouidit nobis dominus sacrificium, & omnia alia sacrificia excellens, habens in se eminenter, quæ in nullo alio sacrificio simul reperiuntur.

Habet etiam præ omnibus sacrificiis sanctitatem, & sanctificationis operationem: quia est in omnibus significatũ quia omnibus aliis refutatis volũtati diuinæ acceptissimum, quia valore excellentissimum, quia pro omnibus redimendis hominibus ipsum solum est oblatũ, tot in se cõtinens gratias, quot in omnibus aliis poterant significari. De cuius acceptabilitate loquitur b. Aug. 4. de trini. c. 14. dicens, ꝙ quatuor consyderantur in omni sacrificio .s. Cui offeratur: A quo offeratur: Quid offeratur: Pro quibus offeratur. Omnibus his respectibus sacrificium illud acceptabi-

Sacrificium Christi habet sãctitatem & sanctificationis operationẽ.

ceptabilissimũ est. Offertur .n. summo patri: Ab eius vnigenito. Offertur Christus secundum humanitatem, seu in humana natura. Offertur pro omni bus mundis, & mundandis. Quis tam misericors sicut pater cœlestis? Quis tam iustus, sanctus, & immaculatus sicut vnicus Dei filius, qui non habet opus sacrificio purgari? Talis .n. decebat (ait apostolus Hebr. 7.) vt nobis esset pontifex sanctus, immaculatus, &c. Hic pontifex ad dexteram Dei sedet in excelsis, tanto melior angelis factus, quanto differentius præ illis nomen hęreditauit. Huius pontificis summi vicarii sunt sacerdotes. Esa. 61. Vos autem sacerdotes vocabimini Dei nostri. Hic ergo sacerdos, qui patri offertur, non potest esse acceptus, & ideò effectum huius sacrificii malitia sacerdotis impedire non potest. Sacrificium deniq; ad mundandum, & placandum sufficientissimum. Quid enim tam mũdum pro mundandis vitiis mortalium quam sine vlla contagione carnalis cõcupiscentię nata in vtero, & ex vtero virginali Christi humanitas? Quid tã gratè offerri, & suscipi posset, quam caro sacrificii nostri &c. vt prosequitur Aug. 4. de trini. vbi supra? Nedum ergo pro mundis tantum, sed etiam pro mũdandis, secundum Augu. 10. de ciuita. Dei. c. 6. offertur.

Sacrificium nostrum, ẽ memoriale magni sacrificii in cruce.

Ecce quãtum est sacrificium nostrũ nedum memoriale magni illius vnici, & perfectissimi sacrificii semel in cruce oblati, sed idipsum, & semper idipsũ Memoriale dignissimũ, sed nobis peregrinantibus plurimum necessarium. Cum enim nulli speranda est salus, nisi qui Dei charitate accensus, Christo cõformatur, vt deducit apostolus. 1. Cor. 13. Charitas verò nullo fomento ita in nobis generari potest, foueri, & nutriri, sicuti memoria dominicæ passionis, quæ meritò sibi omnem amorem nostrum vendicat. Ad hanc enim nos scriptura Eccle. 29. hortatur dicens. Gratiam fide iussoris tui ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam, quin pro ea vicem reddendo diligas eum: diligendum nedum lingua, sed opere, & veritate. Ad idem in Canticis. Aperi mihi soror mea amica mea, quia caput meum plenum est rore & cininni mei guttis noctium, Aperi mihi me in mentem suscipiendo, in memoriam in dilectionem, quia caput meum (scilicet, diuinitas, iuxta illud, caput Christi Deus) plenum est rore misericordiæ ad remittendum peccatum. Et cicinni mei .i. humanitas diuinitatem vrlans, guttis id est effusione sudoris lachrymarum, & sanguinis, ac amaritudine passionis, ad redimendum hæreditatem tuam, pro satisfactione tuorum peccatorum impignoratam. Vt itaq; iugiter apud homines maneret memoria e passionis dominicæ, cuius tot figuræ veteris testamẽti præcessere, statuit ecclesia vt hodierno die in cordis iubilo, laudisq; tripudio tam saluberrimum tanquam viuificum sacramentũ veneraretur à Christifidelib⁹. Ad quod etiam summi pontifices, populum animare volentes, indulgentias dedere largissimas &c. Ex quibus iam aliquantulum patet fructus huius sacrificii vt est memoriale crucifixionis Christi, qui ẽ accendere ad amorem, ad gratitudinem, deuotionem, & compassionem. Et tantum de illo, vt est memoriale passionis dominicæ iugiter à nobis recolẽdę, & hodie cum magno cordis iubilo venerandæ, & rememorandæ.

Sacrificium nostrum ẽ simillimum effectuum operatiuum.

Restat nunc consequenter videre quemadmodum hoc sacrificium est simillimum effectuum operatiuum, seu hæc oblatio altaris repræsentans illam quæ facta est in cruce, queadmodum ẽ similium effectuum operatiua in singulis offerentibus, vel sumentibus, quos vnica illa oblatio operata est in cruce, quosq; operata sunt figuralia veteris sacrificia in eius præuisa virtute. Ipsa .n. (vt tactum est) oblata sunt ad peccati expiationem, ad pacis stabilitatem, ad cordis cum Deo vnionem Primum ad hostiam pro peccatis. Secundum ad hostiam pacificorum. Tertium ad holocaustum. De primo breuiter dicendum, quod ex quo sacratissima eucha-

ristiæ oblatio in altari perfectissimum memoriale est vnici illius, & verissimi sacrificii Christi in cruce, eosdem effectus operatur in singulis offerentibus, & pro quibus offertur in missæ officio quos operata est generaliter mundo Christi in cruce oblatio. Vnde Chrysostom. super illud Iohannis decimo nono. Et continuò exiuit sanguis, & aqua, ait. Hinc suscipiunt principium sacra mysteria. Cum accesseris ad tremendum calicem velut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas vtputa eundem fructum percepturus.

Nam & accepto calice in cęna dominus ait. Hic est sanguis meus, qui vobis tradetur in remissionem peccatorum. Verum & si altaris oblatio eosdem effectus operatur, non tamen ęquè per omnia perfectos, quia meritum oblationis Christi in Altari, non æquatur merito oblationis Christi in Cruce, alioquin tantum valeret vna missa celebrata à Sacerdote in acceptione diuina, quantum passio Christi in cruce exhibita, quod non conceditur. Alias enim sicut passio semel exhibita sufficeit ad totius mundi redemptionem, & salutem, ita vna missa ad singulorum hominum pro suis peccatis plenam sufficeret satisfactionem. Et ita superfluum esset plures missas celebrare, quemadmodum latius ostendit Scotus in suo quodlibeto, quæstione vigesima. Est ergo oblatio altaris satis inferior quantum ad fructum ad illam in cruce, vt idem ibidem dicit. Accedit tamen magis pro quanto illam passionem specialius repræsentat, ac per eam specialius obsecrat, vt virtute eius Deus acceptet sacrificium ecclesiæ. Et ita virtute eius Deum specialius placat, ac bonum impetrat. Nam valor fructus eucharistiæ vt sacrificii, non attenditur præcise p rationem rei contentæ scilicet. Christi, Alioquin æquè valeret ecclesiæ eu charistia, quando conseruatur in pyxide, sicut cum offertur in missa, sed attenditur etiam ex ipsius oblatione.

Cũ autẽ fit oblatio acceptatur à Deo non tantum ratione muneris oblati, sed etiam ratione offerentis accepti. Sicut dicitur Gene. quarto. Respexit dominus ad Abel, & ad munera eius, prius ad Abel, quam ad munera eius. Et Lucæ vigesimoprimo dicit dominus, quod vidua paupercula plus, quam omnes misit, quia ex voluntate magis accepta. Et beatus Gregorius Homil. quinta. Nec pensat Deus (inquit) quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.

Fructus sacrificii nostri præcipue.

Videamus nunc specialius de effectibus huius sacramenti vt sacrificium est qua (vt dictum est) sunt ijdem, qui & passionis Christi. Huius autem tres supra commemorati sunt correspondenter ad oblationem triplicem veteris testament.

Primus est peccati remissio. De hoc ait beatus Augustinus, & allegat Magister distinctione decima secunda libri quarti. Dedit nobis Deus sacramentum salutis, vt qui quotidie peccamus, & ille iam pro nobis mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. In huius signum in dominica oratione præmittitur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et statim subinfertur. Et dimitte nobis debita nostra, quia hæc consequenter se habent, immolatio huius panis, & remissio peccatorum.

Illa autem remissio intelligi potest vel quo ad reatum culpæ, siue quo ad pęnam. Item quo ad peccata venialia tantum, vel etiam quo ad mortalia. Et de his per ordinem est videndum.

De peccatis igitur venialibus certum est, quod hæc remittuntur per hoc sacrificium, tam quo ad reatum, quam quo ad pęnam totalem vel partialem. Ad hoc facit quod nunc statim allegatum est. Et beatus Ambro. ait. Si

quoties

quotiens effunditur, sanguis Christi, in remissionem peccatorum nostrorum effunditur, debeo semper accipere: vt mihi semper peccata dimittantur, quia semper pecco, debeo semper habere medicinam, loquitur de effusione commemorationis, quæ fit in huius sacramenti oblatione, & sumptione. Et Augustinus. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus viuere humana infirmitas non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mysticè pro nobis immolatur.

Hæc Magister distinctione duodecima quarti. Habet autem sacramentum hoc virtutem ad remissionem peccatorum venialium, in quantum cibus, & inquantum sacrificium. Sicut enim per cibum restauratur id, quod quotidie deperditur per caloris naturalis actionem: Ita in nobis, id quod quotidie spiritualiter deperditur ex calore concupiscentiæ per venialia peccata, quæ feruorem charitatis diminuunt, per huius sacramenti sumptionem restauratur. Hæc Thomas parte secunda, quæstione septuagesima nona, articulo quinto. Hinc Ambrosius in libro de sacramento dicit, quòd iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Quomodo autem sacramentum hoc restauret nedum charitatem, sed etiam charitatis feruorem, patebit cum dicetur de fructibus eius, vt est cibus. Et pro quanto restaurat charitatem, remittit etiã non solum peccatum veniale, sed etiam pœnam per modum concomitantiæ. Feruor enim charitatis pœnam remittit, sicut ignis guttulas aquæ aspersas pœnitus consumit. In quantum verò est sacrificium habet rationem satisfactiuam, sicut dicit Apostolus ad Hæbreos quinto. Vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.

Et Leuitici quarto. Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, offerat arietem immaculatum. Glosa id est Christum.

Veruntamen quia in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblati, vt dictum est. Ideo etsi hæc oblatio ex sui quantitate sufficeret ad satisfaciendum pro omni pœna, acceptatur tamen secundum quantitatem deuotionis offerentis, sumentis, vel eorum pro quibus offertur, & secundum huius deuotionis quantitatem remittit vel pœnam totam, vel eius partem, ita verò dicit beatus Thomas in tertia parte, quæstione sexagesima nona, articulo quinto.

Est tamen hic aduertendum pro dictis, & dicendis secundum eundem Thom. q. qua supra art. 7. Quod licet hæc oblatio per modum sacramenti tantum prodest sumentibus & nõ aliis. Neq; enim ex hoc, quòd aliquis sumit eucharistiam, aliis accrescit fructus, neque hoc habet consuetudo ecclesiæ quòd multi communicent pro alterius salute. Sed tamen per modum sacrificii prodest tam offerenti sacerdoti, quam omnibus, pro quibus offertur. Offertur autem principaliter pro participantibus sumendo ipsum, atq; manducando. Non autem pro illis tantum, sed etiam pro circumstantibus, & omnibus, ad quos intentio dirigitur offerentis. Sumentibus itaq; dupliciter prodest, per modum sacramenti, & per modum sacrificii. Vnde in canone dicitur. Quot quot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur. Non sumentibus verò tantum prodest per modum sacrificij. Vnde etiam in canone dicitur. Memento domine famulorum, famularumq; tuarum, pro quibus tibi offerimus hoc sacrificiũ laudis, vel qui tibi offerunt pro se, suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ &c Et vtrumque dominus exprimit Matth. 26. Qui pro vobis, scilicet discipulis meis sumentibus, & pro multis aliis effundetur in remissionem peccatorum.

Oblatio Euch. per modũ sacramẽti prodest, tantũ sumẽtibus & non aliis.

Euch. nō remittit pec. &c. cōc. Tri. sess. 13. cap. 3. & Can. 11.

De peccatis verò mortalibus an illa remittat eucharistia vt sacrificium vel sacramentum, sic distinguit bea. Tho. in quarto scripto dist. 12. q. 5. Nam vt dictum est eucharistia sacramētum est & sacrificium. Vt sacramentum, habet effectum in sumente, vt sacrificium, in offerente, & in his, pro quibus offertur. Vt sacramentum, non tollit peccatum mortale in sumente, saltem quod est in conscientia sumentis id est in eo, qui cum conscientia peccati mortalis sumit, hoc est, qui sciens se in peccato mortali actu, quia fortè non displicet praeteritum, aut peccandi in futuro habet propositum, vel memorans se peccasse mortaliter sine absolutione sacramentali, cum eam habere posset, accedit. In tali siquidem non delet peccatum, sed auget culpam, quoniam sic accedens nouum mortale committit, pro eo, ꝙ indignè accedens, iudicium sibi sumit, & reus efficitur corporis, & sanguinis Christi, vt dicit apostolus primo Corinthio. 11. Et in ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Si mens in affectu peccādi est, grauatur magis eucharistię perceptione, quam purificetur. Et ratio est, quia eucharistia vt sacramentum cibus est animae, cuius vsus est in manducando. Effectus autem cuiuslibet sacramenti respondet his, quae exterius in sacramento geruntur. Nam proprius effectus cuiuslibet sacramenti sumi debet ex similitudine ad materiam, seu vsum sacramenti. Sicut patet ex diffinitione sacramenti decimo quarto de ciuitate Dei, quam recitat Magister distinc. prima quarti, vbi & dicit quod nisi sacramenta haberent similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, sacramenta non dicerentur, quoniam sacramentum propriè dicitur, quod ita est signum gratiae Dei, & inuisibilis gratiae visibilis forma, vt ipsius gerat imaginem, & causa existat Panis itaque qui cibus est corporis, & manducatus corpus nutrit, vitam corporis praesupponit, siquidem in mortuo nullum habet effectum: Ita eucharistia, quae est cibus animae, vitam animae praesupponit, & in anima per peccatum mortua effectum nullum habet. Denique passio Christi, cui virtus huius sacramenti innititur, licet sufficientissima sit de se remittere omnem culpam, & pęnam, tamen in eo, qui obicem ponit, nihil efficit. Obicem ponit gratiae Dei, quisquis mortale peccatum tenet in conscientia. Ideò in tali nec eucharistia, nec quodcunque aliud sacramentum habere poterit effectum. Dictum est notanter, peccatum mortale, quod est in conscientia sumentis, quoniam vt dicit beatus Thomas in 3 parte question. 79. artico. tertio. Si aliquis haberet peccatum mortale, cuius conscientiam non haberet, vt puta qui memoriam eius aufugisset, aut fortè actum ipsum mortalis peccati ignorasset fuisse peccatum mortale ignorantia non affectata, aut fortè non fuisset sufficienter contritus, accederet tamen deuotè, & reuerenter, talis consequitur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet, & remissionem peccati. Haec Thom. & secundum hoc communiter dicunt doctores, quod peccata mortalia oblita remittuntur per sumptionem reuerentem huius sacramenti.

Euchar. quō tollat pęnā temporalem debitā mortali.

Pęnam verò temporalem peccato mortali iam dimisso, quo ad reatum debitam dicit beatus Thomas in scripto. 4. quest. 5. 12. distinctio. inquantum sacramentum non tollit, seu aufert, quia vt sic pro principali effectu habet vnionem hominis ad Christum, & ideò non aufert nisi ea, quae in habente vitam huic vnioni opposita inuenit. Pęna autem peccato mortali debita, quod iam deletum est huic vnioni non opponitur, ideò inquantum sacramentū, nō habet effectum ad penae mortalis dimissionem. Quod dictum sic intelligi debere opinor, quod eucharistia, vt sacramentum non habet pro principali effectu, puta in quem vt sic principaliter ordinatur, remissionem pęnae. Alioquin magis probaret

hæc ratio, quod non auferret pęnam peccato veniali debitam, immo nec peccatum veniale, contra ea, quæ supra dicta sunt. Et illud Innocentii papæ. Hoc sacramentum delet venialia, & cauet mortalia, quia nec pęna venialis peccati, nec peccatum veniale opponitur vnioni sumentis cum Christo. Et ideò melius dici potest correspondenter ad ea, quæ idem ponit in tertia parte summę.q. 79. artic. 5. ꝙ eucharistia consyderata, vt sacramentum habet duplicem effectum. Vno modo directè, ex vi sacramenti. Alio modo quasi ex quadam concomitantia, sicut dicitur de contentis sub speciebus sacramentalibus. Primò modo effectus eius est spiritualiter nutrire per vnionem ad Christum, & membra eius. Quia autē hæc vnio fit per charitatem ex cuius feruore quis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pęnæ. Inde est, ꝙ per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem penæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ deuotionis, & feruoris. Hęc Thomas.

Innocentii Euc. delet venialia & cauet morta.

Cum ergo ista ita locum habeāt de pena peccato mortali iam quo ad reatum dimisso debita, sicut de pęna peccati venialis. Dicendum est, ꝙ eucharistia vt sacramentum, licet peccatum mortale non tollat, ex causa supradicta tollit tamen pęnam eius, quod prius ē dimissum, quo ad reatū. Et hoc potest etiam sic ostendi: Nam feruens actus dilectionis quandoq; supplet actum contritionis qui tamen essentialius se habet ad remissionem peccati, quā actus satisfactionis, ergo à maiori supplet actum satisfactionis. Antecedens ita declarat Scotus in suo 4. dist. 14.q. 1. Deus potest remittere peccatū per aliquem motum feruentem dilectionis in Deū, absq; actu pęnitentiæ sub propria ratione vtpote in actu feruoris ad martyrium statim sustinēdum, vbi fortè nō esset cogitatio de aliquo peccato prius commisso, nec per consequens aliquod pęnitere formaliter, licet virtualiter in illo motu esset pęnitere, siue detestari peccatum. Et hoc consequenter sic ostēdit, quia nullus excluditur à regno cęlorum, qui facit, quod est simpliciter necessarium. Sed est possibile aliquē vsq; ad instans existentem in peccato, ab instantia necessitari ad toto corde insistendum circa actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso vtputa statim exposito artissimo martyrio. Talis enim saluatur, immo euolat, quia voluntariè offerendo se martyrio, facit totum, ꝙ potest, & ita per motum dilectionis & peccatum, & pęna eius remittitur. Et dist. 15.q. 1. idē dicit. Potest aliquando per actum non pęnalem satisfieri pro peccato, quia bene potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ. Licet enim non sit propria punitio, est tamē magis bonum, & magis Deo reddens honorem, quam illa, quæ esset propria illius punitio. Ecce per actum feruidum charitatis remittitur pęna vel totalis, vel partialis. Quis deniq; dubitat ꝙ oratio, quæ ponitur vnum ex tribus operibus satisfactionis plus satisfaciat, & ita pęnam peccati tollat ratione feruoris, ac deuotionis, quam laboris, aut fatigationis in orando? Alioquin orans sine deuotione, & per consequens magis laborans, quippe feruor, & deuotio fatigationem minuit, magis de pęna tolleret, quā orans cum feruore. Cū autē per eucharistiā vt sacramentum, augetur charitas, & eius feruor in sumente, patet ꝙ ex consequenti etiam pęnam peccato prius dimisso debitam aufert partialem, vel totalem, secundū intentionē feruoris, quem confert, & excitat eucharistia in sumente.

Euch. vt sacramē tum tollit pęnā peccati mortalis & quō.

Eucharistia verò vt sacrificium, effectum habet in offerente, & in ijs, pro quibus offertur, vt dictū est. Nec solum offertur pro iustis, sed etiam pro peccatoribus, vt iustificentur, immo pro fidelibus, vt ad fidem perueniant, vt patet ex officiis, & collectis ab ecclesia ordinatis pro peccatoribus, infidelibus errantibus &c. Et ideò conuersionem impetrat, & gratiam contritionis, &

per hoc remissionem peccati, non quidē omnibus, sed prædestinatis, & eis, qui per obstinationem voluntatis obicem gratiæ positum non continuant. Et de hoc beatus Thomas in quarto scripto quest. 5. dist. 12. dicit. Eucharistia inquantum est sacrificium, habet effectum in his, pro quibus offertur. In quibus non prærequirit vitam spiritualem in actu, sed in potentia. Et ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius, vel sacrificii à quo omnis gratia in nos influxit, & per cōsequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum eis gratiam contritionis impetrat. Hæc Thom. Deniq; oratio primam gratiam impetrat ei, pro quo oratur, vt oratio Stephani Paulo, vt idem dicit in prima secundæ. q. vlti. arti. 6. Sed quæ oratio efficacior esse potest officio missæ, in quo ex persona totius ecclesiæ oratur? Si deniq; Christus aduocatus noster in cœlis pro nobis interpellat apud patrem pro peccatis nostris, vt dicit Ioan. in prima cano. cap. 2. & Paulus ad Roma. 8. Quando hoc efficacius credendus est facere, quamdum ipse in sacramento offertur patri, vt secundum suam institutionem aduocet pro nobis. Hinc oratur in missa: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis &c. Nec huic contrariatur quod Augustinus ad Renatum dicit. Quis offert corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi: Mēbra autem Christi dici non possunt nisi fortè mortua, quia habent mortale peccatum, quoniam vt dicit Thom. vbi supra, in scripto. pro membris Christi offerri intelliguntur quando offertur pro aliquibus vt sint membra Christi. Et hoc est, quod in quadam collecta orat ecclesia. Purificent nos quæsumus domine sacramenta. quæ sumpsimus, & præsta vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit absolutio scelerum. Et sequitur. Sit viuorum, & mortuorum remissio omniū delictorum. Scelera peccata sunt mortalia, quamuis etiam in hoc intelligitur abluere scelera, vt vult Innocentius ꝙ ea impedit, robur contra ea ministrando.

Oratio primam gratiam impetrat ei p quo oratur.

Et per hoc dicitur ꝙ Eucharistia vt sacrificium non solum peccatorum remissionem confert modo dicto, quæ actu commissa sunt, sed etiam mortalia peccata futura cauet, sicut Innocentius 3. dicit. Hoc sacramentum delet veniale, & cauet mortale. Vnde præseruare a peccato futuro numeratur inter effectus huius sacramenti, quoniam & dominus Ioan. 6. ait Hic est panis, qui de cœlo descendit. Si quis ex eo manducauerit, non morietur.

Euchar. vt sacrificium nō non solū pctōrum remissionem cōfert.

Quod quidē manifestum est non intelligi de morte temporali, ergo intelligitur ꝙ hoc sacramentum præseruat à morte spirituali, quæ est per peccatum. Et secundum sanctum Tho. in 3. parte q. 79. artic. 6. dupliciter hoc cōtingit. Cum enim peccatum est quædam mors animæ spiritualis, hoc modo præseruatur aliquis à peccato futuro, quo corpus à morte futura. Et hoc dupliciter contingit. Vno modo inquantum natura hominis roboratur contra interiora corruptiua, & sic præseruatur à morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc ꝙ munitur homo contra exteriores impugnationes. Et sic præseruetur per arma, & exteriora munimenta. Vtroq; modo hoc sacramentum præseruat à peccato, tā vt sacrificium, quam vt sacramentum, quoniam per gratiam, quam vtroque modo impetrat ac confert, & sumenti, & his pro quibus offertur roborat spiritualem vitam hominis tanquam spiritualis cibus & spiritualis medicina, secundum illud psal. Panis confirmat cor hominis. Et Aug. super Ioannem Securus accede, panis est, non venenū. Reuera non est venenum, sed venenū, idest fomitem peccati minuit in hoc, ꝙ charitatem auget. Nam secundum Augustinum in libro. 83. quæstionum augmentum charitatis est diminutio cupiditatis. Alio modo inquantum signum

gnum est, & memoriale passionis Christi per quam victi sunt dæmones, repellit dæmonum impugnationes. Vnde Chrysosto. super Ioannem dicit. Vt Leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

Præseruatio à peccato quô in recidiuãtes effectũ hét licet ommunicent frequenter.

Et si quis diceret. Multi non solum missas audientes, sed etiam dignè hoc sacramentum sumentes, postea recidiuant in peccatum. Quomodo ergo effectus huius sacramenti est præseruatio à peccato? Respondetur secundum eundem Thom. ꝙ effectus huius sacramenti recipitur secundum conditionẽ hominis, sicut vniuersaliter cuiuslibet causæ actiuæ effectus suscipitur in materiam secundum conditionem materiæ. Homo autem habet liberum arbitrium, quod ex sua conditione potest flecti saltem in via ad bonũ, & malũ. Et ideò sacramentum ita præseruat à peccato, vt tñ liberum arbitrium, ac peccandi possibilitatẽ non auferat. Vnde qui gratiæ sacramenti consentire non vult potest se auertere, in peccatum recidiuare, sicut & post charitatem habitam, etiam quantumcunq; intensam, tamen non consummatam (quod dicitur propter charitatem patriæ) potest homo ex vertibilitate sui arbitrii contra charitatis inclinationem peccare, & ita charitatem ipsam amittere.

Eucha. vt sacrificium, pdest etiã mortuis & quomodo.

Nec solum peccatum remittit, vt sacrificium, sed etiam peccati pœnam, nedum viuentibus, sed etiam defũctis, pro quibus offertur. Sicut de hoc quo ad defunctos clarissimè loquuntur Augu. in enchiridion, & beatus Grego. 4. libro dialo. & Magister distinct. 45. libri quarti. Ex quibus manifestè colligitur ꝙ inter omnia genera suffragiorum, quæ defunctis impendi valent, nullum efficacius sacrificio Eucharistiæ in officio missæ ad liberationem animarum à pœna purgatorio. Quod quia verum est de defunctis, quanto magis locum habet in viuis? Vnde habet consuetudo ecclesiæ, iniungere celebrationem missarum per se vel alios, vel etiam auditionem missarum in satisfactionem pro peccatis. Per quid enim efficacius pœna posset dimitti, aut quæ satisfactio efficacior adhiberi posset pro peccatis, quam satisfactio Christi per passionem suam, & mortem in cruce, cuius virtutem participant hi pro quibus in missa Christus offertur in memoriam eiusdem passionis? Quia etiam (vt dictum est) oratio inter opera satisfactionis numeratur, nec fit oratio efficacior officio missæ manifestum est per eucharistiam, vt sacrificium, deleri, seu remitti pœnam.

Hinc petitur in canone: Libera nos ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris. Quæ sunt mala prẽterita, à quibus liberari petimus? Non peccata, quoniam aut iam dimissa sunt, & ita superfluum est pro eorum dimissione orare, aut nondum sunt dimissa, & ita non sunt præterita, sed adhuc quo ad reatum præsentia. Sũt ergo mala præterita pœnæ peccatorum dimissorum, quæ propter præterita peccata nobis manent. Similiter mala futura intelliguntur non tantum mala culpæ, sed & pœnæ. Ideò dicitur, ab omnibus malis. Ad idem pertinet, quod sequitur: Et à peccato simus liberi, & ab omni perturbatione securi, vt primum ad culpam, secundum referatur ad pœnam, culpam consequentem.

Euchar. duæ doctrinæ.

Ex illis possunt elici duæ doctrinæ. Prima. Licet fructus eucharistiæ efficacior est vt est Sacramentum, est tamen generalior vt sacrificium. Patet primum, quia vt sacramentum solum operatur in sumentibus ipsum, sed vt sacrificium effectum habet in omnibus pro quibus offertur.

Offertur autem non tantum pro participantibus per sumptionem, sed etiam pro circumstantibus omnibus, immo & absentibus, viuis, & defunctis. Verum, quia semper & principaliter pro participantibus offertur: vt patet ex forma canonis, vbi dicitur: Vt

quot

quotquot ex hac altaris participatiõe &c. vt supra allegatum est. Ideò in illis habet duplicem effectum. s. vt sacramentum, & sacrificium. In cæteris verò tantum vt sacrificium.

Peccatores arcẽtur ab euch. nõ tamẽ amiss.

Secunda. Licet peccatores, arceãtur à perceptione Eucharistię, non tamen ab auditione missę. Patet, quia vt dictum est, eucharistia offertur etiam pro peccatoribus, vt iustificentur, non sic datur peccatoribus. Ideò peccatoribus etiam non contritis, nec in peccatis suis, quæ continuant displicentiam habentibus, vtile est frequenter assistere missę officio, ac procurare, vt pro eis offeratur, quatenus sic à domino mereantur misericorditer respici, atq; ad peccatorum suorũm displicentiam, quam nondum habent, inspirari. Nisi à Deo desperati forent, vt gratiam contritionis sibi dari nollent. Si enim fides mittentium paralyticum per regulas ante dominum paralytico subuenit, vt perfectam consequeretur sanitatem, vt habetur Lu. 6. cap. Quantò magis hoc sacrificium, in quo Christus offertur principaliter, & sacerdos ex persona totius ecclesiæ ministerialiter? Hæc de primo effectu Eucharistiæ vt sacrificium, qui est remissio peccatorum.

Euch. effectus secundus.

De secundo effectu, qui est conseruatio hominis in statu gratię, dicetur statim infra, cum de ipso tractabitur, vt edulium. Et de tertio, qui est perfecta vnio cum Deo, & per hoc apertio regni, dicetur cum de ipso tractabitur, vt est communionis vinculum, ne idem sępius contingat repetere. Sicut enim Eucharistia eadem est, licet diuersimode consyderetur, ita etiam nonnunquã coincidunt effectus eius, etiam secundum diuersas consyderationes, vt partim iam patuit de peccati remissione, quod remittit non tantum vt sacrificium, sed etiam vt refectionis edulium. Et tantum de illo, vt sacramentum illud institutum est in sacrificium, quamuis aliqua sint tacta, quæ respiciunt etiam aliam partem, vt institutum est in sacramentum, & cibum, quam partem habes latè discussam in canonis expositione lect. 85. & 86. Vide ibi diffusius.

## *IN DEDICATIONE templi Sermo. 1. in ordine. XLVII.*

DIE, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. Numeri. 9.

Tabernacula à Deo nobis parata quot sunt.

Festum magnum, spiritualis gaudio plenum, multiplici quoque nobis causa venerandum, à piis hodie suscipitur mentibus deuotissimè celebrandum. Festum vtique erectionis tabernaculorum, non tale, quale iudei celebrarunt. Isti nanque sicut eis pręceptum fuerat Leui. 23. septem dies solẽnes in tabernaculis extra tecta sub frõdibus pulchrarum arborum & virgultorum agebant, in memoriam suę eductionis de terra Egypti per desertum, in quo annis 40. in tabernaculis, cęlesti cibo in variis mirabilibus à domino educati, cum Moyse Dei famulo habitabant. Nos autem illorum tabernaculorum festa percolimus, quæ dominus erigere, spiritussancti nube sanctificare, ac sibiipsi placens habitaculum dignatus est consecrare, quæ per tabernaculum à Beseleel manufactum, per Moysen erectum, significata sunt, de quo ad literam loquitur nostrum thema. Sunt autem tabernacula sibi à domino in habitationem erecta duplicia. Vnum materiale, templum scilicet lapidibus, lignisque extructum, ad cultum Dei in orationibus, & hymnis, in psalmo, & voce exultationis, ac salutis in tabernaculis iustorum. Aliud spirituale, quod est cor humanum ad dominum factorem suum conuersum. De quo potest accipi illud Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in illis. Et 2. Cor. 5. Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari. Erectionem huius nostri tabernaculi ma-

materialis, illi tãtũ solemniter festiuãt qui eidem tabernaculo sunt coniuncti, & incorporati. Hinc beatus Bernard. ser. 1. de dedicatione ait, Cæteras quidem sanctorum solemnitates cum aliis ecclesiis habemus communes. Hæc verò sic nobis est propria, vt necesse sit, vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. De erectione verò tabernaculi spiritualis, festiuitas est cuilibet singularis, qui gratulatur se templum Christi esse ctum per susceptionem fidei, & baptismatis sacramentum. Sicut scriptum est. Quicunq; baptizati estis in Christo, Christum induistis, ad Gal. 3. Quilibet itaq;, dum de sua electione, atque superędificatione super angularem lapidem Christum gaudet, & in domino gloriatur, de sui tabernaculi erectione singulariter festiuat ipse. Omnibus autem his ex causis nobis hic concurrentibus festiuitas hæc solemnis est, qui gaudemus, materiale huius ecclesię ędificium, & spirituale cordis nostri tabernaculum à domino creatum, nec solum erectum, sed quod perfectius est, nube sanctificante coopertum secundum thematis voces. Die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. De quibus pro gratia Aue Maria.

Deus est in tẽplo repleti-ue, quia vbiq; est

De qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. Quamuis De⁹ omnipotens nullo loco claudi poterit, aut contineri. Siquidem duobus modis aliquid dicitur locale, vel circumscriptibile, scilicet. Vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis, & latitudinis, distantiam facit in loco vt corpus. Vel quia loco diffinitur, ac determinatur, quoniam cum sit alicubi, non vbique inuenitur. Quod non solũ corpori, sed etiam omni creato spiritui cõuenit. Omne ergo corpus vtroque modo locale est, spiritus verò creatus quodammodo est localis, & quodammodo non est localis. Localis quidem dicitur, quia diffinitione loci terminatur, quoniam cum alicubi pręsens sit totus, alibi non inuenitur. Non autem ita localis est, vt dimensionem capiens, distantiam in loco faciat. Sola ergo diuina essentia omnino illocalis est, & incircumscriptibilis, quæ nec locis mouetur aliquo modo, scilicet vel determinatione finita, vel dimensione suscepta. Hinc Augustinus, & allegat Magister vbi supra. Deus vbique est, cui nõ locis, sed actionibus appropinquamus. Et iterum magister vbi supra, Deus vbique est, in omni creatura, essentialiter potentialiter, pręsentialiter. Siquidem per Hiero. loquitur, Cœlum, & terram ego impleo. 23. cap. Et Esa. 40. Cęlum metitur palma, & terram pugillo concludit. Quæ tractans Grego. hom. 17. in Ezech. ait. Ipse est interior omnibus & exterior. Ipse inferior & superior. Regendo superior, portando inferior, replendo interior. Sicque est intus vt extra sit. Sic circundat, vt penetret. Sic pręsidet, vt portet. Sic portat. vt pręsideat. Nam qui omnia implet, intus est, qui cęlum palmo, terram pugillo claudit, exterius, superius, & inferius est. Quamuis itaque vbique existens, nullo claudi possit loco, dicitur tamen specialius esse in quibusdam, & excellentius, in quibus excellentiora bonitatis suæ opera ostendit. Vnde Augustinus in epistola ad Hiero. de origine animę. Per omnes particulas corporis anima tota adest simul, nec minor est in minoribus, nec maior in maioribus, sed tamẽ in aliis intensius, in aliis remissius operatur, cum in singulis particulis corporis essentialiter tota sit. Ita & Deus cum sit in omnibus essentialiter ac totus, in illis tamen plenius esse dicitur quos inhabitat, in quibus ita est vt faciat eos templum suum. Et Aug. ad Dardanum in lib. de præsentia Dei. Cum Deus sit natura incorporea, & incommutabiliter viua, æterna stabilitate in se manens totus, adest rebus omnibus, & singulis totus, sed in quibus habitat, habent eum pro suæ capacitatis diuersitate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ędificat. Habitat autem æternaliter in patre luce inaccessibili, lux ipsa de luce, filius de patre, sicut ait Ioan. 14. Ego in patre, & pater

in

in me est. Ex tempore autem in electis & iustis, angelis, & hominibus placuit inhabitare, in cęlo quidem tanquam in sede quietus, in terra tanquam in tabernaculo peregrinus. Hinc Esa. 66. dicitur, Cęlum mihi sedes est, terra autē scabellum pedū meorum, in sede quiescitur, in terra pedibus ambulatur. Exponit magister vbi supra, quia in electis, qui sunt cęlum, habitat Deus, & regnat qui eius voluntati deuoti obtemperāt. Malos verò, qui sunt terra, iudicii districtione calcat. De isto dicitur, Thronus tuus Deus in sęculum sęculi. psal. 44. & ad Hebre. 1. De hac autem dictum est Moysi, Loquere filiis Israel, vt faciant mihi sanctuarium, inhabitabo in medio eorum iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi Exo. 25. Thronus autem, vel sedes immobilis est, & quiete possidetur. Tabernaculum autem firmum non est, sed cum transmigrante trāsmigrat, atque viatores, & pugnantes milites velut tētorium in itinere, à molestis qualitatibus aeris defendit. Est tantum in eis non quies, sed labor, & pugna. Ait enim Bern. sermo. 4. de dedicatione. In tabernaculis gemitus pęnitentię, in atriis gustus lætitiæ, in domo satietas glorię secundum illud, Beati qui habitant in domo tua domine, in seculū seculi laudabunt te.

Templū materiale quare est venerandum.

Verum quia dictante æternæ legis suæ iustitia, neminem inhabitat per gloriam in patria, quem non inhabitauit per sanctificantem gratiam in via, vt nos à se alienatos, exules, miseros, & errantes, tabernacula sua efficeret in via, ac sanctificaret, dignatus est illud figurale ve. test. tabernaculum per Moysen erigere, & operiente nube sanctificare. Et in nouo test. materiales ecclesias, impensis fidelium fabricatas, per manus pontificum vnctionibus sacris dedicare, ad significandum pariter, & præparandum fidelium corda, quatenus ipsa tabernacula fierent, domi num susceptura De quolibet igitur breuiter aliquid dicendum. Sed primum de materiali. Secundo de spirituali.

Templū spirituale, figuratur per materiale.

Erectum est ita in nobis tabernaculum illud, quod est materialis ecclesia. Cuius consecrationis festum etsi non solemnizat vniuersalis ecclesia, omnes tamen huc concurrentes, ac gratiam eius participantes maximè autem inhabitantes festinant, Deo de tanto munere gratias referentes. An paruum putandum est munus tabernaculi huius erectio, quod omnibus huc venientibus spectaculum est salutis, asilum refugii intutis, fortalicium terribile versutis? Hæc enim tria olim reperta fuere in ve. te. tabernaculo, sed longè plenius, & perfectius in no. test. vnde & rectè eidē tabernaculi nomen communicat. Siquidem tabernaculum Moysi Fuit &c.

Fuit:
- Cunctis intuētibus grāde spectaculū, quia auri, & argenti, tabularum, ac cortinarum, gemmarum, ac lapidum erat compositione admirabili, & artificiosissima pręciosum: vt habet Exo. 25. & in sequentibus.
- Asilum cunctis afflictis: eo quòd in illo dominus responsa dabat: dubia dissoluens, vota supplicum audiuit, petita cōcedēs, hostias legales accepit, peccata relaxans: vt patet ex discursu librorum legalium.
- Terribile fortalicium inimicis. Nam in eo continebatur arca fœderis, quæ dum circumgirauit Hiericho, muros eius prostrauit. Quæ Allophilos terruit; & plagauit. 1. Regum. 5. Propter quod cum Moyses profecturus eam eleuabat, dixit: Exurge domine, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderūt eū a facie eius. Num. 10.

Est quidem hoc nostrum templū materiale: cuius dedicationē festiuamus, dignum admiratione spectaculum propter laudes, & cantica deuotorum: propter doctrinam, picturas, & libros vtrorumq; testamentorum, propter pacem, disciplinam, & concordiam ministrorum. Est intutis refugij asilum propter frequentiam orationum, propter gratias

tias sacramentorum, propter indulgentias remissiuas peccatorum. Est deniq; terribile dęmonibus fortalicium propter reliquias sanctorum, propter custodias angelorum, propter Christi sacramentalem pręsentiam, & præsidia patronorum. Quæ modo prosequi, ac auctoritatibus scripturę demonstrare tēpus non patitur. Sufficiat vel commemorasse, ne ipsum contaminantes domino pro tot ingrati beneficiis, & nobisipsis damnosi, & inutiles arguamur.

Peccatū nullū ita a christo correctū vt tēpli profanatio.

Quia si adhuc tēplum hoc domini male doctus christianus paruipendat, ipsum reuereri discat ex figura veteris testamenti, & cęlo Christi. Figurale tēplum in ve. te. non potuit ingredi manceр, nec immundus, nec quomodolibet irregularis, sed nec populus nisi in atrium, in sancta] quidem ingrediebantur sacerdotes, sed tantum pontifex summus in sanctasanctorum, & hoc semel in anno. Si hæc ita se habebant in tabernaculo figurali, in quo non erat nisi arca fęderis, continens legis tabulas, manna, & virgam Aaron. Quid de nostro tabernaculo, in quo corporaliter continetur Christus cum cęteris supradictis? Deniq; frequenter dominus prædicans, peccatores, & peccata quātumlibet grauia verbo arguit, solam templi sui, domus Dei, iniuriam non ferens, verbo ementes, & vendentes durè velut latrones increpauit, & facto de resticulis flagello, zelo patris accensus, de templo extirpauit, nummulariorum mensas, & æs subuertit. Et certè, quæ vendebantur, ad Dei cultum pertinebant, quoniam in templo offerebantur, sed nec in sancta, aut sanctasanctorum, sed in atrio ante templum vendebantur, vt dicit Lyra super Ioannem cap. 2. & clarius super Matt. cap. 21. Lege, & relege totum euangelium, non inuenies aliquando pro quocunq; maximo crimine simile aliquid dominū egisse. Vnde intelligāt mercatores, cauillatores, vani homines, sui ostēsores, quantū domino displicent tēplū suū prophanantes, & discant tandē venerari domini tabernaculum, tātis sanctificationibus dedicatum, nec eiecti aliquando per domini sententiam, pereant cum tabernaculis impiorum. Et tantum de primo breuissimè.

Tabernaculū spirituale qūo est pparandū Deo.

Circa secundnm tabernaculum spirituale patet aliquo modo ex dictis, quòd primū tabernaculum ideo a Deo erectum est, electum, & nube operiente sanctificatum, quatenus per hęc nos præparat, exhiberemur spiritualia domino tabernacula, in quibus ipse habitare per gratiam dignaretur. Et hoc quidem per omnem modum est nobis necessarium.

Quia nisi Christus habitet in nobis, christianum nomen in nobis vacuum, & inane est. Neq; enim albus est, in quo non est albedo, neq; calidus, qui calore caret. Ita christianus non est, qui non habet habitantem in se Christum.

Hinc quoq; Apostolus loquens omnibus christianis ait. Vosmetipsos tentate, si estis in fide Christi, vos probate. Et quomodo probent, statim adiungit, cum dicit. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis. 2. Cor. 13. Ecce probatio eius, quòd quisquis in fide formata christianus est, est inhabitatio Christi, quem qui non habet, reprobus erit.

Auertat a nobis id dominus, quia qui reprobus est, & ita non tabernaculum Christi, est tabernaculum diaboli; quia quos reprobat Christus, possidet diabolus.

Omnium enim iniquorum caput est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui, ait Grego. Hom. 16. sicut Christus iustorum, & Iob. 41. dicitur, quòd ipse est rex super omnes filios superbiæ. Omnis autem reprobus inter filios superbiæ computatur.

Et quid de illis per beatum Iob cap. 20. dicitur, audiamus. Deuorabit, inquit eum ignis, qui non succendetur, affligetur relictus in tabernaculo suo. Suum dicitur, quod non domino, sed suis concupiscentiis seruire coegit.

Ne

Tabernaculū spirituale quid in nobis requirat.

Ne itaq; simus tabernacula maligni, cum eo igni inextinguibili cruciandi, curemus esse tabernaculum Christi cū eo sine fine regnaturi. Quomodo id erimus? Primum est: vt erigamur ad dominum proposito, atq; mente, quod si fecimus, appropinquabit, & ipse nostræ habitationi. Appropinquate Deo (ait Iaco. c.4.) & appropinquabit vobis. Sic enim die, qua erigitur tabernaculum, operiet id nubes Domini. Ad hoc per singulos dies vocans ecclesia. Sursum corda, inquit. Vtinam verè responderemus, habemus ad dominū. Omnino ait Augustinus sermone. 29. de verbis euāge. non frustra audiamus, sursum corda. Quid enim ponimus cor in terra, cum videmus, quia euertitur terra? Et serm. 63 Catholica ait germina membra Christi, cogitate, qualem patrem inuenistis Christiani. Cogitate, quæ vobis hęreditas promittatur, non ad pręsentis temporis bona vos factos Christianos, sed ad futura, quæ Deus promittit. Propter hoc etiā rectum fecit Deus hominem etiā corpore ipso ait Bern. ser. de sancto Martino, & os homini sublime dedit, cum prona vtiq; spectent cętera animantia terram: vt attollens ad sydera vultus, illo suspiret, vbi tam beatam, & perennem conspicit mansionem. Et Boetius metro vlti. 5. Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumen. Atq; leuis recto stat corpore despicit terras. Hæc (nisi terrenus malè desipis) admonet figura. Qui recto cœlum vultu petis, exerisq; frontem. In sublime feras animum quoq;, ne grauata pessum. Inferior sidat, mens corpore celsius leuato. Sententia est. Ouidii infra. Metamor. & Boe. & Bern. Ecce primum est erectio cordis nostri ad Deum per desyderium æternorum.

Tabernaculum vetus quæ continebat, & requirunt in spirituali.

Deinde inueniatur in nobis, quod in tabernaculo veteris testamenti designatur. Ibi enim in loco digniori area inter Cherubin collocata continebat tabulas ac librum legis, vrnam auream manna plenam, & virgam Aaron. Sit ergo in digniori nostri tabernaculi parte, hoc est rationali, rectitudo inflexibilis fidei, per virgam significata, quæ in testimonium veritatis contra incredulos floruit, fronduit, & nuces produxit. Sit firmitas spei ad futura cōsequenda bona super omnem dulcedinē delectabilia, per manna in vrna aurea contentum denotata. Sit prompta voluntas per charitatem diuinis obediens præceptis, in tabulis, & libro legis descriptis, quorum si alterum defuerit, non nisi falso tabernaculū Domini dici poterimus, sicut nec christiani. Non.n. sufficit fides sine spe, neq; vtrumq; sine operante charitate. Audite de hoc beatum Aug. in li. de vita christiana multa loquentem. Qui christianus, inquit, dicitur, Christum se habere dominum profitetur. Et verè habet, si ei in omnibus obsequatur, & seruiat. Si quo minus Christi ille non famulus, sed subsannator est, & irrisor, qui eius seruum se dicit, cui seruire dissimulat. Huic ergo iudicium geminum reseruatur, & pro Dei subsannatione, quem sine causa Deum appellat. Et pro qualitate peccati, nimis insanum est minus reuereri maiestatis dominum, quā quemcunq; hominem vilissimum. Quis dominum suum vocat, aut sub recto alterius iacet, vel pro parua mercede seruit, cuius non præcepta, & monita saltē pro magna parte custodiat? Solius Dei, summi domini, sub cuius protectionis vmbra viuimus, qui omnia nobis dedit & maiora promisit, vniuersa pręcepta ēt, quæ grauia non sunt pro nihilo violantur. Nolite vos putare christianos cōtra diuinam legem viuentes. Quis.n. tam vanus, & miser est, ait Augu. vbi supra, qui aduocatum se, cum litteras nescit, audeat profiteri? Quis tam insanus, & excors, vt se profiteatur militem, qui nescit arma gestare? Nemo enim quodcunq; nomen sine causa sortitur. Sutor, vt dicatur, necesse est, vt calciamenta conficiat. Vt vocetur quis faber, aut sartor, artis peritia facit. Huiusmodi enim exēplis agnoscimus, nullum sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo christianus

Christianus quis verè dicēdus.

stianus diceris, in quo Christiani actus non apparent? Et infra: Christianus ille est, qui vitam Christi sequitur, qui Christũ in omnibus imitatur, sicut scriptum est. Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Christianus est, qui Deo die, noctuq; seruit, qui eius præcepta indesinẽter meditatur, & cogitat, cuius omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius, quam terrena desyderat, qui humana spernit, vt possit habere diuina. Nemo igitur se decipiat, nemo se seducat, nisi quis terrena despexerit, diuina non capiet, nisi humana contempserit, non potest possidere cœlestia. Nisi quis iustus fuerit, vitã non habebit, nisi quis in omnibus Christi mandata seruauerit, partem non potest habere cũ Christo. Et nisi quisquam Christi mandata seruauerit, partem nõ potest habere cũ Christo. Nec quisquam Christianum se iudicet, nisi qui doctrinam Christi sequitur, & imitatur exemplum. Quid ergo charissimi de impudicis, ac publicis mandatorum Christi transgressoribus? Num illi Christiani putandi sunt, in quibus nullus christianitatis actus, in quibus nulla cõuersatio iustitiæ est, sed nequitiæ, impietatis, & sceleris, qui opprimit miserum, qui pauperem granat, aut res alienas concupiscit, qui se, vt diuitem faciat, plures facit egentes, qui lucris gaudet iniustis, cuius os assiduè violatur mendacio, cuius labia non nisi indigna, & obscena, & scelesta loquuntur, & turpia. De quorum numero excludi non poterunt, qui in hac sancta festiuitate publicas non verentur exercere mercantias &c. extende, vt placet, & opportunitas exigit temporis, & loci: Amen.

### De eodem. Sermo II. in ordine. XLVIII.

SAPIENTIA ędificauit sibi domum. Prouer. 9.

Sapiẽtia æterna. Desiderata festiuitas omnibus tã cœlestis patriæ ciuibus, quã terrę incolis hodie illucescit: quę etsi illis dulcior, quos supernæ voluptatis torrens inebriat, consolatior tamen nobis est adhuc in præsenti ex illo peregrinis. quomodo ædificauit sibi domũ. Quidni consolatiorem dixerim animę deuotæ ad patriam suspiranti hodiernam festiuitatem, qua sibi domum intelligit ædificatã: in qua se recipi, a vitiorum ruina sustentari a caumatibus frigore pluuia, & imbribus, hostiumq; impugnationibus defensari. & de hac securè in æterna gaudet tabernacula sublimari? quid enim illorum deficeret domui, quam sapientia ædificauit? Nã licet domus, quam stultus ædificat, illiso illi flumine descendente pluuiam, irruentibus ventis, cadit. fitq; eius ruina magna: vtputa super volubilem arenã fundamentum debile fundata: nihil tamen horum timendum est domui, quã sapientia extruxit. Illa inquam sapientia, quę a fine ad finem attingit fortiter & disponit omnia suauiter, Sap. 8. Fũdatur enim supra firmã petram, & columnis septem imputribilibus sustentatur. Dicis fortè: talem domum sapientiam sibi ædificasse Salomon commemorat: quid vero id nobis, cum scriptũ legimus; Stultus factus est omnis homo ab scientia sua. Hiere. 10. Sed memorari oportet, ꝙ huius ædificatricis sapientiæ delitię sunt esse cum filijs hominum. Prou. 8. Idcirco etsi sibi, nõ tamen ob sui indigentiam (cui cælum sedes est, terra autem scabellum pedum eius. Esa. 66. sed propter nos) domum ædificauit: ac columnis septem firmauit: quatenus inibi reciperemur cũ eo habitaturi: sicut de ea sapiẽtiæ amator scribit Apoc. 21. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Quia si pergis quærere, & quæ est domus hæc tam firmis innixa columnis ab omni casu secura. Hoc, ni fallor, est catholica ecclesia, teste Apostolo 1. ad Thimo. 3. Scripsi tibi, ut scias, quomodo te in domo Dei oporteat ambulare, quæ est ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Huius domus ædificationem hodie in hoc templo solemniter, sicut dignum est, celebra-

bramus, quoniam sanctam eã fore perfectam firmam, & omni cultu celeberrimam nemo dubitat, qui hanc esse domum meminit, quam sapientia (cuius perfecta sunt opera) ædificauit, & septẽ in ea columnas excidit. Pro gratia Aue.

Ecclesia fidelium quæ sit.

Videndum primo, quomodo & qua necessitate sapientia ecclesiam sibi ædificauit. Secundò quibus columnis firmiter sustentauit. Ex quibus cætera, quæ dicta sunt, patebunt satis. Sed nunc de primo solum.

Quantum ergo ad primum. Deus excelsus, fontale omnium rerum principium, postquam ab ęterno per infinita potentialis temporis secula solus, nullo creaturarum exteriori stipatus agmine, in seipso habitans, ineffabilis, ac iucundissimè, trium eiusdem deitatis personarum immenso frueretur gaudio, in seipso, & de seipso naturaliter beatus, voluit etiam tandem bonitatem suam ad extra diffundere, ac beatificè communicare. In principio temporis creaturam rationalem angelicam, & humanam produxit (vt tangit magister dist. 21. suæ beatitudinis, qua æternaliter beatus est, capacem, quatenus eam inhabitaret, & sibi seipsum communicando beatificaret. Ipsa quoq; rationalis creatura cum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur. In quibus proficeret rationalis creatura, non Deus, qui perfectus & summa bonitate plenissimus, nec potest minui, nec augeri. Hanc autem produxit immortalem, si vellet, perfectã in naturalibus, & ab omnis peccati contagio innocentem. Sed, proh pudor, suo creatori ingrata, & acceptæ beatitudinis impatiẽs, dum suum habitaculum tumore superbiæ fœdauit, inhabitatorem suũ, dominum, & creatorem a se repulit, & hunc repellendo sese perdidit, & a suo corruens principio, morte perpetua sese condemnauit. Collapsa itaq; domo prima misericors dominus, qui in ira sua misericordias non continet, relicto apostata angelo, qui nullo instigante, sed propria malitia peccauerat, aliam de homine (qui serpentis suggestione, ceciderat) domum ædificare cepit occulta & misericordissima sua sapientia, cuius fundamentum, & lapis angularis ipse esse voluit. Sicut scriptum est. Fundamentum aliud nemo ponere potest pręter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. 1. Cor. 3. & ad Eph. 2. Sũmo angulari, lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in domino. Et glutino sui sanguinis, partes eius viuos, scilicet lapides sibiipsi, & inter se copulauit, quam inhabitaret in via per gratiam, & per gloriam in futuro.

De' qua necessitate ecclesiam ędificauit.

Ecclesia catholica est domus Dei

Domus ista ecclesia catholica est, quam ipse Dominus dum ex toto genere humano quosdam segregatos, a primo. s. fideli vsq; ad vltimum in fine mũdi nasciturum in fide mediatoris, & sacramentis suę benedictissimè passionis sociauit, pro his se obtulit, hos sua morte liberauit, suo sanguine lauit, fide illuminando, sua charitate sanctificando glorificauit, sicut dicit Apostolus ad Eph. 1. Christus seipsum tradidit pro ecclesia, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo, vt exhiberet se sibi gloriosam ecclesiã non habentem maculam, neq; rugam, sed vt sit sancta, & immaculata. Eph. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem, per sanguinem eius remissionem peccatorum, secundum diuitias gratię eius, quæ abũdauit in nobis. Sequitur. Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt in ipso. Sicq; ex fidelibus, quos elegit, quasi ex viuis lapidibus domum sibi ędificauit, quam & sponsam, & corpus suum esse voluit. De domo dicit Apostolus Heb. 3. Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsq; in finem retineamus. De secundo, cum Apostolus de matrimonio locutus fuisset subdit. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico vobis, in Christo, & ecclesia ad Eph.

5. De

5. De tertio dicit idem ad Eph. 1. Dedit ipsum caput super omnem ecclesiã, quæ est corpus eius. Cui deniq; ( vt Petrus in 2. epistola ca. 1. ait ) maxima & præciosa dona donauit vt efficiamini consortes diuinę naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Alioquin si in ecclesia malè viuitur, pręciosa hæc vitæ ęternę promissio nón acquiritur, vt vult Aug. in de fi. ad Pe.

Salus nõ est extra ecclesiã.

Ex his duo possunt elici documenta & duo hortamenta. Prima doctrina. Extra catholicam ecclesiam, cui per Christi fidem, & baptismum incorporamur, salus nulla à quoquam poterit expectari. Patet attendenti ex præmissis quia quicquid segregatur à massa perditionis, pertinet ad officium ecclesiæ. Quod etiam veritas ipsa apertissimè docet Ioan. 3. dicens Nicodemo. Nisi quis rena. fu. ex aqua, & spi. non po. in. in regnum Dei. Sed nec spiritus extra ecclesiam datur. Nec extra eam aqua abluit sordes peccatorum, vt late ostendit Aug. ser. 11. de verbis domini. Item ibidem. Qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei. In cuius nomine quisquis credit, omnimode alienus ab ecclesia non censetur. De quo etiam Augu. in de fide ad Pe. ait: Ad vitam ęternam accipiendam nunquam potest esse idoneus. qui ab ecclesia catholica manserit alienus. In ecclesia catholica tantummodo potest pro desse, & perceptio baptismatis, & opera misericordiæ, & nominis Christi gloriosa confessio. Ad idem loquitur beatus Greg. 35 moral. cap. 12. Catholica ecclesia sola est, per quam dominus sacrificium libenter accipit. Sola, quę pro errantibus fiducialiter intercedit. Sola, in qua opus meritorium fructuose peragitur. Sola, quę intra se posita, solida charitatis compage custodit. Sola, in qua superna mysteria veraciter contemplemur. Vnde & mercedem denarii, non nisi qui intra vineam laborarunt acceperunt, & aqua diluui arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra arcam inuenit, extinxit. Et hoc in symbolo confitemur, dum eodem articulo, quo sanctam ecclesiam catholicam, etiam remissionem peccatorum profitemur, quia extra ecclesiam non est remissio peccatorum. Vnde Gregor. 18. moralis cap. 58. exponens illud Iob. 28. Amor locus est, in quo confla ur, dicit. Vna est ecclesia, in qua quisquis conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum labe purgari. Siquid pro Deo amaritudinis, siquid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo non purgari. Ex quo manifestum est nullum iudęum, gentilem, hęreticum, schismaticum, aut variis superstitionibus contra ecclesię doctrinam temerè errantem, nisi ad ecclesiam redierit, vitam consequi sempiternam.

Sed cęca misericordia quidã durũ hoc iudicant, pręsertim quã itũ ad gentiles remotius egentes, ad quos etiam fama catholicę fidei non peruenit, qui vtiq; crederent si prędicationem audissent. Neq; .n. credere põt in eũ, quẽ nõ audierũt, neq; audire fine prædicante. Ro. 10. Quibus primum dici potest illud apostoli Ro. 9. Nunquid dicit figmẽ tũ ei, qui se finxit, cur me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadẽ massa facere aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in cõtumeliã. Noli altũ sapere, sed time. Nouit enim dñs qui sunt eius 2. ad Timo. 2. Verum ne putetur, apud dominum esse acceptionem personarũ, & non magis, vt Petrus ait Actu. 10. In omni gente qui timet Deũ, & operatur iustitiã, accept⁹ ẽ il li. Hoc firmiter stante, q̃ sine fide impossibile est placere Deo Hebr. 11. Dicendum q̃ in facientem, quod in se est non cadit culpabilis ignorantia eorum quę necessaria sunt ad salutem, quoniam vt dicit Gerson in floribus. Spiritussanctus talem hominem de necessariis ad salutẽ, quæ vires suas excedũt immediatè docere paratus est vel saltẽ mittere per quem doceatur. Sicut legitur de Cornelio Actu. 10. Et de eunu

cho reginæ Candacis Actu. 8. Illi misit Petrum. Isti Philippum diaconum. Christinam verò, & Barbaram Virgines secundum historiarum fidem immediatè sine humano misterio edocuit,& erudiuit. Frustra ergo est infidelium excusatio, quia facientibus,quod in se est,Deus nũquam deficit in necessariis ad salutem.

Salutem non omnes qui in ecclesia sunt cõsequũtur.

Secunda doctrina. Non omnes, qui intra ecclesiam sunt, fide,& numero salutem finaliter consequentur. Nam ad vitæ consecutionem non sufficit Christo in corporari fide, nisi etiã ei inhęreamus gratia,opere, & amore. Nam sicut membrum aridum,membrum quidem corporis est, sed tãquam mortuũ, nullum percipit cum corpore delectationis sensum Ita qui credit, & non operando diligit, in corpore ecclesiæ est velut membrum mortuum,sicut Iacobus ait. Fides sine operibus inanis,& mortua est, & ideò summæ, ac beatificæ delectationis cum viuo corpore est nullatenus perceptiua. Hoc est, quod dominus ait Ioann. 13. Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea. Et Iacobus. Non auditor obliuiosus,sed factor operis, in facto suo beatus erit. Iac. 1. Et apostolus 1. Corinthio. 4. Non in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Et quærenti legisdoctori quemadmodum regnum Dei possideret, dum bene senserat in lege, ait dominus: Bene respondisti, hoc fac, & viues Luc. 10. Et Aug in de fide ad Pe Intra ecclesiam catholicam vita æterna non adquiritur, si pòst baptismum male viuatur. Comprætendit itaq; ecclesia in præsenti tempore bonos, & malos, hedos, & agnos, reprobos,& electos, ideò comparatur arcæ. Noe, in qua animalia munda,& immunda. Areæ, in qua triticum cum palea. Sagenę, pisces bonos, & malos continenti. Numero decem virginum cum prudẽtibus fatuas comprælendenti. Et nuptiali conuiuio veste nuptiali vestitos, & ea carentes complectenti.

Nunc ergo charissimi magnũ illud, & inestimabile diuinæ pietatis beneficium nulla vnquã de cordibus vestris deleat obliuio, quo vocati estis de tenebris errorum ad lumen fidei, de massa perditionis ad cętum electorum. In domum Dei de habitaculo demoniorum, vt veraciter de vobis dicat apostolorum princeps: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. Qui aliquando non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 1. Petr. 2. quia credentes exultabitis lęticia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum. 1. Pet. 1. An non misericordiam singularem consecuti, qui nullo vestro merito, sed sola eius misericordi bonitate, de statu dãnationis erepti, in illo positi estis hoc est ecclesiæ sanctæ incorporati, vbi viam rectam æternæ salutis agnoscere, & redemptionis fructum consequi valeatis? Reuera. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. De hoc pulchrè venerabilis Hugo in suo soliloquio animam suam alloquens ait. Quot,& quales in comparatione tua abiecti sunt, qui hãc gratiam consequi non potuerunt? Certè audisti ab initio vsq; ad hanc diem, quam multæ generationes hominum pertransierunt, quę omnes sine cognitione Dei,& prætio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Nunquid tu fortior? Nunquid sapientior? Nunquid ditior omnibus his fuisti? Quòt fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot diuites ibi fuerunt, & tamen vniuersi relicti, & abiecti perierunt? Et ne fortè tuæ electionis causam æstimes præcognitum bonum vsum naturalium, & gratiæ percipiendæ: Attende diligentius, quot abiecti, qui quam excellentius gratiæ freti fuissent, satis probat naturalium bonus vsus, quorum non nullos philosophos. s. vt Hieron. ad Demet. scribit castos, patientes, modestos, liberales, ab

Exhortatione bonorum obliuiscamur quod sumus vocati ecclesiam Dei.

stinen-

ſtinentes, benignos, & honores ſimul mundi, & delitias reſpuentes, & amatores iuſtitiæ non minus quam ſcientiæ audiuit, vidit, legit. Alienos quidem à Deo naturæ bonum ſectantes. Prę omnibus his derelictis aſſumpta es, ait Hugo. Et quare hoc in te factum fuerit: nullam præter gratuitam ſaluatoris tui charitatem inuenire potes. Elegit ergo, & prælegit te ſponſus tuus, amator tuus, redemptor tuus, Deus tuus, ex omnibus nomine ſuo vocauit te, vt memoriale eius ſemper eſſet apud te, voluit te participem eſſe in nominis veritate, quoniam vnxit te illo, quo & ipſe vnctus eſt, oleo lętitiæ, vt ab vncto ſit vnctus, qui à Chriſto dicitur Chriſtianus. Hoc eſt vnde nobis hodie exultandum vnde nobis eſt in domino gloriandum. Propter quod tota animi virtute gratias domino agentes clamemus cum beato Petro. Benedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundũ magnam miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam conſeruatam in cœlis, quæ regeneratio ædificatio eſt, qua nos tanquam viuos lapides in ſeipſo fundamento, & angulari lapide, ſapientia ſibi ædificauit in domos ſpirituales.

Demum exhortandi eſtis vt memores ſecundæ doctrinæ cautè obedienter, & ſollicitè ambuletis in eccleſia Dei, quam ſola gratia Dei introiſtis. Ne hoc ipſum, quod in eccleſiæ ædificio ſublimati eſtis, non ſit ad ſalutem profectio, ſed profundior damnatio, quia teſte domino, Tyro, & Sidone terræ Sodomorum & Gomorre remiſſius erit in die iudicii, quam fidelibus pęnitentiam diſſimulantibus, quia melius erat illis non cognoſcere viã iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum ab ipſo conuerti 2. Pet. 2. Et ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non fecerit eam, vapulabit multum. Qui verò non cognouit & fecit digna plagis vapulabit paucis. Lucæ. 12. Cautè ergo ambulandum eſt, ne ſeducti credentes omni ſpiritui, erretis, quia in nouiſſimis temporibus (ait apoſtolus. 1. Tim. 4.) recedant quidam à fide attendentes ſpiritui erroris, & doctrinæ dęmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam. i. obſtinatam habentes conſcientiam. Et 2. ad Tim. 2. ad idem loquitur vbi concludit. Et hos deuita. Ideò neceſſe eſt ſpiritus probare ſi ex Deo ſint. Hinc hortatur Ioannes 1. Ioa. 4. Hi autem ex Deo ſunt, qui doctrinę vniuerſalis eccleſię (quę mater, & magiſtra eſt omnium) & apoſtolicę conſonant, ſicut Ioannes ait. Qui nouit dominum, audit vos, qui non eſt ex Deo, non audit vos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis. & ſpiritum erroris. Et de apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus ait dominus Luc. 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et Aug. in epiſtola fundamenti. Euangelio non crederem, niſi crederem eccleſiæ. Ambulandum eſt etiam in eccleſia obediẽter, & in nullo repugnandum, omnia quoq; eius mandata cum veneratione acceptanda ſunt, & implenda, quia qui eccleſiam non audit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, ait dominus Mat. 18. Sollicitè denique, & vigilanter ambulandum eſt, ſicut Paulus dicit. Dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis Eph. 4. Et ſicut Petrus monet. 2. Pet. 1. Satagite vt per bona opera veſtra certam vocationem veſtram, & electionem faciatis, ſic enim ſcilicet, & nõ aliter abundanter miniſtrabitur vobis introitus in regnum domini noſtri. Nemo ſeipſum vana ſpe (verius vana præſumptione) decipiat, ſibi ipſi blandiendo di. Credo credenda, & baptizatus ſum, ideò ſecundum euangelium Mar. vlti. ſaluabor. Nolite errare (dicit apoſtolus) Deus non irridetur Quæ enim ſeminat homo hæc, & metet, de carne corruptionem, de ſpiritu vitam æternam, bonum autem facientes non deficiamus, dum tempus habemus, operemur bonum Gal. 6. Nihil proficit eſſe in eccleſia numero per fidem, niſi in ea

ædificemur, & merito per charitatem Dei operantem. Nam qui diligit,& sermonem Dei,quem in ecclesia audit in opere seruat ; hunc pater veniens cum filio inhabitat, mansionem apud eum faciens, hunc sapientia ædificat sibi domum in præsenti suscepturus eum in domum æternitatis suæ in gloria beatorum: Amen.

## De eodem. Sermo III. in ordine. XLVIII I.

Dedicationis festũ cur agatur.

TEMPLVM Dei sanctum est. 1. Corint. 3. Vel Coædificamini in habitaculum Dei Eph. 3.

Festiuitatem solemnem dedicationis templi, domus domini, hodierna die agimus. Ideò tantæ solemnitatis causam,& mysterium ignorare non debemus.Solemnitas quidem ipsa cunctis nota est, quoniam multi ad eam de vicinis confluunt ecclesiis. Sed ignorant plerique quare & quomodo secũdum institutionem ecclesiæ rite sit agẽda. Sũt namq; qui festum dedicationis egisse se gloriantur, si splẽdidiora præparauerint conuiuia, si aduentantibus amicis cibos exhibuerint latiores, sed ignorant illi tanquam carnales (curam carnis in desyderiis agentes) festiuitates ecclesiæ (secundum Ber ser. 1 de omnibus sanctis)ad animas magis,quam ad corpora pertinere. Siquidem delicatiora parumper fercula præparare corpusculo, seruato tamen moderamine, refectisq; copiosius pauperibus in clarioribus festiuitatibus non reprobatur. Docet idipsum beatus Hieron. in epistola quadam ad Marcellam de muneribus acceptis in die sancti Petri,quinimo illud præceptum fuit synagogæ, & vsus habet ecclesiæ,quæ quotidiana in dominicis, & festiuitatibus maioribus soluit ieiunia.Sed ita corpori prouideatur vt prius anima satietur, q̃ dignior hominis est portio,& ad quam (vt dictum est) magis pertinere festa dignoscuntur. Hoc agimus,si causam festi indagantes, ac deuotiores in domo domini comparentes, laudes debitas pro beneficiis a ceptis, patri misericordiarum persoluamus toto corde,nosq; ipsos in habitaculum Dei præparamus, secundum exhortationem apostoli cum inquit.Coædificamini &c.

Primò igitur videndum erit, ob quã causam agatur dedicationis festum.Secundò quomodo sit illud à nobis legitimè peragendum. Varias solemnitates sub diuersis cerimoniis celebrari ecclesia sancta christianis instituit, vt multiplicium beneficiorum Dei memoriam cum gratiarum actione innouemus, ac per hoc ad maiora percipienda præparemur Sic enim ob memoriã liberationis populi Israel ab Ægyptiaca seruitute in manu forti percussis in vniuerso Ægypto primogenitis, iussit dominus celebrare per singulos annos festa paschalia,ac agnũ manducare,secũdũ ritũ Exo.12 descriptum. sic festa tabernaculorũ seruari præcepit Leui. 24. de quibus Deu. 6. ita dicitur. Custodi testimonia,præcepta,& cerimonias domini Dei tui.Sequitur Cũ interrogauerit te filius tuus eras dicens:Quid sibi volunt testimonia hæc, atq; cerimoniæ,& iudicia,quæ præcipit nobis dñs Deus noster? dices ei. Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos dñs in manu forti,fecitq; signa,& prodigia magna & pessima in Ægypto cõtra Pharaonem,& omnem domũ illius in conspectu nro,& eduxit nos inde,vt introductis daret terrã, quã iurauit patribus nostris.Ecce primũ .s. institutio festorum ob memoriã beneficiorũ receptorũ.Et quo ad secũdũ .s. bñficia recipiẽda.Sequitur ibidẽ.Præcepitq; nobis dñs vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus dñm Deũ nostrũ,& bene sit nobis cũctis diebus vitæ nostræ sicut è hodie,eritq; nobis misericors .s. in futuro, si custodierim⁹,& fecerim⁹ oĩa p̃cepta ei⁹ corã Deo nr̃o, sicut mãdauit nobis.Cũ ergo nõnullũ nec paruũ,imo magnũ,veri⁹ maximũ sit beneficiũ Dei qa indignis nobis mãsiones, tẽpla,siue dom⁹ preparare & sanctificare dignat⁹ è, in quibus nobiscũ habitare decre-

Solemnitates variæ institutæ ab ecclesia.

sit, tam in via, quam in patria in æternum. Ideoq; domus Dei templa domini rectè appellantur, in quibus & conuiuia, & diuersa necessaria præparauit secundum omnium, & singulorum opportunitatem. Infirmis medicinam, purificandis aquam salutarem, debilibus refectionem confortantem, sanis cibum delectantem, virtutum ornamenta robustis, defensionis arma timidis, custodiam singulis, gloriam, honorem, & diuitias vniuersis: quibus inhabitantes reficit, sustentat, delectat, & conseruat. Merito ergo horum beneficiorum memoriam agentes diem festum agimus: & in laudibus, & gratiarum actionibus Deũ adorantes, grati de exhibitis, orationibusq;, ac meritis aptantes nos exhibendis, tanto magis, quatò mansiones, quas nobis præparauit dominus in tépore, & æternitate, cibus, ac cętera necessaria, meliora sunt, & sine comparatione digniora mansionibus deserti ac terra promissionis, manna cęli, aqua, quæ de petra per Moysen educta est: & cęteris inibi acceptis beneficijs. Pro quibus tamen Iudæi, nedum qui beneficia acceperunt, sed & eorum filii festa in horum memoriam diuino constricti præcepto solemnissimè celebrarunt. Non enim patres nostri tantum, sed æque nos, & posteri nostri domorũdomini beneficiis vtimur, & gaudemus.

Mansiones multas dñs nobis þparauit.

Sunt autem mansiones, quas nobis præparauit dominus quattuor. Est .n. mansio illa celestis, domus regis æterni, templum beatitudinis, ad quam suspiramus. De qua in psalm. dicitur. Beati, qui habitãt in do. tu. do. in secula seculorum lau. te. Et 2. Cor. 5. Edificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cęlis. Est & mansio vniuersalis ecclesia omnium, scilicet, fidelium congregatio in terris. Quam præuidens Aggeus, ait capitulo secundo. Magna erit gloria istius domus nouissimæ plus, quàm primę dicit dominus exercituum, id est ecclesię, quàm synagogæ. Est & dom⁹ Dei quælibet anima fidelis quam dominus inhabitat. De qua ad Hebre. 3. Christus tãquam filius in domo sua, quę domus sumus nos, si fiduciã, & gloriam spei vsq; in finem firmam teneamus. Est demum mãsio domini domus illa materialis domino consecrata: de qua Iacob Gen. 28. Terribilis ait, est locus iste, verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cęli. Item Luc. 19. Domus mea domus orationis vocabitur. Omnes has domos dominus non solum ædificauit, sed & sanctificauit.

Cælestem dum profecit. Luciferum antiquum serpentem de quo Apoc 12. Ecclesiam vniuersalem dum illam in cruce dormiens, sanguine, & aqua de latere suo effluentibus sanctificando, ab omni macula lauit, absq; ruga, vt tãgit Apostolus ad Ephe. 5. Animam fidelem, dum in baptismo regenerans, per fidé infusam sibi desponsauit, de quo Oseæ. 2. Desponsabo te mihi in fide. Ecclesiam materialem, dum per manus pontificum consecrauit.

Ecclesia principalior quæ sit.

Prima domus principalior est & super omnia desyderabilis, de qua in ps. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuę. Et iterum. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Ad hãc tendimus, quoniam in illa beatitudinem ac summum bonum expectamus. Veruntamen non nisi per alias tres istam summam intrare possumus. Non enim intrare potest quis vitam beatam, nisi hic ecclesiæ membrum fuerit, & in ea in finem permansuris, sicut Aug. super Ioan. Homil. 45 exponens illud Ioã. Ego sum ostiũ, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur & pascua inueniet. ca. 10. ait. Nõ pőt quis per ostiũ .i. per Christum ingredi in æternã vitam, quæ erit per spem, nisi per ipsum ostium, idest eundem Christum in ecclesiam eius, quæ est ouile eius intrauerit ad vitam tépo poralem, quę est in fide. Ecclesiam ergo intramus per fidem, & baptismũ, quæ in materiali templo suscipimus. Nec tñ sufficit foris in ecclesia habitare, nisi ét domũ nostrã inhabitamus cũ Xpo aïæ purgationi, & virtutũ acqsitioni studétes. Ait enim dñs. Regnũ Dei intra vos

 est.

est. Luc. 17. hoc est Christus inhabitans per fidem. Hinc Deut. 30. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, propter quod hortatur Moyses ibidem 4. Custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè.

Præparat quoq; dominus in qualibet harum conuiuium, differenter tamen, secundum q cuilibet conuenit. In cælesti ad plenam satietatem,& omnium desyderiorum expletionem. Psal. Inebriabuntur ab vbertate domus tuę, & torrente volu. tuę pota. eos. Nec mirum quoniam dominus præcinget se & faciet illos discumb.& transi.min i strabit illis. Psal. Satiabor cum apparu: gloria tua. In domo, quæ est ecclesia militans præparat cęnam magnam sacramentorum,couiuium fidei. Illius ꝓsertim sacramenti eucharistiæ, vbi eundem panem fidelibus porrigit, velatum tamen specie sacramentali, quo fruuntur beati facie reuelata. Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi do. exci. columnas septem immolauit victimas suas, miscuit vinum,& proposuit mēsam. Hæc autem participamus regulariter in ecclesia materiali, in qua cibus hic,& sacrorum vasa. .i. materiæ sanctificatæ conseruantur, ipsa quoq; sacramenta dispensantur. Sed & in ea mensa verbi diuini copiosè adornata ferculorum diuersitate .i. doctrinarum multiplicitate. De quo scribitur: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matt. 4. Deut. 8. In anima deniq; hominis dulcissimū conuiuium præparauit, sed eis tantum, qui in timore domini, domini visitationem expectant, spretis consolationibus seculi caducis, de quo ipse ait. Ego sto ad ostium &c. Apoca. 3. Hic cibus pauperum spiritu in affectu, etsi non in vsu, qui propter Deum omnia relique runt, quem huius seculi homines ignorant. Vnde propheta: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Et in cantico virginis. Esuriētes impleuit bonis &c. Quæ expertus quidam conuiua dixit: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ. quam abscondisti timentibus te. Hæc sunt conuiuia, hæc beneficia, quæ dominus fidelibus præparauit, quæ cū gaudio commemorantes, diem hodiernum in diei laudibus festiuamus, quo materialis hæc domus pontificis ministerio consecrata, est, & chrismate sacro vncta, quæ figura est ceterarum, per quam,& in qua, quasi per portam, cęteras ingredimur domos, quoniā in illa fide, & sacramentis desponsamur, inuitamur, purificamur, instruimur, gratificamur, ornamur,& ad implendū domum domini cęlestem, ibiq; conuiuandum modis omnibus præparamur.

Dicto breuiter, cur dedicationis festum à nobis agitur. Videamus consequenter quomodo agendū sit. Res antē quælibet ordinata ad finē, tunc rectè agitur, si per eā finis huiusmodi attingatur. Finis autē,& domorū domini,& festiuitatis pręsentis est, vt per hęc purgati, refecti, ornati, grati, dispositi, aulam magnam, domum non manufactā, in cęlis ingrediamur, atq; illius conuiuii æterni ( cęnæ infinibilis,& beatificæ ) factæ conuiuæ, cum domino Deo nostro in abundantia gaudiorū,& omnis boni plenitudine festa perpetua celebramus. Dedicationis festū quō agendū.

Quomodo verò finē attingere possimus. Zachæus nos docet in euangelio. Hic enim quærebat videre Iesum, quis esset. Pusillum se attendit, arborem sicomorū ascendit. In domū suam dnm gaudens suscepit. Contra murmurantes perseueranter stetit. Omnibus perfectè satisfecit. Ecce gradus sex, quibus ascendendum est ad perfectionem salutis, vt in templum domini coædificemur. Primus est desyderare Deum, & per desyderium quærere. Vnde Beda. Quæ amamus, videre desyderamus. Ab his, quæ execramur, intuitum festinamus auertere. Videt autem Iesus videntem se? eligit eligentem, amat amātem. Sed quid quærebat videre in Iesu Nunquid quid ageret, quibus benefaceret, quos argueret? Non sed quis esset. Primo modo quærūt mercenarii. Psal. Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Secundò serui. Multiplicati sunt infirmitates Dedicationis finē quō attingamus.

...tates eorum, postea accelerauerunt. Tertiò filii, hi quærunt Deum propter se, quia summum bonum. Secundus gradus est pusillum se attendere. Zachæus pusillum se attendit, nihil de se præsumendo propter staturæ paruitatem, quia si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit. Gal. 6. Item propter turbæ impedimentū. Turba est noxiæ consuetudines, passionum tumultus, hominū malorum auersio, & in bono increpatio, vt patet de cæco, quem increpabant vt taceret. Præsumunt enim quidam de voluntatis suæ libertate, sed non attendunt, quam fortiter ligatur passionibus quatuor, quamq; obruitur consuetudine, & falsa hominis laude. Hi enim sunt quatuor portitores, qui filium viduæ defunctū efferunt extra Naim. Tertius, arborem ascendere. Ascendit autem Zachęus sicomorum .i. ficum fatuam, quæ crux Christi dicitur secundum apostolum cum inquit: Prædicamus Christum gētibus stultitiam. Ascendit itaq; crucē domini, per quam pro nobis vicit. In eius meritò sperando, ait enim Ioa. 16. Confidite quia ego vici mundū. Quartus, in domum gaudenter suscipere. Suscepit itaq; Zachæus dominum in domum suam gaudens tanquā redemptorem, creatorem, & rectorem suum: per hilarem obedientiam constituens eum dominum domus suę, & rectorem possessionis suæ, vt iam non in se sed in domino glorietur, & in eius cruce. Sitq; bonum non ex necessitate, sed hilari voluntate ad Philemonem. Nam hilarem datorem diligit Deus 2. Corint. 9. dicens cum apostolo Gala. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce.

Quintus, contra murmurantes perseueranter stare. Stetit Zacheus perseueranter contra mundum, carnem, & animū, sciens quia non incipienti, sed perseueranti salus debetur, & corona. Nam qui etiam vltima hora venit si saltem perseuerauerit, denarium accipiet. Matth. 20. Non qui primo mane, sed abiit, sola enim perseuerantia coronabitur. Apoc.

Sextus, omnibus perfectè satisfacere. Omnibus profectò satisfecit Zachęus, proximo dando dimidium, quod fit cum ipsum sicut sese diligit. Deo reddendo quadruplum, spem scilicet timorem, dolorem, & amorem. Fraudauit enim dominum, dum hæc mundo impendit, Deum propter sese, & ad cōmodum sui finaliter timendo, & amando. Reddidit verò dum hæc filialiter propter Deum, soli Deo impendit. Ecce gradus sex quibus contingit ascensorem præuenire ad brauium salutis ęternæ, cuius consecutio, & Dei laus perpetuæ sine fine mensura finis est omnis solemnitatis temporalis. Quid enim prodest festis interesse hominum si abesse contingat festis angelorum? His ergo gradibus exemplo Zachæi ad dominum ambulare conemur &c.

### *De eodem. Sermo IIII. in ordine. L.*

FACIENT mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Verba sunt domini ad Moysen cum ascēdit in montem Exodi 25.

Festum magnum, spirituali gaudio plenum, hodie nobis offertur celebrandum, festum vtiq; erectionis, fabricationis, & sanctificationis tabernaculorum Dei, seu ecclesiæ nostrę, non tale, quale celebrauerunt iudæi. Isti nanq; sicut eis pręceptum fuit Leuit. 23. septem dies solemnes in tabernaculis extra tecta sub frondibus arborum agebant, in memoriam suę eductionis per desertū de terra Ægypti, sed agimus festum diē erectionis, & sanctificationis huius materialis templi per manus pontificum consecrati, in quo ad nostram salutem inhabitare dignatur dominus ad sacramentorum participationem, ad personalem sanctificationem, ad meritorum comparationem, & demum ad æternam beatificationem. Hinc festum Iudæorum, vmbra quędam veritatis fuit, quę ad nos vtique peruenit. Est autem dedicationis festum, quod hodie

Festum dedicationis templi vetustissimum est.

no die festiuo celebramus gaudio vetustissimum, quod non solum ab ecclesiastica institutione, verum & instrumenti veteris approbatione, visionis præsignatione, Christi visitatione solemnissimum comprobatur. Vnde de conse. dis. 1. Solemnitates ecclesiarum dedicationum, & sacerdotum per singulos annos sunt solenniter celebrandæ, ipso domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit. Et cap. præcedenti: Solemnitates dedicationum per singulos annos sunt cęlebrandæ. Et cap. primo clarè habetur, ꝙ ex quo iudęi, qui vmbræ legis seruierunt, non nisi in dedicatis Deo locis supplicabant, & munera offerebant, multò magis nos, quibus veritas patefacta, & gratia per Iesum Christum data est, exempla debemus domino ædificare, & prout melius possumus adornare, eaque diuinis præcibus, & sanctis vnctionibus &c. solemniter sacrare, immo priusquam fierent hæ ecclesiasticæ institutiones, reperitur à patribus dedicatio templi ob seruata. Approbat idipsum veteris testamenti scriptura, & domini mandatum. Moysi datum Exod. 25. vbi thema. & Exod. 26. capit. docetur Moyses quomodo tabernaculum fieri debeat. Similiter & capitu. 27. Ad idem Numer. 9. dicitur: Die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. Item 3. Regu. quinto. præcepit Salomon Hiram pręparare ligna pro templo ædificando nomini domini Dei, vt ibidem latè habetur capit. 6. Ibidem habetur quando incepta fuit ædificatio domus domini Capitulo. 8. arca delata fuit in templum domini, quod ædificauit Salomon, vbi & orationem fudit ad dominum, & victimas immolauit, ac hostias pacificas mactauit, quas immolauit domino, boum viginti duo milia, & ouium centum viginti milia, fecit quoque in tempore illo festiuitatem celebrem &c. Item secundo Paral. 2. Salomon decreuit ædificare templum domino. Incepit ædificare mense secundo. anno 4. regni. sui, capitulo 3. Capitulo. 7. habetur, quod cum Salomon compleslet preces, ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas domini impleuit domum, nec poterant sacerdotes ingredi templum domini, eo ꝙ impleslet maiestas domini templum. Celebrauit autem solemnitatem septem diebus. Item 1. Esdræ. 3. ceperunt ædificare templum Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & reliqui &cet. & laudauerunt dominum magno iubilo, fundato iam templo. de cuius consumatione per Darium regem habetur capitu. sexto. Ista enim fuit reædificatio templi. De oblatione, quam fecerunt filii Israel, iuxta numerum tribuum Israel, & de continuatione per septem dies. Vide ibidem capit. 6. Item Machabeorum. 4. habetur de templi purificatióne facta per Iudam Machabæum, & de purificati renouatione, & de noui altaris ædificatione, cuius dedicatio ex statuto; Iudæ de anno in annum per dies octo venit celebranda. A quinta, & vicesima die mensis casleu cum lętitia, & gaudio. Ista est dies, de qua dicitur Iohannis. decimo. Facta sunt encenia in Hyerosolimis, & hyems erat. Prima enim dedicatio facta fuit tempore Salomonis in Septembri tertio. Reg. octauo. Alio in reditu Babylonicæ captiuitatis. 1. Esdre. sexto. facta fuit in vere. Tertia in Decembri. Mensis enim casleu correspondet mensis Nouember, & aliquando in parte December.

Est denique templi sanctificatio visione præsignata. Siquidem cum Iacob post longam, & deuotam orationem requiescere vellet in quodam loco post solis occubitum, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum, angelos quoque descendentes, & ascendentes, & dominum innixum scalæ. Cunque euigilasset Iacob ait: Verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam

Templi sanctificatio fuit visione psignata.

bam, id est dominus incarnandus est, & beneficia multa ibi exhibebit sua passione, & morte humano generi, quod ante illam visionem non ita clare cognitum Iacob. Pauensq; [illegible] ad mirans, de Dei benignitate, ait: Quam terribilis, id est venerabilis est locus iste. Non est hic aliud, nisi domus Dei. Dicit Lyra, quod Iacob vidit futurum esse, quod ibi fundaretur templum, vt supra. secundo. Paralippo. tertio. & quod ibidem postea offerendus esset dominus noster Iesus Christus. Erexit ergo ibi signum rei preteritę, hoc est visionis sibi ostensę, in signum rei futurae scilicet fundationis templi, & passionis Christi. Vide latius Genesi. vigesimo octauo in textu & in postilla. Hinc ecclesia catholica cantica sua ex hac sumpsit visione.

Dominus quoque noster Christus Iesus hanc sibi gratissimam esse ex eo demonstrauit, quia in illa ipse templum ingredi, sermonem ad populum fundere, & diuinitatis suae sacramenta pandere dignatus est, teste Ioan. capitu. decimo qui ait: Facta sunt encenia (id est solemnia dedicationes templi) in Hierosolymis, & hyems erat. Si ergo placuit domino perambulare dedicationis tempore in templo vbi caro, & sanguis brutorum animalium offerebantur, multò magis nunc placet dedicationem nostri templi inuisere, vbi corpus eius sacratissimum &cet. patri offertur. Itaque more Priscorum, vt boni filii, patrum imitantes vestigia, studeamus domino facere sanctuarium, & habitabit, prout promisit, in medio nostrum, secundum thematis verba, facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Pro gratia impetranda dicatis Aue Maria.

Dedicatio templi beneficiorum magnitudine effertur.

Tametsi hodiernae diei festiuitas longè lateque efferri posset ob beneficiorum magnitudinem (beneficium enim cadens sub gratia, causa est festiuandi) In hoc autem festo omnia Dei beneficia salutem conferentia inquantum à nobis suscipiuntur, veniunt in memoriam gratificandi. In aliis verò in quantum dominus ea contulit, attamen dimissis pro nunc (inter caetera collata donaria) habitaculis multis, quae nobis dominus praeparauit, & sanctificauit. In quibus denique habitare nobiscum dignatur scilicet coelo, ecclesia, & materiali templo. In coelo ad nostram aeternam beatificationem, in ecclesia ad meritorum comparationem, in templo ad sacramentorum participationem. Tamen secundum thematis verba solum de habitaculo Dei, quod est anima nr̃a nũc loquendum, cuius aedificationem ad nostram personalem sanctificationem, vt procuremus, verba apostoli nos admonent. Quippe secundum beatum Augu. in ser. de dedicatione. In nobis spirituali aedificatione completur, quicquid in templis manufactis agitur. Videamus itaq; primo, quam dignum est vt nosipsos domino ędificamus habitaculum. Secundò quomodo illud possit fieri, conformiter aedificio templi manufacti.

Habitaculũ nos Deo pręparare debem⁹.

Quo ad primũ occurrit factum insigne, nostro proposito vtile. Olim nanque rex gloriosus, & propheta domini sanctus Dauid religiosa quadam cępit cogitatione moueri, indignum iudicans, quod nullam adhuc domum dominus sabbaot haberet in terris, ipse verò domũ cedrinam inhabitaret regiae dignitatis, idcirco aedificare domum domino mente deuota cogitabat in quo etiam plurimum à domino commendatus est, licet datum sibi non fuerit vt opus perficeret, vt habetur secundo Reg. septimo. Hoc ipsum ait Bernard. serm. 2. de dedicatione. Fratres nos quoque decet cogitare fideliter, & viriliter effectui mancipare. An non anima nostra, sublimi in domo habitat, quę à Deo sibi fabricata est, in corpore scilicet, quod sic compegit, & ordinauit, vt gloriosè in eo, & delectabiliter habitaret? Nam quam ei sit cum corpore dulce consortium, ser. 2. de Septuagesima tristie diuortium manifestat, dum vix tandem

auelli

auelli poteſt, cum corruptio ipſa corporis penitus intolerabilis eſt vegetanti. Quia verò corpus à Deo non ſolũ in primis parentibus, ſed in ſingulis fabricatum eſt, teſtis eſt virilis illa mulier. 2. Mach. 7. dicens filijs ſuis: Neſcio, quomodo in vtero meo apparuiſtis, neq; enim ego ſpiritum, & animam dedi vobis, & vitam, & ſingulorum mẽbra non ego compegi, ſed mundi, creator, qui format hominis natiuitatem. Sed & noſtro corpori domum fecit excelſam, aptiſſimam, & decoram, totum, ſcilicet hunc ſenſibilem, & inhabitabilem mundum. Mundus ſiquidem factus eſt propter hominem, vt ei ſeruiret, ait magiſter diſt. 21. lib. 1. Et Hugo in de arra animæ. Hinc pſ. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius &c. Indignum ergo eſt, ſi ei templum ædificare diſſimulamus, qui nobis domos fecit.

Magiſter 21. diſt. 1. libri.

Nec modo indignum, ſed nimis pręiudiciale nobis, & damnoſum. Nam domus, quam hic habemus, & corpus, & mundus, ſtatim caſura sũt, quia omnium finis appropinquabit. 1. Pet. 4. Figura quoq; huius mundi præterit. & 1. Cor. 7. Ideo ædificauit domum non manufactam æternam in cœlis, quam tamen non poterit conſequi, niſi qui hic dominum in templo, quem ſibi præparauit; habet cohabitantem, dicente Apoſtolo Rom. 8. Siquis ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quia ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum a mortuis, habitat in vobis viuifi. & morti. cor. veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Fęlix ergo, & multum fęlix anima, quæ domino templum ædificat, vt dum domus ſua corrumpitur, recipiatur a domino in æterna tabernacula. Hæc ſecurè cum Apoſtolo dicere poteſt. Scimus, ſi terreſtris domus noſtra huius diſſoluatur habitationis, q ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactã æternam in cęlis. Idcirco dilectiſſimi caueamus, ne demus ſomnum oculis noſtris, & palpebris noſtris dormitationem, & requiem temporibus noſtris, donec inueniamus locum domino, tabernaculum Deo Iacob.

Vbi autem inueniri poteſt locus huius ædificij? Nam ſicut orauit Salomõ in templi dedicatione. 3. Reg. 8. Cœli cœlorum dominum capere non poterunt. Sed reuera non capit dominum, niſi imago ſua. Anima capax eſt illius, qua ad imaginem eius creata eſt. Feſtinemus ergo thalamum animæ noſtræ habitaculum domino ædificare, quia complacuit domino habitare in ea. De litiæ meæ (inquit eſſe cum filiis hominum. Prouer. 8.

Templi Deo locus, vbi inueniatur.

Ad ędificationem autem quattuor ſunt neceſſaria, ſcilicet fundamẽtum, extructio, parietes, tectum.

Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 1. Cor. 3. Chriſtus, qui hominem creauit, ipſe & reparauit, ipſe ſupra ſeipſum eccleſiam ſuam ædificauit, pariter & fundauit. Ipſe lapis angularis, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino, ad Eph. 2. De quo & 1. Pe. 2. hortatur. Accedentes lapidem viuum, ipſi tanquam lapides viui ſuper ædificamini. In pſ. Fundamenta eius in montibus ſanctis. Aug. in Enchi. ca. 4. Certum propriumq; fidei catholicæ fundamentum Chriſtus eſt. Ecce fundamentum noſtrum Chriſtus eſt. Et rectè. Quod enim aliud fundamentum poſſet eſſe chriſtiano, quam Chriſtus, cui ſeruire, quem imitari, ad cuius regnum neceſſe eſt aſpirare? Cui viuere oportet, & mori, ſicut ait Apoſtolus ad Phil. 1. Siue enim viuimus, ſiue morimur; domini ſumus Rom. 8 Merito ergo fundamẽtum noſtrum eſt Chriſtus, cui omnia innituntur. Hoc enim dicitur fundamentum, quod ita fundat cætera, vt ipſum nulli innitatur.

Sed diceres. Quomodo idem ipſe eſt, & lapis angularis, & fundamentũ? Fundamentum enim eſt, cui tota fabrica innititur. Lapis angularis verò, in quo totum ædificium cõſummatur. Cũ ergo fundamentum ſit in imo, lapis angularis in ſummo, lapis quoq; angularis fundamẽto, & parietibus innititur, non

Templi ædificatiõi qua tuor.

nō fundamentum lapide angulari. Vnde hęc videntur res contrariæ eidē rei incōpossibiles, vt in philosopo dicitur &c. Licet in hoc solui posset replica, quia & in fundamento angulus est, sed altius hic latet mysterium. In hoc.n. patet, quid interest inter fabricam spiritualem, & ędificii materialis. Fundamentum materialis ædificii in imo est, sed spiritualis in summo. Si enim (ait August.) ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Sed quia cœlestis fabrica est ad cœlos, pręcessit fundamētum nostrum. Cum ergo nostrum ædificium in cœlis fundatur, ideo habet fundamentū sursum. Vnde quæ sursum sunt, sapite &c. Et nimirum cum sit sursum, oportet fodere in altum per humilitatem, vt attingatur. Ps. Fundamenta eius in montibus sanctis. Exemplum arborum: Hinc qui se humiliat, exaltabitur &c. Excelsus dominus humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Attendite hic, quanto altiores mundo, tantò longiores a Christo. Altiores dico secundum mentis desyderium, ad humilitatem tē dite, in altum fodite, vt fundamentum inuenire valeatis, paruulus est, non nisi paruulorum consortia placent.

Templi nostri fundamentum quale.

Inuento fundamento solido per humilitatem, oportet nunc extruere, parietes compingere, & tectum adornare. Hæc enim in ædificio materiali necessaria sunt, similiter in ædificio spirituali. Oportet enim primum extruere per fidem, quę prima virtutum theologicalium est. Parietes per spem erigere, quatuor virtutibus cardinalibus roboratam, quibus in vita nihil vtilius, quæ a ruina sustinent, ab impugnatione defendunt. Hęc sunt sobrietas, prudentia, fortitudo, iustitia. Nam sperare sine meritis, & gratia, non est sperare sed præsumere. Tectum, quod omnia conseruat, omnia operit a caumate & pluuia, per charitatem superducere. Hoc enim totum ædificium format, & exornat. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Nulla enim opera tanquam bona ad meritum imputantur, quæ nō ex radice charitatis procedunt. Hæc sola ædificium nostrum exornat, vt Christus inhabitare dignetur. Nec dubitari vllo modo potest inquit August. in de lau. charitatis) quin templum Dei sit homo, in quo est charitas. Hę sunt tres virtutes theologicę, quę omnium cęterarum virtutum imperatrices sunt, & dominæ.

His tribus in Christo fundamento vnico, & solidissimo, viuimus, mouemur, & sumus. Viuimus per fidem, sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit. Abac. 2. Mouemur in eo, per spem, quę sursum sunt desyderantes, per quam futuram ciuitatem inquirimus, non habentes hic mansionem Heb. 13. Sumus in eo per vnientem charitatem. Qui adheret Deo, ait Apostolus 1. Cor. 6. (quand dubium, quin per charitatem) vnus spiritus est cum eo. His nisi firmiter adhęreamus, frustra de beatitudine speremus.

Ille enim tres necessariæ sunt ad salutem. Siquidem sine fide impossibile est placere Deo, Heb. 11. immo qui nō credit, iam iudicatus est Ioan. 3. Charitatem autem non habens nihil omnino est in acceptatione diuina. 1. Cor. 13. & vlti. Qui non diligit dominum Iesum, anathema sit. Nam qui non diligit, manet in morte. 1. Ioan. 3. Spe autē salui facti sumus Rom. 8. & 1. Ioan. 3. Omnis, qui habet spem hanc, in Christo sanctificatus est, sicut & ille sanctus est. Nemo autem nisi sanctus beatitudinem sortietur, quia nihil inquinatū intrabit in illam Apoca. 21. Et hoc ratione potest breuiter ostendi. Nā beatitudinem nemo rationis compos consequitur sine tendentia propria in ipsam. Cum enim ipsa sit finis vltimus hominis, qui est agens per cognitionē, & voluntatem, ad eius dignitatem pertinet, q respectu eius habeat aliquam propriam actionem. Sed vt dicit sanctus Bonau. in 3. dist. 23. intentio nostra non mouetur nisi in cognitum possibile haberi, & bonum præoptatum, & desyderatum. Necesse itaq; est homini, vt finem hunc cognoscat, cognitum

dili

diligat, & dilectum vt possibilem sibi desyderet, si ad eum tēdere debet per opera meritoria, a voluntate libere procedentia. Siquidem nemo eligit laborare pro re, quam non tanquam sibi possibilem desyderat. Nam electio non est impossibilium 3. Eth. Sed nec desyderat quis, quod non diligit, quoniam ipsum desyderare diligere est, & rem tanquam bonam sibi appetere. Nihil autē amatur nisi cognitum. 10. de trinitate.

Virtutes theologales ad salutem necessariç.

Necesse est itaq;, si efficaciter in finem vltimum, qui est beatitudo, & salus nostra tendere debemus, hunc cognoscamus, diligamus, & tanquam nobis possibilem appetamus. Primū per fidem. Secundum per charitatem. Tertium per spem adimplemus, quia cognoscere Deum in via, quomodo oportet, actus est fidei, diligere in se charitatis, desyderare vt beatitudinem nostram nobis possibilem spei. Quia et his tribus reformatur imago nostra ad conformitatem imaginis diuinæ, intellectus fide, volūtas charitate, & per spē memoria, quç sunt tres partes imaginis nostræ. Quia iterum tribus dictis virtutibus correspondent tres actus principales, siue partes beatitudinis, quæ finis est christianorum. Fidei scilicet visio, charitatis fruitio, & spei tentio. Ideo non incongruè appellari possunt substantia, siue fundamentum christianæ conuersationis. Ex quibus quæcunq; actio processerit, meritoria est vitæ æternæ. Quæ verò ex eis non processerit, quantumcunq; fuerit honesta, & moraliter bona, vitæ prçmium non meretur. Itaq; vanum est omne virtutum ædificiū, quod ex tertia radice immediatè Christo inhçrente tanquam fundamento firmissimo non consurgit. Et ideo de fide scriptum est, q̄ est substantia rerum sperandarum Hebr. 11. Spes autem ancora firma animæ, & tuta dicitur Heb. 6. quia firmiter principali fundamento iniecta. De charitate verò ita clarè ostendit omnia sine ea nihil proficere ad salutem, vt nec fides, nec prophetia, nec spes, nec opera aliquid proficiant sine ea. 1. Cor. 13.

Imagò nostra q̄uo procicitur.

Ex his omnibus quasi prima conclusio totius christianæ structuræ, ac ędificii elicitur, quç est principium totius christiani profectus. Ad hoc sumus christiani, vt Christo domino vnico cū patre & spiritusancto fundamento inhæreamus, fide integra, spe firma, & charitate perfecta, quod est dicere, vt in eum firmiter credamus, eum perfectè supra omnia diligamus, & eo frui tanquam summa, & vltima beatitudine nostra fiducialiter desyderemus, & desyderantur confidamus. Hoc nobis sit quasi signum ad metā, ad quam in omnibus actionibus nostris mentis oculos dirigamus, nec ab eo aliquando deflectamus. Quoniam licet finem nostrum beatitudinem siue regnum cœlorum christiani adipisci volumus, nulla tamē alia via, nullis mediis aliis ad hunc tēdere possumus efficaciter, nisi q̄ fide, spe, & charitate nostro fundamento Christo inhæreamus. Et ideo sicut quilibet industriùs artifex (vt dicit Cassianus coll. 1.) aut negociator non solum finem certum quærit, & amat, sed & certa media eligit, ad quæ omnis propositi sui intentionem dirigit, & per illa finem principaliter intentum assequi intendit. Sic per agriculturam agricola, per mercantias negociator diuitias adipisci laborat. Nec tantum diuitiis quantum diligenti agriculturæ, & mercationi intendit, non dubitans his bene actis, diuitias secuturas, ita & nos cupiētes regnare cum Christo, ad hoc siue fundamentum dixeris, siue medium, siue viam, fidem, spem & charitatem, velut ad certam, & rectissimam lineam cursum necesse est dirigamus omnia huius gratia gerenda, appetenda sunt, vt in Christum firmiter credamus, purè, & perfectè eum diligamus, & summè in ipso confidamus, per hoc vniuersos labores lçtanter aggrediamur, omnia sustineamus. Quicquid ab hac intentione diuersum est, quamuis vtile, aut necessarium videatur, vt noxium deuitandum est, quicquid ad hāc proficit amplectendum. Scientes quantum in his proficimus, tantum perfectiores

ctiores erimus, ac fini nostro beatius propinquamus. Nec de castitate, paupertate, patientia, elemosynarum largitione, vigiliis, laboribus sibi quisquis blandiatur, si per hęc in dictis non proficiat, dicente clarè Apostolo. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet, pietas ad interiorem Dei cultum pertinet, qui est per fidem spem, & charitatem. Sunt eñ omnia illa corporis exercitia, quasi instrumenta quædam ad priora facilius obtinenda, & obtenta custodienda &c. Si sic domino adhæserimus, iam templũ nostrum sanctificatur, vt in eo domino habitare per illapsum sanctificatiuum complaceat. Hoc enim principaliter intendunt nostri thematis verba, cum dominus ait per Moysen, Faciet mihi sanctuarium &c.

*DE EODEM SERMO V. In ostensione reliquiarum in ordine. LI.*

BEATI qui habitant in domo tua. psal. 83.

Dei domus multiplex.

Honorabilem, atque singularẽ huius diei festiuitatem votiuis laudibus celebremus, & festiuis gaudiis honoremus, in qua domus illius singularem commemoramus gloriam, quæ omnes suos inhabitatores beatificat, extra quam nemo beatitudinẽ poterit aspirare. Et quæ est hæc domus domini tã potens, tanq; desyderabilis? Vna, an plures? Vna nimirum est ordinis vnitate, licet quadruplex materiali distinctione. Est enim domus domini iam regnãs in cęlis cum rege suo Christo, quæ dicitur ecclesia triumphans, de qua Apostolus 2. Cor. 5. dicit, Edificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cęlis. Est & domus domini in terris, & hæc triplex. s. ecclesia catholica militans Deo de qua Prouer. 9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immo lauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam. Hæc enim fecit sapientia æterna in ecclesia militante. Est quoq; domus domini quælibet anima fidelis, in qua filius Dei habitat, sicut Paulus ad Heb. 3. dicit, Christus tanquam filius in domo sua, quæ dom⁹ sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsq; ad finẽ firmam teneamus. Est demũ domus domini locus iste materialis, siue templũ domino consecratum, de quo Iacob Gen. 28. Terribilis, inquit, est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cęli. & Esa. 56. Domus mea domus orationis vocabitur. Omnes hę domus etsi materialiter, & secundum statum distinguuntur, tñ ad idẽ. s. beatitudinẽ possidendã ordinant, quã beatitudinem prima suis possessionibus confert in re, cętere verò in spe; quoniam qui hinc transierunt ad illam iam beatitudinis stola vestiuntur, sicut scribitur Apo. 5. Datę sunt singulis stolę albæ. Qui verò adhuc in via cęterarum inhabitator est domorum, iam spẽ beatus est, quando suę beatitudinis in domo cęlesti firmam tenet promissionem, & pignus certũ. Promissionẽ quidẽ, quia omnes, qui sunt Christi per fidẽ, semen Abraę sunt secundũ promissionem hæredes Gal. 3. & 1. Ioa. 2. Hęc est promissio, quã ipse pollicitus est nobis vitam ęternam. Pignus verò sacras sanctorũ reliquias, & corpora, quæ materialibus nostris ecclesijs reconditas veneramur, de quo Ber. ser. de omnib⁹ sanctis ait, Sancti transeuntes ex hoc mundo ad patrẽ, sancta nobis pignora reliquerunt, apud nos siquidem corpora corũ in pace sepulta sunt, quorũ nomina viuent in seculum .i. quorũ nunquã gloria sepelietur. Hæc autẽ aliquãdo resument, quando non sine nobis in gloria consummabuntur. Tunc ergò, & nunc merito omnes dicũt beati, qui habitant in domo tua. Pro gr̃a Aue ma.

Habitatores in domo domini qui dicuntur & qui nõ

Beati, qui habitãt in domo tua. Ad beatitudinẽ cõsummatã, clarã videlicet Dei visionẽ, quã sancti Dei õẽs, qui in domo patris cęlestis habitãt cũ Xp̃o sine finẽ exultantes iam cõlecti sunt, nemo venire põt viatorum, nisi qui hic habitat i domo domini triplici pdictã, in

in qua sanctificatur, & secundum vię beatitudinem beatus dicitur, qui enim in sordibus hic manet, sordescet ad huc in damnatione, & qui hic fuerit iustus, & sanctus, & ita beatus, sanctificabitur, & beatificabitur adhuc in patria, vt loquitur Angelus Apoc. 22.

Curemus ergo hic habitare in domo domini, ne ab illa ibi æternaliter excludamur. Non enim omnes ambulantes aut intrantes in domum habitant in domo. Domum ecclesię vniuersalis intrat, quisquis baptismum suscipit, sed non in ea habitat hęreticus. Domum conscientiæ intrat, qui iustum ab iniusto, à coinquinato, quod sanctum est, discernit, sed non inhabitat carnalis. Domum huius templi materialis intrat, qui corporaliter locum hunc visitat, sed non inhabitat vaniloquus discursor, quoniam honorem domus, qui dicti sunt (quod inhabitatoris est) non diligunt, non promouent, nec defendunt. Non enim hæreticus ecclesiæ vnitatem custodit, sed scindit, nec carnalis conscientię puritatem appetit, sed polluit. Nec vaniloquus discursor, Dei sanctorumque cultum promouet, sed impedit, quapropter domum Dei non inhabitant, sed impugnant, non sunt ciues, sed hostes, non incolę, sed proditores. Sic enim eos nominat beatus Bern. ser. de dedi. qui incipit. Domus hæc fratres. Et ideò non beati, sed infęlices, & miseri.

Reliquię sanctorũ cur interdum ostẽduntur.

Nos ergo studeamus inhabitare domum domini templum hoc materiale. Per hoc enim cæterarum veri inhabitatores efficimur, est enim hoc templum quasi porta, per quam fit introitus ad alias, quia in illa, & baptismus suscipitur, & recta fides verbi Dei prædicatione docetur, & conscientia purificatur per pęnitentiam, in bono nutritur, & augmentatur, per eucharistiam. Inhabitamus eam, si rectè Deum, & sanctorum reliquias, quibus locus iste sanctificatur colimus. Ad hoc siquidem vt Bern. ait ser. de dedi. qui incipit, Votiuis laudibus parietes eius, manus sacratæ pontificum tantis sanctificauere mysteriis. Vt extunc, & deinceps, sanctarum ibi lectionum resonet frequentia, sanctarum orationum murmurent susurria, sanctarum reliquiarum honoretur beata præsentia, quas sacras reliquias vt deuotius honorem, laudabilis introduxit consuetudo, vt de septennio in septennium vobis ostendi, & pronunciari soleant non sine speciali mysterio Nam hoc ipso significatur, ad quid peruenimus, dum deuotè sanctorum reliquias veneramur. Sex quippe diebus laborum peruenitur ad septimum requietionis, qui est sabbatum, & requies sancta domino, quoniam dominus eum benedixit, & sanctificauit Exod. 22. & 31. Et per sex annos exercendi terram intratur septimus annus requiei, vt habetur Exo. 23. Ita cum sex annis in sanctorum venerationibus laboramus, in anno septimo ad clariorem eorum notitiam, visionem, & quasi societatem admittitur, vt clare cognoscamus, quia si sex annis, siue sex diebus, quibus vniuersum laboris tempus decurrit fideliter impleuerimus, in septimo die, vel anno requietionis, & sabbati interminabilis futurę vitæ, eorum patrociniis ipsis facialiter, & sensibiliter in beatitudine coniungemur.

Reliquię sanctorũ quo cultu venerandæ.

Ne autem in sanctarum reliquiarum cultu, quis erret, tria conuenit præcognoscere. s. qua specie cultus sancti sũt honorandi. Quia enim honorandi sint, iam in dubium reuocari non potest, post damnationem Vigilantii hæretici oppositum dogmatizantis, vt in epistola contra eundem declarat Hiero. Secundò cum euidens non sit ea, quæ ostenduntur fore reliquias illorum sanctorum, quorum esse dicuntur, maximè cum id, quod nonnunquam in diuersis locis ostenditur membrum, vel corpus alicuius sancti, vnius esse dicitur, vbi necessarium est ad minus in altero locorum decipi ostendentes, quomodo ergo temperari debet reuerentia reliquiis exhibenda, ne putetur honorari sanctus, vbi honoratur latro fortè, vel damnatus? Quomodo tempore beati Martini factum historia testatur. Tertiò

tiõ pro quibus causis sancti honorandi sunt & inuocandi, & an pro certa, tamen vni plus quàm alteri, vota, & peregrinationes, aut donaria quædam, & magis in vno loco, quàm alio sint soluenda. Verum quia temporis angustia hæc omnia resoluere prohibet, dimisso vltimo, de primis duobus conclusiuè aliquid breuissimè est dicendum, & planissimè, & alio tempore, & loco fauente domino, cum allegationibus scripturæ latius declarandum.

Pro declaratione primi notandum, quod rebus excellentis bonitatis, & perfectionis, superioritatis, & dominii debetur cultus, vel exhibitio reuerentiæ, & honoris, plus, vel minus, secundum exigentiam gradus excellentię. Deus ergo quia est summè, & infinitè bonus, vniuersale habens dominium, & omnipotens summus ei debetur cultus, quem latriam vocamus, & est interior reuerentia exhibita alicui, qua ipsum recognoscimus, vt summum, & infinitum bonum, vniuersale, & omnipotens habens dominium, vel aliquis actus exterior ad huiusmodi significandum factus. Et hic nulli omnino creaturę nec cruci, nec clauis, immo nec humanitati Christi in se consyderatæ, sed soli creatori debetur. Quia verò creaturæ quædam à Deo singulariter exaltatę sunt, vt creaturæ rationales singulari, & gratuita, immo consummata charitate Deo vnitæ, vel aliquæ irrationales, vt corpora, vestes, sudaria, stramina, arma specialiter à Deo, ad cooperationem salutis electę. Vel etiam imagines, hæc vel horum aliquid repræsentātia. Ideò eis debetur à nobis reuerentia, illis vt Dei singularibus amicis, istis vt quibusdam ad ea specialiter pertinentibus, eo quod etiam Deus per hæc multis miraculosè varia contulit beneficia. Debetur autem illis honor plus, vel minus secundum quod magis, vel minus Deo sunt coniuncta. Etsi excellentius cæteris ad Deum pertinent, vt humanitas Christi, & quæ ad eam pertinent, arma passionis, & virgo Dei mater, honor eis debitus, dicitur hyperdu

Latria interior, & exterior quid sit.

Ex quibus patet, quomodo intus diuersimodè adoratis, cum quodlibet recognoscendo tale, quale est à Deo electum, reuerentiam intus impenditis. Signa verò exteriora, quia diuersis eadem exhibentur, æquiuoca sunt, & per intentionem mentis distingui debent, vbi foris non distinguuntur. Vnde aliquod intendere debetis, dum genua coram domino flectitis, siue in sacramento siue coram imagine crucifixi, quam cum inclinatis coram imagine beatę mariæ virginis, vel sanctorum reliquiis. Cum tamen imagines veneramur, non lignum, aurum, vel metallū, sed ipsum cuius est colimus. Sicut etiā eadem genuflexione, quæ fit coram duce, rege, aut Imperatore, alium impendimus interiorem cultum. Sic aliter coram Deo & sanctis, reliquiis, ac imaginibus orationes fundimus. Deum quidem rogamus tanquam omnia potentem, & summum omnium rectorem, vt ipse nobis gratiosè concedat pro quibus oramus. Angelos, & sanctorum animas, non vt ipse ex se conferant, sed nobis, quæ desyderamus, & accipere non mereamur propter nostra delicta, ipsi tanquam Dei amici propter sua merita impetrent, ac impetrata conferant. Nihil tale à sancta cruce, aut sacris sanctorum reliquiis petendum est. Neque enim nos audire possunt, cum sint res in animatę, sed Deum, vel sanctos, quorum hęc sunt, & propter quos hęc honoramus, rogamus, vt intuitu meritorum per ista adquisitorum, quæ nobis tanquam pignora quædam hic reliquerunt, nobis concedant petita, vel impetrent. Ab imagine picta autem omnino nihil petendum, sed ab eo, cuius est imago, sine relatione ad imaginē. Ideò ecclesia in letania tripliciter orat, ad patrem filium, & spiritumsanctum ait, miserere nobis. Ad beatā virginem, Angelos, sanctos dicit. Ora pro nobis. Ad crucem ait. Per crucem tuam libera nos domine .i. per meritum nobis in cruce adquisitum. Ita dicere possumus Sancte Ioannes per has sacras reliquias tuas ora ꝑ nobis Hęc de primo.

Deum & sanctos q̃uo differenter oram⁹ & petimus.

Reliquię sanctorū quæ venerādę.

De secundo dicendū est primò, quod omnino nō licet aliquem venerari pro sancto, publico, & solemni officio, nisi fuerit autoritate Romanæ ecclesiæ canonizatus. Sicut habetur extra de reli. & vene. sanctorum. Audiuimus, licet secundum Innocen. in glo. ibidem. non est negandum, quin cuilibet licet alicubi defuncto, quem credebat bonum virum porrigere preces, vt pro eo intercedat ad Deum, quia Deus fidem eorum attendit, non tamen pro eis licet facere officium solemne, vel etiam preces solemnes. Et ita nec reliquiæ cuiuscunq; tanquam sancti venerandæ, non (vt præmissum est) canonizati. Ne autem falsò reliquiæ venerentur tanquā alicuius sancti, cuius tamen non sunt. debent circumspecti esse, qui primò reliquias acceptant, ne facili credulitate credant illius, vel istius esse, dū nō sufficienti testimonio ita fore comprobetur. Ideò disponit canon extra de re. & vene. sanctorum. Cum ex eo, quod inuentas de nouo reliquias nullius publicè venerari præsumat, nisi prius autoritate summi pontificis fuerint approbatæ. Vbi etiam præcipitur, quod extra capsas antiquæ reliquię non ostendantur, nec exponantur venales. Et additur Pręlati verò non permittant eos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit.

Et quia nostros superiores & prædecessores præsumere debemus tales fore, quod (nō immemores propriæ salutis) in acceptatione reliquiarum hoc egerint, quod facere tenebantur, pia fide credere debemus, quia illorum sunt reliquię, quorum esse dicuntur, & sic fore à præteritis, & antiquis temporibus tentum est, & vt tales sine omni periculo honorare. Cum enim in aliis rebus ciuilibus, maioribus, ac senioribus creditur, quomodo in sola sanctorum veneratione fides non est adhibenda? Quod si forte aliqua deceptio contigisset, nihil nobis periculi erit, tum quia excusat nos inuincibilis ignorantia, tū quia non simpliciter, sed sub conditione (ad minus) implicita veneramur huiusmodi reliquias, s. s. & inquantum illorum sunt, quorum esse dicuntur. Et ita magis eos sanctos, quorum esse creduntur honorámus. In eos quoque veneratio illa redundat non minus quàm si verè essent reliquiæ eorum. Cuius exemplum familiare est. Si aliqui intrarent hanc ciuitatem, qui probabili testimonio dicerentur esse amici Imperatoris, consulatus, vt tales reciperet, donis, ac reuerentiis quàm pluribus honoraret. Et esto, quod non essent tales. Nunquid Imperator, qui principaliter in eis honoratus esset, cum id sibi innotesceret, bene acciperet, laudaret, ac rependeret honorem huiusmodi tanquam suis amicis exhibitum, quamuis tales non fuissent, probans ex hoc synceritatem, deuotionem, ac amorem ciuitatis huius ad seipsum, maximè dū probabili testimonio tales esse didicerunt licet decepti? Secus tamen si vana quadam relatione, & leui credulitate hoc putassent, sic enim magis eos stultitiæ, ac leuitatis argueret, Ita in proposito. Nunc ergo deuoto animo præparati audite, & conspicite, quæ ostendentur, Deum in suis sanctis dignè laudantes pariter, & venerantes, Amen.

Prosecutionem tertię partis huius pręcedentis ser. quære ser. de omnibus sanctis.

## *De eodem Sermo. VI. in ordine. LII.*

HODIE salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahę. Luc. 19.

Festum dedicationis domus domini solemne agimus hodie, quod licet, quia inter pręcipuas solemnitates numeratur, & ideò nobis venerabile, tum quia cæteris nobis propinquius, merito à nobis deuotione celebrabitur dulciore. In aliis festiuitatibus magna Dei beneficia toti humano generi impēsa gratias retundendo commemoramus. Hodie

Dedicationis festi excellentia.

die singularia beneficia nobis specialiter impensa laudibus condignis extollimus. Aliis festis communi saluti in omnibus electis, quos sibi dominus tanquam domum fidelem construxit, congaudemus. Hodie de salute huic domui nostræ factæ exultamus. Domui nō solum materiali huic templo, sed magis spirituali, quod sumus nos, vt dicit Apost. 1. Corinth. 3. Nescitis, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. Vnde beatus Bern. ser. 1. de dedicatione. Vestra, ait, fratres charissimi est hodierna festiuitas, quia de ecclesia vestra, magis autem de vobisipsis, quia vos dedicati estis domino, vos elegit, & assumpsit in proprios. Solebant reges terræ, & principes in vnum conuenientes, natalis sui diem magnis pompis, & secularibus festiuare gaudiis, sicut de Herode euangelica testatur historia. Matth. 14. Nos hodie nostra natalicia exultatione humili celebramus. Isti carnalem sui natiuitatem, nos spiritualem. Isti diem, qua concessa est vita præsens citius finienda. Nos diem, qua promissa est vita nunquam terminanda. Isti diem, qua nati sunt in peccatis. Siquidem omnes eramus natura. i. natiuitate filii irę, & ideò miseriis præsentibus subiecti. Nos diem qua gratia saluti, & per hoc ab omni miseria eruendi. Isti diem quo nati ex Adam, in Adam moriuntur. Nos diem, quo renati in Christo, in ipso viuificabimur. Isti diem, quo fusi ex peccatricis vtero matris facti sunt membra domus magnæ, totius creaturæ, in qua sunt vasa non solum ad honorem, sed etiam ad contumeliam. Nos diem, qua nati sumus ex aqua, & spiritu, suscepti in gremium sanctæ matris ecclesiæ, & huic domui summi patrisfamilias ascripti, cuius omnia vasa sunt aurea, aut argentea in gloriam, & honorem. Isti postremo diem honorant, qua super cęteros terrigenas exaltati per superbiam, cum anxietate dominantur, redigendi in finalis miserię seruitutem. Nos diem celebramus, quo charitatis iugo astricti, humiliter diuinis subdimur præceptis, in libertatem filiorum exaltandi, & in gloria cum Christo æternaliter regnaturi. Si ergo filii seculi noctis, ac tenebrarum tantis gaudiis diem agunt, quo non salus vera, sed qualiscunque vita erūnis, & miseriis plena, non data, sed concessa est, citius repetenda, quantò magis nos diei, ac lucis filii, diem nostræ spiritualis natiuitatis cum exultatione spiritus celebrare oportet, qua facti sumus filii Abrahæ, filii promissionis, filii adoptionis, templum spiritus sancti, habitaculum Christi, domus Dei, cui salus facta est in æternum? Exemplo Zachei, quo dominum cum gaudio suscipiens, audire meruit veritatis ore, Hodie salus huic domui facta est, quod ipse sit filius Abraę. Pro gratia Aue. Maria.

Xp̄iani aliter celebrant sua natalitia, quā gentiliū principes.

Festum dedicationis domus domini inter cęteras solemnitates lętiorib⁹ agitur ceremonijs, in quo communiter exultant spirituales cum secularibus, incolę cum aduenis, sęnes cum pueris, virgines cū iunioribus. Et vt nemo cōmunibus desit gaudiis, exultant negociatores cum cauponibus, vendētes cū emētibus, Veruntñ cōmuniū gaudiorū nō cōis materia est. Gaudēt oēs cū Zachęo, sed nō de eo oēs, de quo Zachęus. Zachęus gauisus est non de acquirendis diuitiis, quoniam has pauperibus, & fraudatis erogabat, non de honorib⁹, & pōpis, quia cōtra se murmurātes sustinebat: nō de voluptatibus, & delitiis, quia taliū contēptorē suscepit, sed gaudebat, qa Xp̄m suscepit, per quem salus domui suæ facta est. Zachęus eñ audiens Iesum perambulare Hiericho, quærebat videre illum, quis esset. Recita historiā vsq;, salus hodie huic domui facta est. Gauudebat de exceptione Iesu, per quem facta est salus sue domui. Nō domui materiali, q̄ ex aduētu Xp̄i meliorata non est, sed domui spirituali animę. s. suæ, qua intimius, salubriusq; suscepit inhabitantem saluatorē, q̄ in domo materiali. Nihil enim profuisset suscepisse saluatorem in tugurio cōpacto ex lapidib⁹, & lignis, & excludere ab

Gaudiū multorū cum Zachęo sed nō de reb⁹ de quibus Zachęus

ab habitaculo mentis. Sic eum excepe runt pharisęi, qui eum obseruabant, & audierunt à domino, ideò relinquetur vobis domus vestra deserta, Matth. 23. Non enim gaudebant in præsentia saluatoris, sed si eum comprehendere potuissent in verbis, vel redarguere in factis, in suo scelere exultasset. Quos plurimi in hodierna festiuitate magis, quã Zachæum imitantur, qui sicut Prouer. 2. scribitur, lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Qui festis ecclesię abutuntur in occasionem carnis, & vnde nutriendus esset spiritus ad vitam, inde fouent corpus miserum ad gehennam, factiq; sunt eorum consortes, quibus Apostolus loquitur Gal. 3. Sic stulti estis, vt cum spiritu cęperitis, carne consumamini. Non ergo reprehenditur gaudium filiorum in suo, ac suę matris ecclesię festo hodierno, dum tamen exultent de salute huic domui factę hodie, non de lucris, epulis, immunditia, & seculi vanitate. Huius nanq; gaudii risus dolore miscetur in præsenti, & eius extrema luctus occupabit in futuro Prouerb. 14.

Salus p quam exultandũ quæ sit. Nos igitur vt non inaniter gaudeamus sed fructuosè, & stabiliter de salutè huic domui facta quæramus quæ sit ista salus, propter quam tam exultãter est iucundandum. Secundò quales nos esse oportet vt salus ista gaudium, adducens perseueret in ęternum. Quantum ad primum. Si rectè consyderam⁹, quicunq; gaudent, de salute gaudẽt vera vel opinata. Cum enim gaudium sit de bono prę̄senti desyderato, vt dicit Tho. 1. 2. q. 25. Quicquid autem concupiscitur sub ratione boni appetitũ, philosophus. 1. Eth. Bonum est, quod omnia appetunt, bonum autẽ, & salus coincidunt. Nam quicquid alicui bonum est, & salubre, & econuerso. Ergo qui de suo bono gaudet, de sua salute gaudet, non ergo nisi de sua salute gaudet vera, vel putata quisquis gaudet. Est autem salus naturalis, salus temporalis, & salus ęterna, siue spiritualis. Salus spiritualis principaliter ad animam pertinet, licet per animam in corpus redundet. Salus temporalis ad corpus, salus naturalis ad vtrunq;. Est enim salus naturalis, per quam natura tam corporis, quam animæ in esse cõsistit. Salus temporalis, qua corpus proficit. Salus spiritualis, quæ animam ad summę felicitatis statum prouehit, & disponit. Salus spiritualis simpliciter optima, salus naturalis necessaria. Salus temporalis indifferens, de se nec bona, nec mala. Illa optima, quia vltimus omnium desyderabilium finis. Ista necessaria, quia beatitudini præsupponitur. Nihil siquidẽ potest habere esse beatũ, nisi in se habeat esse. Hinc Apostolus. Non prius, quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. 1. Cor. 13. Hæc verò indifferens, quia ad consequendam beatitudinem per se nec cõfert, nec impedit, quia voluntas ea põt, & bene vti & male. Omnis hæc salus facta est domui huic, qui sumus nos, à Iesu Hiericho perambulãte. Stat enim vt ait Au. sermone 18. de verbis euange. Iesus in sua ęternitate, in seipso perfectus, & beatus, perambulat Hiericho, dum creaturę, quę perfecta non est, & per consequens defectuosa, miseretur, eius defectibus occurrendo, ei appropinquando. inhabitãdo aũt cõfert salutẽ spiritualẽ

Naturalẽ salutem contulit dum hominem creauit & tam secundum corpus, quàm secundum animam produxit. Ad huius doni, eiusq; magnitudinis consyderationẽ nos hortatur Chry. in 2. lib. de cõpunctione cordis. ita dicens. Vide quõ cum in nullo Deus ipse indigeat nostri (in omnibus enim sufficit sibi) tamẽ cũ non essemus, esse nos fecit, animamq; inspirauit, talem qualem nulli ex animantibus omnib⁹, quę sunt super terram. De hoc latius venerabilis Hugo de sancto vict. in de arra animæ ita scribit. Primum cogita anima mea, quod aliqua mõdo non fueris, & vt esse inciperes, eius dono acceperis. Sed nunquid tu eis aliquid prius dederas, antequàm fieres, quo tibi hoc redderetur, vt fieres? Nihil prorsus, nihil dedisse poteras, antequam fieres, sed gratis accepisti, vt fieres. Dedit autem

Salutem naturalẽ quãdo domin⁹ contulerit.

non

non solum esse, sed & pulchrum esse, & formosum. Dedit pulchrum esse, dedit viuere, dedit sentire, & quod his plus est, dedit & rationem, qua possimus discernere, ac intelligere, qua nos ad suā imaginē, & similitudinem traxit, quæ capax est Dei summi, & infiniti boni, & per hoc beatitudinis sēpiternę. Hāc enī capacitatē naturæ indidit, per quā animā sup ceteras creaturas omnes ratione carentes, dignitate nimia exaltauit. Sic totū hoīem formans, sensibus foris decorauit, sapientia intus illustrauit. Dans sensus quasi exteriorem ornatū, sapientiā quasi interiorem habitum Sensus quasi quasdam gemmas fulgentes appendens exterius. Sapientia quasi naturali pulchritudine, faciē animę intus decorans. Quæ quanti sint, per partes melius consyderatur. Nam si auro, esse, viuere, sentire, intelligere, comparari posset, totum totius orbis aurum velut arena exigua despiceretur respectu cuiuslibet horum. Quantum putas emeretur quodlibet membrum? quanti visus? quanti auditus? & ita de ceteris sensibus? totius mundi possessa substantia libens desereretur, vt hæc non habita compararetur. Melius est enim corpus validum, quàm census immensus. Ecc. 30. Seruiuit olim patriarcha Iacob Laban. 14. annis pro vxoribus suis Rachel, & Lia, quanto tempore seruiuisset pro vita sua, Haud dubium, qum omni tempore vitę, pro vita ipsā seruire parum iudicaremus, si ab homine hanc emere valeremus Et ecce omnia hęc Deus dedit gratis pręueniens nos in benedictionibus suis, de quo Eccl. 17. Deus creauit de terra hominem, & secundū imaginē suā fecit illum. Sequitur. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi, consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitādi, & disciplina intellectus repleuit illos. Quia aūt nō solū primis parētibus, verū etiā singulis nobis corpus, & corporalia membra donauerit sicut & animam, testis est virilis illa mulier sanctorum Machabeorum mater, quæ filios suos in martyrio cōfortans dicit. Nescio quomodo in vtero meo apparuistis. Neq; .n. ego spiritum, & animam dedi vobis, & vitā, & singulorum mēbra non ego cōpegi, sed mundi creator, qui format hominis natiuitatē. 2. Mach. 7. Ecce qualem naturalem talem domui nostrę, nobisipsis scilicet dominus dedit, quo nos in tam sublimi esse constituit.

Si nunc salutē temporalē, quę corpus nostrū respicit, attendere libet, vniuersam corporeę molis machinam animaduerte. Mundū hunc sensibilem, & habitabilem loquor, de quo b ea. Chry. vbi sup. ait. Cęlum extendit, terrā substrauit, luminaria accendit, in vniuerso mundo resplendentia. Et terrā fontibus & fluminibus, & stagnis repleuit. Campos verò virgultis, & floribus adornauit. Cęlum variis astrorum choris depinxit, vt nobis noctem die ipso faceret gratiorem, & consequenter beneficia noctis dieiq; latius prosequitur cōcludens. Vniuersa orbis efficitur omnibus tanquam mensa vna nullo prohibēte sumere, quod vbiq; est. Et venerabilis Hugo. Respice inquit, vniuersum mundum istum, & considera si aliquid sit in eo, quod tibi non seruiat: omnis natura ad hunc finē cursum suum dirigit, vt obsequiis tuis famuletur, & vtilitati deseruiat, tuisque oblectamentis pariter, & necessitatibus secundū effluentiam indeficientem occurrat Hoc cęlum, hoc terra, hoc aer, hoc maria cum his, quæ in eis sunt, vniuersis explere non cessat. Hoc circuitus temporum, annus innouationibus, & rediuiuis partubus dilapsa reformans, consumpta restaurans, pastu perp. tuo subministrat. Hæc Hugo. Mundus siquidem propter hominem factus est vt ei seruiret. Ait Magister dist. 1. lib. 2. Et in psal Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. Et ad ministerium hominis creata sunt Sol, Luna, & cuncta astra cœli. Hęc autem dona quam sint magna & præciosa, etiam imprudentium hominū actus probant, & iudicia. Dū

n.tantis laboribus, & stulta sollicitudine pro minima, & vix aliqua mundi particula, quæ nec specie pulchra, nec vtilitate necessaria, nec quantitate magna, nec bonitate optima, auro, s. vel argento, terra rubea, vel alba etiam seipsos exponunt, & consumunt, demonstrant, quantum laborandum esset pro excellentioribus mundis partibus cœlo, & elementis, immo pro sensibili mundo, quem gratuitè dominus ad corporis salutem nobis creauit, & subiecit. Quis solem appreciare posset, eiusque splendorem, qui æqualiter seruit omnibus, pauperi, atque regi? Quis lunæ, & astrorum cęterorũ, quis aeris, sine quo nec spirare nec viuere licet, quis ignis, aquę, terrę, precium ęstimare valet? Ita charissimi vel nunc consyderate, si tanta, & tam inęstimabilia largitus est dominus in hac vita misera, & corruptibili, quanta daturus est in vita beata, & immortali?

Salus spiritualis omnes excellit.

Verum & si magna hæc sunt, parua tamen & penè nulla ęstimantur cõparatione ad salutẽ spiritualẽ domus nostrę. Nam & quæ dicta sunt bonis, & malis conceduntur. Salus verò spiritualis non nisi bonis, & iustis impartitur, cũ quibus datur, ipso dono boni fiunt, & iusti, etiã si prius fuissent peccatores & mali. Salus nanq; spiritualis à prioribus donis tantum differt, quantum à creatura creator. Salus spiritualis nostra ipse dñs Iesus est, qui saluum facit populum à peccatis eorum. Siquidem homo per peccatũ ab ęterna salute perierat, in peccatis suis venundatus erat ab Hierusalem in Hiericho deciderat pacem perdiderat, mutabilitatem, & defectum inuenit. Descendit post eũ dñs Iesus salus nostra, per carnis assumptionem. Perambulauit Hiericho, per suferentiam defectuum nostrorum, quæsiuit eum, qui perierat, per salutis prædicationem, & miraculorum operationẽ, Inuenit, respexitq; & sanguinis sui precium appendit, taliq; pacto reduxit de exilio, & redemit de seruitio. Sic quoq; quæ omnia priora magna, & multa dedit per omnipotẽtiã, seipsũ nobis dedit per nimiam charitatẽ, & ita dedit, vt moreretur iustus pro iniustis, amicus pro inimicis, vt vult apostolus ad Rom. 5. & ad Ephe. 5. Christus seipsum tradidit pro ecclesia, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet eam sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, neq; rugam. De quo beatus bern. sermone. 3. de ascensione domini ita dicit. Quis cogitare sufficiat, qualiter rerum dominus prępenit nos; venit ad nos, subuenit nobis, & singularis illa maiestas voluit mori, vt viueremus, seruire, vt regnaremus, exultare, vt repatriaremus, & vsque ad seruilissima opera inclinari, vt constitueret nos super omnia opera sua. Hęc Bernard. Hæc autem toti generi humano exhibuit, quod totum, quãtum in se est, vult saluum fieri, & ad veritatis cognitionem peruenire, vt dicit apostolus 1. Timo. 2.

Sal. spiritualis aliis à Deo soli est.

Verum non omnes ad eam perueneriunt, satisfactum est pro omnibus sed multi eam à se reiiciunt, qui nec per fidem Christi, nec per charitatem, Iesum cum Zacheo in domum suam excipiunt, qui sacramentis eius non aptantur, vt salus illa omnibus sufficienter acquisita in eis vitam efficaciter operetur. Non enim omnes credunt, nec obediunt euangelio. Esaias enim dicit capitu. 53. Domine quis credidit auditui nřo? allegat Paulus Roma. 10. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Sed & si fidem habeamus ita vt montes transferamus, sine charitate nihil sumus. 1. Corinthio 13. Tunc enim fit vnicuiq; salus, dum in Christo per baptismum regeneratur, dum hac regeneratione ecclesiæ membrum efficitur & semen Abrahæ, non carnis circumcisione, sed fidei imitatione, & filialis adoptione. Nos enim secundum Isaac filii promissionis sumus ad Gala. 4. Fides autem ex Deo est, & Dei donum est, vt latè probat Aug. ad Sixtũ presbyterum, vbi inter cętera ait. Fides ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gra-

gratuito munere nobis daretur,non ipse diceret. Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me,traxerit eum. Et iterum. Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.

Salus sine nris meritis gratuito confert multis dimissis.

Hoc autem fidei charitatis donum sola Dei misericordia nos consecuti sumus per lauacrum regenerationis, quo domui nostræ facta est salus nunc in spe, consecuturi eádem pleniſſimè in re,eo quod regenerati sum⁹ filii Abrahæ. Nullis vtique nostris meritis. Et quis hanc salutem dignè magnificare, quis dignè extollere potest diuinam clementiam nobis hanc immeritis impertientem? Eia fratres attendite,quot,& quales in comparatione nostra abiecti sunt, qui hanc gratiosam salutem consequi non potuerunt. Quam multę ab initio vsque ad hunc diem generationes hominum pertransierunt, quę omnes sine cognitione Dei, & precio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt? Nunquid nobis fortiores? nunquid sapientiores? nunquid ditiores illis omnibus fuimus, vt hanc prę illis omnibus gratiam mereremur? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot diuites ibi fuerunt, & tamen vniuersi relicti, & abiecti perierunt? Et quare hoc in nobis factum sit, nullam præter gratuitam saluatoris charitatem inuenire possumus rationem. Per hanc nos elegit in omnibus, assumpsit ex omnibus, amauit prę omnibus. Nomine suo vocauit nos, vt memoriale eius semper esset apud nos. voluit nos esse participes in nomine, participes in nominis veritate, quoniam vnxit nos illo, quo & ipse vnctus est oleo lętitię,vt ab vncto vncti, quia à Christo dicimur christiani. Ecclesiæ suæ, cuius ipse caput est, membra constituit, in qua diuersas vnguentorum species recondidit, cibosque regios nobis de mensa sua ministrari præcepit. Quicquid ad sanitatem, ad refectionem,ad reparandam speciem,ad augendam decorem valere potest totum exemplo Alueri regis tribuit,&prouidit, Quibus nos purgare,excolere, ornare poterimus, quatenus ei habitaculum dignum fieri, & eius perpetua in habitatione beatificari mereamur.

Hæc est ergo dies illa saluberrima, cuius hodie memoriã tam festiuis gaudiis celebramus. Et quis hæc cogitãs, non totus gaudens exultaret se post naturalem, temporalemque salutem etiã hanc spiritualem consecutum, qua de diaboli faucibus ereptus, à peccatis ablutus, fide certiſſima illustratus, spe promiſſionis veriſſimè securus, charitãte electus, in Christo regeneratus est? Et huic domui incorporatus, in quo vniuersa ad æternam salutem necessaria facillimè accipit, & salutem perfectiſſimam sortiecur pariter,& æternam si iplemet voluerit homo. Hanc diem nostræ electionis, regenerationis, incorporationis, hodie quo hæc ecclesia materialis nobis dedicata est, & quasi promptuarium cęlestis thesauri, & sacramentorum omnium ad salutem necessariorum nobis aſsignata est,recolimus, & annua reuolutione oculis nostræ consyderationis præsentamus, & de salute domui nostræ factæ in domino exultamus.Hoc duntaxat caute prouidentes ne factam in nobis salutem preciosiſſimam vilipendentes iterum proijciamus, & nouiſſima nostra prioribus peiora reddamus, sed magis datam custodiamus, donec in futuro confirmati eam perdere non possimus, Amen.

## DE EODEM SERMO VII. in ordine. LIII.

DOMVM tuam decet sanctitudo psal. 92.

Dedicatio tẽpli nobis est singularis.

Adest nobis dilectiſſimi dies celeberrima & festiua, festiuitas familiaris, & domestica, cum omni gratiarum actione deuotius celebranda. Festiuitas vtique vt Bernard. ait in sermone qui incipit, Etiam hodie, Domus domini, templi Dei,ciuitatis regis ęterni, sponsæ Christi, quæ omnia fore sancta scripturæ tradit autori

tas, ideòque omni celebritatis honore dignißima. Nec frustra hanc solemnitatem celeberrimam dixerim, quæ omnium festiuitatum radix est, & fundamentale principium, nisi enim domus domino dedicata foret, nec esset vbi vel Deo, vel vnigenito eius Christo, aut spirituisancto, vel virgini, siue cuilibet sancto festa celebrarentur. Sicut nec populus ille peculiaris domino, ante tabernaculi materialis dedicationem legitur festiuasse, immo ipsius tabernaculi dedicatio primum fuit festum ab ipsis celebratum. Quia verò familiaris nobis sit, & domestica, Bernard.in quodam sermone testatur, dicens. Cęteras quidem sanctorum solemnitates cum ecclesiis aliis habem^ communes, hæc verò sic nobis est propria, vt necesse sit à nobis eam, vel à nemine celebrari. Nostra est, quia de ecclesia nostra, magis autem nostra, quia de nobisipsis. Non enim domus illius materialis tantum consecratio festiuatur, verum & domus domini, quę est anima fidelis, Domus domini, quæ est ecclesia militans, Domus domini quæ est ecclesia triumphans, dedicatio celebratur. Siquidem pro omnibus his domum in scripturis accipi reperitur. De domo ecclesię triumphantis, quæ in cęlis est, ait propheta. Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. De domo militantis ecclesiæ dicit Apostolus 1.Timoth.3. Scias, quomodo te oporteat in domo tua ambulare, quæ est ecclesią Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. De domo animæ ait Petrus 1.Petri 2. Tanquam lapides viui super ædificamini domos spirituales. De materialis ecclesiæ domo loquitur Esa. 56. Domus mea domus orationis vocabitur. Omnes has domus dominus sibi consecrauit. Cęlestem, dum proiectus est draco ille magnus antiquus serpens, qui vocatur diabolus, & facta est salus, & virtus, & potestas, & regnum Dei. Apoc.12. Militantem dum eam in cruce mundauit secundum illud Eph. quinto, Christus seipsum tradidit pro ecclesia, vt illam sanctificaret &c. Animam in baptismatis lauacro sibi desponsat, secundum illud ad Titum.3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritussancti. Materialem autem domum primo per ministerium Moysi, deinde Salomonis sanctificauit. Et quotidie per manus pontificum sanctificat, de quo Bernardus in sermone. Quis enim parietes ecclesię sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ pontificum tantis sanctificauere mysteriis? Merito itaque sanctis laudibus extollenda est omnis domini habitatio, quoniam domum domini decet sanctitudo. De quibus vt aliquid dicatur. Pro gratia Aue Maria.

Domum tuam decet sanctitudo. Quatuor domus domino sanctificatas audistis. Cęlestem, ad quam tendimus. Ecclesiam, in cuius fide, & obedientia viuimus. Animam nostram, quam Deo præparamus. Materialem, in qua sacramenta participamus. Quarum idcirco dedicationem peragimus, quoniam ineffabilia in his nos domini dona recepisse cognoscimus. Quid enim gratiosius cogitari potest, quàm quod dominus nobis, qui puluis sumus & cinis celestem habitationem sacrauit, in qua vniuersis malis semotis, in domino perpetua pace stabiliemur, secundum illud Esaiæ. sexagesimoquinto Non audietur in ea vox fletus, nec vox clamoris erit ibi amplius, sed quæ nec oculus vidit &c. præparauit dominus. Eiusdem sexagesimoquarto. Quid denique misericordius eo, quod nos immeritos decreuit producere tempore plenitudinis & perfectissimi status ecclesiæ, nouę scilicet legis, atque non in infidelitate permittere, sed ad agnitionem sui sanctissimi nominis perducere, ac ecclesiæ suæ incorporari, cuius ipse caput est, membra quoque eius fieri fide, & sacramentorum participatione, Per quæ cuncta nostra mundantur peccata, in qua vitam mereri possumus æternam, quod mille milibus non est concessum iudæis

Dedicationis tēpli causę quæ.

dæis, gentibus, & paganis. Quid denique amorosius, quam q̃ summus creator, cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedum eius, dignatur nostram animam sibi in templum dedicare, in quo nedum in donis, sed personaliter vult habitare, cuius delitiæ sunt esse cum homine? Prouerbiorum. 8. Et apocalypsis. 3. Ego sto ad ostium, & pulso &c. Ioann. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid demum clementius eo q̃ dominus ad celeriorem omnium prædictorum consecutionem dignatur etiam nobis materiale templum sanctificare, in quo nos orantes semper exaudiat, aliaque innumera vt dicetur tribuat? Hæc sunt, quæ hodierna festiuitate in suis canticis ecclesia commemorat, quæ omnis fidelis anima diligenter hodie consyderet, Deo omnium largitori totis viribus gratias referat, seque illi præparare studeat templum mundum, & beneplacitum. De omnibus his dicendum esset in hac sacra solemnitate quemadmodum in canticis huius festiuitatis de his omnibus ecclesia gloriatur. Sed quia vt apostoli verbis vtar, cũ magistri esse deberetis propter tempus, rursum indigetis vt doceamini quę sunt elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo? Quod opera vestra clarè docent. Ideò dimissis subtilioribus, dumtaxat de materiali templo aliquid grossè, & litteraliter proponam, quam sit sanctum, quoniam ipsum decet sanctitudo. Secundo aliquid contra eos, qui non sanctificant, sed inquinant, vt sciant, quantum pro his puniendi sunt à domino, nisi resipiscant. Vnde Apostolus ad Hebreos. 5. Non prius quod spirituale, se quod animale, deinde quod spirituale. 1. Corinthiorum. 15. Ideò primo dicendum da materiali domo, deinde de spirituali.

Quo ad primum dicit dominus. 2. Paral. 7. Elegi, & sanctificaui locum istum, vt sit ibi nomen meum in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus, & aures meæ erectæ erunt in orationes eius, qui in isto loco adorauerit. In quibus tanguntur quatuor, propter quæ merito domus domini sancta dicitur, & existit, quæ sunt: Diuina electio, sanctificatio, sacratissimorum conseruatio & officiorum executio. Elegit enim dominus ab initio ex omnibus, quæ creauit, quædam suo singulariter cultui dedicanda. Elegit inquam, de omni gente populum sibi peculiarem, populum Israel, & de his vnam tribum scilicet Leui. De qua specialiter ad sui cultum leuitas, & sacerdotes dedicari præcepit, quibus hodie succedunt officio prelati, & sacerdotes &c. Elegit de possessionibus, & fructibus primitias, ac decimas, ac varias oblationes. Elegit tempus scilicet diem septimum, ac quædã alia festa. Sic & elegit sibi certa loca in quibus coli magis sibi complacuit. Quæ omnia quantum sanctificari, quã taq; puritate fulgere pręcepit, tota. ve. test. simul & noui plena est pagina. Inspirauit enim patres à principio ad erigenda sibi altaria, vt Noe, Abraam, Isaac, Iacob &c. Deinde tabernaculum fieri, & sanctificari diligentissima constructione Moysi præcepit. Tandẽ templum Salomonis preciosissimum ædificari, & destructum reparari, & magnis solemnitatibus dedicari placuit. Quæ cum tempore legis naturæ, & Mosaicæ instituit, quantò magis tempore plenitudinis gratiæ templa nostra fieri præordinauit? Quis autem dubitent esse veneranda, & laudibus digna, quæ sanctus sanctorum sibi singulariter appropriauit?

Ecclesia materialis dicitur sancta diuina electione.

Sanctificauit quoq; dominus tabernaculum suum ac templum vnctionibus ac variis cerimoniis, per ministros suos, vt habetur Exod. vlt. 3. Reg. 8. & 1. Machab. 4. Et nunc dignatur per manus pontificum, & sacratissimas benedictiones, præmissis exorcismis, & sacras chrismatis vnctiones dedicare, quæ quales sint, & quò fiant, nunc rescindo. Per exorcismos inimica fugatur potestas, cuius exemplum ponit Greg.

Ecclesia materialis dicitũ sancta pontificali sanctificatione.

Greg. 3. libr: dialo. cap. 30. Propter quod & locus ille terribilis dęmonibus dicitur. Post consecrationem verò dicit beatus Thom. in 3. parte. q. 83. art. 3. Santificatur non quia gratiæ sit susceptiua, sed quia ex consecratione consequitur quandem spiritualem virtutem, per quam apta redditur diuino cultui vt scilicet homines deuotioné quandam ibi recipiant, qua paratiores sint ad diuina, nisi hoc propter irreuerentiam impediatur. Siue illa virtus sit, quid inhærens parietibus templi, siue (quod magis credo) sit virtus diuina specialiter eis asistens, qui cum reuerentia, & timore in domo sibi sacrata eam colunt, non curo. Huic secundo consonat illud Heliodori verbum. 2. Machab. 3. testantes, ꝙ in templo verè sit Dei quædam virtus. Nam & ipse ait. Qui habitat in cęlis habitationem visitator, & adiutor est loci illius. Vnde quidam probabiliter dicunt (vt recitat Thomas vbi supra) ꝙ per ingressum ecclesiæ homo consequitur remissionem venialium peccatorum, secundum illud Psal. Benedixisti domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ. Ecce habes tria, quæ consecratio tribuit templo. Expellit potestatem aduersarii ne impediat inibi salutem quærentes: Remittit peccata venialia: Confert intrantibus intrinsecus quandam deuotionis virtutem, vt intensius suo creatori famulentur. Nequaquam putandum est frustrari preces ecclesiæ in ęcclesiæ consecratione, & vnctiones, & cętera talia, quæ in figurali tabernaculo synagogæ tātæ fuere efficaciæ, vt etiam visibili signo, diuinæ præsentiam virtutis cognoscerent. Vnde scribitur Exo. 40. Postquā cuncta perfecta sunt s. in dedicatione tabernaculi, & ministeriorū, operuit, nubes tabernaculum testimonii, & gloria domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fęderis, nube operiente omnia, & maiestate domini corruscante. Si charissimi hoc figurale tabernaculum, quod non nisi arcam fęderis, in qua tabulæ præceptorum, vrna aurea plena manna, ac virga Aaron recludenda fuerent, continebat, tanta virtus visibiliter impleuit, quid putādum est de templo nostro figurato, quod diuinæ virtuti inuisibiliter assistit? qualia contineat statim dicetur.

Ecclesia sancta dicitur sacramētorum

Est & tertio templum hoc materiale merito sanctum, propter sanctissimorum continentiam. Continetur nanq; in ecclesia sacra legis vtriusque volumina, & laicorum libri, qui sunt picturæ, quibus ad salutem, ac Dei honorificentiam instruimur. Sed fortassis parum hoc videtur, & dictu indignum, libros sanctos appellare, qui nonnunquam sub pedibus, pulueribus operti, aperti, ac multa inhonestate inueniuntur languentes. Sed reuera hoc est non modicè detestandum, ac væhementer arguendum. Nonne ab omnibus non iniustè argueretur, qui depictam tabulam Christi imagine, ac virginis gloriosę in lutum proiiceret, aut pedibus calcaret? quinimo corripitur, qui pictutas præterierit, reuerentiam non ostendit. Quid autem maius est, libri, an picturæ? Cum enim vtraque veneranda facit rerum significatarum sanctitas, dubium non est libros (in quibus incompræhensibilis Deus appræhensibiliter continetur, in quibus diuina mandata, & ex ore Dei procedentia verba, & quicquid diuinum est, aut sanctorum honorem, & animarum salutem) longe concernit clarius, quam picturis describitur, imaginibus effigiatis anteferri. Discamus igitur à laicis quemadmodum illi picturas, nos libros sanctos venerari. De quibus Machabæi gloriabantur, dicentes. 1. Mach. 12. Habemus solatio sanctos libros in manibus nostris. Moyses deniq; librū legis in summæ venerationis arca, interius, exteriusq; deaurata reponi iussit. Tollitę, inquit, librum istum, & ponite in latere arcæ federis domini Dei vestri. Deut. 31. Quid fecisset de libro legis euangelicæ? In cuius signum hodie in ecclesiis auro, & gemmis euangeliorum, ac epistolarum libri sicut ho

die

die vidistis, circũdantur, in quibus ne scio tamen quomodo stulti homines aurum magis quod foris apparet, honorant, quam Christum, qui in literis intrinsecus latet. Continentur quoq; in ecclesia reliquiæ sanctorum, quibus in hac vita sancti fideliter Christo militarunt, ac meruerunt, vt eædem in resurrectione generali glorificentur, quæ quantæ sint venerationis, docent innumerabilia miracula, quę p ipsa operatus est dñs, vt in legendis sanctorum per totũ annum auditis, illud de Heliseo, cuius ossa dũ proiectum hominis cadauer casu tetigit, reuixit. 4 Reg. 13. Continetur ibi angelorum frequentia vel potius ipsi custodiendo continet tẽplum. De hoc dicitur Esa. 62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. vbi Bern. Benignus es domine, nostrorum nec hac fragili protectione murorum potes esse contentus, sed angelicam quoq; custodiam supraponis, vt muros defensent, & eos, qui murorum ambitu continentur. Insufficiens est enim ministratio nostra, nisi & nobiscum, & pro nobis administratorios spiritus mittas, vt hęreditatem capiamus salutis. Sic olim vidit Iacob in somno figurali nostri templi scalam, & angelos ascendentes, & descendentes, & euigilans ait. Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, quam domus Dei & porta cęli. Continentur iterum gratiarum vasa, ac materiæ sacramentorum baptismatis, vnctionis, sacri chrismatis, quibus à sordibus peccatorum abluimur, gratiam consequimur, & in confessione Christi nominis roboramur. Ersi hæc modica videntur Ecce Iacob, dominum scalæ innixũ videt, vnde testatur: Verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Miratur .n. gratiam, ait Ber. & dominationis magnitudinem. Inhabitat enim dominus non generali tantum præsentia in templo, quomodo etiam eum celi cęlorum nõ capiunt, sed speciali inhabitationis modo. Christus .n. dominus, & redẽptor noster quãtũ ad humanã naturã verissimè in materiali nostro templo continetur sub speciebus panis sacramentalis ibi reseruatis, ibiq; oblatis. Secundum deitatem verè est in loco isto. Nã vt Ber. ait, ibi verè est, & verè dominus est, vbi in eius nomine angeli simul, & homines congregantur, vbi deniq; tot salutaria miracula in cõuersis ad se im piis operatur, quibus se exhibet pręsentẽ cognitione & amore. Apud impios ait Ber. est dissimulatione, apud iustos in veritate, apud angelos in fęlicitate apud inferos in feritate. Terribilis igitur locus ille est, & omni reuerentia dignissimus, quem fideles viri inhabitant, quem sanctarum reliquiarum prę sentia decorat, quem angeli sancti frequentant, quem sua quoq; præsentia dominus ipse sanctificat.

Quartũ propter q̃ loc⁹ iste merito, vt sanctus veneratur, est sanctorũ officiorũ, ac operũ executio, ad quã lapideũ hoc tẽplũ principaliter ordinat. In eo nanq; Deus deorum adoratur, laudatur, benedicitur in hymnis & canticis, in lętitia, & exultatione, & in vario exteriori cultu, qui licet in omni loco dominationis eius benedicendus sit, principaliter tamen ad hoc locus iste sacratus est, secundum illud psal. In ecclesiis benedicite domino. Et iterum. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Et in sequentia. Hac domo trinitati laus & gloria semper resultat. Ordinatur ad hoc templum secundo vt ibi supplices ad Deum orationes fundantur, quæ & citius à domino exaudiontur, secundum illud. 2. Paral. 7. Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero cęlum, & pluuia non fluxerit, & præcepero locustę vt deuorent terrã, & misero pestilentiam in populum meum, cõuersus autẽ populus meus, super quos inuocatum est nomen meũ, deprecatus me fuerit, & egerit pęnitentiam à viis suis pessimis ego exaudiam de cęlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoq; mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationẽ eius, qui in hoc loco orauerit.

Ecclesia est sancta sanctissimo rumoffi ciorum frequentia.

Ordi

Ordinatur deniq; vt ibi sacra Christi doctrina verbum Dei, & mandata eius populo declarentur, sicque eis salutis via ostendatur, de quo Esa. 2. dicitur. Venite ascendamus ad montem domini ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. De hoc Aug. 2. de ciui.cap. penult. ait: Populi confluunt ad ecclesiam casta celebritate, honesta vtriusq; sexus discretione, vt audiant quam bene hic ad tempus viuere debeant vt post hanc vitam beate semper viuere mereantur. Vbi sancta scriptura iustitięq; doctrina de superiore loco in conspectu omniū personant, vt qui faciūt, audiant ad pręmiū, & qui non faciunt, audiant ad iudiciū. Hæc ille. Ordinatur quartò ad hoc vt ibi consequamur peccatorū veniā, ac gratiæ infusionem per sacramentorū operationē, quæ ibi ministrantur, quæ sunt tanquā fontes gratiarum. Hinc canitur. Hic pereunt peccatricis animæ crimina. Et Ezech. 14. Aquæ redundantes à latere dextro domus Dei, & viuent omnia ad quæ venerit torrens.f. sacramentorum. Ordinatur quinto ad oblationes & interiores, & exteriores ibi Deo offerēdas & principaliter ad immolandum Deo patri salutarem hostiam, ac summum sacrificium corporis, & sanguinis domini nostri Iesu Christi pro omniū salute fideliū. Et ad cibandū fidelē populum hoc cibo ineffabilis dignitatis in figuram, arram, & pignus æternæ fęlicitatis. Hinc mandatū, fuit iudæorum populo. Deut. 12. Ad locū, quem elegit dñs venietis, & offeretis in illo holocausta, & victimas, & Prou. 9. Sapiētia ædificauit sibi domū, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinū, & proposuit mensam suam.


Ordinatur sextò ad singularē sanctorū venerationē, ac inuocationē, quibus ecclesia, & altaria singulariter vt patronis, & defensoribus sunt sacrata, ac quorū reliquiæ ibi continētur, quos dubiū non est suos imploratores Deo commēndare, auxiliaq; salutaria conferre propter ꝙ Iob dicitur: Ad aliquē sanctorum conuertere eiusdē. 5. Multa quippe dñs pp sanctorū intercessionē dare fidelibus disposuit, aliàs non daturꝰ. Hinc propheta Daniel orat propter Abraam dilectū tuum, & Isaac seruum tuū, & Israel sanctū tuū. eiusdem. 3. Locum itaq; tot sanctis officiis deputatū, quis dubitet sanctum? Quæ cū omnia nostri causa misericors Deus disposuit quantis sanctitate, & munditia à nobis venerari debent? Nec aliquid aliud in templo domini agendum, nisi id propter ꝙ institutū est, vt Aug. ait in regula. Hinc vniuersalis ecclesiæ statuto ex concilio Lugdu. sub Gregor. 10. edito nos obligat di. Decet domū dñi sanctitudo, vt cuius in pace factus est locꝰ eius cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaq; ad ecclesias humilis deuotus ingressus, sit in eis quieta conuersatio Deo grata, inspicientibus placida, quæ consyderantes non solū instruat, sed etiam delectet. Conuenientes ibidē nomē illud, quod est super omne nomē, à quo aliud sub cęlo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oportcat, nomen videlicet Iesu Christi, qui saluū faciet populum à peccatis corū, exhibitione reuerentię specialis attol ant. Et ꝙ generaliter scribitur ꝙ in nomine Iesu omne genu flectatur, anguli singulariter in seipsis implentes, præcipue dū aguntur missarū sacra solemnia, gloriosum illud nomen quando cunq; recolitur, flectere genua cordis sui, ꝙ vel capitis sui inclinatione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis præcordiis sacra solemnia, deuotis orationibus insistatur. Cęteraq; de quibus supradictū sanctè exequi curemus. Sic domum domini, ꝙ sanctitudo decet, debitè sanctificabimus. Nanq; in ea gratiā merebimur in præsenti, & gloriam in futuro. Quam nobis præstare dignetur templi inhabitator Christus dominus cū patre, & spiritu sancto in secula benedictus. Amen.

F I N I S.

# DE FESTIS DIVAE VIRGINIS MARIAE,

VARII, ATQVE ERVDITI SERMONES,

GABRIELIS BIEL PROFESSORIS THEOLOGIAE.



BRIXIAE

APVD THOMAM BOZZOLAM,

M. D. LXXXIII.



# INDEX
# RERVM MEMORABILIVM,
## QVAE IN SERMONIBVS DIVAE MARIÆ CONTIMENTVR.

A



B



C

I




L



M

FINIS.




# NVMERVS SERMONVM DE FESTIVITATIBVS VIRG. GLORIOSAE.









# DE FESTIVITATIBVS BEATAE VIRGINIS MARIAE

## SERMONES FORMALES EXIMII VIRI MAGISTRI GABRIELIS BIEL: Sacræ Theologiæ licentiati.



## IN FESTO CONCEPTIONIS MARIAE.

### SERMO I.

Prou. 8.

Conceptionis festiuitas commendat tanquã initium omnium festiuitatum.



NECDVM erant abyssi, & ego iam concepta eram. Prouer. 8.

Illuxit nobis charissimi hodie dies festiua Conceptionis gloriosæ Virginis, ac matris Dei Mariæ, dies exaltationis, & lętitiæ: quę ab omnibus per Christum redemptis deuotis est laudibus celebranda: quoniam ipsa est principium festiuitatum omnium, in qua accepit exordium executionis ab initio promissæ diuinæ miserationis. Hodie dominus omnipotens sapientia patris æterna dignissimum tabernaculum suum (in quo habitare singulariter prælegit) ædificare pręcepit: dum non sine miraculo, sacrum illud benedictum Virginis corpus, de quo mundissima Christi caro spiritus sancti operatione formanda erat: in beatę matris Annę visceribus est conceptum. Verè felix dies, & omnibus desyderabilis transeuntibus seculis: quem omnis illa hominum propago desyderio expectabat, tanquam terminum ab initio obseruandæ generationis. Secundum diuinas si quidem reuelationes expectabatur ab initio vnus saluator mundi, Deus & homo: non habiturus patrem in terris: sed tantum matrem Virginem, sine virili semine fęcundam Propter quam matrem tam studiose, & descripta est, & obseruata patrum generatio ab Adam vsque ad hanc virginem, Christum solã sine viro tam mirabiliter parituram: quatenus sic eam constaret de Adam descendisse. per cuius filium, filii Adam essent redimẽdi: atq; de genere illorũ Abrahæ,

Isaac, Iacob, David: quibus facta erat promissio: quoniã in semine eorũ benedicentur omnes terrę: semine vtique, quod est Christus. Gal. 3. Hac itaque hodierna concepta virgine, generationum descriptio, & obseruatio in populo Dei finem habere debuit: sicut de facto habuit, ita vt Iudæi hodie de nulla fœmina, vel viro, ostendere possint autentice, quod sit de genere Dauid. In huius itaque virginis ortum, veteres prophetæ, & patres contemplationis oculum deuotissimè fixerũt: ipsam pronunciauerunt, & desyderabant. Desyderabant quippe videre diem hunc, viderunt, & gauisi sunt. Vnus in spiritum videns, ait. Egredietur virga de radice Iesse. Esa. 11. Hinc mellifluus Bern. de hac virgine hom. 3. super Missus est, ait. Virgo non nouiter, nec fortuitu inuenta, sed a seculo electa, ab altissimo præcognita sibi præparatam ab Angelis seruatam, a patribus præsignatam, a prophetis promissam. Quam sic omnibus prælatam dudum in diuina ordinatione spiritussanctus edocuit, dũ in eius persona ait, Necdũ erant abyssi &c. Pro gratia Aue Maria.

Gal. 3

Esa. 11. Bern.

Necdum erant abyssi &c. Verba ista vna cum præcedentibus, & sequentibus dicta ad litteram de æterna sapientia, ab hac virgine genita, per allegoriam de ipsa virgine leguntur ab ecclesia, quæ eius prioritatem ad cæteras creaturas clarè exprimunt. Verum licet multiplex secundum Arist. in postdicamentis sit prioritas, tamen nostro proposito nunc triplex deseruiet scilicet prioritas naturæ, dignitatis, & temporis. Quod virgo prior sit natura cęteris ex hoc clarere po stet, quoniã ĩ ipsã tanquam in finem cæterorum generatio ordinatur, vt breuiter tactum est. Finis autem; quia causa, prior est ordinatis in ipsum, saltem quantum ad intentionem Dicendum ergo restaret, quomodo virgo nostra hodie concepta cęteros preiret dignitate similiter, & tempore, non vtique in effectus productione, sed tempore imaginario in diuinę prouidentiæ ordinatione. Sed hoc tertio dimisso solum de secunda prioritate agẽdum. Vbi videndum est primo, quomodo cunctos præcedit virgo principij dignitate. Secundo personali anctitate. Tertio ex his ostendendum est, quam rationabiliter, & sancte festum hoc est institutũ, & a fidelibus colendũ.

Prioritas triplex. Arist.

Quantum ad primum, virgo gloriosa cõcepta est ante omnes abyssos prioritate principij. Abyssus enim principium est manantium fontium. Duos siquidem viros scriptura nobis commemorat mirabili Dei operatione formatos: Adam scilicet & Christum. Sic quoque duę mulieres famosę a domino mirabiliter leguntur institutæ, & ædificatæ: Eua scilicet & virgo maria. Istæ mulieres fuerunt (licet diuersimode) principia duorum dissimilium seculorum. Eua principium fuit naturalis propagationis omnium per Adam eius maritum. Secunda fuit principium spiritualis regenerationis omniũ, per Christum eius filium. Prima fuit principiũ tenebrarum, quia per eam est inducta nox ignorantiæ, & peccati, in totum genus humanum Secunda fuit principium lucis, & gratiæ: quoniam per eã venit lux, quæ illuminat omnem hominẽm venientem in hunc mundum. Christus scilicet sol iustitiæ, & auctor virtutis & gratiæ: sicut de eo scriptum est. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Io. 1. Primam ab initio dominus constituit: vt esset mater omnium viuentium: omnes concipiẽs, fouens, ac pariens in vitam naturalem, nulla tamen morte finiendam. Vnde Gen. 3. Vocauit Adam nomen vxoris suę Euam: eo quod esset mater cunctorum viuentium. Sed prohdolor quæ facta est viro in adiutorium vitæ prolis, ita in peccato infecta est: vt fieret omnibus suis filijs principium mortis. Nec solum hos, quos genuit, ad mortem perduxit. Verum ei, de cuius latere formata est, occasio mortis fuit: dũ sibi mortis gustum obtulit. Propter quod Adam aduersus eam causans: vt Bern. ait super Missus est. homil. 2. Dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter il

Ioan. 1. Gen. 3.

Bern.

iam accusare cunctatus est. Mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba vtique malitiæ hæc fuerunt, magis culpam augentis, quam excusantis. Adam itaq; cum tota sua posteritate in profunda ignorantiæ, ac peccati nocte dormiente, misertus est dominus humano generi: ac de ipso sic dormiente, singulari operatione hodierna die formauit nouā mulierem: cuius prolificatione saluari posset genus humanum: & in perpetuum conseruari. Ecce Adam ait Bern. redditur tibi fœmina pro fœmina, humilis pro superba, prudens pro fatua, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitę, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta igitur o Adam verbum iniquę accusationis in vocem gratiarum actionis. Et dic: Domine mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est in ore meo super mel, quia in ipso viuificasti me. O admirandam, & omni honore dignissimam mulierem. O fœminam singulariter venerandam super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum viuificatricem Hæc Bern.

Dominus mirabiliter duas fœminas pduxit principia duorum seculorū.

Ad hanc nouam matrem verissimè vetus illa mater Eua dicere potuit: Quæ post me venit, ante me facta est, maternitatis dignitate. De hac si quidem dignissima matre nostra, dicit scriptura in eius persona Ecclesiastici 24. Ego mater pulchrę dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctę spei. Verè mater pulchrę dilectionis, quæ frigidos ad dei dilectionem inflammat, mater timoris, quæ sua humilitate superbos, & præsumptuosos ad timorem reuocat: mater agnitionis, quæ sola cunctas hæreses interemit: & sanctæ spei, quæ nimium formidolosos sua pietate ad spem diuinæ misericordiæ, & venię animat. Nec enim solum mater est benedicti fructus ventris sui primogeniti. Rom. 8. in multis fratribus, sed & omnium fratrum suorum: omnium si quidem saluandorum, quos genuit per fidem, fouet per charitatem, defendit per continuam intercessionem. Verè itaq; de se dicit: Ab æterno ordinata sum: & ex antiquis, antequam terra fieret: necdum erant abyssi, & ego iam cōcepta eram. Hæc de primo.

Eccl. Rom. 8.

Secundò virgo gloriosa ante omnes, nedum abyssos, sed etiam montes concepta est, quantum ad sanctitatem personalem. Sola si quidem hęc virgo est; quæ immunitate peccati cunctos etiā sanctos antecessit. Hæc sola est, quam nulla peccati macula denigrauit. De hac si quidem beatus August. in de natura, & gratia ait. Excepta sancta virgine Maria: de qua propter honorem domini nullam prorsus (cum de peccatis agitur) haberi volo quæstionem. Si omnes sancti, & sanctæ congregari possent: & quæreretur ab eis, si peccatū haberent: quid responderent, nisi quod Ioannes ait: Si dixerimus: quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Cęteri quique sancti: & si quidam eorum ab omni actuali tam mortali, quam veniali crimine (sicut de Ioanne baptista pia tenet doctorum sententia) fuere liberi: originali tamen culpa non caruerunt, quamuis ab ea aliqui prius, quam nascerentur, sunt mundati. Sola virgo Maria ita ex vtroque parente fuit concepta: vt tamen ab originali, prærogatiua singulari sit præseruata. Quod in spiritum beatus Iob cognoscens, dum diem originalis culpæ noctemq; subsequentis ignorantiæ maledixisset: subdit. c. 3. Obtenebrentur stellæ caligine eius: expectet lucem, & non videat: nec ortum surgentis aurorę. Lux Christus est: ipso dicente Ioan. 8. Ego sum lux mundi. Aurora surgens virgo gloriosa: secundum illud Canticorum. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? Stellæ sunt sancti, ceteros doctrina illuminantes: secundum illud Danielis qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Stellæ itaque obtenebratæ sunt ab hac nocte originalis culpæ: quæ tamen nec solem, nec sur-

Io. in epist. Iob. 3. Ioan. 8. Dan. 12.

gentis auroræ ortum vidisse perhibetur: neque Christum dominum, nec benedictam eius matrem præualuit contingere. 6. a.

Maria a peccato originali prę seruata. Cōciliū Basilien se.

De hac autem veritate olim variè senserunt doctores: sed aliter nunc opinari non licet, nec docere: postquam super hoc ecclesiæ determinatio emanauit facta in concilio Basilien. in sessione. 36. anno domini 1439. decima quinta kalend. octobris quam determinationem vidi sub plumbo more Romanæ curiæ. Licet nonnulli vsque hodie tam insipienter quā impudenter non desinant oblatrare. Priuilegiauit denique eadem sancta synodus festum præsens specialibus indulgentijs: concessit si quidem omnibus verè pęnitentibus, & contritis, qui eiusdem solemnitatis missę interfuerunt. 100. dies: qui primis, vel secundis vesperis, totidem: qui verò sermoni verbi dei de eadem festiuitate interessent. 150. dies indulgentiarum perpetuo duraturas de iniunctis pœnitentijs concessit: vt in bulla plenius continetur. Cuius ecclesiæ determinatio omnes alias probationes sanctorum doctorum vincit. Facit ad idem decretum Sixti Papæ, qui sub data 1476. dotauit festum illud omnibus, & singulis indulgentijs festi corporis Christi etiam per octauam his, qui interfuerint horis, & officijs diuinis: secundum ordinationem cuiusdam nouæ historiæ: easdem vt in festo Corporis Christi indulgentias conferendo &c. prout in bulla desuper data latius continetur.

Mariam pseruari ab origi li congruū fuit Ansel.

Congruum autem valde erat tum ex parte virginis, tum ex parte Christi. Ex parte virginis: decuit enim (secundum Anselmum in de conceptione virginis) vt virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo intelligi non posset, posset autem sub Deo intelligi pura innocentia, vt in angelis: & Adam in statu naturæ institutæ &c. Ex parte Christi: quia passio Christi perfectissimè satisfecit pro peccato primi hominis ac perfectè liberauit ab eo genus humanum. Sed longè perfectius est hominem sic liberari, vt prę seruetur a peccato, ne incidat: ac mereri alicui conseruationem innocentiæ, quam mereri remissionem post lapsum. Cum ergo passio Christi perfectissimè satisfecit, ac liberauit (erat enim patri acceptissima, & vt communiter dicitur infiniti meriti) quare hanc perfectam liberationem respectu alicuius personæ habuit, & non alterius nisi matris. Quomodo etiam matri non omnem, quem potuit, honorem impendit: cum autem potuit præseruare, cur non præseruasset? Similes rationes plures ponit Scot. in suo 3. distinct. 3. quest. 1. Quomodo autem ab originali prę seruari potuit, quæ ab Adam secundum legem propagationis ascendit, facile est videre: si liceret modo de quidditate originalis peccati: ac modo contrahendi longius loqui. Sed similiter quæri posset: quomodo habens originale potest ab eo liberari? Haud dubium: quin per gratiam infusam, quæ tollit omnem reatum culpæ. Sic potest dominus animæ concreare gratiam: & ita ab originali, ne contrahat, præseruare. Patet ergo primitas Mariæ respectu omnium: quantum ad personalem sanctitatem.

Scotus.

Conceptionis festū fuit institutū rationabiliter.

Ex his iam satis patet pro tertio principali, quam rationabiliter & sancte hodiernum conceptionis festum est ab ecclesia institutum. Potest nanque conceptio, seu initialis formatio humanæ creaturæ, quadruplici respectu famosa esse, & celebris. Primo propter miraculosam originem, qualem habuisse legitur Adam Eua, & Christus. Secundo propter singularem puritatem, atque exemptionem a labe originalis criminis: hoc modo quoque & Christi conceptio est veneranda. Tertio propter respectum ad initialem sanctificationem in vtero: propter quod in nonnullis ecclesijs: etiam conceptio Baptistæ in vtero sanctificati solemnizatur. Quartò propter singularem or-

dinem ad redemptionis humanę exordium. Omnibus his respectibus nedum animæ infusio: sed corporeę substantiæ virginis originalis, conceptio, est merito festiuanda. Nam in eius conceptione singulariter est virtus diuina operata in sterilibus parentibus eius Ioachin, & Anna, qui licet diuinitus incitati: castissimè quãtum actus ille admittit, conuenerunt: pro tantæ prolis generatione: non tamen quia steriles sua naturali virtute, sed concurrente supernaturali operatione sterilitatem sanante, initiatum est virginis corpus: quo ad primum. Fuit denique (vt supra dictum est) conceptio ista à labe criminis originalis liberrima: & ideo merito colenda, quo ad secundum. Fuit quoque anima eius nedum in vtero, sed in creationis principio sanctificata per gratiam sibi concreatam: alioquin nisi concreata fuisset gratia: peccatrix quidem fuisset anima illa beatissima in creationis instanti, quod repugnat dictis. Quo ad quartum; principalissime est conceptio virginis veneranda: quoniam singularem ordinem habuit illa conceptio ad initia nostræ redemptionis. Nam illa conceptio formatio fuit substantiæ corpulentæ: à filio dei postea pro nostra assumptione assumendæ. Ac per hoc conceptio futuræ matris filii dei fuit quasi quædam originalis conceptio christi. Ex quo etiam hoc patet: quod festum conceptionis hoc respectu magis ad corporis formationem referendum est, quam ad animæ santificatæ infusionem. Filius si quidem dei pro nobis incarnandus: nihil de anima beatissimæ virginis assumpsit: Sed tantum de corpore virginis, eiusque purissimis sanguinibus (vt Damasc. ait) spiritus sancti operatione formatum corpus sibi hypostaticè vniuit. Quapropter non solum animatio virginis, sed corporalis substantiæ eius formatio merito est omnibus veneranda. Si quoque gloriosæ crucis, in qua ad horam pendens Christus, mortem gustando a mortis gustu nos omnes liberauit inuentio, ac de terra effossio, similiter & exaltatio mundo venerabilis est: quãtò magis eius corporis formatio, summa veneratione colenda est: in quo saluator mundi nouem mensibus quieuit: ac de eodem conceptus est, & fotus; & in lucem prodijt huius mundi?

Damasc.

Neq; tamen humana deuotione inuenta est: sed spiritus sancti reuelatione instituta: ac coruscantibus miraculis declarata: vt patet in huius festi historia, quam scribit Ansel. Cantuariensis archiepiscopus. Celebremus ergo dilectissimi syncera cum deuotione illius virginis primordia, per quam nobis salus, & redemptio est concessa: quæ ab initio post peccatum in subiugationem diaboli est promissa. Inimicitias (inquit dominus serpenti) ponam inter te, & mulierem, & ipsa conteret caput tuum. Genesis. 3. Cuius productionem expectabant Patriarche, quã præconabantur Prophetæ, quam omnes, quos spiritus sanctus attigerat, optabant videre. Cuius progressus sicut per omne resplenduit mundi seculum: ita in omni suę ęternitatis seculo est digne memoranda. Multiplex, si quidé cuiuslibet hominis particularis est seculum vnum, dum in matris vtero existit. Aliud, dum lucem hanc intrans vitalem aerem percipit. Aliud dum anima corpus linquit. Aliud, dum redempto corpore in beatitudine christo assistit. Cum autem Maria ad omnes se habeat transcendenter: nullum eius seculum relinquendum est: quod obliuioni traditum non sit celebri memoria recolendum: & per consequens suũ esse in vtero, quod hodierna festiuitas repræsentat deuotius venerandum. Vt verum fit illud Ecclesiastici 24. Memoria mea in generationes seculorum. Maxime autem a nobis illud fieri conuenit, in quos seculorum fines deuenerunt: quo frigescente charitate: superabundante autem iniquitate: maiori subsidio indigemus: quapropter festum multis retroactis temporibus occultũ:

Conceptionis festum a SS. reuelatione institutum.

Gen.

Eccl. 24.

iam in fine seculi est manifestatum: vt illa magis nostræ defensioni intendat: quo magis a nobis veneretur, quæ nobis concepta, nobis nata, nobis hic conuersata: nobis quoque ad cęlos exaltata: vt filio suo iugiter assistat: causam nostram semper promoucat: atque nos tandem feliciter consumatos, eidem regno ascribi impetret. Quod per eius sanctissimas preces concedere dignetur fructus ventris sui benedictus Iesus christus cum patre, & spiritu sancto regnans deus per omnia secula seculorum. Amen.

## *IN FESTO CONCEptionis Marię Sermo secundus in ordine secundus.*

Luc. 1. Conceptionis festũ lætitiæ & gaudii Luc. 15.

AVE. Lucę 1. Festum originale virginis immo, & nostrę salutis: commemoratione anniuersaria hodie nobis aduentasse gaudent omnes eiusdem virginis: imo salutis proprie amatores. Exultauit paterfamilias inuenta oue centesima, quę perierat. Sed & mulier euangelica congaudentes inuitauit vicinas, inuenta drachma decima, quam perdiderat Lu. 15. Quantò magis gaudendum toti fidelium cetui: quia inuenta est illa, & hodierna productione initiata: per quam quicquid perditum est, noscitur restauratum. Gaudet, qui thesaurum absconditum in agro inuenit: & pręgaudio omnia, quæ habet vendit, & compeiat agrum illum. Matt. 13. multo magis gaudendum est nobis, ac toto corde iubilandum: quia hodie inuentus est ager, id est terra, cui post veterem maledictionem benedixit dominus: ab initio lapsę naturæ quęsitus, expectatus, desyderatus, in quo latebat salus omnium christus Iesus. In quo (vt apostolus ait ad Col. 2.) omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ dei absconditi sunt. Rogo vendamus omnia: renunciemus vanis desyderijs: & emamus hunc agrum: vt possideamus absconditum in eo thesaurum, & ditemur in eternum: quia qui inueniet me, inueniet vitam: & hauriet salutem a Domino: loquitur in eius persona spiritussanctus, Prouer. 8. Hę sunt diuitiæ, quas patres, & prophetæ desiderauerunt: ac lachrymis precibus, & suspirijs incessabilibus quęsierunt. In quorum persona ex patribus, vnus Salomon ait. Mulierem fortem quis inueniet? hanc fortẽ, immo fortissimam loquebatur, quę secundum prophetiam domini serpentinum caput pede virtutis fuerat contritura. Et sequitur: Procul de vltimis finibus precium eius. Prouer. vlti. Innocentia finis est humani generis. Nam ab innocentia principium sumpsit. In innocentia enim creatus est Adam: ad innocentiam etiam reducetur: cum omnes prędestinati illuc assumentur, quo nihil ingreditur inquinatum. Ab his itaq; terminis, siue finibus: a quo, & ad quem idest innocentia, quæ procul sũt a ceteris hominibus, precium huius fortissimę mulieris. Cęterorum hominum precium non de innocentia: quia omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Rom. 3. Sed de iustificatione post lapsum: huius solius de vltimis finibus id est innocentia, rectè precium attollitur: quam nulla vnquam nec originalis, nec actualis culpa maculauit, propter quod etiam angelus a deo ad hanc theotocon missus: ab eius innocentia laudes exorsus est, Aue: quod interpretatum est sine vę: vtiq; maculę, atque culpę. De quo pro gratia Aue maria.

Matt. 13. Thesaurus in agro, quis col. 2.

Prou. 8.

Prou. vltimo.

Rom. 3.

Licet superiori sermone eiusdem festi de sacratissima virginis ab originalis peccati pręseruatione vtcunque locuti sumus. Opere pretium tamen est: & deuotio exigit, paulo latius ostendere modum, quo sine originalis peccati macula cõcipi potuerit: quæ communi nascentium lege: maris scilicet & feminæ concubitu creditur propagata. Cui adijcietur alique congruentiæ: quam congruum fuerit virginem sic electam ab originali præseruari. Quo ad primum videndum est: quid sit originale.

Maria virgo quomodo ab vtreque parente concipi potuit sine peccato originali.

Et quomodo contrahitur, ac deletur. Et licet diuersi diuersimode loquantur de originali peccato. Aliter enim loquitur magister dist. 30. secundi, aliter Anselmus de concep. virg. Quia tamen modus loquendi beati Anselmi facilior est, & magis intelligibilis, ideo hūc imitando dico: quod peccatum originale non est formaliter aliquid positiuum: siue in anima, siue in carne. Et vt exemplariter loquendo, planius fiat, ꝙ dicitur. Non est rebellio illa appetitus sensitiui ad voluntatem. Nec aliqua qualitas ipsam causans quocunque nomine nominetur: quia rebellio illa fuisset etiam in puris naturalibus. (Voco purè naturalia, quę nec peccato sunt depressa: nec dono super naturali, puta originali iustitia, vel gratia eleuata. Nam naturale est vnicuique appetitui ferri in suum appetibile: & si est appetibile non liberū, naturale est ei summè ferri, quantum potest. Cum ergo appetitus sensitiuus habeat proprium appetibile in puris naturalibus, & summe sibi delectabile; summe tendit in ipsū ex se. Illud autem tendere impediret actum rationis in eadem essentia animæ: etsi prohiberetur a ratione: sicut naturaliter tendit: ita naturaliter resisteret, impedienti: vnde surgeret tunc rebellio appetitus sensitiui ipsi rationi: licet nunquam præcessisset peccatum. Sed est formaliter priuatio scilicet carentia iustitiæ originalis debitæ; quia acceptæ in primo parente, & in ipso amissæ. Et hoc est, quod dicit Anselmus in de concept. virg. cap. 27. Peccatum inquit, quod originale dico: aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi perfectam per inobediētiam Adę, iustitiæ debitæ nuditatem: per quam omnes sunt filij irę.

Origina le quid sit. Ansel.

Sunt enim omnes secundum communem legem ab Adam geniti, iustitię originalis debitores: nisi sint ab huiusmodi debito absoluti. Nam omnes receperunt eam in Adam, in quo & eam amiserunt: & ita sunt omnes eius debitores. Dedit enim dominus iustitiam originalem, qua delectabiliter ratio obediret deo: sensus rationi: ac pacifice conuiueret proximo: reddendo cuilibet, quod suum est. Quomodo etiam modo virtus intensa facit delectabiliter elicere virtutis actum. Hanc dedit Adæ non pro se tantum, sed pro omnibus posteris. Statuit nanque lex diuina patrem non ponentem obicem per peccatum quasi naturaliter iustitiam hāc dare propagatis: non quod pater eam transfunderet: quia est donum super naturale: sed quia deus ipse naturę cooperaretur regulariter dando iustitiā propagini sine speciali gratia, & merito: dum modo non esset impedimentum in parente. Sicut modo regulariter dat animam corpori perfecte organizato. Et quia deus quantum est ex parte sui, nulli subtrahit: & sic iam voluntate antecedente omnibus dedit: omnes ea carentes: licet per impedimentum parentum culpabile, sunt eius debitores de communi lege saltem. Sicut accipiens a deo voluntatem, & gratiam: licet sibi non detur opus meritorium in se: quia tamen datur in gratia virtualiter: debitor est omnium bonorum operum, quę in gratia virtualiter continentur: vt dicit Scotus dist. 30. libri 2. Nam vt subdit: amittens gratiam, & frequenter peccans non tantum punitur pro gratię amissione: sed etiam pro amissione operum in gratia virtualiter contentorum. Alioquin qui pluries, & qui paucius peccarent, ęqualiter punirentur: eo quod æqualiter gratia carent. Punitio tamen non respondet omissioni alicuius: nisi illud, quod obmissum est, fuerit debitum. Sola enim transgressio debiti penam meretur. Si ergo non esset debitum nisi ad solam gratiam habendam, & non ad opera: omnes carentes gratia æqualiter forent puniendi: licet alius alio plura opera in gratia contenta omisisset. Denique eadem ratione, qua donum aliquod fit debitum: ipsa voluntas fit debitrix: sed quia voluntate antecedente dedit dominus toti posteritati Adæ donum hoc eis debitum; ita quod nunquam alicui filio Adæ subtraheret donum illud: si non impedimentum

Originalis iustitię omnes ab Adā geniti, sunt debitores.

Scotus.

Peccans pluries & paucius an pariter puniatur

mentum interueniret. Ideo eadem ratione quilibet filius Adæ debitor est illius doni: de communi lege. Sic inquam, debitor est; quod sine hac nisi tollatur debitum: regni aulam non intrabit. Et est aliquomodo simile. Si rex præpotens infeudaret militem tradendo sibi castrum pro se, & omni sua posteritate promittens omnibus gratiam familiaritatis, & introitus aulæ regiæ: seruato feudo tota eius posteritas esset debitrix huius castri: ita, inquam, debitrix: quod si perderent castrum etiã per quemcunque: nullus postea genitus gratiam regis, & introitum aulę sortiretur: nisi rex sponte debitum remitteret: ita in proposito. Habent ergo peccatum originale, quicunque sunt debitores huius iustitiæ carentes ea. Sunt autem: vt dictum est, debitores eius omnes filii Adæ: donec per gratiam collatam a domino ab huiusmodi debito liberantur: vt infra dicetur.

Ex quo illud patet: quod peccatum originale non consequitur præcise libidinosam propagationem: nisi (quod dicitur libidinosam) includeret peccatum parentum. Sed intelligendo libidinem ardorem delectationis in seminatione prolis. Sic enim quidam putant: & ideo non capiunt; quomodo possit corpus seminari eum delectationis ardore, & non transfundi originale peccatum. Patet autem: quod dictum est, tum quia probabile est, & quorundam doctorum sententia: quod in statu innocentiæ actus seminationis prolis, concubitus scilicet viri, & mulieris non fuisset sine delectatione: licet non rationem absorbente: & forte maiore, puriori q; quam modo est. Sicut & sumptio cibi in paradiso habuisset annexam delectationem maiorem, quã modo habet: pro quanto cibus ille fuisset saporosior, & naturæ conuenientior: & tamen sine transfusione originalis. Tum etiam quia si in statu naturæ lapsæ fieret propagatio alicuius prolis: sine feruore delectationis: ex aliquo accidente naturæ, vel doni gratuiti: sicut forte actum est in conceptione gloriosæ Virginis, Ioannis baptistæ: & aliorũ per repromissionem genitorum: nihilominus transfunderetur peccatum originale secundum communem legem. Ex quo patet: quod nihil impedit prolem lege naturæ propagari: & per singulare priuilegium ab originalis peccati contagione pręseruari. Quod quomodo fieri possit: facile intelligi potest: intellecto, quomodo in nobis remittitur originale.

Remittitur ergo originale secundũ potentiam dei ordinatam per habitum oppositum virtualiter, scilicet, gratiam infusam. Generaliter enim priuatio dicitur deleri, si restituitur habitus, cuius fuit priuatio: formaliter, vel virtualiter sicut tenebrę resoluuntur restituta luce: & cecitas restituto visu: ita infusa gratia, quæ est habitus eminentior iustitia originali in sacramento circuncisionis, pro tempore legis, aut baptismi tempore gratiæ: aut fide mediatoris, q̃ nobis meruit christi passio præuisa, vel exhibita: deletur originalis culpa: hoc est, tollitur debitum habendi originalem iustitiã: & commutatur in debitum habendi donũ nobilius. s. gratiam: quã si per relapsum perdit: non iterum constituitur debitor originalis iustitiæ: sed manet debitor gratiæ semel receptæ. Vnde patet, quod cuicunq; confertur gratia: illi remittitur originalis culpa. Et hoc secundũ legem ordinatam: licet simpliciter per solam non imputationẽ carentiæ eius ad damnationem: sine infusione cuiuscunq; doni creati: remittere posset peccatum originale Deus. Ex quibus omnibus hoc est manifestum: quod in quocunq; est possibilitas receptionis gratiæ: in illo est possibilitas remissionis debiti iustitiæ originalis: si eius adhuc debitor existit. Patet etiam cum anima Virginis gloriosę in primo instanti sui esse capax fuit gratiæ. Siquidem potuit ei gratia concreari & per consequens in eodẽ instanti a peccato originali pręseruari: quod si factum est: nũquã habuit originale. Non enim potuit habere quicquam prius, quam esset

Originale remittitur secundũ potẽtiã. Dei per habitũ oppositum.

ſit in natura. Et tantum de primo.

Oſtenſa eſt poſſibilitas quomodo Virgo glorioſa ſecundum legem naturæ: ab vtroq; parente propagata pręſeruari potuit à vę originalis culpę: per concreationem gratię animæ ſuæ dignisſimæ: ſicut fuit ĩ anima Chriſti. Factum autem oſtenſum eſt ſer. j. de feſtiuitate præſenti : ideo hic reſcinditur.

Opiniones can. & doctorum de peccato originali in Maria reijciuntur

Nec faciunt in oppoſitum autoritates duplices, quæ hic allegari ſolent: quarũ quædam ſunt canonis: Aliæ doctorum. Canonis rationes quinq;. In Adam omnes peccauerunt. Item ſicut in Adã omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. j. Cor. 15. Item Aug. in de fide ad Petrum. Firmisſimè tene &c. omnem per concubitum conceptum, cum peccato originali naſci: & multa ſimilia. Nam ad illas pie reſponderi poteſt, quod Apoſtolus nihil aliud voluit in omnibus illis autoritatibus, niſi qđ Chriſtus eſt generalis omnium redemptor: ſine quo propter peccatum primi hominis, nullus à peccato, vel pena liberari potuit. Quiſquis ergo a peccato, vel pena immunis eſt, per gratiam Dei mediatoris dumtaxat immunis eſt: ſine qua etiam virgo Maria peccatrix fuiſſet. Sed contra hoc nihil facit; an filius Adæ liberetur per purgationem a peccato: vel per pręſeruationem: niſi quod plenior eſt liberatio per pręſeruationẽ quam per purgationem. Hoc idem volunt ſancti, quod omnis per concubitũ genitus, & conceptus: quantum eſt de ſe (niſi per Dei gratiam præſeruetur) in peccato naſcitur morti obnoxius. Ad hoc declarandum Aug cum de peccato agitur excipit Mariã: & ſimiliter Anſ.

1. Co. 15

Aug.

Totum ergo fundamentum in hoc conſiſtit: & in hac concluſione beata Virgo, & homo quilibet potuit (ſicut de facto poteſt) ab originali præſeruari: nõ obſtante libidinoſa parentum commixtione, aut morbida corporis geniẽ: ĩ qualitate. probatio: nõ obſtãtibus illis purgatur in baptiſmate ab originali: & quidam purgati ſunt ante natiuitatem: vt Ioannes baptiſta, & Hieremias, & qui dam idẽ dicunt de ſancto Nicolao epiſcopo: ſed de Ioanne, & Hieremia dubium non eſt. Quęro per quid? Nõ niſi per infuſionem gratiæ: non ergo repugnat gratię morbida qualitas exiſtens in carne. Illam enim non tollit baptiſmus. Sicut ergo poſt primum inſtans potuit infundere: ſic in primo inſtanti potuit. Nulla ergo ratione reprobari poteſt: quia nulla oſtendi poteſt repugnantia: quin Deus potuit.

Nec illud facere diuinę derogat potentiæ: vt nunc oſtenſum eſt. Nec ſapiẽtiæ, quoniam omnino decet ſapientiã: vt agnus Dei immaculatus de immaculata generetur: ideo elegit virginem corpore. Et quare non potius mente: cum deterior ſit corruptio mentis (quæ eſt per peccatum) quàm corporis. Minus deniq; fuiſſet dedecus matri naſci ex matrimonio: quàm concipi in peccato originali. Nam illud ſine culpa fieri potuit: illud vero non: quia peccatum culpa eſt. Nec derogat bonitati diuinæ: quia omnino decuit: vt filius diligens matrem, omnia prohiberet: quæ matris honorem denigrare poterant. Nec iuſtitiæ: quia ſatisfactio fuit perfectisſima ſicut redemptor perfectiſſimus, ideo debuit perfectisſimum modum redimẽdi in aliquo exequi. Non licentius, quã in matre. Iuſtum deniq; fuerat, vt electa ſuper omnes in gloria, priuilegio ſingulari gauderet in ſtatu viæ. Sed ſunt, qui poſt natiuitatem purgantur per ſacramenta. Sunt, qui ante natiuitatem in vtero. Dignum ergo eſt, vt ipſa, quæ omnes præcellit, præſeruetur in conceptione ſua. Nihil denique prohibet aliquem præſeruari à pœna maiore, & non à minore Maxima pena peccatum eſt, à qua dominus præſeruauit matrem, quia non facit ad meritum. Non autem a multis ſequelis, & pœnis, quę ei pro fuerunt ad meritum. Adduci ſolent hincinde à doct. cõgruẽtię, ſed quia tactæ ſunt radicitus in ꝑmiſſis, ideo hic reſcinduntur.

Pie ergo tenendũ & credendum eſt beatam Mariam nulli vnquam ſubiacuiſſe peccato, vt verè de ea dicat eccleſia, ſicut etiã verè canit. Tota pulchra

es

es amica mea, & macula non est in te &c. Rectè ergo ei dicimus, Aue: idest sine vę omnis culpę &c.

## IN FESTO CONCEPTIONIS MARIÆ Sermo. III. in ordine. III.

Luc. 1. AVE: Lucę primo. Ad virgineę laudis exordium hodierna solennitate iterum reuocamur: dum post decursas eiusdem virginis festiuitates annuus recursus per eius conceptionis solemnia nostrę nobis redemptionis primordia recommendat. Cum enim per hanc virginē salus mundi apparuit credentibus: per ipsam quoque iuxta verbum domini: antiqui serpentis caput contritum est. Gen.3. Patet manifestè, huius virginis formationem: ad nostræ salutis primordia pertinere. Sicut nanq; duo viri famosi mirabiliter dei operatione formati sunt. Adam scilicet & Christus. Ita & duę reperiuntur mulieres famosę a domino mirabiliter institutę, & ędificatæ: quæ licet diuersimode, & velut oppositę, duorum dissimilium fuere principia populorum, Eua scilicet & Maria. Quarum prima principium fuit naturalis propagationis omnium per Adam eius maritum: Altera scilicet Maria principium est spiritualis regenerationis omnium per Christum eius filium. Primam, Euam videlicet ędificauit dominus de costa Adæ ipsi in adiutorium. Gen. 2. vt esset tabernaculum electum: & domus salutaris, in qua ab initio cresceret, viuificaretur, & illęsa seruaretur tenera proles humana vsq; ad exitum de tenebris viscerum in mūdum hunc luminosum. Sed prohdolor in contrarium res est versa. Nam domus hęc mirabiliter ad viuentium salutem ædificata mox occubuit, & corruit: corruendoq; sic intrinsecus corrupta est, & infecta: vt omnes in ea compactos eiceret lętaliter sauciatos. Sicque domus generationis humanę prolis, facta est domus mortis: domus gaudij, facta est domus mœroris: quod parum foret: si non domus originalis iustitię facta esset spelūca mortalis culpę: & per hoc domus dei facta esset fouea diaboli. Ecce miserum, infectum, & maculatum habitaculum in quo necesse est filios, & filias Adam primordialiter hospitari. Ne ergo morbida originalis hospitij infectio vniuersos læderet ad mortem, & mortem incurabilem: nihil decentius diuinæ bonitati misereri volenti: nihil opportunius nascituris filiis Adæ: immo nihil necessarium magis mortalibus, quam quod iterum dominus opere stabili (sed alterius fabricæ) ædificaret mulierem nouam: quæ veteris domus corruptionem sua puritate reformaret: quæ esset domus dei: tabernaculum altissimi: domus vitæ, & salutis. De qua salus mundi egressura erat sine macula: omnium maculas abstersura. De quo beatus Bern. Hom 2. super missus est: inter alia multum ad nostrum propositum ait: Lętare tu pater Adā: sed magis tu Eua exulta: quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: & quod miserabilius est, prius peremptores, quam parentes. Cō solamini super filia: & super tali filia parentum reparatrice: posterorum viuificatrice: quæ non vt prior tu Eua superba, & fatua, sed humilis, & prudens: pro ligno mortis gustum porrigit vitę: & pro venenoso cibo illo amaritudinis, fructum pariat æternę dulcedinis. Hanc ergo fœminam singulariter venerandam, opposuit dominus priori illi Euæ: quod angelus subtiliter innuens, salutationem orsus est a nominis primæ matris oppositione dicens virgini Aue.

*[Left margin:]* Conceptio Marię ad nostræ salutis primordia, pertinet. Gen.3. — Gen.2. — *[Right margin:]* Bern.

In prioribus festiuitatibus de virginis conceptione patuit: licet breuiter: quam apte ei dicatur Aue: quod secundum interpretationem sonat sine væ: & pręsertim prout illi festo conuenit: sine væ originalis peccati. Nunc super est tractare, quod non minus singulariter, & proprie ipsum verbulum Aue ei conuenit, consideratum secundum oppo-

*[Right margin:]* Mariæ nomen Aue aptè apponitur.

posi-

positionem, quam habet ad nomen primæ matris Euę. Quo respectu ecclesia de ipsa canit. Sumens illud aue Gabrielis ore: funda nos in pace mutans nomen Euæ. Componuntur enim hę duę dictiones Aue, & Eua ex eisdem tribus literis a. u. e. sed opposito ordine combinatis. Nam ea litera, quæ vnam initiat, aliam terminat: & econuerso. Quod nequaquam mysterio carere putandum est. Et licet ipsum perfecte indagare non valemus: saltem ea, quæ ex patrum sententijs huic mysterio congruunt, vt possumus, explicemus. Aptè si quidem aue ad Mariam angelus personat: cui Eua opponitur. Quoniam veteris Euæ conditionibus virgo nouella aduersatur. Opponitur autem Euę Maria quantum ad personalia, & quantum ad propagationis principia.

Quantum ad personalia, idest propria personarum, siue actus personales Euæ Maria opponitur: tam in earũ productione, quam in conuersatione: quoniam Eua de massa innocentiæ, costa videlicet innocentis viri Adæ formata: sibi innocentiam perdidit: nobis originale peccatum inuenit: Maria verò de massa perditionis, siue perditione concepta, peccatum originale perdidit: primo innocentiam inuenit: eũque qui omnium diluit peccatum, immaculatum edidit immaculata. Hinc Bern. ser. 3. de vigil. natiuitatis domini. Mater est sine corruptione virginitatis: filius sine omni labe peccati. Nõ cadit in matrem, Euæ maledictio: non cadit in prolem generalis illa conditio: de qua dictum est per prophetam. Nemo mundus a sorde: nec infans, cuius vnius diei est vita super terram Ecce infans sine sorde: solus inter homines verax: immo & veritas ipsa. Ecce agnus sine macula: agnus dei, qui tollit peccata mundi. Hæc Bernar. Eua dę costa materiali producta: costæ proprietates amisit. Maria de lumbis Abrae descendens, proprietates costæ inuiolabiliter conseruauit. Si quidem præomnibus viguit vigore iustitiæ: emicuit puritatis albedine: habuit firmitatem constantiæ curuabatur promptitudine obedientiæ: vt dicit Hen. de Hassia in ser. de conceptione. Eua de latere viri dormientis facta est. Maria verò ex corde dei vigilãtis prædestinata. Hinc Ecclesiastici 24. in eius persona scribitur: ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Et iterum: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram Prouer. 8.

Opposito etiam modo se habuit virgo benedicta ad Euam morum conuersatione. Nam Eua ad se reflexa: deum factorem solum reliquit: sese inordinate dilexit: ideo, verba serpentis falsa pollicitatione dei similitudinem pollicentis audiens: propria affectione seducta: suadenti diabolo consensit: propriam excellentiam tam stulte, quam superbè appetens deum contempsit, legem vitę transgrediens: necessitati mortis se subdidit. Maria verò ad deum toto corde suspensa, ipsum solum dilexit: & propter eum, quem amauit, & mundi regna, & gloriam, & se ipsam penitus contempsit. Adeo vt secundum Bern. super Missus est: elegerit esse sterilis in israel, & contemptibilis mundo, atque opprobrium hominum: vt illi se totam conseruare posset intactam: cui se suamque deuouerat castitatem. Eua per superbiam se dei creaturam esse non considerans, deo parificari voluit: Maria verò factori suo humiliter se subdens, ancillam se nominauit: vt dicit Bern. Et per hæc (vt Albertus dicit super missus est q 25.) hæc a diabolo decepta: ista ab angelo est edocta. Illam diabolus vicit per superbiã; ista vicit diabolum per humilitatem. Eua gratiam perdidit: Maria verò gratiam inuenit. Illa prima virginitatem amisit: ista prima virginitatem deo consecrauit. Illa desponsatur mater, & origo corruptarum: ista desponsatur mansura virgo mater, virgo virginum. Et beatus Maximus in ser. de annunciatione. Sicut diabolus per serpentem blanda deceptionis verba primæ suggessit

Maria opponitur euę & quomodo.

Bern.

Henr. de Hassia.

Eccl. 24.

prou. 8.

Maria opponitur Euæ quo ad morum conuersationem. Hern.

Albert.

Maximus.

gessit mulieri: ita spiritussanctus per angelum verbum salutis mittit perpetuę virgini. Sed illa improuida, & rudis non aduertebat quam exitialis, & noxia talis esset confabulatio. Ista circumspecta, & prudens cogitabat qualis esset ista salutatio. Eua ad verba serpentis intumuit. Maria ad vocem angeli insolita nunciantis extimuit. Hæc Maximus.

Literæ quibus componuntur Aue, & Eua.

Ecce quemadmodum in personalibus: & quo ad productionem: & quo ad conuersationem, Euæ Maria opponitur. Quod congruè per vocabulorum Eua, & Aue oppositionem designatur. Eisdem enim literis componuntur: non autem eodem ordine, sed ordine conuerso. Sic Maria, & Eua eisdem cō stant naturalibus: corpore, scilicet & anima, animæq; potentiis: sed oppositis actibus, opposita conuersatione, & vsu.

Essaia 4.

Significat autem E litera, quæ semicirculus est, & imperfectus hominem: cuius imperfectionem propheta confessus. Imperfectum meum, inquit, viderunt oculi tui. & Esa. cap. 4. hominem propter suam imperfectionem, & fragilitatem fæno: gloriam quoq; eius flori comparat decidenti. A vero quia prima litera est principium repræsentat, quod est Deus. Hinc in Apoc. frequenter repetitur: Ego sum a & o principium, & finis. V vero, quod ab vnione linearum in cono incipit: & ad diuisionem earundem tendit: vnionem in principio, diuisionem in fine figurat. Prima itaq; mulier, quæ à sui amore cepit: se inordinatè dilexit: omnia in seipsam ordinando sibi vniuit, sibiq; subijci concupiuit: & ita à Deo, quem contempsit se diuisit, rectè Eua nominatur. Quæ vox ab E, quod hominem significat, incipit: per V quod cum principio E, idest homine vnionem, & diuisionem à finali litera A .i. Deo importat. Maria vero quæ à Dei amore incipit, omnia in deum ordinando, ac referendo, sibi nihil attribuit, nihil sibi concupiuit, cum A idest Deo vnita, ab E idest se homine penitus diuisa, facta sibi velut vas perditum, vt in domino se inueniret, aptè per Aue salutatur. Ipsa est enim, quæ in canticis domino ait: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi Can. 6. Et in cantico suo: Magna, & mirabilia, quæ ei dominus fecerat (vnde non immeritò ab omnibus beatificaretur) attendens, nihil ex omnibus sibi attribuit, quin magis in eum vnde effluxerat, retulit vniuersa. Ait enim, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et ne sibi ex beatificatione sua quicquam arrogaret, causam huius beatificationis in dominum retorsit, subdēs: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.

Cant. 6.

Maria opponitur Euę quātum ad propagationis principium.

Opponitur etiam beatissima virgo Euæ quantum ad propagationis principium. Cum enim secundum beatum Augu. 14. de ciui. Dei. cap. vlti. duo amores, duas fecerunt ciuitates. Terrenam amor sui vsq; ad contemptū Dei. Cœlestem vero amor Dei vsq; ad contemptum mundi. Eua per amorem sui auctum vsq; ad contemptum Dei, principium fuit ciuitatis terrenæ, quæ per babylon significatur, in qua diabolus principatur. Maria autem per amorem Dei facta est principium ciuitatis nouæ hierusalem in qua principatur pater æternus, & verbū eius Iesus Christus immaculatus agnus: sicut scriptum est. Et agnus, qui in medio throni est, reget illos Apoc. 7. Siquidem Eua propria affectione (vt supra dictum est) seducta, nec is gustum etiam viro obtulit, seduxit: & per eum, peccatum, & mortem in totam suam posteritatem transfudit. Ac sic per eam ira Dei, quā prima meruit, in omnes concupiscentialiter per eos propagatos venit, propter quod apostolus ait: Per vnum hominem peccatum intrauit in omnes, & per peccatum mors: Roma. 5. Et iterum, Omnes nascimur filij iræ.

Apoc. 7.

Et per hoc Eua facta est principium tenebrarum, inquantum per eam inducta est nox ignorantiæ, & peccati in totum genus humanum. Sed Maria virgo super omnes benedicta se in omnibus contemnens, Deum solum super omnia

Rom. 5.

omnia perfectissimè diligens: reconciliationis gratiam inuenit: dum sua ardentissima charitate, & superangelica puritate, mundi lapsi reparatorem, verbum patris, dominum Iesum Christum, de patris gremio in virginalem vterum inclinauit: humilitatis, cęterarumque virtutum odore contraxit: sicut scriptum est. Dum rex esset in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Accubitus regis, sinus est patris: nardus virginis, humilitas est totius custos, ac reparatrix virtutis: quoniam nardus herba est parua, odorifera, pectoris purgatiua.

Mariç humilitas exaltatur. Aug. Hinc de Mariæ humilitate Augustinus in quodã ser. O verè inquit beata Mariæ humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cęlos innouauit, mundum purificauit: paradisum aperuit, & hominem animas ab inferis liberauit. O verè Marię gloriosa humilitas, quæ porta cęli efficitur, scala Dei constituitur, facta est certe Maria scala cęlestis p quã Christus descendit ad terras. Sic quoq; Maria nobis facta est principium lucis gratiæ, & veritatis; dum per eam venit lux & decus vniuersæ fabricę mundi Christus dominus, sol iustitiæ, auctor gratię, & veritatis. Sicut Ioan. 1. dicitur: Ioan. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum: qui soluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Et ita vt Ambr. Ambro. super Lu. ait: per Mariam salus omnibus parabatur. Albert. Eua ergo (vt Alber. super Missus est, inquit) viro suo occasio perditionis. Maria verò Christo filio suo adiutorium redemptionis. Illa damnauit, ista saluauit. Nam illa transiuit, & nos transire fecit de gratia in culpam. Ista surrexit, & nos surgere fecit de culpa in gratiam. Illa omnes generauit in mundum, ista in cęlum. Illa principium mortalitatis: ista principium vitalis regenerationis. Et Beda. Beda in homil. Quia mors intrauit per fęminam: aptè redit, & vita per fœminam. Illa per diabolum ducta, per serpentem viro gustum necis obtulit: hæc edocta a Deo per Angelum mundo autorem salutis edidit. Beatus quoque Maximus in ser. ad idẽ loquitur, dicens: Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ. Hæc Maximus. enim primæ matris damna resoluit: Hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pęnam intulit mundo: Genitrix domini salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua: auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit: Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Et beatus Bern. in ser. cuius principium est Signum magnum. Crudelis, inquit, mediatrix Eua, per quam Bern. serpens antiquus pestiferum etiam viro virus infudit: Sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Illa ministra seductionis, ista propitiationis. Illa suggessit præuaricationem: hæc ingessit redemptionem. Quia itaque in omnibus Euæ præuaricatrici innocens Maria opponitur: conuenientissimè in singularissimo salutationis eulogio nomen Euæ in melius commutatur. Nos autem attendentes per Mariam vniuersa veteris culpę damna recuperari: atque perditam salutem, cęlestemq; hereditatem restitui: Ad humillimas gratiarum actiones summo patri inclinemur, qui hodierna die afflictionem populi sui respiciens sanctissimum Virginis tabernaculum conceptione muudissima ædificare cępit: quo is reciperetur, per quem vniuersa perdita restaurentur, dominus noster Iesus Christus filius suus: secum & cum spiritu sancto vnus naturalis, ac consubstantialis Deus in secula benedictus: Amen.

*IN FESTO CONCEPtionis Mariæ Sermo III. in ordine. IIII.*

Conce-ptionis festũ opportune cadit in tempus, quo celebratur aduẽtus Christi.

AVe Maria.

In hoc sacro tempore, quo salutis nostræ primordia, & considerare, & cum gratiarum actione rememorari oportet aduentus videlicet nostri saluatoris in carnem: in qua nostram salutem operatus est in medio terræ: opportune incidit festum initiale virginis matris eiusdem carnis materiam ministrantis: vt sicut sine ea humanum genus minime reparatum est (dicente Bern. ser. 2. de pente.) sicut sine Christo nihil est effectum: ita sine illa nihil reeffectum: sic etiam sine eius commemoratione festa humanæ reparationis nullatenus agerentur. Sed quemadmodum nunc ab ecclesia primus Christi aduentus in carnem celebratur: ita & matris eius, per quam venire dignatus est productionis initiũ, ab eadem solemnizetur. Agamus ergo & nos dignè, & solemniter virginis intemeratæ conceptionem: quam sanctam nemo dubitare: qui eam prius, quam conciperetur ante secula electam: in principio labentis seculi promissam, figuris præsignatam: prophetarum oraculis prænunciatam, supplicitur suspirijs patrum quæsitam: iustorum lachrymis parentum obtẽtam: & ab æterna sapientia sibi singulariter in habitaculum non dubitat fabricatam. Si igitur vniuersa diuino cultui, & obsequijs deputata sancta fore necesse est: propter quod & templum, vasa, vestes, sanctificari oportuit: quæ & multiplici scripturæ testimonio sancta nominantur, & sunt. Sed & pars illa templi, in qua arca Dei, ac propitiatorium: vnde responsa domini sacerdotes populi expectabant: sanctum sanctorum dici iustum est. Exo. 26. & ad Heb 9. quis in illius Virginis fabrica defectũ quemcunque culpabilem suspicetur? Quomodo non sanctissima etiam in primo instanti sui esse foret: in qua æterna patris sapientia non solum habitare, sed & carnem illam, quę vniuersa repropitiauit patri: siue quæ in cælis, siue quæ in terris ex ea sumere: & tanta sibi eandem virginem cognatione iungere dignaretur: vt meritò in eum redundaret tanquam matris in filium omnis eius laus, & improperium. Hinc vt historiæ docent, prius quàm conciperetur, totius claritatis ei nomen imponitur. Nomen vtique Maria, quod suarum interpretationum maiestate omnem ab eius exordijs maculæ auferat suspitionem. Quis nanque in stella, & stella maris maculam: quis in illuminata, & illuminante vmbram: quis in dominatrice incuriam, in amaritudine voluptatis culpam, in mari redundantissimo defectum aliquem suspicetur? Quę omnia cum nomen Maria clarissimum repræsentat: admirabilem eius nobis munditiam, & sanctitatem incoinquinatam certissimè exprimit, & demonstrat. Quod repetentes deuotius pro impetranda dicendi, audiendique gratia eam salutemùs cum Angelo, dicentes: Aue Maria.

Bern.

Exo. 26. Heb. 9.

Diximus decursis sermonibus de verbo Aue: in quo ferme medietas laudum virginis concluditur .s. imperfectionis remotio, & totius mali: dicendum est consequẽter de sequentibus dictionibus in quibus reliqua pars virgineæ commendationis attenditur .s. perfectio boni. Siquidem quicquid laudabile prædicatur: aut negatiuè ex remotione eorum, quæ culpantur: aut affirmatiuè ex inhæsione, & assistentia eorum, quæ ad perfectionem pertinent commendatur. Commendatur autem virgo omni laude excellentior in sequentibus verbis. Proprio ex nomine: deinde ex inexistentium rerum, gratiarum, & donorum sublimitate. Nomen virginis secundum prędicta est Maria. Nomen vtiq; post illud filij sui nomen super omne nomen. Venerationis cultu, & ipsum dignissimum simul & dulcissimum: quod sicut nom sponsi oleum est effusum. Nam etsi in nomine Iesu omne genu flectitur, co-

Mariæ commendatio ex eo, quòd dicitur Maria.

len-

lentium eum latria adoratione: in nomine nihilominus Mariæ genu omne flectitur colentium eam hyperdulia veneratione: ita vt nec infernalium monstrorum genua contra eam stare possint: quorum principis caput pede virtutis contriuit: sed nomen hoc contremiscere oportet:& vlulando clamare: Terribilis est nobis vt castrorum acies ordinata. Dulcissimum quoque est Mariæ nomen: etiam quodammodo nomine filij tenerius: de quo beatus Bern. in ser. de annunciatione ait: Sicut nomen Iesus est mel in ore, in aure melos, in corde iubilus: sic & nomen Mariæ. Et subdit: Si dicere audemus, Iesus, quasi superbum,& nimium est potens nomen. Vnde si in Iesu aut deitatis, aut sexus virilis seueritatem aliquis vereatur, ad Mariam recurrat: in qua nihil horum suspectum est. Maria nomen est muliebre, mansuetudinem præferens, & commendans. Est etiam oleum effusum: quia sicut & nomen sponsi ad instar olei lucet, pascit, & vngit: lucet prædicatum, pascit recordatum, inuocatum lenit, & vngit. Quod melius apparebit si per eius interpretationem effunditur, quod in suarum clauditur terminis litterarum.

Bern.

Maria interpretatio. Hier. Bern.

Interpretatur autem Maria secundum Hiero. & Bern. stella maris, vel amarum mare: vel domina aut illuminatrix, aut illuminata. Ecce largam effusionem in quintuplici nominis interpretatione. Verum quia quarta, & quinta sufficienter includuntur in prima. Nam stellę secundum philosophos à sole illuminatę cætera illuminant: ideo satis erit: si has tres prosequamur: quibus interpretatur stella maris, domina, amarum mare. In stella maris intelligimus personæ clarissimam dignitatem, virgineam fœcunditatem, gratiæ diffusionem propter tria, quę in stella cognoscimus, lucem, radium, influentiam. In domina principandi maiestatem: in amaro mari, castigationis, compassionis,& disciplinæ amaritudinem: & donorum, & gratiarum velut fluminum congregationem; quæ si per eius festa tractanda partimur, abundantius nominis diffusionem cognoscemus: primam particulam præsenti sermone expediemus.

Angelus cur in salutatione tacuit Marię nomen Albert.

Sed prius inquiramus, cur nomen illud, quod Angelus in sua salutatione tacuit (Ait enim, euangelista teste: Aue gratia plena) ecclesia interposuit: quę nunc eandem repetendo dicit: Aue Maria gratia plena. Ad hoc respondet Albert. in de lau. virg. q. 28. ostendens, quod nec Angelus sine causa omisit: nec frustra ecclesia addidit. Dicit enim: Angelus non errauit non apponendo: nec ecclesia apponendo (Maria) errat. Angelus enim salutando dignissimè: non nomine dignitatis salutauit: vt per mutationem nominis, mutatio status significaretur, & eminentia dignitatis. Vnde ei pro proprio nomine scilicet Maria, nomen nouum imposuit. s. gratia plena: iuxta illud, vocabitur tibi nomen nouum: quod os domini nominauit. Hoc autem, quod dico gratia plena, circum locutio tantum est nominis proprij beatę Virginis, & personæ ipsius: quod nulli alij propriè conuenit, nec Deo, nec creaturæ: secundum quod plenitudo gratię intelligitur susceptiuè. Deus enim nihil habet susceptiuè. Nulla verò alia creatura plena est gratia susceptiuè præter beatam virginem, quæ sola tantum accepit, quod pura creatura plus accipere non potuit. Vnde & hoc ei ita propriũ fuit: Angelus illud pro proprio nomine: hoc est, plena gratia, imposuit. Ecclesia autem nomen Maria apposuit: ad gratia plena: vt per gratia plena recolat beatissimè virginis dignitatem: & per Maria inclinet eam ad nostram necessitatem. Ipsa enim gratia plena per influentiam diuinæ bonitatis data est nobis stella maris: vt eius plenitudo gratiæ suppleat in nobis defectum culpæ: & ipsa stella in firmamento gloriæ fixa nos naufragos de statu miserię traducat ad portum salutis æternæ. Hæc Albert. Ecce rationabiliter nomen Maria, quod in ipsa salutatione Angelus omisit, ecclesia addidit.

In hoc autem nomine, quod stella maris interpretatur, significatur nobis personæ Virginis (vt dictum est) clarissima dignitas. Est enim in stella lux, & lux participata Sed luce nihil dignius, nihil purius, nihil pulchrius. In spiritualibus dignissimum lux est spiritualis, & in pure corporalibus lux corporalis secundum Aug. Nam ratio lucis principaliter, & prima inuenitur in natura diuina. Si quidē ratio lucis est manifestatio: lux enim est, quo aliquid manifestatur. Eph. 5. Omnia, quæ aguntur, in lumine manifestantur. Diuina igitur essentia, in qua omnia clarissime, & primo relucent: est vniuersalis, prima, & perfectissima lux. Hinc Ioan. ait: Deus lux est: & non sunt in eo tenebræ vllę 1. Ioan. 1. Posterius in natura angelica. Qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos flammam ignis. Reperitur etiam ratio lucis in homine ad imaginem verę, & summæ lucis creatæ. Maxime autem in his, in quibus per participationem æternę lucis splendet lumen fidei. Vnde Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino: vt filij lucis ambulate. Et 2. Thessa 5. Omnes vos filij lucis estis, & filij Dei. Non enim sumus noctis, neque tenebrarum. Et vltimo in natura corporali: & in quolibet genere lux primatum obtinet. Quod etiam corporalis lucis situs testatur. Nam in cęlo oritur, & de cęlo: sicut scribitur de sapientia diuina Eccl. 24. Ego feci in cęlis, vt oriretur lumen indeficiens. Nihil quoque luce purius quæ nullius immunditia fędari potestnam inquinata irradiat sine sui contagione. Nihil enim pulchrius, sine qua cætera omnia non pulchra: sed velut in chaos primum redierint sunt confusa. vnde Ambro. Lux facit: quod cætera membra mundi sunt pulchra, & laudibus digna.

Maria cur stella maris dicitur.

Aug.

Eph. 5.

Ioan. 1.

Eph. 5.

2. Thes. 5

Eccl. 24.

Amb.

Sic virgo gloriosa, quæ lux est immediatissima illi summę & ęternæ luci: cęteris omnibus dignior, purior est & pulchrior. Dignior: quia non solum sicut Angeli, & homines, a sole summa luce illuminata est: sed fuit aurora quę de se solem illum produxit: quę omnia illuminabilia illuminauit: vt dicit Alb. super Missus est quæst. 25. Et recte per nubeculam illam lucem. s. prima die factam, de qua postea sol factus est, significatur, de quo etiam per prophetam dicitur: Ecce dominus ascendet super nubem leuem: & ingredietur Egyptum. Esa. 19. Quod exponens Bern. ser. 1. de aduentu domini: ait: loquens de carne Christi sumpta de virgine. Hæc est illa leuissima planè, & præfulgida nubes: supra quam ascensurum eum propheta prædixerat, vt descenderet in Egyptum. Purior: quoniam quicquid fragilitatis est, siue corruptionis, excellentissima quadam sublimitate præ cęteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis: vt ait Bern. in ser Signum magnum: & infra. Huiusmodi omnia tam excellenter irradiari noscuntur: vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed nec obscurum saltem, vel minus lucidum, siue tepidum aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari: propter quod beatus Ansel. in de conceptu virginis inquit. Decuit eā tanta puritate nitere: qua maior sub Deo nequit intelligi. Sed di. quomodo purior Angelis, in quibus nihil impuritatis inuenitur? Solutio. Eo modo, quo superiores puriores inferioribus (quos purgant, illuminant aut perficiunt: secundum Diony.) dicuntur, & ipsa dicitur purior Angelis. Est enim puritas per remotionem maculę, vel fęditatis: & est puritas per additionem subtilitatis, aut luminositatis. Sicut chrystallus luminosior, purior dicitur Ita Maria dicitur purior Angelis: quia immediate a spiritu sancto illuminata. Hinc Gabriel. Spiritus sanctus superueniet in te &c.

Maria cęteris omnib⁹ é dignior.

Albert.

Esa. 19.

Bern.

Ansel.

Diony.

Pulchrior vniuersis corpore propter candorem incorporalis virginitatis. Mente, propter claritatem diuinę contemplationis. Affectu, propter candorem syncerissimę charitatis. Conuersatione, propter exemplaritatem perfectæ virtutis, & magisterium totius pro-

Maria pulcrior est vniuersis.

Sap. 7.

bita-

Sap. 7. titatis. Hinc de ea non incongrue acci pit illud Sap. 7. Speciosior est sole: & su per omnē dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior: vt per so lem sol materialis: per stellas creatu ra angelica, per lucem intelligen tia intelligatur humana. Hinc de ea sponsus in canticis ait. Ostēde mihi fa ciē tuā: sonet vox tua in auribus meis. Vox.n. tua dulcis, & facies tua decora. Nec modo in seipsa pulchra, sed stella-

Bon. 17. rū more ētalios irradiādo pulchrificat. Nam vt refert Bonau. quamuis pul- chetrima fuit, tamen a nullo vnquam potuit concupisci: quia eius puritas omnium corda penetrabat: & in eis om nes motus illicitos extinguebat. Et ideo frequenter cedro, & myrrhæ com paratur, quia sicut odor cędri serpen- tés, & vermes fugat: ita & odor suæ vir ginitatis de aliorum cordibus bruta- les motus expellebat. Propter has ita- que proprietates, virgo lucidissima stella dicitur: & iuxta aliā proprietatē illuminata. Non ipsa est sol iustitiæ, hunc enim peperit: sed stella ab eodem illuminata.

Apoc. Illuminata autem vndique: à parte superiori, & inferiori, interiori, & exte riori sicut in Apocal. innuitur cap. 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedi- bus, & in capite eius corona stellarum 12. & in vtero habens. Stellę 12. coro- næ, qua illuminatur à parte superiori, sunt nouē ordines Angelorum, & tres beatorum. s. martyrum, confessorum, & virginum: qui omnes eam illuminando coronant: qui circundando confitentur laudant, honorant, venerantur. Hinc in Can. dicitur. Circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Per lu- nam sub pedibus eius, intelligitur mi litans ecclesia, quæ adhuc mutabilita- ti subijcitur: quam virgo sub pedibus habet: quia ipsam sub sua protectione, & defensione: tenet donec ad pacem æternam eam deducat: & tunc omnem mutabilitatem aufert: secundum illud psal. Orietur in diebus eius iusti- tia, & abundantia pacis: donec aufe- ratur luna. i. mutabilitas, quæ per lu- nam designatur. Illuminate lo interior designatur per hoc, quod dicitur in v- tero habēs. Nec dicitur, quid haberet: ad ostēdendum quod illud ineffabilem Habebat enim in vtero splēdorem di- uinū: ad Heb. 1. Qui cum sit splendor Heb. 1. gloriæ &c. & Sap. 7. Candor est lucis Sap. 7. æternę, & speculum sine macula. Quo Bern. modo? ita vt Bern ait, illuminata in- tus, & foris: tanquam sole circumfusa vt profundissimam diuinę sapientię vl tra quam credi valeat abyssum pene- trauit: Vt quantum sine personali v- nione creaturæ conditio patitur: luci illi inaccessibili, videatur immersa. Il- lo nimirum igne prophetę labia pur- gantur: illo igne seraphin accendunt. Longè aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis & circumfundi: & tanquam ipso igne con cludi: quāquam & per solē quo a micta phibetur: corpus immortale quod nūc possidet in gloria, non incongrue in- telligat exterius illuminari propter do tes corporis gloriosi in solis radio de- signatas. Radius nāq; solis clarissimus, agilis est: & subito de oriente in occi- dentem traslatus, subtilis, vitra pene- trans, & impassibilis: ita vt nulla vio- lentia ventorū vel aliorum quorumcū que corporū lędi possit. Hæc de eius lu minositate nunc sufficiant. Ex quibus patet quomodo verè dicitur stella vir- go Maria: quam hodie salutantes dici- mus Aue Maria Et tm̄ de primo.

Postqnam nunc ostensum est Ma- Maria riam dici stellam: restat consequenter cur stel- videre secundum primam nominis in- la mane terpretationem (de qua nunc sermo) primo. quia dicitur stella maris. Est autem stel la maris: stella quædam firmamēti iux ta polum arcticū sita. Non est ipsa po- lus, sed polo propinquior: & cæteris stellis ibi apparentibus lucidior. Cuius inter alias plurimas hæ sunt proprieta tes nobis nunc deseruientes. Prima: quoniā stella maris polo propinquior: quamuis parum mouetur a polo: ta- men non recedit, sed solum sua assistē tia demonstrat, & ostēdit. Secunda stel- la maris cum sit cęteris splendidior se-

ptentrionem respicit: & occiduis partibus non occidit: & lucis suę radium liberaliter semper spargit. Tertia. Stella maris nauigantes: dirigit: & suo ductu ad optatum portum transmittit. Quarta. Stella maris nullam cęterarum stellarum circumgirat, sed ab alijs omnibus circumgiratur. Hæ proprietates longè verius mystice in nostra stella maris inueniūtur: si diligentius requirantur.

Maria cur stella maris secundo immobili polo propinquior. Heb. 1. Est itaq; Maria immobili polo propinquior: mobilis quidem, sed non à polo recedens: ipsum nobis exhibet, & demonstrat. Polus hic immobilis (qui & terminus est axis mundi, super quo cęlum voluitur) diuina natura verbi est: quæ in se immobilis, & æterna, cuncta sustentat. Hebreæ 1. Portans omnia verbo virtutis suæ: cunctis motum tribuit, vitam, & sensum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus Act. 17. &

Act. 17. Boetius. Boetius 3. de consol. met. 9. Terrarum, cęliq; sator, stabilisq; manens das cuncta moueri. Huic polo virgo Maria omnibus angelis, & sanctis, ꝓpinquior est: quia nulla creatura pura tantum accessit perfectione ad Deum: quantum mater Dei, quæ Deum genuit: & materuali autoritate Deum filium suum nominauit, & subditum habuit, & parentem. Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? Et sequitur: descēdit cum eis: haud dubium: quin cum Ioseph, & Maria, in

Luc. 2. Nazareth: & erat subditus illis. Luc. 2.

Bern. De hoc beatus Ber. hom. 1. super missus est: ita ait. Nonne tuo, immo veritatis iudicio, illa, quæ deum habuit filium, super omnes choros exaltabitur Angelorum? An non Deum, & dominum Angelorum Maria audacter suū appellat filium di. Fili quid fe. no. sic? Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent: quod cū sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, & vocati Angeli: testante. Dauid. Qui facit Angelos suos spiritus. Maria vero se matrem agnoscens maiestatem illam: cui illi cum reuerentia seruiunt: cum fiducia suum nuncupat filium. Nec Deus dedignatur nuncupari, q homo esse dignatus est. Nā Paulo post subdit euangelista. Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus. Deus, cui Angeli subditi sunt: cui principatus, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ: nec tantum Marię: sed etiam Ioseph propter Mariam: vtrique stupor: vtrinq; miraculum. & quod Deus fęminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quod Deo fęmina principetur, sublimitas sine socio. Mirare ergo filii benignissimam dignationem, & matris excellentissimam dignitatem. Hæc ille. Quamuis autem Maria pro conditione creaturæ, ac vertibilitate arbitrii mobilis fuerit per naturam: nunquam autem ab hoc immobili polo recessit per gratiam. Nam & hunc polum cunctis seculis inuisibilē, & incognitum, ipsa lucidissima nube nocētis hūanę naturę de sua substātia sumptæ circumtexit: & huic mundo exhibuit videndum, palpandum, & agnoscendum. Hinc Esa. 9. Dominum super nubē leuē plane, & lucidissimā ascensurum prædixerat, vt descenderet in Egyptum. Ab hoc ergo polo Christo benedicto Maria ad punctum non recedit, sed semp assistit: sēper pro nobis intercedit: & iugiter nos protegit, & custodit. Propter quod de filio suo dicitur. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit israel. Ita & ipsa filio assistens nō dormitat: sed semper pro nobis vigilat: vnde & dicere potest illud Esa. 21. Super speculam domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam, domini ego sum stans, totis noctibus. Huic polo se semper coniunctam ostendit: cum in cantico suo ait. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Nec enim abesse poterit: vbi spiritus eius exultans, indiuiduo hęret amore. In Deo autē suo, & omnium salutari exultat: quem anima eius semper magnificat. Id circo vbi hic cordis sui thesaurus fuerit: ibi cor eius manere nemo poterit dubitare, dicēte domino. Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. &c. Esa. 9. Esa. 21.

Secundo rectè dicitur Maria maris stella

Maria stella maris secūdo.

stella: quia cæteris splendidior, septentrionem respicit: occiduis partibus nō occidit: & lucis suæ radium liberaliter super spargit. Propter splendoris sui excellentem claritatem, non tantum stellæ, sed soli comparatur: teste Bernardo in ser. qui incipit: Fœcundę virginitatis. Tolle corpus hoc solare, inquit: quid illuminat mundum? vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam: maris vtiq; magni, & spaciosi: quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Et homil. 2. super missus est: idem ait. Ipsa est nobilissima stella ex Iacob orta, cuius radius orbem vniuersum illuminat: cuius splendor, & pręfulget in supernis, & inferos penetrat: terras autem per lustrans: & calefaciens magis mentes, quam corpora: fouet virtutes, excoquit vitia. Respicit quoq; septentrionem: & occiduis partibus non occidit: quoniam gratiæ suæ radios ad peccatores semper dirigit: qui per septentrionem, parteq; occiduas designantur. Et sicut filius non iustos, sed peccatores vocare venit ad pœnitentiam: Ita & mater filii peccatores respicit: seque eis aduocatam ad filium præbent. Hinc Bern. in ser. super allegato. Aduocatam vis habere ad filium? ad Mariam recurre. Exaudiet matrem filius: & exaudiet filium pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est: hæc tota ratio spei meæ. Lucisq; suę radium semper, & vbique liberaliter spargit. Lux eius sapientiam intellige, & charitatem. Radium misericordiam à charitate procedentem: quam semper, & vbique liberalissime spargit, vt nemo sit, qui se abscondat à calore eius. Hic

Bern.

Ans. O femina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quā elemēta renouantur, infernus reconciliatur, dæmones conculcantur, homines liberantur, & Angeli reintegrantur. Et iterum. O fęmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis abundantia sic respersa reuiuiscit omnis creatura. Hinc etiā in sermone de assumptione Bern. ait. Sileat misericordiam tuā virgo beata: siquis est, qui te inuocatam in necessitatibus suis sibi inuenerit defuisse. Et sequitur. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omniū impetrauit. Quis ergo misericordiæ tuæ (o benedicta) longitudinē, & latitudinem, sublimitatē, & ꝓfundū queat inuestigare? nam lōgitudo eius vsque ad diem nouissimum inuocantibus eum subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarū: vt tua quoq; misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis superne inuenit restaurationē: & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enī cęlū repletū, infernus euacuatus: instauratę ruinę cęlestis hierusalē expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima, & pijssima charitas: & effectu cōpatiendi & subueniendi abundat effectu: ęque locuples in vtroque. Et in sermone, qui incipit: Signum magnum: idem dicit. Omnibus omnia facta est: sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricē se fecit: omnibus misericordiæ sinum aperuisti: vt de plenitudine illius accipiant vniuersi captiui redemptionem, æger curationē, tristis cōsolationē, peccator veniā, iustus gratiā, Angelus lætitiā, deniq; tota trinitas gloria, filij persona humanę carnis substātiā. Sic adhuc peccatis grauatus trepidas accedere, Theophilū attēdito: qui, vt refert, Fulbertus Carnotēsis epis. apud Siciliā cuiusdā episcopi vicē gerēs: ab eius successore submotus agitante impatiētia pro dignitatis suę recuperatione maleficium iudęū consuluit: ac Christo, matreq; Virgine, & fide catholica abnegatis, diabolo se resignauit sub chirographo ꝓpria manuscripto, & anulo suo signato, dęmoniq; tradito. Diabolica itaque calliditate restituēus: tandem ad se reuersus ingemuit, & ad misericordię matrem, quam iam abnegauerat, iterū confugit. Sed ne criminis immanitate victa, desperatum animauit, & exaudiuit, pænitentiam suasit, Christo reconcilia-

Fulbertus.

ciliauit, chirographũ suę dãnationis re stituit. Qui exultãs omnia apte ex ordine coram episcopo, & cunctis confessus: sequẽti tertia die in pace quieuit. Propter hãc incontractã misericordiæ suæ diffusionem beatã dicunt eam omnes generationes: vt in suo cantico testatur. Sunt enĩ generationes cęli, & terræ: pater spirituum: ait Apostolus: ex quo omnis paternitas in cęlo, & in terra nominatur. Beatã ergo dicũt omnes generationes: quia omnibus generationibus vitã, & gloriã genuit. Et in ea Angeli lętitiam, iusti gratiã, peccatores veniam inueniunt in æternum.

Maria in mari nauigantes dirigit. Dicitur etiam tertiò congruè maris stella: quia nauigantes in mari dirigit: & suo ducatu ad optatum portum trãsmittit. Mare mũdus est: mare magnũ, & spaciosum, in quo sunt pericula plurima: venti tentationũ, fluctus persecutionum, scopuli aduersitatum, tenebrę ignorantiarum, piratæ crudelissimi spiritualiũ bonorũ: qbus oĩbus incaute nauigantes vrgentur ad interitum sempiternum. Turbulentissimo itaq; mundi pfundo superposita est stella maris Maria: vt a scopulis muniat: à fluctibus eripiat: à piratis defendat: & sic postremo ad portum salutis æternæ perducat. Ipsa inquam, est preclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spaciosum necessariò eleuata: micans meritis: illustrans exemplis: ait Bern. super Missus

Bern. est homil. 2. Meritis quidem, & orationũ suffragijs adiuuat laborãtes. Exemplis vitæ pfectissimę dirigit deuiantes.

Ambr. Hinc Ambr. lib. de virginibus. Talis, inquit, fuit Maria: vt eius vnius vita sit omnium hominũ disciplina. Et canit ecclesia. Cuius vita gloriosa lucem dedit seculo: & vita inclyta cunctas illustrat ecclesias. Quoniã si diligẽter aspicitur, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil castitatis, nihil candoris, ac gloriæ, quod ex ea non resplendeat: sicut ait. Hiero. in sermone Cogitis.

Hiero. Et sequitur. Ipsa enim celestem nobis vitam in terra ostendit: in qua velut in speculo refulget forma virtutis. Habetis in ea (subdit idem Hiero.) magisteria probitatis expressa: quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Cuius vita omnium disciplina est: cuius mores instituta sunt ecclesiarum: quæ præcellit cunctis: superemĩnet vniuersis. In hoc autem Maria multo excellentior est, quam maris stella: quia: illa, & si dirigit nauigantes: nõ tamẽ adiuuat periclitantes: hęc autẽ dirigit, & perducit. Nam & viam nauigãtibus exemplis vitæ ostendit, quæ tendant: & tendentibus gratiam, & fortitudinem influit: vt perueniant: & naufragantes de faucibus mortis eruit, ne pereant. Ideo ad eam intuendã simul, & inuocandam hortatur Bern. super Missus est. sub his verbis. O quisquis intelligis te in huius seculi profluuio Magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quã per terrã ambulare: nõ auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgunt vẽti tentationum, si incurrunt scopulos tribulationum: respice stellã, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, si auaritia, aut carnis illecebra, nauiculam concusserit mentis: respice Mariã. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij terrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abysso: cogita Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs: inuoca Mariam, cogita Mariam: non recedat ab ore, non discedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragium: ne deseras eius conuersationis exemplum: nam quicunque secundum beatum Hieronimum, vbi supra, sibi ab ea optat præmium, & implorat auxilium, debet imitari exemplum, Hier. & addit Bern. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsa te tenente non corruis, ipsa te protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis: & sic in te experieris: quam merito dictum sit & nomen Virginis Maria .i. maris stella Bern. Hanc autem suam succurrendi virtu-

tem: ipsa in suo cantico exprimit: & ex primendo nos dirigit cum ait. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Magna, inquam, mihi fecit, quam matrem non modo suã, sed totius seculi exhibuit, quam talem fecit: vt ad me quasi ad mediatricem respicerent vniuersa, quia in me, & per me, & de me benigna manus omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit. Non autem mea est hæc fortitudo, sed eius qui potens est essentialiter, & omni potentia: qui fecit, quæcunq; voluit in cęlo, & in terra, cuius nomen sanctum: immo sanctitas omnia sanctificans. Ad hunc omnia refero, nihil mihi attribuo, nihil meis meritis arrogo. Ille est portus placida manens quiete: hic patens vnum miseris asylum: hic requies omnium laborum: vt loquitur Boe. lib. 3. metro. 1.

Boet.

Marię mysticè multa tribuũtur.

Quarto dicitur stella maris, quia nullam aliarum stellarum circumgirat sed ab omnibus alijs circumgiratur. Tota namq; celestis curia, & omnium sanctorum agmina Virginem matrem circundant ad ipsam tanquam ad dominam, & reginam respiciunt. Hinc canit ecclesia. Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum .i. ordo martyrum: & lilia conuallium .i. ordo confessorum, Virginum & angelorum. Sed de hoc sermone sequenti. Quod etiam in suo cantico virgo beatissima innuit, cum ait Et misericordia eius à progenie in progenies .s. per me, cui fecit magna à progenie patrum præcedentium in progenies futurorum. Omnes illæ circundant eam, omnes ab ea salutem, quam mundo edidit, requirunt. Omnes gratiam, veritatem, gloriam, ab ea expectant. De quo iterum Bern. ser. de pentec. ait. Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negocium seculorum respiciunt: & qui in cęlo habitant: & qui habitant in inferno: qui nos præcesserũt, & nos q sumus: & q sequentur: & nati natorum: & q nascentur ab illis. Qui in cœlo vt relartiantur; q in inferno, vt eripiãtur q præcesserunt vt prophetæ fideles inueniãtur: q sequuntur vt glorificẽtur. Inter quos beata mater Helisabet cũ gaudio eius pręstolabatur aduentũ: cuius sentiens exclamabat, & prædicabat beneficiũ: ipsamq; charitatis brachijs complectens prima omnium eius summã dignitatẽ mortaliũ agnoscens verã maris stellã fore reuelauit: dũ eã dñi matrem, dñm polũ vniuersitatis casto corpore circumstantẽ publicè exclamauit. Cuius directionẽ sequentes, ac freti auxilio, ad salutis portũ perducamur: Præstante dño Iesu Christo cũ patre: & spiritu sãcto benedicto. Amẽ.

Bern.

Pars secunda huius sermonis: cur .s. dicitur stella maris: posset etiã prædicari in eius Visitatione: vt patuit.

## *IN FESTO PVRIFIcationis Virginis Mariæ. Sermo I. in ordine. V.*

IN spiritu veni in templum. Luc. 2 Adest nobis veneranda, lætabundaq; solemnitas iteratæ apparitionis dñi, & saluatoris nostri Iesu Christi pro nobis in mundũ nati. In qua eadẽ salutaris natiuitas testimoniũ accipit, & consummationem. Ipsa quippe natiuitas, q in hora partus virginei, ab angelis pastoribus pauci in terminis Bethlæem nunciatur, atq; per stellam tribus Magis in oriente declaratur: hodierno die quadragesimo .s. post natiuitatẽ, prophetico spiritu per Simeonẽ, & Annã cunctis in templo publicè prædicatur. De quo Amb. in ser. præsentis festiuitatis ita inquit. Non solum angelis, & prophetis à parentibus, & pastoribus: sed etiã à senioribus, & iustis generatio dñi accipit testimonium: omnis ętas, & vterq; sexus, euentorũq; miracula fidẽ astruunt. Virgo generat sterilis parit, mutus loquitur, Helisabet prophetat, magus adorat, vter clausus exultat, vidua cõfitet, iust⁹ expectat. Hodie nãq; ait Ber. sermone .i. hui⁹ festi. Tẽpli dñm ĩ tẽplũ dñi virgo mater induxit. Ioseph quam sistit dño nõ suũ

Luc. 2.

Amb.

Bern.

mater induxit. Ioseph quoque sistit domino non suum; sed eius filium dilectum, in quo bene sibi complacuit. Agnoscit iustus, quem expectabat. Anna quoq; vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est: quę per quatuor orbis climata solénibus gaudijs ad memoriam reuocatur. Quid mirum si hodie a veris Christi confessoribus, gratiosa oblatio iam exhibita cum gaudio celebratur: quę tantis desyderijs a sanctis patribus expectata est adhuc futura? Sicut per Malachiam prophętam dominus ait. Ecce ego mitto Angelum meum, & pręparabit viam tuam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis cap. 3. Sanctus deniq; patriarcha Dauid (de cuius semine Christus hodie in templo præsentatus processit sicut in promissione accepit: de fructu ventris tui, inquit dominus, ponam super sedem tuam) Hanc diem præuidens canticum domino in exultatione spiritus sancti, cantauit more prophetico de futuro quasi preterito dicens. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Et sanctus ille decrepitus Symeon, cuius suspiria exaudita in hoc cognouit: quoniam responsum accepit a spiritu sancto: non visurum se mortem; nisi prius videret Christum domini: eodem reuelante spiritu suscepturus dominum secundum cordis sui desyderium venit in templum. de quibus pro gratia Aue.

Malachia 3.

Primo exponenda sunt, quæ hodie commemorat ecclesia secundum tropologiam. Secundo charitatiua ammonitio subiungetur In spiritu venit in templum. Nota sunt omnibus Christi fidelibus hodiernę festiuitatis gaudia: quę recoluisse minus est vocali iubilo: nisi respondeat cordis deuotio, & operis perfectio. Omnis quippe Christi actio (vt Greg. ait) nostra est instructio. Et 1. Io. 2. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Qui namque hodie exteriori habitu nitidi, ardentibus candelis fulgidi, cantuq; sonori processioni, ac sacris interfuere officijs, sed immundi corde, & difformes peccatorum sorde. De his procul dubio sunt, de quibus per prophętam dominus ait. Dilexerũt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo. Et Esa. 29. Populus hic labijs me glorificat, cor aũt eorũ longè est a me. Et eiusdem 1. Solemnitates vestras odit anima mea. Verè dicit vestrás, non meas: vbi non colitur Deus, sed suum corpus. Quid enim charissimi iuuat corporaliter hodiernæ interfuisse processioni, si ab ea, quam ecclesia repræsentat, contingat spiritualiter excludi. In illa ait Bern. nullum locum peccator habuit, omnes iusti, omnes sancti, omnes fuere perfecti: Maria, Ioseph, Symeon, Anna Quisq; ergo eis spiritualiter iungi desyderat, a peccato primum purgari satagat: & sic mundus non in carne, sed in spiritu venire in templum festinet. Certè hoc nos matris dignissimę separatio: hoc filij instruit circũcisio prius exhibita, quam templi peterent introitum. Hinc Beda in homil. Vbi puer Iesus primo circunciditur: ac sic interpositis diebus hierosolymam cũ hostijs defertur: quia & ipse iam iuuenis prius omnem carnis corruptionem moriendo, ac resurgendo calcauit: ac deinde interpositis diebus cũm ipsa carne iam immortali, quam pro nostra salute hostiam Deo fecerat, ad gaudia supernę ciuitatis ascendit. Ita & nos non nisi purgati a scoria peccatorum, ecclesiam Dei ingrediamur. Nemo quippe nisi purgatus, ac circuncisus a vitijs, dominicis est dignus aspectibus: sicut & in illud ęternum templum nihil ingreditur coinquinatum. Apocal. 21. Vt ergo huic sacratissimę processioni interesse mereamur spiritualiter: tales esse curemus pro nostro modulo, quales illi quos commemoramus in suo. Itaq; nó solum carne, sed in spiritu veniamus in templum. Immo verius spirituale, & sanctum exibeamus nos domino templum:

Processio p tropologia exponitur.

Greg. 1. 10. 2.

Esa. 29.

Bern.

Beda.

Apoc. 21

Processioné purificationis securus quas virtutes habeat.

2. Cor. 6.

plum tales enim nos esse debere decet: Apostolus 2. Cor. 6. Vos, inquit, estis templum Dei viui. Et subdit. cap. 13. nisi reprobi forte estis. Sic enim in nobis ipsis accipere poterimus Christum. Sed audiamus, oportet, ecclesiæ exhortationem: quæ hodie omnem deuotam alloquitur animam. Adorna, ait, thalamum tuum sion i. fidelis anima: quæ specularis, quæ die, ac nocte eleuas oculos ad dominum Deum tuum donec misereatur tui, & suscipe regem Christum, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit adorauit. Adornemus ergo thalamum nostrum, ait Ber. prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt: peccata.s. per pænitentię purgationem. Ac demum inferamus virtutũ flores, in quibus delectatur, & gaudet. Quas virtutes? illas nimirum, quas processionis nostræ personæ dignissime repræsentant. Quę enim per Mariam virtus rectius, quam humilitas designatur quæ omnibus alijs tacitis de sola humilitate gloriatur. Quia respexit inquiẽs humilitatem ancillæ suæ &c. Hæc in omnibus operibus suis fulget. Hæc eã hodie tanquam si purificatione indiguisset, offerre fecit in templo: secundum legem pollutis matribus statutã. Hęc optime templum nostrum ornat, ac Deo placabile reddit, ipso dicente. Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, & quietum? Hanc facile obtinebimus, si matrem domini imitabimur. Nihil illa sibi, aut suis meritis attribuit: sed totum ad illius donum retulit, qui solus essentialiter bonus est, atq; magnus. Vnde in cantico ait. Quia fecit mihi magna, qui potẽs est q.di. Magnum est: quia virgo sum: magnum: quia mater sum: maius quia simul vtrunque sum: maximum autem, quod vnigeniti Dei, creatoris mei, plasmatoris omnium genitrix sum: nihil tamen mihi ex his adscribo, sed illius tantummodo dono. Hæc humilitas fundamentum est spiritualis edificij: ideoq; a Christo dicta est perfectissima iustitia. Sic ait Ioanni, qui eum baptizare contremuit. Sine modo: sic enim adimplere nos decet omnem iustitiã. Glo. i. humilitatem: quæ est omnis iustitia. Est autem perfecta iustitia, alteri, quod suum est, dare, & alienum non cõcupiscere. Hoc perfectè facit humilitas. Nam qui verè humilis est, corde sentit. & ore profitetur: quod omne bonum, quod habet a Deo accepit: sicut ait Apostolus. Deus operatur omnia in omnibus 1. Cor. 12. & Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis domine. Neq; pro his honorem acceptat, aut laudem: sed tanquam alienum & sibi indebitum refutat: sciens quia pro alieno bono nulla sibi est gloria referẽda: omnem ergo gloriam Deo tribuit, dicens cum Apostolo. Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo laus, honor & gloria. Et illud psalmi. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Bern.

Maria docet humilitatẽ

Glo.

1. Co. 12. Esa. 26.

Psal. 113

Ne autem indiscretam humilitatem vitiet pusillanimitas, quo minus audeat assurgere ad magna perfectionis opera habeat Maria sponsum Ioseph. i. humilitas sociam fortitudinem. Ioseph ei ac crescens interpretatur: & fortitudo est, quæ facit crescere in bonis. Nam vt ait Sene. in prou. Cito deficit animus, si nõ fuerit in bonis fortis, & magnanimus. Hæc enim est, vt ait Bern quæ semper de die in diem robustior: esuriem, & sitim iustitiæ in thalamo sion accendit: facitq; bonis non succumbere, sed confidenter cum Apostolo dicere. Omnia possum in eo, qui me confortat.

Ioseph docet nos fortitudinẽ pro processione.

Seneca

Ne deniq; sub specie fortitudinis se palliet præsumptio adsit senex ille Symeon, quem Dei timor commendat. Nam homo iustus erat, & timoratus. Dei timor verus est: quia virtutum prima, & sapiẽtiæ, initium secundum prophętam: de quo idem ait. Seruite domino in timore: & exultate ei cum tremore. vt timor auferat securitatem noxiã, & exultatio mortiferam tristitiam: nihil omnino in nobis confidamus. Sed cum fecerimus cuncta, quæ præcepta sunt, dicamus. Serui inutiles sumus. Luc. 17. Sic enim qui timet, nihil negligit.

Luc. 17. Eccl. 1.

git. Eccle. 7. Bonum est hoc ornamētū thalami filiæ sion: quia timor domini gloria est, & corona exultationis. Eccl. 1

Et quia hæc thalami ornamenta nō sufficit applicuisse, nisi in finem conser uentur (quia non qui incipit, sed qui in finē perseuerauerit, hic saluus erit. Mat. 10.) Adsit ergo & longeuæ ætatis Anna a mundi vanis consolationibus viduata: quæ diebus, ac noctibus non discedebat a templo, ieiuniis vacans, & orationibus. Ipsa videlicet perseuerantia, per quam in opere mandatorū Dei veterascamus, secundum consiliū Sapientis. Eccle. 11. Hæc enim sola cęteras omnes virtutes coronat: secundum illud Apocal. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Sic itaq; bonum faciendo non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes. ad Gala. 6. Exemplo agricolæ in labore perseuerantis vsque dum fructus percipitur. Iac. 5. Ideoque nos hortatur Ioan. in 2. canon. Videte vosmet ipsos: ne perdatis, quæ operati estis sed vt mercedem plenam recipiatis. Sequitur. qui manet in doctrina Christi, patrem, & filium habet.

Anna docet perseuerātiā. Matt. 10 Eccl. 11. Apoc. 2. Gal. 6. Iac. 5. Ioan. 2.

His cortinis si thalamum nostrum adornatum fuerit, Christum suscipiemus. Quem si nobis placuerit conseruare: cum virgine cum oblatione turturum, ac columbarum redimere curemus. Obtulit virgo (nō ꝓ sua purificatione sicut cęteræ mulieres) sed in exēplū imitatiōis. Obtulit aūt par turturū ac duos pullos columbarū. Plane sancta oblatio, & Virgini bene conueniens, & filio, atque nobis. Obtulit enim sine intermissione seipsam turturem. Propter geminam animæ, corporisque castitatem columbarum simplicitatem: intus in oculo mentis, & exterius verbo, & opere. Ioan. De ipsa scribitur in Canticis. Pulchrę sunt genæ tuæ sicut turturis. Et iterum. Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Hinc Beda: Genas turturis habet, quæ ab omni pudicitiæ peste mundam se custodit, & immunem. Oculos habet columbarum, quæ nulli nocere desyderās: etiam inimicos simplici amore contuetur. Vtraq; etiam auis pro cantu gemitum edere solet: sed nemo plus Virgine ingemuit: cuius (vt Symeon ait) animam doloris gladius pertransiuit. Conuenit & filio: quoniam oblatio pauperum erat: ipse autem pro nobis pauper factus est: dicente Apost. 2. Cor. 8. Factus est propter nos egenus: cum esset diues; vt illius inopia vos diuites essetis. Conueniat & nobis; vt & nos geminam pudicitiam, ac simplicitatem, qua puro, ac impermixto amore Deum quæramus, mente habeamus, honoremus & opere: quia nimirum simplex, & pudica fidelium conuersatio: gratum est illi sacrificium iustitiæ: ait Beda. Nec tamen vtriusq; gemitum abijciamus quia secundum eundem, qui laborat in gemitu suo: qui stratum suum singulis noctibus lachrymis abluit; acceptissimam pro Deo victimam mactat. Hæc si offeramus: haud dubium; quin susceptum in templo dominum retinebimus. Sic sic faciunt, qui nedū in spiritu in templū veniunt: sed in eodem spiritu inibi perseuerant. Et tantū de primo.

Beda 2. Cor. 8. Beda.

Venit hodie Symeon iustus, & timoratus in spiritu in templum: ac misericordiam in medio templi suscepit. Suscepit, inquam, senex puerum in vlnas suas: & benedicens dominum, se in pace dimitti desyderabat: quoniam viderunt oculi eius salutare Dei: immo & salutare suum. Et ecce in medio templi huius, idem dominus: non modo puerulus in virgineis gestatus brachijs, sed iam gloriosus super omnes cęlos exaltatus: ad dextram residens summi patris: iamiamq; venturus iudex iustissimus viuorum, & mortuorum, corporaliter nobis præsentatur in Eucharistiæ sacramento: vbi eum videmus oculo fidei non corporali: sicut nec illi puerum videntes Deum corporalibus intuiti sunt oculis: sed vt Aug. ait in ser. intus est reuelatus qui foris est natus. In manus suas Symeon infirmitatem accepit, sed maiestatem intus agnouit. In medio itaq; templi (ait Ber. ser. 1.) misericor-

Aug. Bern.

ricordia in communi posita est: offertur omnibus:& nemo illius est expers, nisi qui renuit. Sed heu non omnes suscipiunt: multi in medio tēpli renuūt misericordiam,& suscipiunt perpetuæ maledictionis miseriam. Quare hoc? quia non veniunt in templum in spiritu sancto ad dominum benedicendū: sed in carne in spiritu maligno ad dominum offendendum. Vnde Orig. Qui vult tenere, & amplexari Christum Iesum, debet venire in templum in spiritu sancto.i.ductu, & instinctu spiritus sancti: non in spiritu superbiæ: sicut ambitiosi: qui sibi vsurpant dignitates ecclesiasticas. Non in spiritu inanis gloriç: quemadmodum qui se ornant: vt appareant hominibus. Non in spiritu simulationis: sicut hypocrytæ, vt laudentur à videntibus. Non in spiritu luxuriæ vt concupiscantur ab incontinentibus. Non in spiritu vanitatis: vt solatia quærant in clamoribus, ac inqetis discursibus: quomodo hodie visi sūt plurimi in hoc templum venisse. Reuera timendum in nobis terribilem illam prophetiæ partem complexi, quam Symeon veniens in spiritu in templo prophetauit. Ait inquam. Hic erit in ruinam multorum: & in signum, cui contradicetur. Vere, qui venit præstare misericordiam, & omnes saluos facere, positus est in ruinā in medio templi sui: quoniam ibi plus omnibus locis sibi contradicitur ab impudicis solo nomine christianis. Templum salutis, in quo peccata plangenda sunt, misericordia impetranda, versum est nobis in foueā damnationis. Quoties à corruptis vestris moribus, quibus domum domini: immo dominum domus blasphematis. A multis prædicatoribus vocati estis: quotiens vobis grauitas, & multiplicitas mortalium peccatorum in vestris murmurationibus, ac strepitibus commissorum aperta est. Nec tamen vsque hodie emolliti estis: vt detestabili hac corruptela cessaretis Reuera longè vobis melius esset misericordiā Dei nū quā in tēplo præsentatam: nunquam à vobis vitā veritatis fuisse agnitā. Audiatis qd Beda ad propositū dicat. Infelix satis est, q agnita resurrectionis gloria deterius cadit: qui visa luce veritatis grauioribus peccatorū nebulis obcecatur: quia secundū Petri sententiā, melius eis erat viā veritatis nō agnos. quā post ag. retor. cōuer. ab eo, qd traditum est illis sancto mādato 2.Pe.2. Cur charissimi salutis nostrę auctorē, signū vobis statuitis: cui temere contradicitis? Cōtradicit huic signo à paganis, & iudęis, sed q grauius est à falsis christianis. Hoc quidā signū professionis superficie sequūtur: sed veritate prauę actionis, nimiū persequūtur. Dicunt se nosse Deū, factis autem negāt. Vellē scire, in quo vos tā benignus dñs offēderit: quoniā eū tanta seueritate in ꝓpria domo ꝑsequimini? Nūquid in eo q relinquēs 99. oues, omnes Angelorū choros: ouē perditā vestrā naturā assumēs, seipsum exinaniēdo quęsiuit? Nunqd in eo offēdit qd 33. annis labores & cōtumelias sustulit vt vos redimeret quos vno die crearat? Nūquid in eo offendit: qa toto corpore vulneratus, ꝓprio sanguine à peccatis lauit: ac amarissima morte à seruitute diaboli redemit? Aut forte: qa tā lōganimiter vsq; ad hāc horā ad pęnitentiā vos expectauit: & non in peccato protinus (sicut in veteri testamento facere consueuit) damnauit? Hæccine reddis domino popule stulte, & insipiēs: nunquid non ipse est pater tuus: qui possedit te, qui fecit, & creauit te? Deut.32. Nemo ita vilis, ita pauper, ita exosus, quin in domo sua quiescat ab aliorum offensa. Non satis est vobis die, noctuq; eū in domibus vestris offendere: nisi & hunc in domo propria affligatis. Quis vestrūm patienter ferret: si stercus, & immunditia in thalamum suum, aut cęnaculum mitteretur? Et quomodo Deo tantam irrogatis iniuriam: quam nemo seruo suo irrogari permitteret, vt in cænaculum domini: vbi præciosissimus cibus sumitur, pessimorum, ac fœdorum colloquiorum: venereorum consiliorum stercora, proterua ceruicę infertis: ac domini solemnitates cō

tami-

Origines.

Beda.

2. Pet.2.

Deut.32

taminatis? Quod & ipse per prophetam conqueritur simul, & comminatur. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. Malach. 2. Eia charissimi, nolite frustra decipi, nolite obdurare corda vestra ad verbũ Dei. Ecce misericordia in medio templi est, suscipite eam, nolite esse de his, de quibus ait Bern. Misericordia in medio templi est, nec tamen accedunt, quorum manet æterna damnatio. Medius vestrum stat; ô miseri, quem vos nescitis: vt morientes antequam videatis Christum domini, non in pace dimittamini, sed potius rapiamini à rugientibus præparatis ad escam. Quo contra, qui vult in pace dimitti, conetur esse Symeon: qui audiens tristia interpretatur: vt quam horrendum, quam triste sit incidere in manus domini, intenta mente perscrutetur: veniat in templum in spiritu sancto, non maligno. Verbum Dei nedum audiat, sed in manibus portet, idest opere audiat, compleat, amplectetur puerum brachijs fidei, & charitatis. Gaudeat de Christo Christi adepto consortio: cupiat indesinenter mori seculo, & viuere Christo. Sic enim non damnationem, sed salutem æternam merebitur, qui sic in spiritu venit in templum. Quam nobis præstare dignetur pro nobis in templo oblatus, Christus Iesus cum patre, & spiritu sancto in secula benedictus. Amen.

Malach. 2.

Bern.

## IN FESTO PVRIFIcationis Mariæ Sermo I I. in ordine. V I.

Ps. 47. Dei misericordia suscipitur .i. purificationis.

SVSCEPIMVS Deus misericordiam tuam in medio templi tui psal. 47.

Quamuis misericordia domini (propheta teste) plena est terra: immo omnis creatura: qua nisi facturæ suę infirma sustentaret: citius rediret in nihilum, quicquid ad esse de nihilo misericorditer est vocatum. In hodierna tamen, & solemnissima festiuitate plenius, singulariusq; misericordiam, Dei suscepimus, quo misericordia dudum inuisibilis a patribus adorata, se visibilem immo, & palpabilem: quia carnem in virgine factam in medio tépli misericordiam expectantibus declarauit. Quæ manifestatio tanto gratiosior, atq; adorationis cultu dignior censetur, quo à dignioribus, & in loco digniori facta, nec non & à pluribus agnita prædicatur. Nato siquidem in terris cęlorum domino: manifestatus est in ipsa hora pastoribus. Manifestatus est iterum die. 13. Magis. Die vero 40. manifestatus est ceteris fidelibus. Sed in prima: Angelus nunciauit. In secunda, stella declarauit. In tertia virgo mater præsentauit, & spiritusſanctus per os Symeonis, & Annæ prædicauit. In istis pauci conuenerunt, pastores pauci: magi pauci. In hodierna plurimis innotuit: quia in medio templi, quo fidelis congregatur populus, in superbia nostræ carnis vnigenitus patris manifestus apparuit. Et de illo loquebatur spiritussanctus per os Symeonis, & Annæ omnibus, qui expectabant redemptionem israel. Lu. 2. In prima agnit⁹ est inter animalia in præsepio, piorum velut cibus iumentorũ. In altera adoratus est in stabulo tanquam humiliatio superborum. In hodierna præsentatus est in templi medio: quasi sacrificium saluandorũ. Vnde si huius, & illius commemorationē venerando egimus: dignum est, vt & hodiernam non dispari cultu exultantibus animis recolamus. Quam sanctus propheta Dauid de cuius semine ipse, qui manifestatus est, noscitur processisse, videre desyderans, atq; in spiritu præuidens gauisus est, & præ gaudio cecinit in exultatione spiritus sui di. Suscepimus Deus mi. t. in me. te. tui. De quibus pro gratia Aue Maria.

Luc. 2.

Primo tractabuntur verba hæc ad literam Secundo per tropologiam. Nouerunt sancti patres multam, magnamq; humanæ conditionis miseriam, quã peccando incidit: nam vt declarat venerabilis Hugo in de triplici holocausto.

Homo peccãdo geminã, incurrit captiuitatem.

Hugo. tio. Geminam homo captiuitatem peccando incurrit: & geminam dignitatẽ amisit. Sponte siquidem subditus culpæ, inuitus addictus est penæ. Perdidit quoque stabilitatem gratiæ, & perpetuitatem gloriæ. Gratia enim & gloria nudatus homo, volens, nolensq; subseruit peccato, subijciturq; flagello. Qui nanq; gratiam quæ lex est libertatis sponte peccando deseruit, legem peccati necessario incidit. Propter quod

Rom. 7. Apostolus ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis. Legem peccati vocans fomitem, siue tyrannum carnis ad peccatum inclinantis. Cuius inclinationi in omnibus resistere, aut impossibile est, aut difficillimum, nisi per gratiam liberantem, vt

Mag. tractat Magister dist. 25. lib. 2. ex ver

Aug. bis Aug. in Enchiri. dicentis. Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum liberum arbitrium perdidit, non simpliciter, sed à miseria, & à peccato. De flagello, siue pena, quam ex peccato etiam in præsenti sustinet,

Iob. 13. loquitur Iob. c. 13. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Geminam ergo captiuitatẽ ex Adam, culpæ, & penæ nascendo contrahimus. Et perditam duplicem dignitatem: stabilitatem videlicet gratiæ, & perpetuitatem gloriæ in præsenti vita consequi, & in futura recuperare ex nobis non valemus. Sperabant nihilominus exhibendam misericordiam plenius, quam iam aliquatenus in promissione fuerant consecuti. Dum enim per fidem adhærserunt futuro, promissoq; saluatori, iam ex merito eius vt præuiso gratiam acceperunt, per quam à peccato liberati, & natura confortati, peccatum vitare poterant; atq; mereri vt statim consequerentur in ingressu sequentis vitæ: plenam emancipationem à culpa: sed non à pena confirmationem, siue stabilitatem in gratia: sed non sublimationem in gloria. Nam animæ patrum vete. testa. quantunicunq; Deo placuerunt in vita præsenti, in depositione corporis mox à seruitute culpæ liberatæ: ac in gratia confirmatæ: nec penam euadere, nec gloriam valebant consequi: quia patiebantur exilium, & inferni carcerem: nec admittebantur ad gaudia donec veniens, atq; secundum promissionem visitans per viscera misericordiæ Dei nostri oriens ex alto illuminaret, his qui in tenebris, & in vmbra mortis sederunt: atq; pedes eorum in viam pacis æternæ derigeret. Soluto per eum prætio, aperto cęlo, ac sublato omni gloriæ impedimento.

Huic promissioni, ac exhibendæ plenissimæ misericordiæ, vetustus sacrificiorum ritus: Moysis tabernaculum, Salomonis templum, & omnis oblationum varietas, ceremoniarumq; apparatus attestabantur. Propter quod patres certi quidem de promissione exultauerunt in spe. Sed quoniam spes, quę differtur affligit animum. Prouer. 13. Gemere pro dilatione non cessabant infatigabiliter pro re qnam sperabant lachrymis, & suspirijs exorãtes. Quod de patre nostro Abraam, cui primo facta est promissio q de semine suo incarnandus erat: hæc patris misericordia ipsa, quam hodie suscepimus contestatur. Ioann. 8. ita dicens iudæis. Ioan. 8. Abraam pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, scilicet in promissione, & spe certa: & gauisus est. Quod etiam Abraam dum seminis sui multiplicationem, in semine vno, quod est Christus, primum accepisset: ac futuram terræ promissionis possessionem, suo sacrificio, quod ex domini institutione obtulit, designauit: vt habetur Gen. 15. Gen. 15. Obtulit enim vacam in signũ obedientiæ. Capram in testimonium abiectionis voluntariæ, & arietem in argumentum mansuetudinis: animalia oblata trina fuere: quæ & diuisa in partes hinc, & hinc, alterinsecus collocatas obtulit: aues autem non diuisit: sed & zelose his tribus, quibus venire

Misericordiam Dei exhibendã vetustus ritus sacrificat testabatur.

aire oportet ad promissam misericordiam: eo ꝙ per hæc bene ordinamur, ad Deum nos ipsos, & ad proximum: addidit ad nostrum propositum, oblatioñe turturis, & columbæ. In penna volucrum: quæ ad alta subleuat: & in vastissimo aere suspendit: spes æternorum designatur, & confidentia. In gemitu vero, quem habent pro cantu, affligens, clamansq; desyderium importatur. Certè itaq; sperauit Abraam se statim post hanc vitam merito, & misericordia venturi saluatoris liberandum à culpa, confirmandum in gratia: ideo turturem soliuagum, & columbam gregatim volantem obtulit: in signum duplicis desyderij: quorum alterum ex timore mali: alterum ex amore boni nascebatur. Siquidem turtur solitudinem diligens: & soliuagus incedens timoris, qui semper diuerticula quærit, formam gerit. Columba gregatim volans dilectionem ostendit: quæ corda semper conciliat: & in vnā pacis concordiam ligat.

Abraam quid sperauerit.

Ille deniq; iustus senex & timoratus sed patrum vt limes, & nouissimus sciens: quia tempus prope erat, quo misericordiam suam pater misericors effunderet: corpore mortuus, sola spe viuebat: qui redemptionem israel expectabat: sed cruciabatur desyderio, & timore: ne fortè eum superstitem summa ista misericordia non inueniret: vnde vt in sermo. Aug. ait: quotidie in orationibus suis desyderans, & suspirans ait. Quando veniet? quando nascetur? putas durabo? putas hic me inueniet? putas isti oculi videbunt, per quem oculi cordis reuelabuntur? & pro desyderio suo accepit responsum à spiritu sancto: ꝙ non gustaret mortem, nisi videret oculis carnis Christum domini vnctum oleo misericordiæ: immo ipsam misericordiam patris. Venit tandem dies expectatus: dies flagranti desyderio optatus: dies hodiernus: & vidit, suscepit, cōtrectauit, atq; in vlnis proprijs gestauit in medio templi: misericordiam totius miseriæ ablatiuā. Nam referente Luca, Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi: id est quadraginta dies à partu: ipsa die quadragesima .i. hodierna: induxerunt puerum Iesum in templum: vt facerent secundum consuetudinem legis: offerentes, scilicet pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. Quem Simeon in spiritu veniens in templum suscepit in vlnas suas dominum benedicens.

Vaticinia prophetarū de aduētu Christi.

Aug.

Ecce præsentata est, & suscepta hodie in medio templi dominus, patris misericordiæ, salus nostra. Et qui prius templum sanctificauit inuisibiliter in nube diuina, responsa seruis suis insinuauit: hodie in templo visibiliter apparuit: summoq; honore sua corporali præsentia glorificauit: atq; suorum prophetarum vaticinia consummauit. Hoc enim prædixerat Aggeus cap. 2. Hæc dicit dominus exercituum: Adhuc modicum, & ego mouebo cęlum & terram, mare, & aridam: & mouebo omnes gentes: & veniet desyderatus cunctis gentibus, & sequitur. Magna erit gloria domus illius nouissimę magis quam primæ. Mouit, motu cuiusdam innouationis: pater in filij sui temporali natiuitate, cœlum noui syderis illustratione. Terram, terræmotu magno: vt scribit Iosephus li. 1. de iudaico bello: etiam noui luminis, & angelici exercitus apparitione gloriam Deo cantantis. Omnes gētes orbis descriptione: vt dicit Luc. ca. 2. Veniensq; desyderatus cunctis gentibus magna gloria sublimauit domū nouissimam, per Zorobabel, & Esdram reædificatam: longè magis, quam primam domum: templum .s. per Salomonem constructum: eo ꝙ in prima venerabantur arca domini, & propitiatorium: atq; dominus figuris, signis, & nube. In secunda vero adoratur hodie corporaliter visibilis in veritate, Malachias quoq; propheta ca. 3. prælatus est. Ecce mitto angelum meum: & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis.

Maria virgo nō indiguit purgatione.

Aggeus.

Ioseph.

Luc. 2.

Malach. 3.

An-

Angelus ille missus ante faciem domi
Mat. 11. ni Ioãnes Baptista fuit, sicut Christus testatur Matt. 11. dicens. Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præ pa. vi. tu. an.te. Dicitur autem & ipse
Hier. 31 dominus angelus testamenti, quia annunciator, & institutor fuit noui testamenti, vt prædixit Hiere. 31.

Venit itaq; misericordia Dei in templum suum, non sola, quamuis sola saluare sufficiat: sed & vt effluat, vndiq;, adiuncta est comitiua tanto principi digna processio pulcherrima Maria, & Ioseph, hanc misericordiam patris introducunt, præsentant, offerunt Symeon, & Anna. Suscipiunt, denunciant, prædicant omnes sancti, omnes iusti, omnes virtutum floribus per ornati, vtrobiq; geminatus sexus, sed ætas dispar. Iuniores offerunt, suscipiunt seniores, vt non sint, qui à tantæ solemnitatis gaudiis excludantur.

Nemo saluatorem Iesum se suscepturum diffidat, dum nullum statum exclusisse in suo aduentu cernit. Paucæ quidem personæ, sed omnium statuum repræsentatiuæ. Habent Virgi
Hier. nes vtriusq; sexus Mariam, & Ioseph, vtrasq; Virgines, vt probat Hierony. contra Heluidium. Habent, & coniugati eosdem: coniuges quidem veros, sed nequaquam in concupiscentia carnis iunctos Habent senes Symeonem, & Annam, sed singulari consolatione habebũt puerperæ puerperã Mariam, maculas suas purgantem.

Quippe virgo puerpera nulla purgatione indiguit, quæ mentis, corporis q; maculam ignorauit. Siquidem teste venerabili Hugone in de triplici holoca. Ad momentaneum dexteræ saluatoris tactum, leprosus mundatur, ad tactum fimbriæ sanata est illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur. Quanto magis illam ab omni contagione mentis, & corporis mundari oportuit, quæ tamdiu totum in vtero, totiens totum in gremio circumplexa fouit, quæ illius (vt sic dicatur) medelæ plenitudinem modo intus infusum, modo exterius adhibitam sufficienter habuit. Illius, in quam, medelæ quæ tollendis omnibus omnium mortalium morbis satis est, & supra quam sufficere possit. Nihilominus secundum legis consuetudinem pro peccato obtulit, quod vtiq; vanum, & sine effectu esse non potuit, igitur peccata deluit, & non sua, quæ nulla fuerunt. Earum ergo puerperarum .s. quarum morem offerendo tenuit, sicut & filius eius non pro se, sed pro nobis oblatio esse voluit. Habent demum omnes senes eum iunioribus puerum Iesum saluatorem, & redemptorem: si tamen eius studuerint habere conformitatem, ipso teste, qui ait: Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. 18. Habent qui Mat. 18.
dem eum in medio templi oblatum, omnem humanæ, conditionis miseriam auferentem, omnem amissãm dignitatem restituentem, quod oblatio Virginis matris: quibus filium redimens in persona totius humani generis obtulit, designauit. Non enim vnum turturem, vnamue columbam sicut pater eius Abraam obtulit, sed par turturum, aut duos pullos columbarum, vt nos doceret spe constanti, & desyderio feruenti ad futura anhelare, consecuturi statim post exitum animæ geminam liberationem à duplici captiuitate culpæ penæ, atq; dignitatem geminam, stabilitatem gratiæ, & eternitatem gloriæ, quam præparauit misericorditer, & omnia impedimenta abstulit benedictus filius eius hodie in templo præsentatus. Quapropter omnes exultemus gaudentes, & gratias referentes, canentes domino voce celebri. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio tuam in medio templi tui. Et tantum de primo &c.

Præparata est misericordia Dei in medio templi sui, nostrum erit hanc suscipere, vt ad effectum eius tam gloriosum, mereamur peruenire, quoniam si hanc refutabimus: si non suscipimus, nihil nobis pro-
dest,

dest: immo grauiter obest oblata patris misericordia à nobis ingratissimis contempta. Audiemus in perpetuã nostri confusionem cum maledicto Iuda: Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. ps. 108. Quo ergo suscipiemus: & quomodo? Certè ni fallar, in medium templi sui suscipiendus est. Sic enim suscepisse se gloriatur propheta. Suscepimus (inquit) Deus mi. tu. in me. tem. tui Templum domini multo nobilius longeq; domino dilectius anima fidelis est, propter quod Apostolus ait. 2. Cor. 6. Vos estis templum Dei viui. Et 2. ad Cor. 13. An non cognoscitis vosmet ipsos: quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis? Ipsa deniq; anima nostra thalamus est, in quo suscipiendus est Christus: sicut adhortatur ecclesia. Adorna thalamum tuum sion, & suscipe regem Christum: quem virgo concepit, virgo peperit: virgo post partum, quem genuit, adorauit.

Psa. 108

2. Cor. 6

2. Cor. 12.

In huius siue templi, siue thalami medio suscipiendus est Christus. Habet enim hoc templum, extrema, principium, scilicet & finem. Habet & medium. Non autem in principio, aut fine huius templi, sed medio digne, & vtiliter suscipitur Christus. Sunt .n. qui habent in principio. Sunt, qui in termino huius templi Christum suscipere laborant: sed frustra: quoniam extrema refugit, medio delectatur. Siquidem mediator est Dei, & hominum homo Christus Iesus. Aug. super Ioa. medium semper tenuit. Natus, in medio duorum animalium est agnitus. In medio doctorum à matre inuentus. In medio Moysi, & Heliæ clarificatus. In medio terræ conuersatus. In medio latronum crucifixus. In medio discipulorum resurgens est visus. In medio cõgregatorum, in suo nomine se futurum est pollicitus. In medio bonorum, & malorum à dexteris, & sinistris locandorum est iudicaturus. Licet autẽ anima nostra indiuisibilis est secundum essentiam: diuisionem tamen patitur quantum ad potentias, & operationes, in quibus inuenire est principium, medium, atq; finem. Principium intellectus accipitur siue ratio: aut generalis potentia cognitiua. Hæc enim prior est in operatione sua. Omnis nanq; humana operatio, vel est cognitio, aut cognitionem præsuponit. Operatio enim, quæ sine cognitione fieret, humana non diceretur. Medium verò animæ appetitus est, vel voluntas, qui cognitionem sequitur. Incognitum enim nõ amatur: & ita nec oditur. 10. de trinitate. Finis autem potentia executius, siue operatio intelligitur quæ prærequirit cognitionem dirigentem, & voluntatem imperantem.

Miseri cordia dei licet inuisibi lis intrin secus est quoad operatio nem.

Aug.

Plurimi ergo sed frustra laborant suscipere Christum in templi sui præsentiam .i. in cognitionem tantum. Tales magnipendunt, si subtilia, si singularia, si rara de Christo intelligant, & loqui sciant. Quoniam pleriq; multis laboribus: studio etiam theologico insudant, prædicationes diligenter aduertunt, de Deo disputant, conferunt, & ad exquirendas occultas virtutes operam non modicè impendunt. Non quidem vt veritati agnitæ viuant: sed vt intellectum pascant: vt naturale desyderium ad scire satient, & nonnunquã vt scioli ab aliis reputati venerentur. Sed non sic suscipitur Christus sapientia patris. Nam cum simplicibus sermocinatio eius Prou. 3. Duplices animo sunt, qui aliud intelligere, & aliud volunt viuere. Non autem scrutator maiestatis: sed qui continens est iustitiæ apprehendet eam Eccl. 15. Nouit hoc callidissimus serpens: ideo primis parentibus scientiam promisit, & ad sciendum allexit dicens: Eritis sicut, dij scientes bonum, & malum Gen. 3. sciens quia non scientiæ appetitus sed iustitiæ, hominem vnit Deo. De quo multa pulchra loquitur Bern. ser. 4. & 5. super Esaiam, & ser. 4. de ascensione. De tali scientia loquitur philo. in Ethic. ca. 4. Scire inquam, parum, vel nihil prodest ad virtutem: quia non vt sciamus, scrutamur, quid sit virtus, sed vt

Prou. 3.

Homines quia duplici animo sunt.

Eccl. 15.

Gen. 3.

Bern.

vt boni simus. Talibus etiam, qui sic querunt cognitione tantum suscipere
Eth. 4. Christum, loquitur apostolus Rom. 1. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: aut gratias ege
Rom. 1. runt: sed euanuerunt in cogitationibus suis: obscuratum est insipiens cor eo-
Esa. 58. rum. Et dominus per Esa. ait cap. 58. Me etenim de die in diem quærunt, & vias meas scire volunt. Et sequitur: In die Ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra q. d. Scire volunt me, & vias meas: sed non se mihi subijcere: non suam voluntatem mihi offerre. Vnde cum etiã ieiunant .i. ad opera procedunt: adhuc inuenitur voluntas non mea, sed sua in eis.

Sunt similiter qui Christum misericordiam patris in fine templi suscipere conantur, qui multa bona de genere operantur: sed non recta intentione: quoniam vel vt videantur, & ab hominibus laudentur: sicut superbi, vaneglo riosi, & hypocritæ: quibus improperat
Matt. 6. dominus Mat. 6. q cum elemosynam dare dispofuerunt: tuba cecinerunt: in plateis, & angulis orabant: ieiunijs facies exterminabant, vt viderētur ab hominibus. Omnia enim sua faciunt, vt videantur ab hominibus: vel vt inde commodum temporale ab hominibus consequantur. Sicut auari: qui (vt de
Mat. 23. quibusdam Christus ait Matt. 23.) comederunt domos viduarum obtentu longæ orationis. Sicut deniq; luxuriosi, qui sanctitatem foris in operibus simulant, vt mulierculas facilius decipi-
2. Tim. 3 ant: de quibus apostolus. 2. ad Tim. 3. postquam notauerat eos, qui pietatis speciem in operibus prætulerunt: virtutem autem eius in intentione abnegarunt, addidit. Ex eis sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, vel vt à Deo bona temporalia, vel etiam æterna consequantur: non Deũ sed seipsos tantum amantes: & ita, quæ sua sunt tantum, non quæ Iesu Christi quærentes
Phil. 2. tes Phil. 2. Charitas autem non quæ
1. Cor. 3. sua sunt, quærit. 1. Cor. 3. Vel timore confusionis, & penæ: ne scilicet à ceteris christianis tanquam in fide suspecti si ceteris in sacramentorum participatione: ac mandatorum obseruantia penitus non communicarent, arguerentur: ac confusi punirentur: aut etiam ne tandem morte præuenti: ac damnati, penas gehennæ experiantur. De quibus beatus Grego. 1. moralium ait Greg.
Qui solo timore penæ bona agit: nondum funditus à malo recedit. Eoipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. Vel tandem sola consuetudine ductus: bona agit sua, vel aliorum nulla charitatis deuotione: aut honoris diuini contemplatione. De quibus in Apoc. 3. spiritus ait: Vtinam calidus Apoc. 3.
esses, aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Nec mirum si sic bona operantes, misericordiam patris, quam in fine templi (vt dictum est) suscipere nituntur; non suscipiunt, sed ab ea repellentur. Cum etiam qui ex aliqua dictarum causarũ prophetarunt, demones eiecerunt, & virtutes multas operanti sunt: in die iudicij à domino audient: Nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem Matt. 7. Matt. 2.

Non ergo in principio nostri templi, aut fine .i. in cognitione tantum: aut exteriori opere tantum: sed in medio templi .i. appetitu, & voluntate suscipiendus est Christus: misericordia patris: hodie in medio templi præsentatus. Hanc quippe in nobis dominus sedem requirit: hanc semper misericordia sua possidere delectatur Hinc ait: Præbe fili cor tuum mihi: Prouerbiorum. 23. Cordis nomine voluntas, quæ principalior est inter animæ potẽtias, ceteras regens, eisq; imperans. secundum scripturę consuetissimum morẽ accipitur. Et sicut cęteris mẽbris corporis cor primo viuens, vltimo moriẽs vitam ministrat: ita voluntas primo viuit vita spiritus: ipsamq; vitam toti animæ influit. Siquidem vita animæ amor est: ait Hugo de arra animæ: Amo Hugo.
ris sedes voluntas. Hinc Eccl. 37. dicitur: Omni custodia serua cor tuum: Eccl. 37.
quia ex ipso vita procedit. Nam ex cor

de oriuntur bonum, & malum, vita, & mors. Eccl. 37. Quoniam per solam voluntatis intentionem omnia nostra bona sunt, aut mala. Quod clarem dominus Matt. 6. docuit: Si oculus tuus simplex fuerit totũ corpus lucidũ erit. Si autem nequam, tenebrosum totum. Oculum voluntatis intentionem ordinantem in finem dicit secundum bea. Aug. in de sermone domini in mõte li. 2. In medio ergo sui templi dominum suscipit: qui tota voluntate, toto desyderio, tota intentione domino adhæret: dominum propter Deum amãdo, & omnes animæ suæ partes siue potentias, & operationem purè, & simpliciter in eum dirigendo. Hæc voluntas est reclinatorium illud aureum media charitate constratum: quo vehi vult Salomon ille pacificus, qui inimicitias inter Deum, & hominem sustulit: pacem perditam restaurauit. Nam sicut intellectui argentum: ita aurum proportionatur voluntati: sed & Io. 14. pollicetur dominus se cum eo, qui eum diligit mansionem facturum. Sic itaq; secundum Bern. ser. 1. huius festi: in corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus, in corde loquitur pacẽ in plebem suam, & super sanctos suos: & in eos, qui conuertuntur ad cor. Et omnia hæc tam quo ad principium, medium quam finem satis tangit apost. 1 Cor. 13. vbi solam fidem, & prophetiã quo ad intellectum, & elemosynarum distributionem, ac corporis incinerationem quo ad potentiam executiuam nihil esse docet: nisi charitate voluntas informetur, qua diuina misericordia suscipitur. Hanc itaq; voluntatem nostram tanquam templi nostri medium adornemus: vt per eam patris misericordiam de Mariç manibus suscepisse gaudeamus: ac cum propheta gratias referre possimus: ac canere corde hilari. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Ipso præstãte, qui viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

(Matt. 16 — Aug. — Ioan. 14 — Bern. — 1. Cor.)

## *IN FESTO PVRIFIcationis Mariç. Sermo. III. in ordine. VII.*

AVE. Lucæ. 1.

Gratias redemptori nostro, ait Bern. ser. 2. de hac festi. qui tam copiose præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, infantiæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulo ante natiuitate, Circuncisione, apparitione eius festis: hodie nobis oblationis eius dies illuxit. Hodie namq; sistitur creatori fructus terræ sublimis: hodie placabilis, & Deo placẽs hostia virginçis manibus offertur in templo, portatur à parentibus Ioseph, & Maria sacrificium matutinum. Symeon, Anna suscipiunt senes, & iusti, expectantes consolationem Israel. Non .i. solum ait Amb. super Lucam ab angelis & prophetis: à pastoribus, & parentibus, sed etiam à senioribus, & iustis generatio domini accepit testimoniũ, omnis ætas vterq; sexus, euentorumq; miracula fidem astruunt, prophetauit Symeoni, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo, debuit etiam vidua (ne qua deesset professio, aut sexus) de domino prophetare. Omnium horum festiua hodie colitur memoria: sed eius maxime, quæ excellentissimam hanc oblationem, benedictũ ventris sui fructum sine væ corruptionis, & doloris peperit: virgo illibata manens post partum, pro nostra purgatione in templo cœlesti patri obtulit, non habens ue cuiuslibet criminis, & immunditiæ in se quomodolibet purgandum, legi pollutis statutę matribus paruit: ab omni ue legalis obligationis liberrima: publicum nobis præbens obedientiæ exemplum. Sed quoties charissimi de hac gloriosissima intemerataq; Virgine Dei genitrice Maria: vestris dilectionibus loqui festorum compellit solemnitas, exultat quidem in gaudio animus, sed deficit loquendi virtus. Hæc nempe est quæ singularem in cordibus omnium nostrum

(Luc. 1. Christi oblatio, facta à parentibus, est festi materia. Bern. — Amb.)

ven

dicat principatum, ad cuius nomen humiliter inclinamur, eius festis assistimus, eius memoriam dulciter frequentamus. Spiritus enim eius super mel dulcis, in qua cum omni sua dulcedine dominus superuenit. Et quidem loqui me officium cogit, affectio trahit. Sed diues affectio vocis paupertate confunditur. Et quod amplius terret, væ peccatorum conscientia alligatur, & obmutescere suadet vbi vniuersa loquitur creatura. Verumtamen ipsa (quæ verbum patris ex se corporaliter genitum hodie in téplum cum hostiis præsentauit, purgationem peccatorum non suorum sed nostrorũ faciens) ipsũ verbum nobis dare complaceat, quibus vtiq; genuit, non erit os meum expers sermonis, nec corda vestra vitalis fructus seminis. Quod citius valebimus impetrare si eidẽ Virgini occurramus deuotè, angelico verbo salutantes: Aue Maria gratia plena &c.

Mariæ laudes ĩ hoc verbo aue. Multiplex laudis præconium, verbũ aue Virgini ascribit, cum ab eadem omnem defectus imperfectionem elidit. Quæ enim sine væ, angelico prædicatur eloquio, semota haud dubium ab omni probatur vituperio, neq; enim sine vę dici poterit, cui adiacet, quo priuari laudabiliter cupit. Et quamuis à multiplici væ, & culpæ, & pœnæ liberata fuerit, verius præseruata, De quibusdam tamen secundum præsentis festiuitatis exigentiam tantummodo est dicendum. Incurrebant siquidem filiæ Euæ aut maledictæ sterilitatis opprobrium, aut væ triplex per conceptæ prolis puerperium, scilicet virginalis corruptionis, penalis editionis, & legalis irregularitatis. De primo dicitur: Maledicta sterilis in Israel. De secundo, & quarto Leuitici. 12. sicut in hodierno legitur euangelio: Mulier idest corrupta, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octaua circumcidetur infantulus. Ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine Purificationis suæ, omne sanctum nõ tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur

Leuit. 12.

dies purgationis eius. De tertio dictum est Euæ pro se, & omnibus filiabus. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Gen. 3. Ab his omnibus sola Virgo fuit immunis omnimode, propter quod ei singulariter hæc forma salutationis congruit Aue, quod sanat sine væ. Sed primo dimisso, & pro annunciationis festo reseruato, de reliquis tribus videndum est. Gen. 3.

Mariam mater vel virgo Auæ triplici libera. Fuit itaq; primo virgo à væ corruptionis intacta, quia ante partum, in partu, & post partum virgo perpetua. De quo August. super Ioannem: Sicut in sepulchro vbi positum erat corpus domini, nec ante, nec postea mortuus iacuit, sic vterus Mariæ nec ante, nec postea quicquid mortale accepit, quamuis tamen non defuerunt hæretici, & infideles, hanc Virginitatem multipliciter infamantes. Sicut & benedictus ventris sui fructus, innumeros habuit blasphematores. Impugnabat Virginitatem matris in conceptione error Iudæorum, & Carpocratis hæretici, qui Christum natum de vtroq; parente Ioseph, & Maria sunt mentiti. Impugnant eandem in partu paganorum philosophi, humano sensu corpora quanta, se penetrare tanquam impossibile abnuentes. Detrahunt puritati Virginis post partum Hebion, Theodotus, & post hos veniens Heluidius hæretici, Virginem post partum nupsisse, aliosq; filios, & filias procreasse blasphemantes. Sunt & alij Virgini contumeliam inferentes, qui dum corporalem eius integritatem inficiare nequeunt, mentis puritatem infamare laborant, eam inquiunt mente Virginem non fore, quæ disposuit quandoq; nubere, & viro se passa sit desponsare. Contra quos egregie Hugo venerabilis, volumen edidit, in quo eorum hæresim, confutauit.

Hæresis Carpocratis.

Hæc quadrifida blasphemantium turba in verbo primo angelicæ salutationis Aue scilicet, reprobatur. Quomodo enim sine væ

ab angelo prædicatetur, in qua væ pudoris, & corruptionis, & per consequens doloris inueniretur? Particularius tamen nunc secundi, & tertij sunt confutandi, primi, & vltimi in tempus aliud differendi.

Quia ergo virgo purissima in partu sine væ corruptionis extiterit, claris ostendetur scripturæ autoritatibus, figuris, & exemplis, q̃q; nihil impossibile Deo continet, Virginem parere simul deducetur. Inquit enim Esa. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Nõ ait tantum concipiet, virgo, sed & pariet virgo. Ezechiel deniq; cap. 47. hoc ipsum in spiritu sub figura portæ clausæ vidit, & quod vidit, non tacuit, ait enim: Conuerti me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi. Quæ exponens Aug. in sermone de Annunciatione dictæ virginis, dicit Quid est, prota hæc erit clausa, nisi quia Maria fuit semper intacta? Et quid est, vir non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et iterum semper clausa, quia virgo ante partum, virgo, in partu, & virgo post partum. Concepit, & virgo est, parit, & virgo est, lactat, & virgo est.

Esa. 7.

Ezech. 44.

Aug.

De huius quoq; Virginis integritate loquitur Salomon Prouer. penulti. Tria inquit sunt difficillima mihi, & quartũ penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula. Ita enim habet textus in hebræo. Sub metaphora Salomon loquitur de mysterio dominicæ incarnationis, vt dicit Lyra, quod est incompræhensibile, & incipit ab vltimo scilicet ab Ascensione, & reuertitur ad eius incarnationẽ in virginali vtero. Tenuit enim Christus viam Aquilæ in Ascensione, in qua secundum humanitatem suam ascendit super omnem aliam creaturam. Viam colubri super terram tenuit in resurrectione. Christus enim passus, per serpentem, vel colubrum significatur, secundum q̃ dicitur Ioan. 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Christus vero passus, sepultus est in sepulchro lapideo, de quo clauso mirabiliter exiuit resurgendo. Viam nauis in medio maris tenuit in sua conuersatione, quia in hoc mundo tanquam in mari procelloso expositus fuit pressuris, & tribulationibus. Viam viri tenuit in adolescentula, in benedicta sua incarnatione, & natiuitate, qua vir perfectus omni virtute, & gratia conceptus est de spiritu sancto, & clauso vtero genitus ex adolescentula, idest intemerata Virgine maria, & hoc fuit valde mirabile. Propter quod & Hiere. ait 31. Nouum creauit dominus super terram, mulier circundabit virum, non mole corporis, sed perfectione gratiæ & virtutis. Et de hac via mirabili ingressus viri in adolescentulam, sine virili semine, & egressus sine virginalis claustri apertione, dicit Salomon q̃ eam penitus ignoret, quia sicut Hiero. in sermone de Assumptione Virginis dicit: Quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra creatura etiam omnis cęlestis miratur. Hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletᷓ De nulla autem alia viri via in adolescentula potest rationabiliter dici: q̃ fuerit Salomoni totaliter ignota: qui habuit scientiam infusam de naturis omnium animalium, & plantarum vsq; ad minima, vt habetur. 3. Regum 4. cap. Hoc idem spiritussanctus in persona Virginis prædixit Eccl. 24. Quasi libanus non incisus vaporaui habitationem meã. Thus enim, quod de libano emittitur, non inciso cortice valde odoriferum est, & praeciosum, ita virgo inuiolata protulit florem odoriferum Christum dominum. De quo in canticis sponsa dicit: In odore vngentorum

Prou.

Lyra.

Ioan. 3.

Hier. 31.

Hier.

3. Reg. 4.

rum

rum tuorum currimus.

Probat deniq; hoc idem autoritas ecclesiæ, omni exceptione maior. Vnde in sermone Concilij ephesini dicitur: Natura post partum nescit vlterius virginem, gratia vero & parientem ostendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit. In symbolo Apostolorum: Natus ex Maria Virgine. Canit deniq; ecclesia in Hodierna festiuitate in responsorio: Videte miraculum, mater domini concepit virgo: virile ignorans consortium, stans onerata nobili onere Maria, & se matrem lætam cognoscit, quæ se nescit vxorem, virgo concepit, & virgo peperit, & virgo post partum permansit.

Conc. Eph.

Quia item virgo sine væ corruptionis peperit ostenditur vete. testa. figuris. Nam terra de qua primum Adam terrenus procreatus est, erat virgo non dum scilicet culta vomere, nondum sata semine, nec maculata humano sanguine. Eua deniq; illa vetus adhuc virgo fecit virum corruere, & mundo mortem intulit. Rectè ergo illa terra virgo est, cui benedixit dominus de qua secundus Adam cœlestis est exortus. Noua quoq; Eua decentissime virgo fuit, quæ fecit totum genus humanum surgere, & vitam mundo generauit. De quo Chrys. super Matt. vide mysterium. Adam ex terra Virgine figuratur, filius Dei ex Virgine Maria nascitur. Illic virgo mortem concepit, hic virgo vitam generauit. Illic vir per virginem ruit, hic vir per virginem stetit. Figuratur idem per vellus Gedeonis quod rore perfusum est, terra manente sicca: Iudicum. 6. De hoc Bern. super Missus est. homil: 2. Quid illud Gedeonis significat vellus, quod vtiq; de carne, sed sine carnis vulnere in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis absq; detrimento Virginitatis? Et Ambro. Rectè Maria velleri comparatur, quæ dominum ita concepit vt eum toto hauriret corpore, nec eiusdem corporis scissuram pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Quamuis igitur vellus sit de corpore, tamen nescit corporis passiones. Ita licet Maria fuerit in carne, tamen vitia carnis nesciuit. Nec vnquam aliqua corruptionem sensit, sed impolluta, ac illibata permansit. Sunt tamen & aliæ velleris, & roris significationes, quæ alibi, conuenientius tractabuntur. Conuenit eidem rubus, quem Moyses vidit ardentem, tamen non comburentem. Exod. 3. de quo Orige. in homil. de Virginis natiuitate. Sicut olim rubus comburi videbatur & ignis cum non tangebat. Et sicut tres pueri in camino, inclusi habebantur, & tamen eos non ledebat incendium, nec odor fumi erat in eis, ita & sancta virgo genuit dominum, & intacta permansit, mater effecta est, scilicet Virginitatem non perdidit. Infantem genuit, & Virginitatis sigillum non amisit. Figurabat id ipsum virga Aronica, quæ contra naturam non humectata, nec plantata floruit, & fructum produxit. Num. 17. de quo Bern. super Missus est, homil. 2. ait: Virgam intellige Mariã, florem alium, quoniam & virgo floruit sine germine, nec virgo concepit ex homine. Nec virgæ vigorem læsit floris emissio nec Virginis pudorem sacri partus editio.

Mariam peperisse sine væ corruptionis ostēditur vet. test. figuris.

Chrys.

Bern.

Exod. 3.

Orig.

Num. 17

Bern.

Post quoq; hoc ipsum ostendit competentibus exemplis, speculi, scilicet & syderis: & Abacuch introducti in lacum Daniel. De vitro, siue speculo ait Aug. in sermone, legimus sanctum Moysem. Solis radius specular penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis extrinsecus. Itaq; fratres nec cum ingreditur Christus, violat, nec cum egreditur, dissipat, quia ad ingressum, & egressum eius specular integrum perseuerat. Specular ergo non rumpit radius solis integritatem, virginis ingressus, aut egressus nunquid violare potuit deitatis? Sydus quoq; radium suum emittit, sine sui corruptione, ac claritatis diminutione: Ita virgo filium genuit sine sui

Aug.

violatione. Hinc canit ecclesia: Sicut sydus radium, profert virgo filium pari forma. Neque sydus radio, neque mater filio fit corrupta Bernard. quoque super Missus est, homi. secunda. Ipsa inquit aptissime syderi comparatur: quia sicut sine sui corruptione sydus emittit radium, sic absq; læsione sui virgo parit filium, nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini suam filius integritatem. Bern.

Si forte dicis hæc duo exempla non esse satis appropriata, quia neq; speculum dimentionatum corpus ingrediens, & egrediens penetrat. Nec sydus producendo radium corpus aliquod prius in se existens emittendo generat, quia & radius, vel in speculum receptus, vel à sydere productus, non substantia quædam sed accidens est, quod non præfuit realiter in sydere, sed ab eo de nouo productum est in speculo, vel aere. Sed Mariæ filius verum habuit, & substantiale corpus præexistens in matre antequam natus. Ad quod dicimus, quia licet præmissa duo exempla non sunt per omnia similia, sunt tamen intellectum humanum maxime simplicium hominum aliqualiter manuducentia. Sed iam considerentur exempla, quæ calumniari non possunt sequentia. Tenet enim fides nostra, quod corpora beatorum post resurrectionem vera erunt corpora mole quanta, quæ tamen per subtilitatis dotem cuncta poterunt penetrare extensa, quod resurgens dominus demonstrauit, dum & de sepulchro clauso non effractis sigillis exiuit & ad discipulos ianuis clausis introiuit, haud dubium, quin per dimensionum penetrationem. Quia si forte adhuc replicas, Christi corpus natum ex matre non fuit gloriosum, quia passibile. Ideo exemplum gloriosi corporis non est ad propositum. Cui dicimus q; optime est ad propositum, quia quod corpus gloriosum esse potest simul cum alio penetratiue, sufficienter ostendit coexistentiam duorum corporum quorumcunq; non implicare, nec includere contradictionem respectu diuinæ omnipotentiæ, cui non est impossibile omne verbum. Luc. 1. Nam dos subtilitatis, per quam corpora gloriosa simul esse possunt, in eodem loco cum corporibus non gloriosis, non est qualitas aliqua corpori glorioso inhærens, sed diuina virtus existens, sicut late probat Scotus in suo 4. distinct. 49. quæstion. vltima. Sed diuinæ virtuti omnia æque obediunt corpora non gloriosa, sicut gloriosa. Quia si dos subtilitatis foret, quid creatum positiuum in corpore glorioso, cuius actiua virtute posset huiusmodi corpus alteri corpori simul coexistere respectu loci eiusdem? Huius tamen causæ secundæ agentis Deus potest supplere actiuitatem, quia vt autor de causis docet, solus potest, quicquid cum causa secunda potest, poterit ergo sine huiusmodi dote facere corpora sibi coexistere, & per consequens ita non gloriosa sicut gloriosa, licet illa per nouum miraculum, illa vero sine miraculo nouo. Huic etiam Beatus Thom. in tertia parte summæ. quæst. 18. articul. 2. fauet, adducens illud Augustin. super Ioann. Moli corporis vbi deitas erat, clausa ostia non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas matris inuiolata permansit. Si vero adhuc in corporibus non gloriosis quæris exemplum: Danielem lege. Inuenies Abacuc prophetam prandium Danieli intra locum leonum incluso, non apertis claustris afferentem, vt dicit Orige. super illud Matt. 1. Cum esset desponsata. Luc. 1. Scotus. Thom.

Satis iam puto ostensum, nihil in proposito dubitabile remanere, intellecto quia corpora simul esse, nullam includit formalem repugnantiam, siue contradictionem, & per consequens Deo possibile in cuiuscunque corporibus, quanto ma-

gis in suo corpore proprio, quod de Virgine assumpsit. Nihil penitus difficultatis est, firmiter hoc credere: attento: quia virgo nõ hominem purum, sed hominẽ Deũ genuit. De quo Aug. in sermone hodiernæ festiuitatis. Nõ tibi videatur impossibile; vt virgo pareret, & virgo pariens permaneret, intellige natum Deum, & non miraris Virginis partum. De hoc etiam Bern. super Missus est. hom. 2. dicit Gloriatur de partu nõ in se, sed in eo, quem peperit; Deus siquidem est, quem peperit: qui matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria, singulari in terris præuenire curauit, & gratia: quæ videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet: & pareret incorrupta. Porrò Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceret. Talis etiam congruebat, & Virgini partus, vt non pareret nisi Deũ Nec contra hac indubitatam veritatẽ fidei orthodoxæ moueatur quis verbis Amb. qui super Lucam ait, Qui vuluam sanctificauit alienam; vt nasceretur propheta: hic est, qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Nam Ambro. exponens illud, quod euangelista de lege induxit, Omne masculinum aperiens vuluam sanctum domino vocabitur: vt Beda dicit: consuetæ natiuitatis more loquitur: non quod Deus sacri ventris ostium, quod ingressus sanctificarat, egressus deuirginasse credendus sit. Vnde illa apertio non significat reserationem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de vtero matris. Hęc Tho. vbi supra. Hinc Idem Ambro. in plerisque locis conseruatam Mariæ in partu testatur virginitatem. Ait enim in hymno. Veni redemptor gentium, ostende partum Virginis mi. O. se: talis decet partus Deum. Aluus tumescit Virginis; cla. p. permanét &c.

Bern.

Aug.
Hugo.

Ambr.

Beda.

Thom.

Mariam peperisse sine uæ ꝑ natura congruũ Ioan.

Congruũ autem fuit ita nasci Christum de Virgine, & propter filium, & propter matrem, propter mysterium, & propter hominem. Propter filium in quam: Nam ipse, qui natus est, verbum Dei est, teste Io. Verbum caro factum est. Sed proprietati verbi hæc conueniẽs natiuitas. Nam verbum non solum in corpore absq; corruptione concipitur, sed et absq; corruptione ex corde procedit: vnde vt ostẽderetur: qđ illud corpus esset ipsius verbi Dei: conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur. Vnde in sermone quodã Ephesini consilii legitur. Quæ peperit carnem purã, à virginitate cessat. Sed quia natũ est carne verbũ: Deus custodit virginitatẽ, seipsum ostendẽs per hoc verbum: neq; enim nostrũ verbũ cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus verbum substantiale partum eligẽs peremit virginitatem. Propter matrem quoq; ne matris honor, & gaudium ꝑ eum nascendo minueretur, qui parentes præceperat honorari. Vnde Sedulius. Gaudia matris habens cum Virginitatis honore: Nec primam similem visa est: nec habere sequentem. Propter mysterium: quia secundum Amb. super Lu. virgo Maria typus est ecclesiæ: quę immaculata, & innupta nos virgo concipit, & sine gemitu parturit: propter ꝙ etiam fortassis sancta Maria alij nupta & ab alio repleta: quia & singulę ecclesiæ spiritu quidẽ replenĩ, & gratia: iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis. Propter restaurandum etiã hominem: vt nobis esset certa spes futuræ incorruptionis in nostra carne. Vnde Aug. in quodam sermone de natiuitate domini. Fas inquit non erat vt per eius aduentum violaret integritas, qui venerat sanare corrupta. De hoc quoq; Bern. in ser. de Virginis natiuitate. Iã securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea: quã doquidem per eum conseruata est incorruptio in matre sua. Facile erit illi, per quem mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo: vt & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo. Hæ itaque causæ quædam sunt, potestas, exempla figuræ, & inconcussa autoritas: quibus sufficienter exsufflatum puto carnalium philosophorum stultitiam ex oppositoque ostensum: quia mater domini sine væ cor

Conci Ephes.

Sedulius

Ambr.

Aug.

Bern.

corruptionis fuerit virgo,& puerpera, quod deuotius poterimus meditari quotiens illam salutantes cum angelo dicimus Aue.

Maria fuit virgo ex pte filij.

Secundo fuit mater domini benedicta ab hac maledictione (in dolore paries) libera, quæ in partu fuit doloris, & angustiæ nesciat, & post partum à corporali infirmitate, & languore aliena. Quia vt Ber. ait in ser. de vigi.natiuitatis domini, qui incipit Hodiernũ sermonem, mutata est in virgine maledictio Euę.Peperit enim filium sine dolore:mutata est quidem maledictio in benedictionem, sicut prædictum est per angelnm, benedicta tu in mulieribus. O beata sola inter mulieres bene dicta,& non maledicta sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Et beatus Thom. in 3. parte q. 35. artic. 6. Dolor inquit, parturientis causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Christus egressus est clauso vtero matris, & sic nulla violentia aperitionis meatuũ,ideo nec dolor, nec corruptio, sed maxima iocunditas.Et hoc expresse figuratum est in rubo ardenti, nec tamē consummato combustione Exo. 3. sicut Ber.super Missus est. homil. 2. dicit. Quid, inquid rubus ille quondā Moysi prætendebat: flammas quidem emittens,sed non ardens: nisi Mariam parturientem,& dolorem non sentientem? Hoc enim in spiritu præuidens Esa. super modum admiratur, & mira vaticinatur,di.Anteq; parturiret,peperit.Parturiret.i.partus dolorē sentiret, & pro dicti cōfirmatione repetit, ante quam veniret partus.i. sensus, vel dolor ex partu, peperit masculum. Quis audiuit vnquam talia? aut quis vidit huic simile? q. d. nullus.

Bern.

Thom.

Exod. 3.

Et meritò sine vę doloris peperit, & propter prolem,& propter se parientem, & propter nos; quibus peperit. Peperit siquidem eum,qui venit quęrere,& saluum facere,quod perierat.Luc. 19. Quomodo ergo qui venit cunctos sanare à languoribus suis, matri suę dolorem intulisset? De quo Bern. in ser. quo supra. ait. Nec mirum fratres si dolorem non intulit matri qui tulit dolores mūdi secundū q Esa. ait Vere languores nostros ipse portauit. Duo sunt,quæ timet humana fragilitas,pudor,& dolor, vtrunq; Christus tollere venit,vnde & vtrumq; suscepit, quādo (vt cetera sileam) morte, & morte turpissima cōdemnatus est ab iniquis. Itaq; vt fiduciam daret nobis, q tolleret hęc à nobis,prius matrem suam immunem ab vtroq; seruauit, vt nec in cōceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret.Propter ipsā parientē virginē merito sine væ doloris fuit, quia sine delectatione carnali concepit,de quo Aug. in ser.de natiuitate ait. Sicut in conceptione inuēta est sine pudore, sic in partu inuenta est sine dolore.Et Hugo de sancto Vict. Eua (inquit) postquam malam delectationem conceperat, q filios in dolore paritura esset,audiuit,vt aperte demōstraretur q non idcirco pariat cum dolore,q à viro concepit, sed q cum libidine. Beata autem virgo non solum sine libidine concepit,sed neq; de semine viri accepit. Et Bern. in ser. de Annunciatione. Hæc inuenit gratiam inquit plena iam gratia: vt charitate feruida,virginitate integra, humilitate deuota, fieret nihilominus sine viri cognitione grauida, sine muliebri dolore puerpera. Quia deniq; in passione filij gaudio doloris transuerberāda erat, dolor partus, & mortis temporalis in passionem reseruatur, de quo Dam. dicit. Sed & ipsa beata dolores, quos effugit pariens, hos in Christi passione sustinuit. Propter nos deniq; sine væ doloris peperit, vt in eo nobis semper gaudendum esset, nec vlla asperitatis suspicio nos terreret, qui iam de matris procedens vtero,non solum à dolore eam præseruauit sed etiam ineffabilibus gaudijs copulauit.Tūnc .n.perfectū,sanctūq; nostrum est gaudium,dū in hoc Virginis partu in dño,& saluatore nostro gaudemus. Ideoq; apostol. ad Phil. hortatur cap.4. di. Gaudete in domino semper

Aug. Hugo.

Bern.

Damf.

iterum

Iterum dico gaudete. Gaudete inquam in domino, qui omnem tristitiam repellere venit. Iterum gaudete, qui perdita æterna gaudia reparauit. Et sanctisfimæ huius partus nuncius celestis à gaudijs commissam sibi legationem exorsus. Annũcio inqnit, vobis pastoribus gaudium magnum, quod erit omni populo.

Maria gaudiũ habuit in partu

Quod enim virgini matri nedũ dolorem abstulit, sed gaudium magnum contulit puto in eo notasse prophetã, cum dixit. Tanquam sponsus dñs procedens de thalamo suo. Solent namq; spõsi de thalamo sponsæ procedere nõ sine consolatione sponsæ, lætitia, & iocunditate, ita nec Christus de Virginis vtero processit non fine eius gaudio, & exultatione. De quo clarius alius propheta ait. Germinans germinauit sicut lilium, & exultauit lætabũ da, & laudans. Esa. 35. Germinauit sicut lilium, & virgula florem, quia vt Ber. super Missus est dicit hom. 2. nec virgæ virorem læsit floris emissio, nec Virginis pudorem sacri partus editio. Exultauit, quia coloris afflictione caruit. lætabunda laudauit, quia filium, quẽ genuit Deum, & hominem fore sciuit. Quid mirum, si in virginali partu mater exultauit: in cuius conceptione spiritus eius exultauit in Deo salutari suo. Cuius præsentiam adhuc in vtero latentis nec mater Helisabeth, nec innatus eius filius Ioannes fine tripudio, & clamorosæ vocis iubilo ferre potuerunt. Eius deniq; natiuitati lætantes astiterunt angeli. Et vt Hierony. in ser. Cogitis, de Assump. Virginis ait Inter crepundias noui partus, & querelas nescij ploratus pro. fescenninis. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bo. volun. decantarunt. Et ipsam natiuitatẽ non fine magno gaudio pastoribus (vt dictum est) nunciauerunt. Sed & pastores infantem in præsepio secundum verbũ angeli inuenientes gauisi sunt. Nam euangelista teste, reuersi sunt glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos. Magi deniq; videntes stellã gauisi sunt gaudio. Si enim omnia hanc natiuitatem circũstantia gaudio fuere referta, quõ nõ ipsa mater, per quam natus est, gaudio ineffabili exultauit? Nã & mulier, quæ dum parit tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam nõ meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo, vtiq; peccator, in mundum. Io. 16. Quanto magis virgo fine pressura, & dolore pariens, gauisa est, quia natus est homo innocens, verus Deus, & mũdi saluator. O quantus dulcedinis torrens intima cordis nostræ puerperæ impleuit, dum prima omnium corporalibus intuita est oculis vnigenitum suũ filium, infantem & tenellũ, quẽ syncerisfima fide suum credit plasmatorem, omnipotentẽ Deũ, ac totius mundi perditi saluatorẽ. De hoc ita inquit venerabilis Hugo Absit vt tristitia, & gemitus interuenerint vbi gaudium omnimode prædicatur, gaudebat .n. in immensum de tanta prolis maiestate, de conseruata sibi virginitate, de humani generis salute, & de angelica iubilatione, qui aderant, & epithalamium decãtabant. Idem. Absit vt tristitia interuenerit, ad cuius partũ multitudo angelorum cecinit.

Esa. 35.

Bern.

Hier.

Ioan. 16

Hugo.

Maria libera fuit post partum à corporali infirmitate.

Fuit quoq; virgo beatisfima post partum à corporali infirmitate, & languore aliena. Non enim potuit languere, quæ medicinã cœlestẽ, filiũ .s. Dei peperit, qui vt dicitur Matt. 4. sanat omnem languorẽ & omnẽ infirmitatẽ in populo. Nõ poterat languere, cũ qua erat gigas fortisfimus, qui oẽm imbecillitatẽ sustentauit. Hinc. psal. Exultauit vt gigas ad currendã viam. Non potuit languere, cum qua erat Dei virtus, quæ ipsam confortabat, sicut apost. ad Phil. 4. dicit. Omnia possũ in eo qui me confortat. Hinc dixit ei angelus, & virtus altisfimi obũbrabit tibi. Quia aũt nec infirmitatem, nec laborẽ incurrerat, ex eo manifestũ est, quoniam nullo obstetricum vsa est presidio, ipsa filium pannis inuoluit, ipsa in præsepio reclinauit, sicut contra Heluidium hæreticum

Matt. 4.

Phil. 4.

Hæresis Heluidij

Hieronimus tradit. Veniunt inquit magi & inueniunt Mariam, non doloribus vexatam, sed puero obsequenté. Nulla in partu obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix, & pānis eum inuoluit. Et collocauit (inquit Lucas) eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Ecce patet secundum .s. q̄ à væ penalis editionis, virgo fuit immunis. Euasit plus debito in longū sermo quāuis pro materiæ profunditate, ac dignitate deficiens, & breuis, nec tamen attigit ad propriam huius diei materiā, quam rescindere necesse est, & in aliū sermonem eiusdem festi reseruare, qué digne perficere ipse concedat meritis, & intercessione matris, cuius virginitatem elegit, & sua natiuitate admirabili consecrauit, Christus Iesus dominus noster qui cum patre, & spiritu sancto est in secula benedictus. Amen.

## IN FESTO PVRIFICAtionis Virginis Mariæ. Sermo IIII. in ordine. VIII.

AVAE Lucæ I.

Luc. 1. Adueniat iterum solennissima festiuitas, qua cum mentis exultatione ac spiritali gaudio virginé gloriosissimā domini matré salutādo laudemus, & laudando salutemus. Hodie nāq; vergineis manibus, misericordia patris, redemptio Israel, salus mundi Christus Iesus præsentatus est in medio templi sui, vt iam natus omnibus, ab omnibus agnosceretur, pro omnib⁹ adhuc tenellus patri oblatio gratissima offeretur, post ea seipsum in medio latronum, in ara crucis ob laturus, pro omnium peccatis efficacissimum holocaustum. Sed si hodie in templum præsentatus est saluator mundi. Cur festiuitas illa non potius à p̄sentato saluatore nomen accepit tanquā à digniore q̄ à matre. Dicitur .n. atq; nominatur frequentius festum Purificationis Mariæ, licet & alia nomina sortiatur. Certè non deest certi ratio mysterij. Siquidem Aduentus domini in carnē tria festa colimus cōiunctim de filio, atq; matre. Primum est festum Annūciationis, Secundum Natiuitatis, Tertium Purificationis. Quia primum, & vltimū matri attribuūtur ex nomine hoc, vt estimo mysterio, vt cognoscamus sicut per virginé matré ad nos venit saluator, ita p eandé redeamus ad saluatoré tanquam ad summum, optimum, & vltimū finé nostrū. De quo Bern. sermone de aduentu ait. Virgo regia ipsa est via, Bern. p quam saluator aduenit, procedens ex ipsius vtero tāquā sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam studeamus & nos ad ipsum p eam ascendere, qui p ipsam ad nos descendit, p eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Hæc Ber. Festū vero natiuitatis, quod quasi mediū est inter primū, & vltimū, filio attribuitur tanquam dignius omné extremorū perfectioné in se claudens, quomodo etiā sol luminiosior in medio cœli, rex potentior in medio suorum procerum, & regni, & punctualis virtus in medio excedentis, vel deficientis extremi. In omnibus tn̄ his & filiū adoramus, & veneramur matrem. Q̄m sicut corona parentum filij. Prouer. 17. nam gloria filiorū parétes eorū, ibidé. Hinc Hier. in Prou. 17. sermone Cogitis. Nulli inquit, dubiū Hiero. est quin totum ad gloriam laudis eius pertinet, quicquid digne genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter exhibitum, quia nimirum sicut laus filij lætitia est matris, ita honor matris laus est filij eam eligentis, sanctificantis, fœcundantis. Ad honorem itaq; filij matrem super omnes matres benedictam in hac festiuitate qualicunq; sermone laudaturus, diuini oraculi solitū assumpsi principium, verbum .s. suaue, cū angelo dicens: Aue. Quem sermonem vt possim perficere, curemus eam singuli eodé oraculo deuotius salutare.

Pro materia festi historialiter rememoranda recitabitur primo euangelium, deinde prosequendum quō Maria Maria virgo nō fuit subiecta le- à væ legalis irregularitatis libera fuit, prout supra vsq; nunc reseruatum fuit

euangelium: Postquã impleti sunt dies purgationis Mariæ &c. Possunt addi cœtera verba Symeonis,& quod Lucas recitat de Anna vidua. Hæc charissimi præsentiũ gaudiorũ materia,hęc est in stantis festiuitatis iucũditas gloriosa,q̃ licet singula euadant plena mysterijs, grauida doctrinis,vt tñ vos nõ onerem & ordinate procedã, continuaturus q̃ in priori sermone huius festi sub eodẽ themate relicta sunt,soli principio euã gelij breuius inhærebo, ꝙ duplicem moysaicæ legis institutionẽ (ligátẽ ve. testa.matres) continet,sed nulli harum virgo fuit subiecta, quia à væ legalis ir regularitatis omnino euasit libera. Prima moysaicæ legis institutio, de qua euangeliũ loquitur,respicit primogeni ta,& põt dici specialis.Nã propter per cussionẽ omnium primogenitorum ex Ægypto,saluis filijs israel,dñs iussit sibi offerri omne primogenitũ ab homine vsq; ad pecus,tã in hominibus q̃ in bru tis, eo q̃ ad liberationem populi Israel percussit omnia primogenita ægipti,ab hõmine vsq; ad pecus,reseruatis primo genitis populi Israel, qua pp illa sibi consecrari.i.offerri,& redimi,præcepit. Exo.13.Redimi inquã quinq; siclis argẽ ti. Siclus 20. obolos habet, vt habetur Nume.18.Et hoc tangit Lucas in prin cipio euangelij cũ dicit:Postquam impleti sunt &c.vsq; ibi: Et vt darẽt.Alia lex respiciebat omnes matres naturali cursu parturientes, siuę primogenita, siue post genita.Et hæc lex habetur Leuit. 12.vbi ait Moyses. Mulier si suscepto semine peperit masculum,immunda erit septem diebus iuxta dies separa tionis menstruæ.i. à consortio hominum,& die octaua circuncidetur infan tulus,ipsa vero. 33. diebus manebit in sanguine Purificationis suæ .i. abstinebit ab ingressu tẽpli,sed nõ à consortio hominũ.Si aũt feminã peperit, immunda erit duabus hebdomadibus à consortio hominũ,& 66.diebus abstinebit deinceps ab ingressu tẽpli. Duplicatur .n. tempus irregularitatis legalis,si feminã peperit. Postquam vero expleti fuerint dies purificationis 40. si mascu lum,aut. 80. si fœminam peperit, deferet agnum anniculum in holocaustum siue pro filio,siue pro filia. Et pullũ columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti &c. Quod si non posset haberi agnus,seu offerri agnus, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum.Vnum in holocaustum,& alterũ pro peccato. Hæc tangit Lucas cum dicit: Et vt darent &c. Natura siquidem humana ex primorũ casu parentũ,vbiq; plena defectibus, plena penalitatibus inuenitur.Inter quos & ille numerabãtur,ꝙ mulier post cõceptũ se mina lẽ purgatione indigebat, ob quã purgationem lex Moysi Leu. 12. puerperam iussit irregularem esse, & immundam, hoc est ab ingressu templi,ac viri thoro abstinere vsq; ad diem. 40. si masculum, aut 80. si fęminam peperisset Ipsa quoq; die 40. vel 80. templo cum nato puerulo, & hostijs presentari vt patuit. Quæ purgatio quantum penalis corpori, excluso vero ab ecclesia deuotæ menti fuerit,norunt ipsæ puerperæ ad cultum Dei deuotæ.

Verum ab his defectibus, & ab hac lege virgo mater liberrima fuit, prout legis verba indicant diligentius aduertenti.Ait enim lex vt supra allegatum est. Mulier, quę suscepto semine peperit masculum,immunda erit septẽ diebus, octauo die circuncidetur infantulus. Ipsa vero 30. diebus manebit in sanguine purificationis suæ, omne sanctum non tanget,nec ingredietur sanctuarium,donec impleantur dies purgationis eius &c. Cum ergo lex illa data sit de mulieribus vtriq; corruptis, quæ suscepto semine haud dubium quia virũ pepererunt,neque quam Virginem sine seminis susceptione de spiritu sancto parientem ligauit, de quo venerabilis Beda in homil. dicit Intuemur fratres charissimi diligentius verba legis,quę proposuimᵘ,& videbimus aptissime quõ Dei genitrix ꝑpetua virgo Maria, simul cũ filio quẽ genuit, ab oĩ fuerit legis subiectione liberrima. Cũ .n. dicat lex, mulierẽ q̃ suscepto se

Marginal notes: gĩ datæ pollutis, matribᵉ. — Exod. 13 — Num. 18 — Leuit. 12 — Leui. 12. — Maria libera à væ perlegalis irregularitatis.

mine peperisset immundam decerni, & per longa tempora simul cum prole quam peperisset mundari. Patet profecto quod illa quæ sine virilis seminis susceptione virgo peperit similiter cũ filio qui natus est ei, neque immundã decernat:neq; per hostias salutares doceat esse mundandam. Et beatus Bern. in ser. de purificatione: qui incipit: Purificationem. ad idem loquens ait. Quis non aduertit in ipso sententiæ huius initio liberam esse matrem domini ab hoc præcepto. Putas enim qa dicturus moyses, mulierem quæ peperisset filium immundam esse: nõ timuerit super matrem domini blasphemię crimen incurrere: & idcirco præmisit suscepto semine. Alioquin nisi præuidisset parituram sine semine virginem: quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaq; quod lex ista matrem domini non includit: quia non suscepto semine, sed virgo sine virili complexu, sola spiritussancti operatione concepit & peperit: sicut in symbolo dicitur. Et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum, qui conceptus est de spiritusancto, natus ex Maria virgine, & Mat. 1. Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Cuius intellectus videatur sermone de annunciatione. Ecce cum ab hoc vę legalis irregularitatis virgo fuit immunis: hac ratione recte dictum est ei Aue: quod interpraetatum est supra secundũ litteras sine vę.

Ne ergo Virgo gloriosa, quia more aliarum fœminarum legi purificandarum se subiecit, immunda putetur: lucens candela hodie in fidelium manibus portatur per quam virginis dignitas, puritas, & castitas protestatur. Hæc enim per candelas conuenienti similitudine significantur. Nam per ceram (quæ inter omnia fomenta ignis, humano vsui apta, quæ tenebrarum sunt expulsiua, nobilior est) eius excellens dignitas significatur. Per ceram etiam significatur Marię redolẽs puritas: quia cera de floribus purioribus opere apum digesta suauior. Significatur per ceram tertiò Mariæ virginalis fęcunditas: sine perseuerans & fęcunda castitas, quia sine apum cõmixtione genita seu producta permanentior. Per ligmen candidum mentis & intellectus virginis claritas significatur quæ tanta dignitate, puritate, incorrupta fęcunditate: velut cera imputrescibili circundata: nusquam offuscatur, ne dicam extinguatur: secundum illud Prouer. vlt. Non extinguetur in nocte lucerna eius. Vnde fides eius integerrima mansit in nocte dominicæ passionis. Ideo canit ecclesia: Gaude Maria virgo cunctas hereses sola interemisti. Per ignis feruorem, significatur ardor synceriſſimè charitatis. Quam spiritussanctus in canticis commendat, dicens. Aquę multę nõ potuerunt extinguere charitatem cap. 8. Vnde & hanc in nobis accendit exemplo, oratione, merito: propter quod dicitur mater pulchrę dilectionis. Per lucis splendore, suę conuersationis sanctitas demonstratur: quæ exemplari luminositate & nunc vsque & in futurum cunctos illuminat & informat, ecclesia teste. Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Nec modo in testimonium virginalis puritatis Christum in templum presentantis ferimus ardentia lumina, sed etiam, in testimonium eius qui oblatus est: In memoriam eorum qui processioni interfuerunt: In nostram commonitionem qui hæc in ecclesia celebramus. Congrue etenim Christus oblatus figuratur per lumen candelę: quoniam ipse est lux vera quæ illuminat &c. Io. 1. Qui de seipso ait. Ego sum lux mundi: qui sequitur me &c. Ioa. 8. Et Symeon sanctus prædicauit Christum lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suę israel. Luc. 2.

Triplex denique Christi substantia repræsentatur per triplicem substantiã candelæ: ceram. s. ligmen & ignem. Cera quæ producitur per apes de floribus sine florum corruptione, carnem Christi mundissimam significat: sine semine de prato virginalis vteri operatione spiritussancti formatam propheta: Cor meum

Christi triplex substãtia candela designatur.

meum tanquam cera liquescens &c. Cera in eius generatione, liquescens in passione Ligmen candidum ceræ impręssum: candidissimam Christi animam, nullius maculæ capacem figurat. Quomodo enim maculæ contingi posset quæ vnita est candori lucis æternę & speculo sine macula maiestatis eius, & imagini bonitatis paternæ? Sapien. 7. Ignis vero candelæ deitatem repręsentat. Deus enim ignis consumẽs est. Heb. 12. Ignem quoq; suę charitatis venit mittere in terram vt arderet; & omnem terrenam concupiscentiam cõsumeret. Luc. 12. Secundum hæc sponsa describit in canticis capit. v. Dilectus meus candidus: quo ad animam, & propter mentis candorem. Et rubicundus & propter deitatis fulgorem. Electus ex milibus propter carnis incorruptionem. Candela tota consumitur igne in vsum nostrum. Sic Christus se totum obtulit pro nobis: Carnẽ vulneribus: Sanguinem effusionibus crebris: Animam tristitijs; & doloribus: vt sic dietatem suam dare posset in delitiosissimam suis cultoribus fruitionem.

Candelarum. repræsẽtatio ẽt personis cõuenit. Conuenit etiam personis, à quibus hæc processio celebrata est, repræsentatio candelarum ardentium, quas hodie in manibus fert ecclesia. Cera nanque, quæ solida est, dulcis, & odorifera virilem Ioseph constantiam, eiusq; virginitatem dulcem & suauem demonstrat. Ligmen, Mariam, quam Ioseph sponsus suus ab omni infamia, sicut cera ligmen, a macula custodiuit. Quia verò in manibus gestatur candela ardens, Symeonem iustum, & Annam ie iuniis, & obsecrationibus nocte, & die seruientes denotat. In quorum manibus euangelio teste: opera iustitiæ, & Dei cultus omnibus reluxerunt.

Ferimus etiam candelas ad nostram commonitionem: vt nos tales Deo offeramus, quales per cãdelas designamur. Omnia nanq;, quæ visibiliter aguntur in ecclesiasticis officijs sub materialibus figuris, & visibilibus imaginibus spiritualia mysteria claudunt: vt per visibilia ad intelligentiam spiritualium prouehamur. Et vt dicit Diony. c. 1. de ecclesiasticis hierarchiis. Altissimi spiritus, quos ad diuina Deus extrinsecus non mouet: nam intus diuinum consilium, & voluntatem purissimi fulgoris cãdore perdiscunt. Nobis autem (quod illis collectim præscitum est) ex diuinis libris in signorum diuisibilium multitudine, ac varietate donatur. Quæ tamen omnia ad hoc finaliter ordinantur: vt Dei, qui verè, & pulcher, & sapiens, & bonus est, particepes facti in eius consortium transeamus, & similes pro viribus efficiamur, ipsique iungamur. Hoc autem ita demum patiemur, si vt diuinis monemur eloquiis, angustissima Dei mandata diligamus, & operentur.

Quatuor ergo in candela consyderata. s. splendor, cera, lichnus, ignis: designant quatuor virtutes, quibus animę nostræ potentias Deo offeramus. Sunt enim in nobis intellectus, affectus, memoria, potentia executiua. Si igitur in intellectu nostro fuerit fides firma diuinarum veritatum. In affectu, charitas integra diuinarum perfectionum. In executiua, humilis obedientia diuinarum sanctionum. In memoria, recta intentio diuinarum laudum. Sic Deum capiemus, Dei participes erimus, eiq; assimilabimur. Aptè etenim. Splendor candelæ repræsentat lumen fidei. Ignis repræsentat feruorem charitatis. Cera, quæ tota consumitur, repræsentat obedientiam plenissimę subiectionis. Ligmen cera tectum repræsentat simplicem, & mundam intentionem omnia in Deum referentem. Sit itaque in nobis fides, qua firmissimè adhæreamus catholicis veritatibus pręferentes eas veritatibus naturalibus quantuncũq; euidentibus. Si dicis. Cũ fides innititur auctoritati reuelantis: quomodo possum præferre veritatem fidei veritatibus euidenter notis ex terminis, aut experientia? Solutio. Notitia habita per reuelationem ab homine, non præfertur notitiæ euidenti: quoniã omnis homo mendax ex se: secundum Glo.

Candela repręsentat virtutes, quas habere debemus.

Glo.ex Deo verax. Notitia tamen veritatis reuelatæ a Deo, omni notitia euidenti præferri debet. Deus enim verax est,& immutabilis. Malach. 3. Experientia autem fallax. Veritates autem fidei sunt a Christo mediate, vel immediate. Ideo qui firmiter credit Deum esse Deum, in nullo dubitat. Vnde Augu. Crede Deum natum, & non miraris ipsum Virginis partum. Sit in nostra voluntate charitas integra, qua Deum super omnia diligamus. Si quæris: quo modo hoc fiet? Respondeo. Pia meditatione, qua in Deo omnia cognoscimus quæ appetere possumus. Appetit autẽ appetitus concupiscibilis bonum delectabile, honestum, & vtile. Sed cum inuenitur Deus esse, hæc omnia iam appetitus tendit in ipsum. Appetitus irascibilis appetit vindictam,& ita iustum, & potentem. Consyderata ergo summa Dei iustitia, & omni potentia, non est, quod in eo refugit irascibilis Sit in nobis obedientia, qua nos totos Deo submittamus. Et certè amicus omnia paratus est exponere pro amico, vbi simile recepit. Sed Deus dedit nos ipsos nobis per creationem. Omnia creata seruire coegit per gubernationem. Dedit seipsum in redemptionem &c. Recta ratio dictabit ei reddendum. Sit demum in nostra memoria intentio recta: vt in omnibus Deum intendamus. Vnde virtus gratitudinis inclinat: vt dona refluant ad fontem, vnde emanarunt.

Malac. 3.

Aug.

## *IN FETSO ANNVNciationis virginis gloriosæ Sermo* I. *in ordine* IX.

Luc. 1. Annuntiationis magnitudo extollitur.



Vod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei. Luc. 1. Exordium nostræ redemptionis fratres charissimi hodierna die cum sancta matre ecclesia deuotissimè recolamus, iubilantes corde, decantantes ore Gloria tibi domine: quia hodie reuelatum est Virgini diuinę misericordię secretum consilium, quo mortem quam femina intulit: hodie femina, eademque virgo fugauit, dum præparatum Virginalis aulæ thalamum summo regi obtulit, dicens. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Vnde in eodem vtero virgineo æterni patris verbum æternum, hodie propter nos nouiter est caro factum. O nouitas inaudita, qua innouantur omnia. Hodie si quidem (vt Ber. ait ser. de Annunt.) iniungitur noua legatio Angelo Gabrieli: & nouam virgo professa virtutem nouæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum: nouam noua mater accipit benedictionem: impletur ꝑ gratiam, quæ concupiscentiam nescit: vt spiritu superueniente, altissimi pariat filium, quæ virum dedignarut admittere. Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum: qua venenum serpentis ingrediens vniuersitatem generis occupauerat humani: Hæc ille. Verè salutis porta est virgo Maria, per quam ad nos ingressa est salus nostra. Porta illa orientem respiciens, perpetuo castitatis sigillo clausa, soli Deo est per uia: de qua dudum Ezechiel dixerat capit. 44. Porta hæc clausa erit: non aperietur,& vir non transibit per eam: quoniã dominus Deus israel ingressus est ꝑ eam. Ingressus vtiq; Deus Dei filius primo in eam per hodiernam diuinam conceptionem: de qua Mat. Quod natum est in ea de spiritusancto est. Ingressus deniq; nostra infirma per eam: per virginęi partus editionem: secundum verbum Gabrielis Archangeli: Quod nascetur ex te, vocabitur filius Dei. Sed de tanto dominicæ incarnationis sacramento quis digne, vel concipere aliquid, aut loqui valeat? Planè abyssus inscrutabilis est, abyssus impenetrabilis, non tantum hominibus, sed Angelis. Hinc quærenti Virgini ab Angelo, quomodo fiet istud? respondit. Spiritussanctus superueniet in te: & virtus

Bern.

Exec. 44.

tus

tus altissimi obumbrabit tibi q d.secun cundum Bern.super Missus. hom. 4. A me quæris, quod mox in te experieris. Scies,scies, & feliciter scies: sed in illo doctore,quo & auctore. Ego autē Missus sum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante:nec potest addisci nisi a sapiente. Prudens ergo virgo experimentaliter edocta:aliquas plenitudinis suæ guttulas dignetur irrorare, quo ad eius laudem, ac nostri consolationem vtcunque quantum nostra patitur infirmitas,rectè sapiamus,&rectè eloquamur. Pro cuius impetratione dicatur Aue Maria.

Quod nascetur &c.De duobus principaliter erit dicendum. Primo de concipientis Virginis digna sanctitate.Deinde de concepti saluatoris personali discretione. Hæc duo inquam, verba thematis includunt:Virginis sanctitas cùm dicitur, Quod nascetur ex te sanctum. Non enim potest nasci sanctum nisi ex sancto:sicut ait Apostolus Rom. 11. Si delibatio sancta, & massa,& si radix sancta, & rami. Concepti personalis discretio: vocabitur inquit, nō Deus(quāuis verè Deus)sed filius Dei. Vt notetur discretio concepti saluatoris a patre, & spiritussancto. Hinc ad Gal.4. ait Apostolus.Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. Virginis sanctitas, quam nulla potest lingua exprimere, ex tribus poterit aliquatenus depræhēdi.s. Electione æterna: Presignatione multimoda Exhibitione gratiosa.

Mariæ sanctitas consideratur ex æterna electione. Eccl.2. Prou.

De primo ait Bern. Missus est Angelus ad virginem, non nouiter aut fortuitu inuentam, sed a seculo electam: ab altissimo præcognitam: & verè ab altissimo præelectam, & præcognitam: quoniam ab eius ore prodiuit primogenita ante omnem creaturam Eccl.2. cui concordat illud Prouer. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio:ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nec dūm erant abyssi, & ego iam concepta eram. Certum est Virginem benedictam secundum exteriorem suam in esse productionem, non ante omnes creaturas,sed post plurimos iam in 6.millenario,in principio vltimæ ætatis seculi, a matre Anna, & patre Ioachim genitam. Quod ergo omnibus creaturis primogenita: & ante cęteras naturas creata: teste spiritu sancto dicitur:secundum æternā electionē sine dubio accipiendū est:secundū hanc enim, quia omnibus prælecta est creaturis: ante omnes possessa: ante omnes a domino creata dicit, vel concepta. Quæ em̄ creaturarū ei parificari posset quæ etiam Angelicā excedit dignitatē:tanto siquidem melior Angelis effecta quā to differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim Angelorum dictum est:vt esset parens Dei? Ad illam autem dicitur. Ecce concipies in vtero,& paries filium:& quod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei. Hinc Dam. in suo.3. cap. 12. Virginem hanc beatissimam nequaquam Christotocon dici voluit,sed theoferon. Non enim satis sibi visum est eam Christi matrem dici: nisi & expressius Dei mater, vel Deum ferens, quod sonat theoferon vocaretur. Maximè propter Nestorianos hæreticos,qui sub hoc nomine Christotocon eam matrem Dei negabant: dicentes Christum puram creaturam. Ideo ibidem ait: Dei genitricem verè sanctam Virginem prædicamus.

Damſ.

Hæresis Nestoriana.

Mariæ sanctitas ex patrū designatione.

Patet denique Virginis dignitas ex multimoda patrum præsignatione. Vt enim cæteris tacitis: vel vnam tangam: hęc est, de qua dominus ad serpentem statim post primi hominis lapsum dixerat. Ipsa conteret caput tuum. Quæ exponens Guilbertus Carnotens. episcopus:ait. Dixit ęternus ad veterem, Deus ad serpentem. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuū. Quid est serpentis caput conterere; nisi diaboli principalem suggestionem resistendo superare. Si ergo quęratur. quam mulier operata est huiuscemodi victoriam? profecto non

Guilb.

repe-

reperietur in linea generis humani, donec perueniet ur ad Mariam: quę ni mirum serpentis caput virtutis pede contriuit, in eo quod virginitatem, & humilitatem Deo consecrauit: virgini tate namque extinxit concupiscentiam carnis, humilitate verò, quæ ipsam fecit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Quid deinde rubus ille Moysis prætendebat flammas emittens, sed non ardens, nisi Mariam parturientem & dolorem non sentientem? Quid virga Aaron florida, nec humectata: nisi Mariam concipientem, & virum non

Esa. 11. cognoscentem? Cuius mysterium clarius exprimit Esa. cap. 11. Egredietur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendet. Virgam Virginem, floré eius partum intelligens: quoniam virga floruit sine germine: & virgo ex homine non concepit. Nec Virgę virorem læsit floris emissio, nec Virginis pudorem partus editio. Clarissimè autem idem propheta idipsum exprimit: cum cap. 7. ait. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel: quod est nobiscum Deus. Ecce puritatem concipientis: quia virgo, sublimitatem cóceptus: quia Emanuel, quod est nobiscum Deus: quibus iam quasi verbaliter consonat verbum archangeli, Et quod nascetur &c.

Marię sanctitas in exhibitione gratiosa.

Claret demum Virginis sanctitas in exhibitione gratiosa, quæ enim ab æterno est præuisa: & à seculi initio prænunciata: in temporis plenitudine est exhibita plena omnium gratiarum. Aue (inquit Angelus) gratia plena. Plena vtique: quia vniuersaliter habuit

Hiero. gratias omnes: vt vult Hierony. ser. de Assumpt. quas cæteri habuerunt particulariter. Habuit Abraam fidem, sed ista fidelior. Moyses mansuetudinem, sed ista mãsuetior. Dauid humilitaté, sed ista humilior. Ioan. virginitaté, sed

Prou. vltimo. sed ista purior. Martha hospitalitatem, sed ista liberalior. Magdalena contem plationem, sed ista cognitione sublimior. Verè itaq; de ipsa dixit Salomon Prouer. vlti. Multæ filiæ congregauerũt diuitias: tu supergressa es vniuersas, su pergressa, quia omnes simul congregauit. Iterum supergressa: quia omnes có gregantes in qualibet singulariter excellit. Sed valde supergressa in ea gratia, quam solum accepit: ad quam nulla vnquam creatura aspirauit. Et quænam est illa? Nimirum hæc est, quam singulariter Angelus cómemorat; post quam iam plenam gratiam nunciarat. Spiritus sanctus (inquit) superueniet in te, prius plena, sed & nunc superplena, quia superueniet in te. Nũquid ei quod plenum est adhuc aliquid adijciendum erit? quomodo ergo plena fuit? sed pri- Bern.
mo gratia (vt ait Bern.) repleuerat mẽtem: sequens verò etiam ventrem: quatinus diuinitatis plenitudo, quæ ante in illa sicut in multis sanctorum spiritualiter habitabat: iam (quod nulli sanctorum concessum est (etiam corporaliter in ipsa habitare incipiat. Hinc subdit. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Virtus altissimi Christus est filius, & sapientia patris 1. Cor. 1. obumbra- 1. Cor. 1. Greg.
bit tibi: quia corporeæ substantiæ vmbraculum recipiet ex te: sub quo latitabit. De quo Gregor. 18. li. moralium. Qui lumen incorporæum in eius erat vtero corporandum ei, quæ incorporęum accepit ad corpus. Dicitur, virtus altissimi obumbrauit tibi: id est in te humanitatis corpus accipiet incorporęum lumen. Et libro. 33. ait Vmbra non aliter exprimitur nisi per lumen, & corpus. Virtus altissimi Mariæ obumbrabit: quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit. O verè gratia superplena: immo plenissima: habere in se corporaliter fontem omnium gratiarum. Verè, & de tua plenitudine virgo gratiosissima: vt Bernardus ait, accipiunt vniuersi, infirmi curationem, tristes consolationem, peccatores veniã, iusti gratiam, Angeli lætitiam, filius Dei humanæ carnis substantia, tota trinitas gloriam, quanto ergo deuotionis affectu Mariam a nobis honorari voluit, qui totius boni plenitudinem in ea posuit: vt si quid in nobis est spei,

vt si

vt si quid gratiæ, & salutis, ab ea noue rimus redundare. Totis igitur medullis cordis veneremur Mariam: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per illam. hæc Bern. Et videte dilectissimi; quanta sit huius singularissimę gratiæ appreciatio: ad quam efficiendam tã vigilanter singulas diuinas personas operatas: quasi ex nomine designauit. Missus est, inquit, Angelus a Deo. s. patre, superueniet in te spiritussanctus: obumbrabit tibi altissimi virtus: ipsa est Dei filius in te natus. Ergo verè, quod nascetur ex te sanctum. vocabitur filius Dei. Et tantum de primo principali.

Christi concepti personalis discretis.

Dixi principaliter secundo, quod tãgitur nobis in themate concepti saluatoris personalis discretio: quamuis pater, filius, & spiritussanctus vna sint summa, ac diuina natura: non tamen pater incarnatus est: non spiritussanctus, sed solus filius: sicut in symbolo Apostolorum dicitur: Et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto. Et in symbolo Niceno. Qui. s. filius propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cęlis. Et incarnatus est de spiritusancto, ex Maria Virgine: & homo factus est. Cuius possibilitatem pluribus similitudinibus ostendit August. in sermone Legimus sanctum Moysen. De hoc supra in natiuitatis Christi vide latius. Est enim facta vnio duarum naturarum, humanæ, & diuinæ: non in natura aliqua, sed in persona. Non enim facta est natura humana diuina, nec diuina humana, sic enim vna earum necessariò corrumperetur. Sed nec ex illis manentibus est vna composita. Non enim sunt ad inuicem confusæ, aut commixtæ: vt vult Damasc. in suo. 3. Inconuersæ & inalterabiliter vnitæ sunt ad inuicem naturæ: neque diuina distante a propria simplicitate: neque humana, aut conuersa in deitatis naturam: aut in non existentiã diuisa: neque ex duabus vna facta composita natura. Et quia est discretio personarum in vna natura diui

Aug.

Dam.

na potest vna persona incarnati: seu dependentiam suppositalem terminare sine alia: licet ipsam incarnationem sit tota trinitas operata: quia & pater filio vniuit naturam humanam: & spiritussanctus eandem filio copulauit: eamque sibiipsi filius assumpsit. Sicut si tres, vni ex eis habitum aliquem induerent. De hoc Aug. in de fide ad Petrum: Reconciliati sumus per solum filium secundum carnem: sed non soli filio secundum deitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliauit: per hoc, quod solum verbum carnem trinitas ipsa fecit. Trinitas ergo incarnationem fecit: sed verbo, non patri, vel sancto spiritui.

Aug.

Sed cur filius, non pater, aut spiritussanctus carnem assumpsit? Respondet beatus Bern. sermone in de aduentu domini hanc assignans rationem. Nam lucifer altissimi similitudine, vsurpare tentauit, atq; ęqualitatem quod vtique filij est, qui est imago patris, ad Col. 1. ac splendor paternæ gloriæ & figura substantię eius. Heb. 1. Ideoq; præcipitatus ilico corruit: quoniam cęlauit pater pro filio: & opere dixisse videtur: Mihi vindictã, & ego retribuam. Hinc itaq; Angelorum primus in diabolum commutatus inuidens homini, quod conceperat in semetipso: in eo peperit iniquitatem: suadens vt lignum vetitum comedẽs fieret sicut Deus: sciẽs bonum, & malum. Ecce scientiam pro mittit, quæ ad filium pertinet: qui est sapientia patris: qui habet clauem sciẽtiæ, clauem Dauid, claudit & nemo aperit. Ecce quomodo mendax in seipso (dicens similis ero altissimo) factus est pater mendacij, cum in homine quoq; venenatum suæ falsitatis seminarium fudit, dicens: eritis sicut dij: scientes bonum, & malum. Consentientes primi parentes serpentis consilio: quod filij est, & ipsi surripere tentant. Sed & pater, qui diligit filium, iniuriam filij non dissimulat: sed & mortis, damnationisque sententiam in Adam, & omnes in eos seminaliter existentes protulit. Filius quoq; videns pro se cęlare patrem, & nulli pęnitus parcere creaturæ

Dei filius cur i carnatus nõ pater aut S.S.

Bern.

Col. 1.

Heb. 1.

turæ. Duas enim tantum fecerat creaturas nobiles, rationis participes, & beatitudinis capaces, Angelum videlicet, atque hominem, propter filium perdidit Angelos multos, homines vniuersos. (Vt sciat inquit filius, quia & ego diligo patrem, per me recipiet, quos quodammodo propter me amisisse videtur, vadam & talem me eis exhibebo: vt quisquis inuidere noluerit: quisquis imitari voluerit saluus fiat. Patris enim amor, & honor regis iudicium diligit. Ideo necesse est perire, pænitere nolentes. Nouit aũt superbiã Moab, ꝙ superbus est valde: & superbia eius pænitentiæ remedium non admittit: ac per hoc veniam. Propter quod etiam à principio vice eius hominem creauit: Vice hominis autẽ nullam. Et quia quem supplantauit aliena malitia, prodesse ei poterat charitas aliena. Ideo deserto Angelo, qui nullo impellente irremediabiliter cecidit: ad hominum liberationem se contulit: vt qui mendaci persuasione cecidit, venientem agno scat veritatem, & veritas liberabit eũ, si tamen depræhensæ falsitati penitus abrenunciauerit, & cognitæ adhæserit veritati: alioquin non humanum erit peccatum, nec humana tẽtatio, sed obstinatio diabolica. Nam perseuerare diabolicum est: & digni sunt perire cũ illo, quicunque in similitudine permanent in peccato. Hæc Ber. in sẽtẽtia.

Angelus cur non saluatus.

Bern.

Est, & quod nos in hac re imitemur, quatenus libenter offensam proximo donemus: cognito; quod filius Dei, in quem mediate homo primus peccauit, ipse vt pro peccato satisfaceret, aduenit. Ex quibus hoc manifestũ est, qa ꝙ natũ est hodie in virgine sanctum, vocabitur filius Dei, non adoptiuus, quales nos fecit (si eum imitati fuerimus) sed naturalis. Ideo non dixit, erit filius Dei sed vocabit: qa secundum gl. quãdam, quod nascetur ex te (o virgo) ab æterno est filius Dei: vocabitur autem secundum nominis impositionem, & manifestabitur ex tempore filius Dei. Sic enim & paterno testimonio, & miraculorum manifestatus est mundo.

Offensæ libenter prox. donam dæ.

Sed forte di. quomodo quod est ab æterno, nascetur de Virgine: nunquid potest aliquid existens de nouo incipere esse? & iterum. Quod de carne Virginis natum est, caro est. Caro autem, quę de nouo formata est: quomodo potest esse filius Dei, qui fuit ab æterno perfectus? Pro solutione autem huius obiectionis, & intellectu articuli incarnationis. Aduertendum; quod statim consentiente Virgine, & dicente. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum: trinitas benedicta de purissimis ventris guttulis sanguinis virginæi collectis in instanti formauit: perfectum corpus infantis, nulla alia superaddita materia. Neque enim de spiritusancto dicitur conceptus quasi de materia: sed quia eius operatione conceptus est: per quam corpus hoc formatum est. Non quod spiritussanctus fuerit Virgini pro semine. Non enim de substantia spiritussancti semen partus accedit: sed quia per gratiam Dei, & operationem spiritussancti de carne Virginis est assumptum, quod verbo est vnitum: sicut domus de artifice fabricata. Attribuitur autem spirituisancto: quia ex maximo amore Dei ad nos processit, amor autem spirituisancto attribuitur. In eodem instanti creauit nobilissimam animam: omnibus donis naturalibus, & gratuitis etiam ipsa beatitudine consummatam: quam corpori vniuit, & simul tempore hanc humanitatem filius patris sibi assumpsit personaliter: vt humanitas illa in se non esset persona, sed personaretur in verbo: non tamen fieret verbum: nec verbum fieret natura illa creata: sed aliquo modo similiter subsisteret in verbo: quomodo albedo est in lacte: propter quam lac dicitur, & est album: non tamen albedo est lac, non econuerso. Ita propter hanc vnionem, qua verbũ assumpsit humanitatem, verbum verè est homo: & homo verbum non alia ꝑsona hominis alia verbi: vt dicit hęresis. Nestoriana: sed non est verbum humanitas, corpus. s. aut anima. Nec econuerso sicut mentitus est Apollinaris

Existens ab æterno quõ nasci de nouo incipit esse.

ris

Apollinaris hæreticus.

ris: sed verè homo est: quia verè habens humanitatem sibi personaliter vnitam. In hoc ergo: quod assumpsit nouam humanitatem: in Virgine nata verè nascitur denuo: non quod de nouo incipiat esse: sed quia nouam entitatem assumpsit hypostatice. Sicut panis largè loquendo nasci dicitur in fornace: quamuis substātia panis præfuit, & per ignis decoctioné formam, ac saporem sibi vniuit: propter quæ panis dicitur. Ita non sola humanitas, sed verbum humanitatem assumens nascitur in Virgine. Et hoc est illud sanctū indefinite appellatum, quod vocabitur filius Dei: non caro tantum, nó anima, non ipsa humanitas ex his composita: sed suppositum, siue persona in his subsistens: dicta sanctum indefinite, non sanctus homo, non sanctus Deus: sed sanctus generaliter: quasi formaliter omnem humanam sanctitatem, omné diuinam eminentiam in se habens: sicut Exo.3. qui est &c. quia Deus omné essentiæ perfectionem immo infinitam entitatem in se claudit. Et hæc omnia clarè habentur in symbolo Athanasii. Hæc est fides catholica vt cre. & cō. qa dominus noster Iesus Christus Dei filius Deus, & homo est &c. vsq; qui passus est. Hæc sunt hodiernæ festiuitatis gaudia veneranda: quæ & si non intelligimus, fideliter credamus, veneremur, & adoremus: sicut Petrus Rauen. dicit. Hoc ineffabile domini sacramentū credere magis conuenit, quam referre. Nā quod natura non habet, vsus nescit, ignorat ratio. mens non sapit: cęlum pauet: terra stupet: creatura miratur: qualiter humanus sermo narrabit? Quis em̄ attingeret arcanum diuinitatis, & partum Virginis, causam rerum, seculorum negocium, diuinitatis, & carnis commertiu, hominem Deū? Sed nūc humiliter credendo gratias agamus: quatenus per fidem tandem peruenire ad speciem mereamur: ibique oculo ad oculum videamus: quomodo quod natum est in Virgine, vocatur, & est filius Dei. Ipso præstante, qui cum patre, & spiritusancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Exod:

Petrus. Rauén.

## *IN FESTO ANNVNnuntiationis dominicæ Sermo II. in ordine X.*

Hec est dies, quam fecit dominus psal.117. Psal.117

Incarnationis extollitur dies.

Stupet animus: reuerberatur oculus, sensus deficit: nec admirari intellectus sufficit: nec admirari intellectus sufficit, dum clarissimam hodiernę diei gloriam cupio intueri. Nec mirū. Cum etenim sanctissimum mysterium summus illæ cęlestium conscius secretorum Gabriel Archangelus: ad virginem singularissimè electam, in qua mysterium hoc grande consumandum fuerat a Deo missus: nunciare quidem potuit, sed nequaquam docendo eu oluere. Propter quod quærentem Mariam Quomodo fiet istud? ad altioris magistri doctorem transmisit dicit. Spiritussanctus superueniet in te: quo docente intelliges: quo operante senties. Si inquam ita, quis doctor (non dico mortalium, sed & an Angelorum) tantæ profunditatis abdita comprehendet? quis in scrutabilem diuini operis claritatem: etiam si purgatissimos habuerit oculos penetrabit? quæ præsentem diem longè amplius, quam sol ille materialis suis radiis illustrauit? Hęc quippe dies est, quæ & nostræ redemptionis initiale ministerium: renouationis mundi recolendum omni deuotione exordium recolit: simul & Virginis gloriosæ dignitatem, & meritum nobis pandit. Siquidem hodie reuelatum est (vt inquit Bern. in sermo de hac festi.) consilium quo mors occideretur: quo originale peccatum tolleretur: quo vita redderetur: homo de seruiture diaboli liberaretur: & a Deo in filium adoptatus in antiquam dignitatem reduceretur Hodie (inquit Au.) p totum mundū rorem gratiæ stillantes melliflui facti sunt cęli: & superueniente spūsancto in vterum Virg. descédit

Bern.

Aug.

filius Dei. Ad quod opus lucidissima, ac purissima virgo regiæ stirpis eligitur: de qua ipse vnigenitus Dei filius ad reparationem veteris hominis, sine virili attactu nouus homo nasceretur. Ita eam obumbrante virtute altissimi: vt feruore concupiscentiæ non posset attingi. Hæc est fortis illa mulier, quæ virtutis pede (secundum antiquissimum Dei vaticinium) vipereum serpentis caput contriuit: quam sapiēs ille Salomō quæsiuit Prou. vl. sed haud facilè inuenit. Neque hominis fuit inuenire, quam Angelus de vltimis finibus missus accessit: ac velut charissimum pretium eius nouæ salutis, no uū eulogium hac die obtulit: ipsamque salùatricem exhibuit toti mundo. O sacratissima dies, & omni iucunditate plena: in qua lapsa releuatur natura; vetustas proijcitur: salus perdita innouatur. Verè hæc est dies, quam fecit dominus: nec alter similis post. Absit, absit in hac die, vt sileat lingua carnis a iucundis diuinæ munificentiæ laudibus, in qua pro nobis caro factus est Deus. Nec pusillanimes reddat vel ignorantia, vel fragilitatis propriæ impotentia. Adest enim huic diei virgo illa fortis, & prudentissima super omnes huius mysterij docta: quoniam consummatum est in ea: immo & ipsa dies illa est, quam fecit dominus quam olim diem, quia lucidam sine tenebris noctis peccati originalis creauit: sed hodie mirabiliter sole iusti tię vniuit: ac totam diuinam effecit: vt & ipsa illuminet omnem hominem in hunc mundum venientem. Huic prosternamur; vt in eius lumine videre mereamur lumen: dicentes cum archangelo Gabriele, Aue gratia plena.

Prou. vltimo.

Mirabilia multa diei festi incarnationis.

Tria nobis in præsenti sermone. Hęc dies, quam fecit dominus, irradiat (si tempus explicandi copiam ministraret. Primum est singularis huius diei gloria, alios sublimiter transcendens: quia hæc est dies. Secundum noua diuinæ potentiæ refulgentia vniuersa eius opera vincens: quoniam eam fecit dominus. Ex quibus merito in nobis emergit. Tertium quod est tripudians lætitia corda sursum erigens. Quoniam hæc est dies, quam fecit dominus: haud dubium quin nobis: ideo sequitur: Exultemus, & lætemur in ea. Quo ad primum admirans propheta incompræhensibilem diei huius gloriā ait: Quis potest cogitare diem aduentus eius? Malach. 3. Secundo alludit illud Hierem. 31. Creauit dominus nouum super terram: femina circundabit virum. Tertiò consentit Apostolus. Vos inquit, estis filij lucis, & filii diei 1. Thes. 5.

Malac. 3. Hier. 3. 1. Thes. 5

Eximius prophetarum Dauid rex, cui hodie germen iustum dominus suscitauit, dum ad laudes diuinas suo cantico populum incitare conaretur, di. Confitemini domino: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, causam tantæ laudationis ad singularissimum redemptionis nostræ opus retorquens. Angularem istum lapidem, in quo vterque populus hebręus, & gentilis tanquam paries duplex vniēdus fuerat prophetico manifestauit spiritu di. Lapidem, quem reprobauerūt ædificantes, hic factus est in cap. an. a domino fac. est istud: & est mira. in oculis nostris. Cuius aduentus diem in eodem spiritu videns, exultans magnificauit: tanquam inter omnes totius temporalis diffluxus dies, singulariter iucundam, & gloriosam: di. Hæc est dies, quam fecit dominus: exultemus, & lætemur in ea. Quoniam etsi omnes dies dominus sicut & cætera vniuersa fecit: ipso teste, qui ait: Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & solem. psal. 73. Hanc tamen singulariter fecisse dicitur dominus: secundum Cassio. in qua dominus venit: in qua salutem dedit: non quod illam magis fecit: sed quia in illa maiora fecit: non modo vnum, sed plura magna, & maiora: vnum verò maximū. Hodie nanq;, vt referunt doctores, creatus est Adam primus de limo terræ, principiū vitæ terrestris. Hodie primus martyr Abel martyrum primicerius consecratus ē iniusta cęde fratris. Hodie a Mel

Mirabilia diei incarnationis la te recitā tur.

Psal. 73. Casiodorus.

chise-

chisedech in figura longè post instituendæ Eucharistiæ, panis, & vinum offertur. Hodie Isaac a patre Abraam immolandus, aræ colligatus supraponitur. Concipitur hodie Deus in Virginis vtero salutem nostram initians. Patitur hodie in crucis patibulo Christus inceptam redemptionem consumans. Latro conuersus suscipitur feliciter in Paradisum. Præcursor domini in carcere spiculatoris ictu moriens hodie nunciaturus patribus redemptoris aduentum, descendit in limbum. Hodie sub Herode decollatus est Iacobus. Hodie de vinculis ereptus est Petrus. His alijsque pluribus priuilegiatum credimus hunc diem dignissimum: propter quod in eius laudem, vt Lombartica recitat historia, metricè quædam canit.

Incarnationis festum versibus decantatur

Salue festa dies, quę vulnera nostra
coerces.
Angelus est missus: est passus & in
cruce Christus.
Est Adam factus: & tempore lapsus
eodem.
Ob meritum decimæ cadit Abel fra
tris ab ense.
Offert Melchisedech: Isaac suppo-
nitur aris.
Est decollatus Baptista Christi bea-
tus.
Est Petrus ereptus: Iacobus sub Hero
de peremptus.
Corpora sanctorum cum Christo
multa resurgunt.
Latro dulce tamen per Christum su
scipit amen.

De hoc latius in floribus temporum in principio.

Incarnationis dies super alias festiuitates anni effertur.

Omnia quidem hæc digna, & memorabilia facta laudes huius diei cumulant eamq; reddunt solennissimam. Ex hoc tamen singulariter, & maximè veneranda: quia hodie ineffabiliter Deus homo factus: ac Deus Dei filius in Virgine, ex Virginis substantia incarnatus: quod nisi factum esset nunquam nasceretur nunquam pateretur: nunquam infernum spoliaret: nunquã a mortuis resurgeret: nunquã suo ascensu cęlos patefaceret: nunquam spiritum sanctum Apostolis mitteret: in quo fit regeneratio, in quo fit remissio peccatorum: nunquam in cibum salutis seipsum nobis traderet sub sacramẽtali specie manducandum. Vnde si dies natalis solemnis est: qua Deus homo per natiuitatem temporalem hunc mũdum illuminaturus intrauit: hodierna est solemnior: qua Deus in Virgine nostram naturam sibi vnione hypostatica sociauit. Si dies resurrectionis habetur celebris, qua carnis Christi mortalitas formam assumpsit gloriosam. Celebrior est dies ista, qua natura humana gloriam vestiuit diuinam. Si festiua est dies ascensionis dominicę, qua Christus secundum humanitatem ascẽdit in cælum: festiuior est illa, qua patris verbum pro nobis descendit in virginis vterum. Si demum præclara est dies Pentecostes, in qua spiritussanctus missus est Apostolis in linguarum visibili signo: præclarior est illa, qua inuisibilis Dei filius factus est visibilis, & verus homo. Quod etiam Franciscus in floribus Augustini lib. 13. declarat, quia festa ad Christi humanitatem pertinentia, non sunt diuina: nisi ratione vnionis carnis cum natura diuina. Sine hac enim essent puri homines: vt pote natiuitas, passio, resurrectio, ascensio. Vnio verò hæc, quæ est incarnatio verbi, est hodiernæ festiuitatis. Ideo cęteræ omnes sunt solemnes per eam. Vnde apparet manifestè, quod hac die: quam fecit dominus nulla dies præclarior: nulla festiuitas solemnior.

Francis.

Altercatio inter Gabrielẽ & demonem terminata est festo annũciationis.

Nec mirum: quoniam hodie super hominis damnati redemptione altercatio longa & dura. Altercatio inquã inter Gabrielem & demonem: inimicitia inter Deum & hominem: discordia inter misericordiam & veritatem: inter iustitiã & pacẽ clarè diffinita est ad extra: & pax æterna constituta: atque captus homo redditus libertati. O felix tempus miserationis. Felix annus propitiationis. Felix mensis liberationis. Felix dies annunciatio-

nis. Fęlix hora virgineę conceptionis. Felix instans dominicæ incarnationis. Fęlix, inquam, tempus, in quo plenitudo gratiarum exurgens de alto suæ Maiestatis: ac paterna sede descendens venit, vt misereretur sion: tempus reuera miserendi eius. Tempus plenitudinis: vt Apostolus loquitur ad Galat. quarto, in quo misit Deus vnigenitum suum factum ex muliere: factum sub lege: vt eos, qui erant sub lege, redimeret. Felix annus, quo in sexto millenario a mundi origine cæpit nostri misereri Deus. Verè hic est annus propitiationis, & Iubilæus, pro annum quinquagesimum designatus. Nam & annus 5200. quo incarnatus est dominus: secundum Oros. octauo & August. & chronicas: ex numero iubileo idest quinquagesimo surgit: pro centesimoquarto, multiplicato: quia etiam per obseruantiam decem præceptorum in quinque libris Moysi contentorum: secundum perfectionem, quam centesimo, significat: quatuor euangeliorum consequimur libertatem per sectam in hoc anno initiatam. Fęlix mensis, in quo a seruitute liberatur populus Dei. Iste est mensis primus anni benignitatis, & misericordiæ. Sicut scriptum est Exo. decimosecundo, Mensis iste scilicet Martius, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni: in quo etiam factus est mundus: & in eodem iam inueteratus initiabiliter est renouatus: secundum prophetæ desyderium clamantis: Innoua signa, immuta mirabilia.

Gal. 4.

Aug. Oros.

Exo. 12.

Fęlix dies, qua annunciatus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus: vt pacificatis, quæ in cælis sunt & in terris: aditum ad regna cælestia aperiret. Verè hæc dies boni nuntii est: in qua auditus est sonitus cælestis exercitus. Neque putandum solum venisse Gabriel: etsi solus inuisibili forma apparuit: vt tenent communiter doctores super illud Luc. Et ingressus, solusque loquebatur: non tamen sine magno exercitu inferiorum Angelorum, non minus quam dum natiuitatis gaudia nunciaret, venit cum eo multitudo militiæ cælestis, Lucæ secund. Hinc Bernard. Non solum descendit cum Gabriele Angelorum exercitus: sed etiam ipse Angelorum dominus. Huius ergo præsentia exercitus magni domini exercituum fugari: sunt syri dæmonum turba: in oculis suis sublimis, & excelsa vt reparentur eorum vestes, & vasa: & quidem superueniente fortiore, fortis ille armatus vincitur: & vniuersa eius spolia diuiduntur. Luc. vndecimo.

Fęlix hora, qua de Virgine conceptus est altissimi filius: in qua floruit virga de radice Iesse Esa. decimoprimo, ac fructum suauissimum produxit. Olim terra (producta in hac hora) fuit maledicta: nec tam fructus produxit, quam spinas, & tribulos. Sed hac fæliciflima hora terram suam dominus benedixit: terram virginæam ab omni spinarum aculeis alienam: dum secundum Anselmum, fomitem prius debilitatum pęnitus extinxit. Et secundum verbum prophætæ Esa. 45. Rorante cælo desuper: ac nube sancti spiritus terram obumbrante ac pluente iustum: aperta est per consensum: & germinauit saluatorem diuinum per conceptum.

Luc. 11. Incarnationis dies sublimata é noua diuinæ potentię refulgétia.

Ans.

Esa. 11.

Fęlix demum instans dominicæ incarnationis: quo natura dudum maledicta summam consecuta est benedictionem: vt nedum priori dignitati restitueretur: nedum in amicitiam resumeretur: sed velut sponsa vnigenito patris copularetur. Hoc instans est cælestium nuptiarum, quas summus rex filio suo fecit, dum hunc in Virginis vtero humanæ naturæ coniunxit: vt dicit Gregor. Homil. 38. immo plus quam sponsa coniungitur, quæ ad identitatem suppositi sublimatur. Erunt duo in carne vna Genes. 2. & ad Ephes. 5. Et sequitur: sacramentum hoc magnum est: ego autem

Greg.

Gen. Ephes.

dico

dico in Christo, & ecclesia. Nihil hic cooperatus est materialis solis influentia, & radius, nihil humanæ generationis complexus, ab opere huius diei, longè fuit omne meritum, & actus. Quoniam hæc est dies, quam fecit dominus. Tantum de primo.

Incarnationi nihil tale simile pôt cogitari.

Dixi secundo quod hæc dies est sublimata, noua diuinæ potentiæ refulgentia, vniuersa eius opera vincens. Quoniam & si ab initio temporis pater operatur vsq; modo, operatur, & filius Ioann. 5. Neq; ab eorum operatione separatur spiritussanctus. Nihil tamen tale vnquam factum, nihil tale auditum, nihil tale cogitatum; quale est hoc nouum, quod die hodierna super terram creauit summa Dei, & benignissima maiestas. Quod est hoc nouum, quod creauit dominus super terram? Mulier (inquit propheta) circundabit virum. Si dixisset fœmina circundabit infantem siue paruulum, rem non nouam, sed vetustissimam protulisset. Sed cum dixit, circundabit virum, nouitatem aliquam, & admirationem habere videtur. Nam secundum Bernard. super Missus est, homil. 2. Si vir, quomodo à fœmina circundatur? Aut si à fœmina circundatur, quomodo vir? Viros enim nominamus, qui infantiam, pueritiam, adolescentiam, atq; iuuentutem transeuntes ad gradum vsq; senectuti proximum peruenerunt. Talem fœmineo circuncludi vtero admirandam nouitatem quis dubitet? O si addiderimus, quæ fœmina quem virum? supra modum crescet nouitatis miraculum. Fœmina vtique virgo circundedit virum Deum. Hæc fœmina hunc virum, quos Esaias descripsit. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatum est nobiscum Deus. O verè nouum, maximum, & id bipartitum, Deus hominis filius, virgo mater, & mater Dei. Tractemus quodlibet paululum per se, vt facilius aliquid capiamus. Nunquid ad extra maior effectus ostensus est? Nec in aliquo

Ioan. 5.

Bern.

sic relucet potentiæ infinitas, sicut in eo quòd humanitas vnita est Deo, tali vnione quæ faceret hominem verum Deum, & Deum hominem verum. Hinc August. 13. de trinitat. ca. 19. In rebus æternis summa veritas attribuitur Dei verbo. In rebus per tempus exortis summa gratia est quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo, multa quidem mirabilia operatus est dominus creaturæ, & potentiam, & intelligentiam excedentia, sicut propheta ait psal. 39. Multa fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi. Et in psal. 103. Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Et Iob 38. & sequentibus duobus capitulis multa de hoc Mirabilis est, & magnæ potentiæ indicium totius mundi compositio, in quo terram medium vniuersi, siue centrum immobiliter collocauit, aquis terminum posuit ne transirent fines suos, aeris latitudinem trifariam diuisit, ignem nobis inuisibilem ceteris elementis supertulit, & hæc omnia varijs mineralibus mixtis, vegetabilibus, plantis, & animalibus adornauit, cuilibet propriam speciem, & operationem indidit. Sed & cœlum hoc latissimum multis distinctum orbibus, multis pictum luminaribus, varijs perfectum operandi, ac influendi virtutibus. Super hæc omnia sicut pellem incorruptibilem, & solidissimam extendit. Et quod his maius est, creaturam spiritualem, angelicam, & rationalem animam, quarum alteram in sui puritate consistere, aliam limo corporis vniri voluit, vtranque infiniti creatoris sui capacem per intellectum, & voluntatem & in eo beatificabilem efficit. Quæ omnia, & multa alia adeo sunt miranda, vt cogitata aliquo modo in notitiam creatoris perducant, sicut vult Paulus Roma. primo. Inuisibilia &c. Et Ambrosi. super idem cap. ad Roman. Opus inquit, fecit Deus,

Aug.

Psal. 39.
Psa. 103

Iob. 38.

Rom.

quod nulla creatura facere, vel destruere valet. Accedat quæcunque vis creaturæ, faciat cęlum tale, & talem terrã, & dicam: quia est Deus.

Sed finita sunt omnia hæc, & quo ad esse, & modum, ac operationem certis terminis coarctata, producta, & ordinata ab eo, qui vt Apostolus ait: vocat ea, quæ non sunt sicut ea, quæ sunt. Roman. 4. Ex quibus infinitas Dei, non efficaciter & euidenter: vix autem tenuiter probari potest. Siquidem opus finitum non arguit nisi opificis finitatem &c. In quibus si super alia miramur productionem eorum de non esse ad esse: simile aliquid quotidie cernimus in natura, quæ etiam formas producit de non esse, licet in materia præsupposita.

Rom.

Nec inintelligibile est, si solus agit creator: quæ sua institutione creatura producit concurrente materia: omnia ergo illa minora sunt, & velut incomparabilia ad hodiernæ diei opus, quo perfectissima omnium creaturarum secundum gratiam, & gloriam producta est. Ineffabiliterq; infinitæ naturæ diuinæ non secundum potentiarum operationem tantum, sed secundum esse hypostaticum vnita: ad summam cum Deo cooperationem creatura admissam. Quæ tria sicut nostram intelligentiã effugiunt: ita Dei infinitã potentiã euidentiore probatione certissimè manifestant. Producta est primo hodie humanitas Christi formatione instantanea perfectissima secundum corpus sola quantitate excepta, quæ aucta est in dies: & propter vteri Virginis angustias: & ne si omnis naturæ ordo mutaretur: non homo, sed phantasma Christus putaretur: perfecta secundum animam: quæ creata simul gratia & gloria ad mensuram secundum totam eius capacitatem est repleta: quod nulli vnquam Angelorum datum est. De quo in sermone primo latius vide, propter quod rectè in instanti creationis nobilissimę humanitatis Christi: Christus non infans aut puer, sed vir a propheta vocatus est. De quo Ber. hom. 2. super

Creatura eius perfectissima hodie creata est.

Bern.

Missus est, inquit: Virum dixerim fuisse Iesum: & non solum cum iã diceretur vir propheta potens in opere, & sermone, sed etiam cũ tenera adhuc infantis membra Dei mater blandè, vel foueret in gremio, vel duraret in vtero. Vir igitur erat Iesus: necdum etiam natus, sed sapientia: non ętate, sed animi vigore: non corporis, maturitate sensuũ: non corpulentia membrorum, neque enim minus habuit sapientiæ; vel potius non minus fuit sapientia Iesus cõceptus, quam natus paruus, quam magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue grandiusculus interrogans doctores in templo: siue iã perfectè ętatis docens in populo; æquè perfectè plenus fuit spiritusancto: nec fuit hora, in quacunque ętate sua: qua de plenitudine illa, quam in sua conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel ei idem aliquid adderetur. Et post pauca. Cur deniq; dubito virum fuisse in vtero: quem inibi Deum fuisse non ambigo? minus quippe est esse virum, quam Deum. Hæc Ber.

Ineffabiliter deniq; vnitæ sunt duæ naturæ infinitè distantes: diuina scilicet quæ sempiterna est, infinita, summa & increata, & humana, fragilis, creata ac finita: maxima vnione post illam, quæ trium personarum est in illa inattingibili trinitate: vt vult Bern. Tali vtique quæ & substantias saluat inconfusas, impermixtas, incompositas suis proprietatibus discretas: & tamen eadem hypostasi personatas: quo non obstante: ita personæ verbi vtraque natura humana, & diuina sua communicant idiomata: vt verum sit non appropriatiuè, aut nuncupatiuè, sed propriè, & realiter: quod Deus, & homo, & homo Deus: de quo beatus Bernard. in ser. de vigi. nat. qui incipit: Hodie scietis: pulchrè loquitur prope finem. Attende, inquam, quia sicut nulla: quære ibi. Si autem extrema huius vnionis consyderamus: quid mirabilius cogitari potest? Deus immutabilis, æternus, sine sua mutatione fit homo nouus in tempore. Deus infi-

Naturæ duæ infinitæ distanter vniũtur incarnatione Christi. Bern.

infinitus incompræhensibilis vbique existens: sine contradictione sui nihil perdens eorum, quæ ipse est: vnitur per sonaliter naturæ finitæ & loco circum scriptæ: ita vt nec minus in assumpta natura esset, quia in se infinita, nec mi nor in se existeret, quia in ista fuerat totum. Hinc Augu. Dei filius ita magnus est in forma Dei: & ita paruus in forma mei, vt nec ista breuitate ista ma gnitudo minueretur: nec ista magnitu dine ista breuitas præmeretur. Et beatus Ioannes Damas. in suo 3. Ex hoc ostenditur infinita virtus, & potentia quod ipse existés perfectus Deus se hac incarnatione fecit perfectum hominé. Sicq; inhumiliabilem altitudinem suã inhumiliabiter humilians condescendit seruis suis, condescensione inenarrabili, & incompræhensibili: quod om nium nouorum maxime nouum est, & solum nouum sub sole: nec vnquam maius aliquid fieri potuit. Credere hæc possumus, atque eloqui, sed intel ligere non valemus. Disputent alii subtiliter quærentes huius vnionis, quidditatem, & modum, extra fundamentum, & terminum. Loquantur iungentes contraria: vt eandem personam, asserant creatorem, & creaturam: æternum, & temporalem, corporalem, & incorporalem, passibilem, & impassibilem, simul tempore mortuam, & viuentem. Eandem dico personam, sed non secundum idem. Dicant denique hominem creasse cœlos, & stellas ab æterno fuisse genitum ex patre, Deum de Deo, lumen de lumine: & cætera multa. Dicant que Deum temporaliter, & de nouo hominem factum corporæum passibilem, mortuum, sepultum, oculis corporalibus visum. Dicere quidem possunt: intelligere non possunt: satis est: si a contradictione, ac impossibilitate contra fidei inpugnatores, & proteruos vera defendere possunt. Nam de hac Christi conceptione, & generatione in Virginis vtero verissimum est quod Ambrosius ait: Et allegat ma gister distinct. 9. primi. Mihi impossibile est scire generationis secretum, mens deficit, vox silet, nec mea tantum, sed etiam Angelorum. Supra om nem sensum est: tu ergo ori tuo manum admoue. Scrutari non licet superna mysteria: licet scire, quod natus sit: non licet discutere, quomodo natus sit. Illud mihi negare non licet: quod quærere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio. Nam & Esaias ait: Generationem eius quis enarrabit? Hinc etiam beatus Bernardus sermone secundo de vigilia na tiuitatis: vnam ex mirabilibus mixturis ponit fidem illorum, & cor humanum. Ait enim: Tria opera, tres mixturas, fecit illa Maiestas, in assumptione nostræ carnis: ita mirabiliter singularia: & singulariter mirabilia: vt talia nec facta sunt: nec facienda amplius sint super terram. Con iuncta quippe sunt adinuicem Deus, & homo, mater, & virgo: fides, & cor humanum. Iterum si in hac ineffabili vnione consyderamus, quod humana natura cum sit toti naturæ diuinæ vnita: quæ vna est in tribus personis: & solum verbum hanc vnionem terminauit, vt solum verbum dicatur: & sit incarnatum. Non pater, non spiritussanctus. Aliud relucet no uum, cui simile nihil inuenitur. Hac enim incarnatione excepta, quidquid vni personæ attribuitur respectu creaturæ, cuilibet conuenit, & omnibus attribuitur. Propter quod Augu. ait: quod opera trinitatis ad extra sunt indiuisa. Sic enim vna creante, iustificante, diligente, illabente: omnes creant, iustificant, diligunt, illabuntur: nec vni personæ rationalis creatura vnitur per amorem, vel illapsum sanctificum in via, nec beatitudine in pa tria: quin & alteri & toti trinitati pa riformiter vniatur: excepta sola incarnatione quæ licet per omnes tres facta sit: & patrem, filium, & spiritum sanctum: tamen solum verbum creditur incarnatum: vt laté tractatur distinct. 1. 3. Ecce nouam diuinæ potentiæ refulgentiam vniuersa eius opera

Aug. Damas. Amb. Bern. Aug.

vincens. Et tantum de secundo. Tertium alteri sermoni reseruatur, propter huius sermonis prolixitatem.

## IN FESTO ANNVNtiationis Dominicæ Sermo III. in ordine. XI.

Luc. 1 Incarnationis Christi nostræ salutis consiliũ impletum.

AVE. Lucæ 1.

Celeberrimum nostræ reparationis principium fratres dilectissimi, deuotissima iucunditate: ac iucũdissima deuotione suscipiamus. In quo misericordissimum diuinæ charitatis consilium credimus executum. Hodie nanque immortalis Deus, incompræhensibilis, & infinitus: vt nos perditos reuocaret: lapsos erigeret: mortuos viuificaret, intemeratum Virginis Mariæ vterum ingressus, carnem assumens ex ea, seipsum exinaniuit: factus homo mortalis compræhensibilis, & localis. O ineffabilem summæ Maiestatis charitatem iacentem vt erigas, descendis, hominem vt Deum faceres, incarnaris: perditum vt viuifices, moreris. O benedicta inter mulieres virgo deuotissima: sola tanto nostræ salutis digna ministerio. In te sola inquit Bern. ser. de annunciatione: rex ille diues, & prædiues exinanitur, excelsus humiliatur, immensus abbreuiatur, ab Angelis minoratur. (Bern.) Verus denique Deus, & Dei filius incarnatur. Sed quo fructu? vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate subleuemur, eius minoratione magnificemur, eius incarnatione adhęrentes Deo, incipiamus vnus esse spiritus cum eo.

Tu sola es illa vnicè electa: idonea nostræ redemptionis ministra: non nouiter, aut casu inuenta: verum vt Hieron. in sermone Cogitis: ait, à prophetis prænunciata, a patriarchis figuris & enigmatibus præsignata: ab euangelistis exhibita, & monstrata. (Hiero.) Hodierna quoque die ab Angelo venerabiliter, & officiosissimè salutata. Missus siquidem est hodie Gabriel archangelus: egressus de rege ad reginam, de Imperatore ad Imperatricem, de ciuibus cæli ad dominam palatij. Vade inquit pater Gabrieli: vt August. in sermone huius festi, loquitur: (Aug.) Vade & ęthereas sedes rumpe: consilium nostrum Virgini defer Mariæ: huic vnicum meum filium, immo alterum me donare volo: vt sit illa mater, cuius ego sum pater: & quia nouum in terra eius, cui benedixi, faciam: nouo salutabis alloquio. Væ, væ, væ, clamant omnes filii Euę, quos miseria tenet culpę, miseria mortis, & damnationis perpetuæ. Cesset vox illa, quia inuenta est Maria sine culpa: per cuius hodiernum conceptũ, vniuersorum delebitur culpa: & destruetur mors inimica, & spoliabitur mansio tartarea. Ipsa digna reputata est, vt a me transmissum, suscipiat per te signum nouum lætitiæ iucundissimum verbum aue. Quod & nos ei deuote offeramus: quatinus eius interuentu apparente verbo, quod hodie concepit: detur nobis sermo placidus ad eius laudem, nostram pariter ad salutem. Aue Maria.

Sacratissima hodiernæ diei festiuitas, filio dedicatur simul & matri. Hodie nanque verbum caro factum est in Mariæ vtero, ac per hoc ipsa mater facta manens Virgo. (Incarnatio Christi festiuitas é matris id filii.) Primum opus summæ dignoscitur gratiæ. Secundum verò singularis gloriæ. De primo ait August. lib. 13. de trini. cap. 19. (Aug.) In rebus æternis summa veritas attribuitur Dei verbo. In rebus per tempus ortis, summa est gratia: quod homo in vnitate personæ coniunctus est Deo. De secundo dicit Bern. homil. 1. super Missus est. (Bern.) A seculo non est auditum. vt aliqua simul esset mater, & virgo. Si & cuius mater sit attendas, quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc vt te videas non posse satis admirari? Nonne tuo, immo & veritatis iudicio: illa, quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum. Nam & Maria matrem se cogno-

gno-

gnoscens, Maiestatem illam, cui illi con reuerentia seruiunt: cum fiducia suum nuncupat filium: per primum Maiestas descendit: per secundum infirmitas ascendit. Descendit Maiestas, paternum non relinquens sinum. Non credis inquit Philippe, quia ego sum
Ioan. in patre, & patre in me est Ioan. 15. Sed nouum assumpsit subsistendi modum: quoniam per incarnationis sacramentum, qui prius in diuina tantum natura, subsistit pariter, & huma
Aug. Orig. na. Christus vna persona est(ait August. contra Maximum) geminæ substātiæ. Hinc Origin. in hom. de Virg. nati. Vnigenitus patris, totus apud patrem, totus in Virgine, totus in sinu patris, totus in humano corpore: non relinquens superiorē, venit quærere terrena: quæ in cælis sunt conseruans: & quæ in terra sunt saluans, totus in cęlo, totus in terra, totus apud patrē, totus & in Virgine, totus totum tenet: totum implet, illustrat, & possidet. Hæc ille. Ascendit infirmitas dum
Sedulius Virginitati contra naturæ iura additur fęcunditas. Vnde Sedulius. Gaudium matris habens cum Virginitatis honore. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Verum si morem geram populo: Festum hoc nominans magis a Virgine matre, quam incarnato filio: laudibus eiusdem matris plus inseruiens, veniam peto; quoniam ita conceptus exigit ordo, in promissa expositione salutationis Angelicæ hodie ad Virginem missæ: quæ a verbo thematis incipit, quod est Aue. Maria.

Maria sua conceptione liberata a vę maledictionis. Aue, vt iam in prioribus repetitum est sermonibus: quia interpretatur sine væ: euacuationem imperfectionum importat: a quibus multipliciter Virgo sanctissima singulari priuilegio noscitur præseruata. Quantum verò pręsenti congruit festiuitati: a væ maledictæ sterilitatis, a væ corruptionis, & pudoris, a væ concupiscentiæ, & libidinis, extitit liberata. Dura siquidem maledictio, & graue iugum super omnes filias Euæ: quoniam sterilitas Virginitatem concomitans maledicitur: & conceptioni corruptio, ac concupiscentiæ fęditas (quarum altera corporis, altera mentis perimitur Virginitas) alligatur. Ab his libera fuit virgo Maria: quia nec sterilis permansit, nec per pudorem comixtionis, aut sensum libidinis, puritatem vtriusque amiserat virginitatis. Liberata est, inquam, a maledicto sterilitatis: quia elegit magis esse hominibus opprobrio, quam obnoxia peccato. Ait enim intra se virgo prudentissima: vt ait Bernar. in homil. 3. super Missus est. Quid facies? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris: angustiæ sunt mihi vndiq;, qd eligā? Sed melius est mihi maledictum incurrere, & castam manere, quam per concupiscentiam concipere: & sic merito per dolorem parturire: hinc etsi video maledictum, sed non peccatum: hinc vero peccatum simul, & cruciatum. Denique hæc maledictio quid aliud est, quam hominum exprobratio? Neque enim ob aliud sterilis dicitur maledicta, nisi quod opprobrio, & contemptui sit habenda, tanquam inutilis, & infructuosa in Israel: mihi autem pro minimo est, quod hominibus displiceo: dum me possum Virginem castam exhibere Christo. O virgo prudens, O virgo deuota, O virgo castissima: quis te docuit Deo placere per virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina vel præcipit, vel consulit; vel hortatur in carne non carnaliter viuere: & in terris Angelicam vitam ducere? Vbi legeras beata virgo: Sapientia carnis mors est: & curam carnis ne feceritis in desyderio? Vbi legeras de Virginibus, quæ cantant canticum nouum, quod nemo alius cātare potest: & sequuntur agnum quocunq; ierit? Vbi legeras laudatos esse, qui se castrant propter regnum Dei? Vbi legeras, in carne ambulātes non secundū carnem militamus? Et qui in matrimonio iungit Virginem suam, bene facit, & qui nō iūgit, melius facit? Vbi audieras: Volo vos oēs esse sicut me ipsum: & bo- Bern.

& bonum est homini si sic permaneat secundum meum consilium. De Virginibus, inquit, præceptum non habeo, consilium autem do. Tu verò non dicam præceptum sed nec consilium, nec exemplum cognoueras, nisi quod te docebat vnctio de omnibus, & sermo Dei viuus, & efficax ante tibi fuit magister, quam filius, prius instruxerat mentem, quam indueret carnem. Christo ergo te deuoues exhibere Virginé, & nescis quod ipsi exhibere te oporteat etiam matrem. Eligis in Israel esse cótemptibilis, vt illi placeas, cui te probasti incurrere maledictum sterilitatis.

Mariæ virginis, magna humilitas.

Sed quid hic amplius mirabimur? An amorem puritatis, an virtutem humilitatis? Laudabilis plane, singularis puritas, sine exemplo, sine præcepto, sine consilio, illaudatam adhuc eligere Virginitatem. Sed nec minus commendabilis tanta humilitatis profunditas, eligere se esse opprobrium hominum, & plebis abiectionem, vt soli Deo placere fas sit, & eius mereri adhæsionem. Et quidem placuit ex Virginitate, concepit tamen ex humilitate, & vt Bern. ait hom. 1. super Missus est. Constat, quia vt placeret Virginitas, humilitas proculdubio fecit. Quia enim vt cogitaret, quæ domini sunt, eiq; toto seruiret corpore, & spiritu, elegit despecta esse, & vltima omnium filiarum Israel, spreueratq; omnem ex posteritate secuturum honorem, pro nihilo ducens infœcunda, inutilis, & maledicta ab omnibus filijs hominum reputari, & vt talis despici, & contemni, benedictioni maledictio commutatur, fæcunditate sterilitas compensatur, nec fœcunditate Virginalis integritas violatur. De hoc etiam pulchre loquitur venerabilis Hugo in de perpetua Virginitate Mariæ. Hinc ei ab eo, cui placuit, cœlestis nuncius mittitur, & quia ablatum sit opprobium reuerenter intimatur. Missus est (inquit Lu.) Angelus Gabriel à Deo, in ciuit. cui nom. na. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen e. Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit. Aue .i. sine omni væ maledictionis, sterilitatis, atq; corruptionis, quod sequentia eiusdem Angeli verba declarant, quibus cum decore Virginitatis conceptus promittitur summæ maiestatis, hoc est, quod ipsa innuit, cum in spiritu exultans & de tantæ prolis dono dominum magnificans, ait. Qui respexit humilitatem ancillæ suę. Quam humilitatem? Illam sine dubio, quæ dicta est, qua seipsum propter dominum despexit, atq; ab omnibus vsq: ad maledictionem se conténendam minime dubitauit. O si comparemus sanctarum mulierum Saræ, Rachelis, Annæ humilitatem, humilitati Mariæ, sicut stellas claritas solis, ita harum vincitur ab illius, sed alteri loco hoc reseruandum puto. Ideoq; quia sub omnibus se humiliauit, dominus eam super omnes exaltauit, vt ipsa sola sit, quam beatam dicent omnes generationes hominum pariter, & Angelorum. Hæc de primo.

Bern.

Hugo

Maria in conceptióe inuiolatam tenuit Virginitaté

Fuit secundo virgo sanctissima præseruata à væ pudoris & corruptionis, quæ per sexum accidit commixtionem quia in hodierna cóceptione inuiolatam corporis tenuit Virginitatem, quod euangelista, & cęlestis nuncius pariter contestantur. Ait enim Luc. Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam. Et Angelus ad Virginem de integritatis suæ violatione timentem. Spiritussanctus (inquit) superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ad Ioseph autem. Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Matt. 1. Et quamuis omni fideli indubitata sit Mariæ Virginitas, quæ benedictum ventris sui fructum non de virili semine, sed mystico conceptũ spiramine confitetur. Impudentissimi tamen Iudæi proprium conténentes honorem, & paganorum philosophi hanc temerare non cessant, & quasi ré Deo impossibilem diffitentur. Primi scripturis suis proprijs. Secundi ratione sunt conuincendi vt suis proprijs

Matt. 1.

testi

testimonijs Virginis conterantur inimici. Legitur namq; de Achaz rege Iuda, qui idolatra fuit pessimus, vt habetur. 4. Regum 16. & secundum Ber. ser. 2. de aduentu domini, elatus erat fastigio solij regalis, & astutus humanæ sapientiæ verbis, quia coniurauerunt contra eum reges duo Faceæ rex Israel, & Rasym rex Syriæ Ascenderunt contra hierusalem ad præliandũ cum eo. Ipse vero perterritus, ac desperatus timens se resistere non posse ad dominum conuersus non est, sed diffisus de auxilio domini, quæsiuit auxilium à Teglathphalassar rege Assyriorum. Misit autem ad eum dominus Esaiam prophetam (Esa. 7.) vt sibi nunciaret liberationem à domino, ne timeret aduersarios nec apud alium quęreret auxilium. Et vt promissionem hanc crederet, atq; de ea tam ipse, quã populus certificaretur, adiecit loqui, dicens. Pete tibi signum à domino Deo tuo in profundum inferni, vel in excelsum supra, quo scilicet honorificatus coram populo (dominus ab eo) dimissis idolis quæreretur. Achaz verò rex cum totus à domino auersus, & ad idola conuersus esset, nolens ꝙ aliquid ad gloriam Dei populo monstraretur, qué magis voluit seruire idolis, quam Deo dixit. Non petam, & ad palliationem suę nequitiæ addit. Et non tentabo dominum. Non dixit, dominum meũ, sed dominum, q. d. quem tu dicis dominum. Et quia nec signum incompræhensibilis profunditatis sapientiæ, venerari, nec potestatis excelsæ timere voluit, vt vult Bern. conuersus est propheta ad populum, quamuis ingratum & per regem seductum dicens. Audite ergo domus Dauid propter hoc, idest ad deleclarationem sui nominis principaliter, vel propter hoc, idest quia domus Dauid, qui Deo placuit, cui promissio facta est. Dominus ipse dabit vobis (non tibi Achaz) signum liberationis, in quo manifestè non solum incompręhensibilis sapientia aut excelsa potentia, sed & charitas immensa innotescat. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpratatur nobiscũ Deus. Ecce testimonium apertissimũ ex scriptura prophetarum.

4. Reg. 16.
Bern.
Esai. 7.

Nec audiendi sunt Iudæi, qui dicunt quod verbum virgo, apud eos sonat iuuencula, siue sit virgo, siue corrupta, quia secundum Nico. de Ly. super Esa. verbum hebraicũ, quod ponitur idest halma, descendens ab almoth, quod absconsionem significat, importat iuuenculam absconditam aspectibus hominum, ita ꝙ de eius pudicitia, & integritate non dubitatur, & maximè quando præponitur He. Nam in tota scriptura non inuenitur sic scriptum nisi de tribus, scilicet de Rebecca: Gene. 24. Maria sorore Moysi: Exo. 2. Et in hoc ca. Et quia primæ duæ fuere virgines purissimæ, sic nominatæ, similiter tenendum est de ea, de qua loquitur Esa. Et præterea secundum Chrys. super Matth. hom. 5. (vide ibi pulchrè ad propositum) Si puella hæc vt iudæi loquuntur, quam concepturam dicit propheta, esset de coniugij lege concepturam. quale signum fuisset diuinæ potentiæ, maiestatis, atq; charitatis, excedens signum, quod peti potuisset in profundum inferni, siue in excelsum supra, quod dominus ipse dabit, quasi diceret super id, quod peti potuit, daturum se promisit, cum signum debeat excedere omnem ordinẽ rerum. Sicut etiam Aug. in ser. qui incipit Castissimum, declarat dicens. Quæ sunt Dei mirabilia, nisi quæ sunt hominibus impossibilia.

Gen. 24.
Exo. 2.
Chrys.
Aug.

Huic deniq; signo ineffabilis amoris concordant figuræ incredulo populo multipliciter exhibitæ, in tabulis lapidæis sine stilo scriptis, in manna in deserto sine semine producto, in Aaronis virga germinante sine pluuia. In quibus possibilitas Virginæi conceptus clarè manifestatur. De quo Aug. in ser. Castissimum. Qui lapideas inscripsit tabulas sine stilo ferræo, ipse grauidauit Mariam spiritu sancto. Qui produxit panem in æremo sine arratione, ipse impregnauit Virginem sine corru

Conceptionis possibilitas probatur figuris.
Aug.

corruptione. Et qui fecit virgam sine pluuia germinare, ipse fecit filiam Dauid sine semine generare.

Concep. virginalis probatur ex formatione Euæ.

Quid deniq; impossibile includit Virginem, diuina operante potentia concipere. Nunquid non potest omnipotens de sola Virginis substantia humanum formare corpus, qui id à principio de terræ gleba, & deinde de sola viri costa fabricabat, immo qui ab initio totius mundi substantiam de nihilo creabat? Ecce (teste scriptura) formauit Adam de solo terræ limo sine viro, & muliere. Sed & Euam ædificauit de dormientis viri costa sine semine. Hic hodie intra Virginis vterum formauit corpus suo filio, nullo cooperãte viro. Consentiente nanq; Virgine verbis angelicis d. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum, in vltimo verborum instanti (sicut tradit Damas. in suo. 3.) spiritussanctus non sine patre, & filio, collectis purissimis Virginæi sanguinis guttulis, subito formauit corpusculum in omnibus membris, organis, & lineamentis, sed non quantitate perfectum In eodem simul animam rationalem omni gratia, sapientia, & beatitudine plenam creauit, creando corpori infudit, infundendo vniuit, & ita humanitatem illam cõstituit, quam in eodem instanti, & si solus filius assumpsit, ipsam tamen assumptionem, idest naturam humanam sic creatam, filio tota trinitas hypostaticè copulauit. Nec corporis conceptio .i. formatio animationem, nec animatio verbi incarnationem præcessit, sed sicut Damas. dicit, simul fuit caro, simul animata caro, simul verbi Dei caro. De quo Aug. in de fide ad Pe. c. 15. ait. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine deitate conceptam in vtero Virginis, priusq; susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deũ suæ carnis acceptione conceptum, ipsamq; carnem verbi incarnatione susceptam. Nec tamen illa successione aliqua completa sunt, sed instantaneè perfecta, infinita virtute, vt vult Damascenus. Prius enim quam virgo consensum expressit, secundum Scotum in suo. 3. dicens. Ecce ancilla &c. non videtur fuisse operatio aliqua specialis ad incarnationem, sed in eodem vltimo instanti verborum (vt dictum est) corporis formatio, & animæ assumptio incepta fuerat, & completa. Ex quo etiam hoc clarè habetur (sicut ostẽdit Damascenus contra Nestorium hæreticum) q; beatissima virgo nunquã fuit mater alicuius puri hominis, quia nunquam fuit Christi humanitas de eius concepta substantia in se subsistẽs & non vnita verbo.

Damas.

Aug.

Scotus.

Quomodo autem hæc beatissima virgo à væ corruptionis plenissime cõseruata sit verè mater Dei, quam respectu huius conceptionis habuit actiuitatem, ac cętera iuxta huius sermonis, & præcedentium diuisionem, necesse est alteri reseruare sermoni. Nihil interim nos miraculi magnitudo, & nouitas perturbet. Sed in omnem diuinæ bonitatis venerationem, gratiarumq; deuotissimam actionem, qui tanta, taliaq; pro nobis operari dignatus est, accendat. Nihil mirum si Deus, qui in sanctis suis mirabilis legitur, & cernitur, mirabiliter se exhibuit in matre sua. Veneramini ergo coniuges in carne corruptibili carnis integritatem. Miramini etiam & vos sacræ Virgines in Virgine fœcunditatem. Miramini omnes homines Dei matris humilitatem & honorate sancti Angeli vestri regis matrem, qui nostræ adoratis Virginis prolem, ipsum nostrum pariter, & vestrum regem, nostri generis reparatorem, vestræ ciuitatis instauratorẽ. Cuius apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter & nobis detur, & dignitati debita reuerentia, & dignationi honor, & gloria in secula seculorum.

Amen.

In

## IN FESTO ANNVNtiationis Dominicæ. Sermo. IIII. in ordine. XII.

Incar-nationis gratia omnis salutis & gratiæ fuit causa. ILLVXIT nobis dies celeberrima, solemnitas gaudiosissima, festiuitas gratiosa, qua diuinæ plenitudo misericordiæ vsq; ad hanc diem velut in cęlo latens conclusa, seipsam liberalissimè diffudit in virginem ad totius humani generis gratificationem, gloriam,& salutem. Ea propter aptissimè continuato ordine salutationis hodie angelico exhibitæ ministerio, particula offertur tractanda, qua gratiæ plenitudinem Virgini collatam, paranymphus Gabriel contestatur. Aue, inquit, gratia plena. Et verè, & excellenter die hodierna plena gratia prædicatur, quoniam etsi semper gratia plena fuit,& in matris vtero,& genita in hoc mundo, & præsentata in templo, & desponsata Ioseph viro iusto. Hodie tamen superplena, & plenissima proclamatur. Quoniam non eam in hac die gratia tantum accidentalis, sed gratia substantialis, verbum patris, fons, origo,& dator gratiarum corporaliter repleuit, dum nedum mentem, sed & benedictum ventrem plenitudo, corpus ex ea sumens, sibiq; vniens inhabitauit, ac per ipsam gratiam, & veritatem in totum genus humanum abundantissimè diffudit, quoniam & lex per Moysen data est, sed gratia, & veritas per Iesum Christum. Ioan. 10. Facta est tanta vtiq; abundantia, quod etiam tempus huius diffusionis plenitudinis nomine consecraret. Ioan. 10. Cum venit, inquit apostolus Gal. 4. plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Gal. 4. Vnde plenitudo temporis, nisi quia in eo descendit super nos gratiæ plenitudo, immo & totius gratiæ causa, consummatio,& cōplementum? Siquidem Christi incarnatio, ac in carne consummatio, vt præuisa gratiam patribus contulit, vt exhibita salutem omnium consumma uit, vt tangit Gre. hom. 17. & 22. in Ezechielem Greg. Nam sicut nullius opus ex se vnquam acceptum esse poterat, sed duntaxat per incarnationis Christi gratiam, ita per hanc solum consequū tur omnes gloriam consummatam. Ex nobis enim vt vult Bernar. ser. 2. de annun. neq; peccatorum remissio neq; meritoria operatio, neq; vitæ æternæ adeptio. Bern. Gratis ista dantur, gratis quantum ad meritum nostrum, nō gratis quantum ad laborantem Christū. Esai. 9. Ideo secundum Esa. ca. 9. Nobis natus ideo nobis est datus, vt imperio humeri eius triūpharet de inimico nostro suisq; laboribus in carne peccata pelleret, gratiam,& merita conferret gloriā largiretur. Sicq; miro bonitatis suæ consilio perditos repararet. Et quidē ab initio de hominis reparatione consiliū celebratū est, & figuris, & enigmatibus præsignatū, sed hodie virtute exhibitum & reuelatum. Consilium tuum antiquum verum fiat, orauit Esa. factū est. Bern. Benedictus dominus, Reuelatū est hodie consiliū: ait Bern. in ser. quomodo mors occideretur, peccatū originale tolleretur, vita redderetur, homo de seruitute diaboli libararetur, & à Deo in filium adoptatus in antiquam dignitatem reduceretur. Hodie nanq; verbū caro factum est, in quo( vt ait Leo Papa humilitas nostra. cognoscit quanti eum suus conditor æstimarit. Leo. Quamuis enim origini humanæ multum dederit, quod nos de sua imagine fecit, reparationi tamen nostræ multo amplius tribuit, cum se hodie, seruili formæ ipse dominus coaptauit. Quod nisi omnipotens dominus facere dignatus fuisset, nulla quoq; species iustitiæ, nulla forma sapientiæ à captiuitate diaboli, & a profundo æternæ mortis erueret. Ecce incarnationis gratia, omnis salutis, & gratiæ fuit causa. Quam primo in sua plenitudine virgo suscepit, dum dominus noster Iesus Christus ( vt Augustinus de symbolo ait ) propter nos homines & August.

nostram salutem vterum intemeratæ Virginis intrauit, membra immaculatus impleuit, matrem sine corruptionem fœcundauit, integra genitricis viscera seruauit, & eam & matris honore, & Virginis sanctitate perfudit. Per quod gratiæ superefluentis plenitudo in ea dulciter requieuit, secundum cęlestis nuncij alloquia Aue gratia plena. Aue gratia plena. Angustiæ mihi sunt vndiq;. Torrens à latere dextero sanctuarij egrediens altus est, & non potest transuadari. Ezechiel. 47. Hodie de sinu patris verbum exiliens caro factum est, quo maius factum nihil est, quis potest capere? Hodie virgo Deum concepit fōtem gratiarum, quo in creatura dignius nihil est, & quis æstimabit? Suscepta est hodie enim virgo singularissime electa in contubernium familiare & continuum Dei, & manens in terris meruit esse socia personæ diuinæ, quo dignius in creatura inueniri nihil potest. De primo beatus Aug. 13. de trinit. ca. 19. dicit. In rebus ęternis summa veritas attribuitur Dei verbo. In rebus ex tempore ortis summa gratia est, q homo in vnitate personæ coniunctus est Deo. De secundo, virgo ipsa in suo cantico testimonium perhibet dicens: Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est. Magna dicit indiffinite, innuens ea, quæ in ipsa fecit dominus qui potens est, secundum potentiæ suę immensitatem, ineffabilia esse, nec ipsamet Virginem ad plenum explicare potuisse. Et verè ineffabilia, quoniam & si facta vtcunq; exprimi possunt, sed quam magna illa sint omnino dici non potest. Sicut nec eius, qui fecit magnitudo, cuius non est, finis poterit cogitari vtraq; magnificis laudibus hodie prædicanda, verbi .s. incarnatio, & Virginis fœcundatio. Vtrobiq; gratiæ plenitudo attenditur, sed neutrum humani facultate ingenij comprehenditur, multò minus vtrūq;. Et quidem cum nec minimam tantę plenitudinis gratiam dignè valeam attollere. De ipsa plenitudine quid loqui præsumo? Profectò desperationi succumberem, si (quod impossibile est) omnia dicenda forent. Sed animat ex aduerso, quia quicquid catholicè dici potest, ad vtriusq; laudem pertinet, quoniam gloria filij honor parentis, & parentis corona gloria filiorum. Hieronymus quoq; ad Paulam, & Eustochium. Etiam peccatores à Virginis laudatoribus non vult secernere, quāuis quod sentitur, nequeant explicare. Idcirco etsi non possum vt debeo, saltē conabor balbutire vt valeo.

Incarnationis plenitudo vt virginis fęcūdatio. Ezech. 47. Aug. Hiero.

Prosecuturi igitur angelicæ salutationis expositionem, clausulam hanc Gratia plena, ad inquirendas Virginis perfectiones tractare ordinamus. Quia quo eius dignitatem profundius agnoscimus, filij sapientiam clarius speculamur. Operis nanq; perfectio opificem recommendat. Incipit itaq; in hac clausula pars secunda principalis totius angelicæ salutationis. Quoniam postquam angelus Virginē extulit in verbo. Aue ex imperfectionis remotione. In ista clausula cum sequentibus recommendat ex inexistentium perfectionum plenitudine. Et quidem quicquid in laudibus Virginis proferri potest quantum ad omnia priuilegia, gratias, dona perfectiones, & munera, in hoc vocabulo plena gratia instauratur. Ad gratiam quippe pertinet quicquid diuinæ influxus largitatis creatura participat à summo omnium creatore. Nihilominus persequentes duas clausulas priuilegia singularissima Virginis non quidem addit, sed prius inclusa elucidat, & exponit. Plenitudini gratiæ superaddens, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Sed in primis occurrit quæstio quomodo gratię plenitudo, sicut & ceterę omnes huius salutationis clausulæ secundum prædicta, in singulare Virginis matris præconium ab angelo eidem offertur, cum & de alijs hoc idem scriptura attestatur. Nam & de Beato Ioanne Baptista idem Angelus Zachariæ dixerat. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et de apostolis ge

Maria quomodo dicit plena gratia.

nera

neraliter dicitur Actuum. 2. Et repleti sunt omnes spiritu sancto. De beato quoq; Stephano diacono in eodem lib. c. 6. subiungitur Plenus gratia, & fortitudine. Et ad Paulum Ananias. Saule frater, dominus misit me ad te vt videas, & implearis spiritu sancto. Act. 9. Item quomodo gratia plena, quae adhuc replenda praedicatur. Ait nanq; angelus: Spiritussanctus superueniet in te. Neq; enim intelligi potest quemadmodum spiritussanctus superueniet in eam, nisi plenius repleat eam. Quod si ita est, quomodo prius gratia plena dicitur, cum plenitudo additionem nõ recipiat, aut si recipit, plenitudo non fuit vt argumentatur beatus Bernardus in homil. 4. super Missus est? Nec repleri gratia intelligi potest, & non spiritu sancto cum ipse sit dator gratiarum. Et Apostolus dicit ad Roma. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non enim charitas (quae & gratia) sine spiritu sancto, nec spiritussanctus sine gratia, aut datur aut recipitur?

Actu. 2. Actu. 9. Bern. Rom. 5.

Plenum quid significet, in proposito.

Ad horum solutionem praemittendum est, quod plenum in proposito, dicit plenitudinem perfectionis. Siquidem gratia. qua virgo plena dicitur, ad perfectionem pertinet. Idem ergo sunt plenum & perfectum. Perfectum autem sicut & totum (quod diffinitur. 5. Metaphy. est, cui nihil abest, quod est pars eius, vel quod secundum speciem propriae virtutis in nullo deficit) dicitur multipliciter, & quantum ad propositum sufficit, distinguere possumus quintuplicem perfectionem, vel plenitudinem, parum difformiter ad dicta Aristotelis vbi supra. videlicet Plenũ secundum genus. Plenum secundum officium, vel statum. Plenum simpliciter in genere. Plenum simpliciter in genere, & extra genus copulatim intelligendo. Plenum simpliciter extra genus. Omnes modos praeter quartum tangit philosophus sub alijs verbis, quartum autem non tangit, qui verbi incarnationem (cui ille proprius est) non

Metap. 5

agnouit. Plenum primo modo est, cui nihil deficit gratiae necessariae ad finem huic generi praestitutum, qui quãtum ad genus humanum est beatitudo. Hanc plenitudinem tribuit inhabitans spiritussanctus per gratiam gratisfacientem, cuiuscunq; intensionis fuerit, siue gradus, quia quilibet gratiae gradus, per quem inhabitat spiritussanctus, sufficit ad salutem. Plenum secundum, officium vel statum est, cui nihil gratiae deficit nedum ad finem generis, sed ad officium vel statum debitè exequendum. Ista includit etiam gratias gratis datas, vt sciẽtiam, prophetiam, eloquentiam in doctoribus, & praelatis &c. quibus secundum sua officia tenentur Christi ecclesiam aedificare. Plenum simpliciter in genere est cui (manenti in genere creaturę) nihil deest gratiarum, quarum capax est. Vel quod habet omnes gratias sibi possibiles, quibus non attollitur vltra genus purae creaturae. Plenum simpliciter in genere, & extra genus, cui nihil deest omnium gratiarum sibi possibilium, siue ille ponant extra genus siue non. Plenum simpliciter, & extra genus est, cui nihil deficit cuiuscunq; gratiae vel perfectionis simpliciter, sed omnes habet in summo à quo tanquam à causa dependet omnis gratia, & perfectio ceterorum, & tale nihil est nisi simpliciter summũ. Cum ergo omnis plenitudo priuet, vel excludat defectum. Prima excludit defectum necessariorum ad finem proprium. Secunda excludit defectum effusionis ad finem, & bonum proximorũ. Tertia dicitur per exclusionem vacuitatis. Quarta dicitur per exclusionem particularitatis. Quinta per exclusionem cuiuslibet prioritatis. Prima dici potest plenitudo sufficientiae. Secunda redundantiae. Tertia excellentiae. Quarta causalitatis, & effluẽtiae. Quinta excedentis simpliciter hyperbolicè.

Prima plenitudo est omnium iustorum, de qua dicitur, quod Tabita erat plena bonis operibus, & elemosynis Act. 9. Secunda est specialiter in praemi- non-

Plenitudo prima est omnium iustorũ.

nentia constitutorum, quales fuerunt apostoli & discipuli, de qua dicitur in
Act. 9. supra allegatis Actuum. 2. & 6. de apostolis & Stephano. Tertia est solius virginis gloriosæ, cuius gratiæ plenitudo omnium creaturarum purarum gratias excellebat. Hanc designabat angelus. Aue gratia plena. Quarta est hominis Christi, cuius gratia tanquam capitis in omnia ecclesiæ membra causaliter influit, quia gratia Christi hominis omnibus gratiam meruit, & saluté. De hac dicitur Ioann. 1. Vidimus glo-
Ioan. 1. riam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratia, & veritate. Et quibusdam interpositis sequitur. Et de plenitudine eius omnes accipimus gratiã pro gratia. Quinta est solius Dei siue diuinę naturæ, qui solus altissimus in æternum, dominus magnus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis nõ est finis, à quo omnibus deriuatur esse, & viuere, qui omnia creauit, omnia continet, omnia regit.

Plenitudo Marię mari cõparatur. Et ideo hæc plenitudo mari comparatur, de quo Salomon Eccl. 1. Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat. Ad locum, vnde exeunt flu-
Eccl. 1. mina, reuertuntur, vt iterum fluant. Quę interpretans Alb. in de laudibus
Albert. virg. ait. Locus istarum plenitudinum est abyssus deitatis, vnde exeunt flumina omnia per gratiarum effluxioné, & redeunt per gratiarum actionem, vt iterum fluant per gratiarũ multiplica-
Damas. tioné. Propter hoc Dam. in suo primo: dicit diuinam naturam esse pelagus infinitę substãtiæ, plenitudo causalitatis, & effluentiæ (quæ solius Christi est) comparatur plenitudini fontis. Hinc dicitur in psal. Apud te est fons vitę. Et
Esai. 12. Esa. c. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Nam in fonte principium est effluxus aquarum. Ab alio non recipit, in seipso scaturit, & si-
Gen. 2. ne cessatione super effluit, deriuatus in flumina atq; riuos. Genesis. 2. Fons ascẽdebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Irrigationis modus sequitur, quia fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisũ, qui diuiditur inde in quattuor capita &c. Christus autem principium est omnis gratiæ, & totius creaturæ, ipso teste Ioann. 8. Ego sum principium, qui & loquor vobis. A quo effluit vni- Ioann. 8.
uersitas gratiarum, quia vt supra. allegatum est, de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Euomat autem primo aquam per modum fluuij quo paradisus ipsa terra, scilicet benedicta de qua ipse ascendit, plenissime irrigatur. Hæc est virgo mater, de qua natus est temporaliter. De qua cõsequenter fluuius gratiarum in quattuor capita diuiditur, & in quadrifidi orbis latitudinem diffunditur, vt infra dicetur. Plenitudo excellentiæ, quæ Virgini appropriatur fluuio comparatur, sicut in psal. scriptum est 64. Visitasti terram, & inebriasti eam, multi- Psal. 64.
plicasti locupletare eam. Terram intellige Mariam, quam benedixit dominus ac visitauit, vt germinet saluatorem. Quæ & flumen dicitur, quia non solum in se fæcunda, sed & cętera fæcundat per effluentia gratiarum. Ideo sequitur. Flumen Dei repletum est aquis .s. gratiarum. Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio illorum. Si quidem seipsum (qui cibus est angelorum) præparauit panem, & cibum hominum, ex ea carnem assumens, qua in sacramento fideles esurientes impleuit bonis, vt sic cibus angelorum fieret & hominum, cuius cibi fructus, & sapor, sanctè in sumente accendit dilectionis saporem. Habet enim in se omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis Sapien. 16. ca. Et ideo sequi-
tur. Ita est præparatio eius scilicet ci- Sap. 16.
bi. Riuos eius inebria, multiplica genimina eius. In stillicidijs eius lætabitur germinans. Riui genimina, stillicidia, operationes, & effectus salutares sunt, quibus cibus ille inebriatus, idest plenus, lætitiam spiritualem generat in sumente. De hoc etiam fluuio dicitur Eccle. 24. Ego quasi fluuius dorix, quod
interprętatur generationis medica- Eccl. 24.
mentum, & quasi aquæductibus exiuide paradiso. Dixi rigabo hortum plantatio-

tationum, & inebriabo partus mei fructum &c. Hunc fluuium in spiritu vidit Ioannes Apoc. 22. Ostendit mi hi, inquit, angelus fluuium aquæ viuæ splendidum tanquam chrystallum procedentem de sede Dei, & agni, in medio plateæ eius. In quibus verbis etiam tangitur huius fluuij abundantia, indeficientia, claritas, eminentia, communitas, quæ alibi deducentur.

Apo. 22.

Plenitudo redundantiæ quæ est sanctorum apostolorum, & doctorum, comparatur plenitudini riuuli decurrentis. Ipsi enim gratiam, quam receperunt per doctrinam verbi, & exempli, ac proprij sanguinis testimonium, per totum mundum tanquam riui vberrimi diffuderunt. De quibus acci pi potest illud Esai. 33. Locus fluuiorum, riui latissimi, & patentes. Sancti namquam apostoli, & doctores fuerunt locus fluuiorum per plenam, à Deo receptam sapientiam, latissimi per charitatem amplam, patentes per conuersationem apertam. Plenitudo sufficientiæ, quæ est omnium iustorum, comparatur plenitudini vasis. Vas enim habet plenitudinem mensuratam, & vasi proportionatam. Sic omnes iusti habent plenitudinem gratiæ sufficientis sibi ad salutem secundum mensuram sibi à Christo determinatam, de qua ad Ephe. quarto. Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Hæc enim intus repplet animam, & foris apparet per operationem ad propriam salutem.

Esai. 33.

Eph. 4.

Ex quibus patet, quod licet in diuersis gradibus sanctorum sit plenitudo gratiæ, in quolibet secundum genus suum, tamen plenitudo gratiæ excellentis, per exclusionem vacuitatis, quæ fluuio assimilatur, soli Virgini Mariæ conuenit, & ita rectè in eius singulare præconium Angelus in sua salutatione commemorauit dicens: Aue gratia plena.

Quod etiam gratia Virginis, qua plena nunciatur, omnium sanctorum, & angelorum gratias excellebat, testatur Beatus Augustinus in quodam sermone de Assūptione ita di. Quid dignius, aut sanctius hac Virgine in humani generis semine potuit exoriri, cuius nullus patriarcharum nullus antiquorum sequentium patrum, nullus omnino hominum poterit comparari? Nec mirum si hæc admirabilis virgo cunctorum celsitudinem transcendit mortalium, cum ipsa etiam excellat merita angelorum. De hoc etiam Prouerb. vltimo dicitur. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu sola supergressa es vniuersas. Verè supergressa. Nam ceteræ habent gradum aliquem gratiæ, Illa habuit fontem gratiarum. Hinc Beatus Bernard. homil. 3. super Missus est, inquit: Legimus in Actibus apostolorum, & Stephanum plenum gratia, & apostolos plenos fuisse spiritu sancto, sed longè dissimiliter Maria, alioquin nec in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter quemadmodum in Maria. Et Beatus Hierony. ser. de Assump. Etsi in patribus, & prophetis gratia fuisse creditur, tamen non eatenus plena. In Maria vero totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Ceteræ habent virtutes, & gratias particulariter. Maria habuit gratias omnes vniuersaliter. De quo Beatus Hieronymus in ser. Cogitis.

Mariæ Virginis gratia omnium sanctorū gratias excellebat. Aug.

Pro. vlt.

Bern.

Hieron.

Bene Maria dicitur gratia plena, quia ceteris quidem per partes datur. Mariæ vero se simul infudit gratiæ plenitudo. Et infra. Nihil virtutis nihil speciositatis, nihil castitatis, nihil candoris gloriæ, quod ex ea non resplendeat. Ceteræ habent gratiam secundum mensuram, illa secundum totius subiecti capacitatem, ideo dicitur Eccle. 24. In me omnis gratiæ, viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Ceteræ habent gratiam cum alicuius impuritatis permixtione peccatorum, scilicet venialium, dubietatis, timoris, laboris, vel

Ecc. 24

doloris. Virgo Maria gratiam habet purissimam, sine qualibet peccati originalis, vel actualis labe, cum certitudine, quia cum angelica (quæ fallere non nouit) testificatione, sine labore domandi sensualitatem, sine dolore cuiuscunq; admissæ impuritatis, de quibus partim supra, & partim infra dicetur. Hinc de ea sponsus in canticis ait.
Can. 4. Tota. pulchra es amica mea, & macula non est in te. Can. 4. Ceteræ habent gratiam, sed mutabilem. Vnde multi sanctorum post acceptam gratiam peccauerunt. Maria vero habuit gratiæ confirmationem, ita quod ab ea cadere nunquam potuit. Nam à diuina sapientia fuit fabricata, columnis septem suffulta septem donis spiritus sancti, septemq; virtutibus ita vt cadere, vel nutare omnino nō posset. pro
Prou. 9. uerb. nono. Sapientia ædificauit sibi domum &c. licet rectissime septem columnis, vniuersitas donorum, gratiarum, & virtutum designetur.

Mariæ gratia plenissima fuit per exclusionem vacuitatis. Albert. Mat. 15.

Quod etiam gratia Mariæ plenissima fuit per exclusionem vacuitatis, ostendit sic Alber. in de laud. Virg. q. 31. Quia sic plena fuit gratiæ quod maiorem gratiam non potuit habere, & ita nihil in ea gratiæ capax à gratia vacuum fuit. Quandiu enim vas potest recipere aliquid, tamdiu habet aliquid vacuitatis. Et ita omnis creatura alia habet aliquid vacuitatis, quia maiorem gratiā possibilis ē recipere. Quia vero ipsa maiorem gratiam recipere non potuit, per exclusionem omnis vacuitatis, gratię plena fuit. Quod intelligi oportet in statu viæ, manendo in genere creaturæ, & secundum ordinatam potentiam Dei. Nam in eius glorificatione recepit gloriam, quæ est gratia consummata, quæ maior est gratia viæ, secundum illud saluatoris: Inter natos &c. Sed qui minor est in regno Dei, maior est illo Matt. 11. In via autem maiorem gratiam habere non posset nisi ipsa diuinitati vniret, hoc est nisi ipsa esset Deus. Sed sic exiret genus creaturæ, manens autem in hoc genere, maior gratia in-telligi non potest quam quod ipsa esset Dei mater, q. de ipsa id acciperetur, quod Deo personaliter vniretur. Et additur secundum potentiam Dei ordinatam. Posset enim simpliciter maiorem gratiam (saltem intensiue) Deus secundum potentiam absolutam matri dedisse, immo tanquam quantam humanitati suæ, cum illa fuerit eiusdem speciei, sed ita non decuit, maximam ergo gratiam, quam disposuit dare puræ creaturæ non assumptæ dedit matri suæ.

Maria quando habuit maximā gratiam

Sed manet dubium, quando Maria habuit maximam gratiam in via. An in aliquo instanti ante mortem. Quod non videtur, quia cum omnibus actibus suis merebatur vsq; ad instans mortis. Videtur etiam q. continuè gratia eius augebatur. Sed hoc dubium differatur, vsq. dum ad hoc veniatur priuilegium, quod est omnibus actibus mereri. Sufficit nunc q. totalis eius gratia, quam habuit in via, maior fuit gratia cuiuscunq; puri creatoris, & tanta, q. maiorē recipere nō potuit, & ita omnem vacuitatē penitus exclusit. Quia deniq; gratia Mariæ fluuio comparatur, pro eo q. abundantissimè omnia irrigat tanquam immediatè à fonte inexhauribili & abysso diuinæ bonitatis deriuata, ex eo patet, quia nisi per Mariam, gratiam nemo consequitur, & sicut sine illo, Christo scilicet, nihil factum est, ita sine illa nihil reffectum vt dicit Bern. ser. 2. de Pente. & Albe.
Bern. Albert. super Missus est. q. 56. Ipsa est, inquit, paruus fons qui creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit, vt dicitur Hester. 16. Ex fontis .n.
Hester. 16. huius plenitudine profluit omnis plenitudo humani generis. Ex hac venit nobis precium redemptionis, aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, arma expugnationis, præmium remunerationis. Et Beatus Hieronymus ad Paulam, & Eustochium, Talibus decebat Virginem inquit, oppignerare muneribus, vt esset, gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemq; refudit, fidem genti-

bus, finem vitijs, vitæ ordinem; moribus disciplinam. Et infra. Cœlestis planè imber Virgineum vellus se infudit, placido illapsu & tota diuinitatis vnda se contulit in carne, quando verbum caro factum est, ac deinde per crucis paribulum expressum terris omnibus, pluuiam salutis infudit, & stillicidia gratiæ humanis præstitit mentibus. Et sequitur: Verè plenæ, per quam largo spiritussancti imbre super fusa est omnis creatura: Hæc ille. Et ideo statim vt totius gratiæ fontem verbum patris in vtero concepit, surgens montana pertransit, Helisabet ministratura, Ioannem præcursorem sanctificatura, vt sic se fluuium diuini fontis esse palam opere demonstraret. Sed hoc sequenti sermoni eiusdem festiuitatis reseruetur. Ex dictis clarè patet solutio primæ quæstionis.

Maria quomodo dicit gratia plena ab angelo.. Bern.

Secunda vero quæstio ita soluitur secundum Beatum Bern. homil. 4. super Missus est, ꝙ ideo gratia plena prædicatur ab angelo adhuc magis replenda plena quoq; spiritu sancto, in quam tamen adhuc superueniet spiritussanctus. Quia prius fuit in ea per multam gratiam, sed nunc superuenire nunciatur per abundantioris gratiæ plenitudinem, quam superfusurus est super illam, nam prior eius gratia tantum repleuerat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debet, quatenus plenitudo diuinitatis, quę ante in illa sicut in multis sanctorum spiritualiter habitauit, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare inciperet. Vel clarius dicitur ꝙ prohibet diuersis respectibus, siue ad diuersa referenda idem dici plenum, & non plenum, & per consequens, quod vno respectu plenum est, alio respectu repleri magis poterit, & plenius fieri. Sicut cantarus secundum certam mensuram signatus (quam tamen orificium excedit) plenus dicitur si mensurę signum liquor infusus attingit, qui tamen si vsq; ad orificium excrescit adhuc recipit. Sic ergo plenus quantum ad mensuræ integritatem, nondum plenus est quantum ad vasis capacitatem. Potest enim aliquid vltra mensuram recipere, propter quod fortasse, & grammaticè loquendo, plenus comparationem recipit, quę fieri non posset si positiuo .s. plenus, nulla posset fieri additio. Si enim illud tantum plenũ diceretur, cui nullo respectu additio aliqua fieri posset, nihil plenius pleno, nihil plenissimum dici posset.

Gratiæ plenitudo pōt attendi quantũ ad sub iectum.

Ad propositum itaq; dicitur, quod gratiæ plenitudo potest attendi quantum ad subiectum, & quantum ad statum, & quantum ad modum, & quantum ad gratiæ speciem, siue habitum, & quantum ad omnes has differentias idem potest dici plenum gratia, & spiritu sancto vno respectu, & nihilominus recipere adhuc gratiam alio respectu. Ita enim plenum secundum vnum subiectum, potest adhuc recipere secundum aliud subiectum. Et plenum secundum statum inferiorem nondũ plenũ est secundum statum superiorem. Et plenũ secundũ sufficientiam, nondum plenum est secundum superefluentiã. Item plenum secundum prædestinationẽ siue diuinam prouidentiam tantũ, nondum plenum est in actu. Et plenum gratia gratũ faciente, potest adhuc gratiam recipere gratis datam. Et plenum vna specie gratiæ pōt recipere gratiam adhuc alterius speciei. Sic dici potest de Virgine gloriosa, ꝙ in ipso salutationis instanti plena fuit gratia quantum ad animam, & hoc gratia gratũfaciente, secundum statum, in quo tunc erat Virginitatis nondum maternitatis. Plena etiam secundum prædestinationem Dei, adhuc tamen implenda gratia gratis data, fęcunditatis .s. quãtum ad corpus, implenda autẽ maiori gratia gratũ faciente in actu, & quantum ad statum maternitatis Dei ad quẽ assumenda erat. Quæ omnia partim ex dictis, partim ex dicendis clarius elucescent. Solutis sic vt cũq; duabus præpositis quæstionibus humilibus præcibus ipsam exoremus, quatenus de fonte gratiarum, quem hodie


concipiendo de spiritu sancto, mente, & corpore ipso repletam profitemur, stillicidia arentibus nostris cordibus influat, quatenus ad eam aspirare valeamus, & peruenire ad diuinitatis participationem, propter quam nobis communicandam in suo benedicto vtero, factus est homo Deus verbum Christus Iesus dominus noster, qui cum patre viuit, & regnat in vnitate eiusdem spiritussancti, per omnia secula seculorum. Amen.

## IN FESTO VISITAtionis Mariæ. Sermo. I. in ordine. XIII.

Luc. 1

Redemptionis nostræ primordia visitationis Mariæ festiuitas continet.

Bern.



EXVRGENS Maria abijt in montana. Luc. 1.

Redemptionis nostræ gaudij per vniuersum mundum diffusi primordia, hodierna gloriosissimæ Virginis, festiuitas prædicat, simul & humilitatis imitandæ salutaria remedia recommēdat. Nam vt ait Bern. in, homil. Quia peste superbiæ attactum genus humanū perierat, decebat, vt medicamentū salutis, quo sanaretur, mox prima incipientis salutis tempora præcederent. Et quia per temeritatem seductæ mulieris in mundum mors intrauerat, cōgruum fuit, vt vita per humilitatē Virginis redderetur. Quam cum alloquēti angelo, virgo iam partu cœlesti onustanda exhibuerat, hominibus quoq; grauida curauit exhibere dum cognatæ suæ Helisabet obsecutura, ex vrgēs abijt in montana. Sed non modicam nobis euangelista in hac verborum compositione ingessit difficultatem. Videntur enim rebus voces dissonare, & vocibus ipsis voces repugnare. Quomodo enim excellentissima virgo exurgere potuit, & in sublimius se erigere, quæ in vertice summa creaturarum posita iam ipsam diuinam naturam (quā tum creaturæ fas est) attigit, dum verum Deum Dei patris filium de se incarnatum, in vtero beatissimo gestauit, q; si dignitatis suæ caput extulisset altius, creaturæ limites excessisset. Quid enim citra Deum (domina angelorum, regina cœlorum, ac matre altissimi) sublimius dici, aut cogitari poterit? Quid deniq; sibi vult hæc vocum compago, abijt in montana? Certè qui abit, in ima tendit. Sic enim prodigum filium scriptura abijsse in longinquam regionem commemorat Luc. 15. Sic recidiuos discipulos. Ioan. 6. Et eos, qui captiuaturi dominum ad uenerant, & retrorsum ceciderunt, ca. 18. abijsse testatur. Et qui pergit in montem, haud dubium, quin ascendat. Non enim potest quis descendendo in montem ire. Sed fortè spiritualem efflagitat intelligentiam. Nec mirum, quoniam verba sunt reuelationis diuinæ, cuius verba spiritus, & vita sunt. Ioan. 6. Adeamus ergo Virginem gloriosam, & angelica salutatione eam pulsemus, quatenus eius interuentu nobis intelligere donetur, quomodo exurgens abijt in montana, dicentes. Aue Maria &c.

Expositio verborum abijt in montana.

Luc. 15. Ioan. 6.

Exurgens Maria abijt in montana. Hodiernæ commemorationis festiuæ materia verbis propositis trifarie designatur. Aperitur nanq; in eis maternalis affectionis executio, quia exurgens. Profundæ humiliationis descensio, quia abijt. Decliuis descensionis exaltatio, quia in montana. Exurgens enim virgo clarissima, vt Visitatione Helisabet omnibus se paratam salutis eorum cooperatricem comprobaret. Ideoque vigilanter dixit euangelista, non surgens Maria, sed exurgens. Iam enim ab angelo allocuta, in altissimo contemplationis actu inuenta est, secundum omnes virtutes, maximè theologicas. Eleuabatur enim tunc in summo puræ creaturæ, vt ait dominus Albertus in de lau. vir. Eleuabatur in summam potestatem, quia Deum genuit. In summam dignitatem, quia totius creaturæ mater fa-

Maria quo dicit exurrexisse.

Alber.

sta est per creationem. In summam charitatem: quia per hoc Deo propinquissima fuit. In summam Dei familiaritatem: vt puta ipsius filia, mater & sponsa. Ad potestatem fides eleuabat
Matt. 9. secundum illud Mat. 9. Omnia possibilia sunt credenti. Ad dignitatem eleuabat humilitas faciens sperare; & totum a domino, nihil a se expectare: se-
Luc. 14. cundum illud Luc. 14. Qui se humiliat, exaltabitur. Ad charitem eleuabat dilectio: secundum illud Prouer.
Prou. 8. 8. Ego diligentes me diligo. Ad summam familiaritatem eleuabatur per castitatem: secundum illud Sapien. 6.
Sap. 6. Incorruptio facit proximum Deo Contemplabatur itaque tunc fide Dei præsentiam: spe suspendebatur in misericordiam: & charitate in inestabilem creatoris dilectionem. A sui itaque summa dignificatione: ab actibus summæ contemplationis, quos omni suæ actioni præuios habuit: vt dicit glo. non surrexit amplius ascendendo aut ista relinquendo. Sed exurgens idest extra se surgens: quæ intus in mentis cubiculo gessit: in actionibus exterioribus (quibus nostræ miseriæ subsunt) prodire fecit. Non enim in se maternos continere poterat affectus iam omnium mater facta: nec aliud agere quam id quo plena fuit. Vnigenitus namque patris & iam filius Virginis matris, venit non ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis, scilicet per crucis passionem Mat.
Mat. 20. 20. Sic virgo serenissima facta est redemptionis mater: non vtei ministretur, sed vt ministret: & similiter animam suam per compassionem effundat sub cruce: redemptionem multorum cooperando. Et sicut ille clamando clamore valido, exauditus
Heb. 5. ex pro sua reuerentia: ad Hebre. 5. ita ista amarissimè flendo nunquam pro nobis supplicans repelletur propter sua merita. Propter quod de ea canit ecclesia: Audi nos, nam te filius nihil negans honorat. Filius eius propter nos venit: & non quæ sua erant, sed nos perditos quæsiuit. Sic ab hac hora aliud mater agere non potuit: nisi quæ nostræ saluti prodesse. Communis siquidem persona effecta, communem, non propriam quæsiuit vtilitatem. Ecce noua misericordiæ mater, primitias maternæ affectionis ostendit, cum ad salutis nostræ sanctificandum præcursorem: exurgens festinauit. Non suæ teneritudini pepercit: non viæ asperitatem attendit: non sexus fragilitatem perpendit. Sed materno impellente affectu, a contemplatione feruentissima: non intermissa, sed eius quiete paululum suspensa: extra se surrexit: domum Zachariæ intrauit, ac Helisabet salutauit.

Et licet præcursoris, nostræ redemptionis primordia, quem in vtero virgo gestabat, & sanctificare suffecit, & principaliter sanctificabat: non tamen hoc sine matris cooperatione decuit: quæ propter nostram vtilitatem in matrem electa fuit. Poterat filius patris sibi de cęlo, aut terra, vel vndecunque vellet corpus formare, & nostram redemptionem operari. Sed voluit de Virgine assumere: vt quorum ipse redemptionis iure esset pater: ipsa redemptioni cooperando fieret pia mater. Hinc Helisabet ait: Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: exultauit infans in vtero meo: Et Beda: Aperiente os ad salutandum beata Maria, repleta est mox spiritu sancto Helisabet: repletus est & Ioannes: atque vno, eodemque spiritu ambo edocti illa salutantem, quæ esset, agnouit. Et matrem domini sui debita cum benedictione venerata est.

Affectus Mariæ ostendit ad filijin uitatione.

Beda.

Ille ipsum esse dominum, qui vtero Virginis portaretur, intellexit. Et quia lingua nedum valuit, animo exultante salutauit. Officium que sui præcursoris quam libenter, quamquam deuotè iuuenis esset impleturus: antequam nasceretur aduenienteo domino: quibus valuit, indicijs intimauit. Vno eodemque momento, cum

voce salutantis gaudium nascitur infantis, quia dum vox ad aures peruenit corporales, virtus spiritualis cor intrauit audientis. Nec solum genitricem, sed & sobolem amore Dei aduenientis accendit, & Chrysost. Christus ideo fecit Mariam salutare Helisabet, vt sermo procedens ex vtero matris vbi habitabat dominus, & per aures Helisabet ingressus, descenderet ad Ioannem, & illic eum vngeret in prophetam. Ecce quantæ virtutis est sermo Virginis, qui quasi instrumentum diuinitatis confert gaudium, confert & prophetiæ actum, totius ergo reparationis nostræ opus, Virginis existentia cernimus completum. Per eam siquidem conceptus est redemptor noster, natus, & nutritus. Per eam præcursor sanctificatus. Ea instigante miracula initiatus est in Cana galileæ. Ea præsente nostra consummatur redemptio in cruce. Domino deniq; ascendente super choros angelorum manet in terris virgo, & cum spiritu sancto consolatore, & doctore, ipsa consolatrix, & doctrix fit discipulorum. Sic ergo debiliter patet: quia virgo exteriori opere ostendit se vt matrem omnibus esse adiutorio, qui ad ipsam suspirãt in via, rectè de ipsa euangelista dixerat: Ex vrgens Maria.

Chrys.

Secundo principaliter tangitur in themate, profundæ humiliationis descensio, quia abijt. Quo abijt virgo super omnes eleuata? Haud dubium in se ipsam descendit, seq; consyderans, indignam se se maximorum munerum collatione reputauit. Et quoniam super omnes magnificata se humiliauit valde abijt. Mensura nanq; humilitatis, vt Augustinus ait in de bono Virginali; vnicuiq; ex mensura ipsius magnitudinis data est. Siquidem amplioribus bonis amplius superbia insidiatur non vtiq; magnum est, si peccator conuersus ad dominum humilietur, memor iniquissimæ suæ vitæ, ac indulgentissimæ misericordiæ Dei. Sed si sit aliquis vitijs, & morum maculis carens, huic timendum est de superbia, ne quo magis in est, vnde sibi placeat, eo magis sibi placendo illi displiceat, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Huic concordat Bernard. super Missus est, homil. 4. cum inquit: Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus, & rara humilitas honorata. Ex hoc itaq; Virginis humilitas fuit maxima, quoniam ipsa honoratissima sollicitè custodiuit illud Eccle. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Magna fuit ipsa dicente: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Fuit vtique magna mente, quia purissima, corpore, quia castissima, verbo, quia moderatissima, opere, quia obsequiosissima. De primo ait Anselmus in de Concept. virginali. Decebat vt mater domini ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. De secundo Hugo de perpetua Virginitate, Confitemur itaq; Virginem desponsatam Confitemur Virginem coniugem, factam postea matrem, & Virginem semper Virginitatis propositum inuiolatam tenuisse, & castitatis decus perpetuum regnasse cum pudicitia coniugis, & honore parentis intuere, & diligenter consydera Virginem istam matrem, singulariter castam, excellenter sponsam, vnicè mundam. De tertio ait Bern. in homil. euangeliorum contextu, non nisi quater loquens auditur, & semper pauca, sed rationabilia nimis profert verba, locuta inquam est cum angelo, cum Helisabet, bis quoq; cum filio.

Mariæ magna humilitas, & profunda descentio.

Aug.

Bern.

Eccl. 3.

Anselm.

Hugo.

Bern.

De quarto loquitur præsentis euangelij historia, quæ Virginem tribus mensibus in Helisabet obsequi's mansisse, ad ea quoq; exhibenda, cum festinatione montana transcendisse commemorat. In omnibus itaq; his tantum se humiliauit, vt in singulis commendabilior appareat humilitate.

In mente quidem, quoniam nunquam sibi saltem tenuis cogitatio ela-

tionis surripuit, qua in maximis receptis donis, quasi suis donatis meritis sibi complacuit. Neq; insolitas exteriores Helisabet cognatæ laudes, qua si suas acceptauit, quinnimmo totum in Deum refudit, in quo spiritu, & anima exultauit dicens: Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Vbi glossa, totum interioris animi affectũ in agendis gratiarum laudibus offero, totum quod viuo totum, quod sentio, quod discerno in eius magnitudine cõtemplanda, & eius præceptis obseruandis impendo. In ipso tamen exulto, quia terrena non curo, prosperitas me non extollit, aduersitas non frangit, sed illius sola spiritus meus delectatur memoria, à quo salus æterna speratur illius, qui perpetua diuinitate lætatur, cuius Conceptione caro mea fæcundatur. Et quam vilia de seipsa senserit, edocet, cum omne, quicquid boni meriti habuit à superna se gratia percepisse ostendit. Hinc ait: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Vbi Beda: Nil suis meritis tribuit, quæ totam suam magnitudinem, ad illius donum refert, qui essentialiter potens, & magnus existens, fideles suos de paruis, atq; infirmis fortes consueuit facere atq; magnos.

Mariæ humilitas in mente.

Beda.

In corpore deniq; extrema humilitas apparuit, quoniã nulla corpori suo acceptæ gloriæ insignia, aut ministeria adhibuit, nec cęteris matribus se tantum æquabat. Verum omnibus inferiorem se ostendit, dum quæq; in suo corpore humilitatis vestigia præferebat. Nam & morem ceterarum parturientium in puerperio, & Purificationẽ intactam genitricis seruabat. Legiq; cui nihil tenebatur, in omnibus se subdebat, ita vt etiam, quæ veritatem peperit, nihilominus figurale templum statutis diebus cum filio laboriosè quæsiuit. Et ibant parentes eius, ait Luc. 2. per omnes annos in Hierusalem die solemni Paschæ. Ceteræ deniq; matres desyderant diuitem sponsum in partu pulchrum thalamum, mollem lectum, ancillarum obsequium, in cęteris quoq; ornatum præciosum. Sed virgo humilis quamuis de regia stirpe progenita, quamuis Dei mater futura, sponsum habuit pauperem, pro thalamo stabulum, pro lecto fenum pro ancilla Bouem, & Asinum, pro cuna præsepium pro õrnatu vario vilitatem pannorum. Et ad humilitatis consummationem, sola post angelicum colloquium, nullo associata homine, sed stipata angelorum agmine, exurgens abijt in montana cum festinatione, quæ omnia quia nota facit euangelij historia, frustra adduceretur autoritas alia.

Mariæ humilitas in corpore.

Luc.

In verbo quoq; quanta apparuit humilitas, quis satis eloqui potest? quoniam & istam silentium Virginis comprobat, eloquium manifestat. Quid enim humilius dici valet, vt postquam omnibus seculis inaudita percepisset munera, gratiæ, scilicet plenitudinem, ac æterni patris filium, ita sacrum mysterium celabat, vt nec Dei laudes, quas in animo sine intermissione multiplicabat, ore decantaret, prius quam ipsum per Helisabet cerneret publicari? de quo Beda. Arcanum mysterium cęlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, donec ipse donorum distributor, quid sibi doni cęlestis tribuisset, quid secreti reuelasset, quandocunq; vellet, ostenderet, vt postquam eadẽ quę erant sibi charissima præstita per alios, spiritu reuelante esse patefacta cernebat, mox etiam ipsa thesaurum cœli, quem in corde seruabat, aperuit, dicens: Magnificat anima mea dominum. Nec tamen ideo eis, quibus nondum reuelatum nouerat humilis illa mater aperuit, quinimo potius spõsum, quem vt Virginitatis suæ castissimum custodem dilexit, tristari non mediocriter permisit, quam quæcunq; dignissima laude de se præconizaret, vt habetur Matt. 1. Deniq; foris stabat quærens loqui filio, nec materna autoritate, aut sermonem interrupit nec

Mariæ humilitas in verbo.

Beda.

Matt. 1.

Bern. habitationem irrupit, in qua filius loquebatur, ait Bern. in sermone: Signū magnum. Quotiens deniq; legitur locuta, de humilitate totius constat sermo. Locuta angelo, eam vt dominam salutanti, ait: Ecce ancilla domini. Dum quoq; patrem magnificat Helisabet præsente, ait: Respexit humilitatē ancillæ suæ. Dum filium dolens quærit, sponsum suum se valde inferiorem sibi anteponit. Ait enim: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te Luc.2. Luc. 2. Dum iterato in Chana galileæ filium affatur pro vino, vt confusionem nubentium præueniret rogatura, non vt mater filio imperauit, non importuna preces porrexit, sed velut humilis ancilla rogare non audens, tantum defectum insinuat, dicens. Vinum non habent, quæ tamen de sui exauditione certam se ostendit, cum ministris ait Quæcunq; dicet vobis, facite Ioan. 2. quibus verbis eosdem ad humilitatem subiectionis, & obedientiæ erudiuit. Ioan. 2.

Mariæ humilitas in opere. In opere demum multiplex relucet humilitas. Est nanq; commendabilis humilitas qua parpari obsequitur (sed multo excellentior hæc est qua minori dignior famulatur. Quis autem nesciat (ait Beda) Virginem Deo consecratam, mulieri Deo dedicatæ gradum habere potiorem? Quis dubitat matrem regis æterni iure matri militis esse præferendam? Attamen ipsa mox, vt angelus, qui loquebatur ei, ad cœlos redijt, surgit, ac montana conscendit, gestansq; in vtero Deum seruorum Dei habitacula petijt. Intrat domum Zachariæ, atque Helisabet (quam seruum, & præcursorem domini parituram nouerat) humiliter salutat, non vt verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis, virgo iuuencula ministerium sedula impenderet. Hæc ille. Beda. Mansit quoq; tribus mensibus cum Helisabet, quia secundum Ambr. super Luc. quæ propter officium venerat officio inhærebat. Ambr. Quis dubitat dominam mundi etiam vilioribus seruitijs cognatæ fuisse famulatam, vtputa immunda purgando, sordida lauando, & similia, cuius filius homo & Deus, suorum discipulorum pedes non dedignabatur lauare? De hac Virginis humilitate ita August. in quodam sermone ait. August. O verè Mariæ beata humilitas quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & omnium animas fidelium ab inferis liberauit. O verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta cæli efficitur, scala Dei constituitur. Facta est certè Maria scala cælestis, per quam Christus descendit ad terras. Ecce quomodo Maria exurgens, non se extulit, sed in vias humilitatis abijt. Per quod valde exaltari meruit.

Tertio tangitur in verbis thematis: Decliuis descensionis exaltatio, quia in montana perrexit. Ait enim euangelista vbi supra. Exurgens abijt, & abeundo in montana peruenit. Maria non in montem sed in montana virtutū ascēdit. Nam vt ait Albertus in de lau. Virginis: Albert. Ascensioni per contemplationem non contrariatur descensus per humiliationem. Descendere nanq; per opera actionis propter Deum, est ascendere per humilitatem ad Deum. Et hæc mutuo se sequuntur, quia quanto magis anima eleuatur in cognitione Dei, tanto magis descendit ad humiliationem sui. Vnde frequenter legitur in prophetis quod quando diuina conspiciunt in terram cadunt. Ita legitur de Ezechiele eiusdem cap. 2. Ezech. 2 Sic de Daniele Dan. 10. Dan. 10. Sic de Ioanne euangelista Apocal. 1. Apoc. 1. Littera clarè docet. Et econuerso quanto magis quis descendit ad humiliationem sui, tanto magis ascendit ad cognitionem Dei. Matt. 11 Siquidem paruulis Deus pater reuelauit, quæ à sapientibus abscondit Matt. 11. Hinc dominus ait Luc. 14. Luc. 14. Qui se humiliat, exaltabitur. Sic itaq; virgo exaltat non à se sed à Deo, exurgens abijt humilior facta, qua humiliatione sui in montana rursus conscendit. Quæ montana? Haud dubium, quin benedictio-

num culmina. Sic in monte garizim trans Jordanem populus benedicebatur Deut. 27. Garizim enim interpretatur diuisio, vel abscisio. Sic in montem ascendit, vt Psal. ait. Innocens manibus, & mundus corde. Sic Esaias quemlibet in montem virtutum ascendere iubet, qui euangelizat sion. Eiusdem. 40. Neq; domina se humiliando in vnius tantum virtutis montem, sed in montana abijt, vt refert Lucas. Nam sui humiliatione ad duplices peruenit montes, benedictionis internæ scilicet & externę. Interna benedictio in virtutum, ac gratiarum consistit augmento. Externa in laudis, ac reuerentiæ complemento. Hæc montana virgo suæ humilitatis gressibus ascendit. Quamuis enim domina secundum angeli verba plena fuerit gratia etiam plenitudine excellente omnium aliorum sanctorum plenitudinem: Non tamen tota animæ eius capacitas ita fuit gratia, & virtutibus repleta, vt in ea augeri non possent. Sic enim quo ad meritum viatrix non fuisset. Hoc autem solius est Christi cuius anima in instanti creationis quantum ad omnem capacitatem fuit plena gratiæ; vt nihil gratiæ per totam vitam sibi mereretur ipsi siquidem datus fuit spiritus non ad mensuram, & de eius plenitudine omnes acceperunt Ioan. 3. & 1.

Deut. 27

Psal

Esai. 40.

Ioan. 3. & 1.

Maria qsio plena gratia sit.

Est vero quædam gratiæ plenitudo, quæ scilicet sufficit ad salutem personalem. Hanc habent, quicunque gratiam habent. Sic dicitur de Thabita Actu. 9. quòd fuit plena elemosynis, & operibus bonis. Alia est plenitudo gratiæ, quæ sufficit nedum ad personalem salutem, sed ad statum eius, cui datur. Hoc modo Stephanus dicitur plenus gratia Actu. 6. & Apostoli repleti spiritusancto Act. 2. & Baptista repleri ab angelo prędicitur Luc. 1. quoniam ipsi rectores constituti sunt, & rectores ecclesiæ militantis. Et hęc potest dici plenitudo abundantiæ. In hac autem

Act. 9.

Act. 6.

Actu. 2.

Luc. 1.

gradus sunt, secundum quod quilibet in statu sublimiore constituitur. Quoniam autem virgo in supremo mortalium statu fuit sublimata: quæ caput ecclesiæ nedum mysticè, sed vere, & corporaliter concepit, & genuit, in qua plenitudo diuinitatis corporaliter nouem mensibus habitauit, ideo plenitudinem excellentiæ recepit. Christus autem, qui est caput, habuit plenitudinem effluentiæ, quia in omnes gratiam effluxit. Quia ergo gratia Virginis augmentata erat, ideoque humilibus suis operibus (immo vt doctores volunt, omnibus suis motibus) merebatur, & augmentum gloriæ in futuro, & gratiæ, ac virtutum in præsenti. Si enim hoc in cæteris hominibus secundum Augustini sententiam, quanto magis in Maria locum habet?

Ascendit denique humilitatis suæ gressibus in montem benedictionis laudis externæ. Nam cum ad obsequendum Helisabet domum Zachariæ, intrasset: Helisabet beneficio salutationis Mariæ spiritu sancto repleta, voce magna, non tam clamorosa, quam deuota exclamauit, & dixit. Benedicta tu inter mulieres, non quascunque, sed inter mulieres benedictas, maiori benedictione specialiter insignis secundum Bedam. Et rectè benedicta, benedicta est enim incomparabiliter, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & coronam integritatis seruauit. Benedicta tu inter mulieres, per cuius partum Virgineum à notis mulierum maledictio primæ matris exclusa est. Hæc Beda. Et Bernard. Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem mulierum euasisti maledictionem, vt nec sterilis maneas, nec dolore parias. Concipies quippe, sed sine culpa grauida, sed non grauata, paries, sed non cum tristitia, nescis virum, & gignes filium, illius eris mater, cuius Deus est pater, filius paternæ charitatis, erit corona tuæ castitatis, sapientia

Maria quomodo ascendit ad mõtẽ benedictionis.

Beda.

Bern.

tia paterni cordis erit fructus vteri virginalis. Deum denique paries, & de cęlo concipies. Et ideo benedictus fructus ventris tui, per quem scilicet semen in corruptionis, & supernæ hæreditatis, quam perdidimus in Adam fructum recepimus: qui ad saluandum mundum benedictus in nomine domini aduenit. Et iterum. Vnde mihi hoc quod mater domini venit ad me, Hoc egit Helisabet, quod Ioan. filius: quem in vtero portauit, erat facturus. Venienti domino vt a Ioanne in Iordanis flumine baptizaretur: ait. Ego a te debeo baptizari: & tu venis ad me? Sic Helisabet nihil in se inueniens, quo digna fuerat, a tanta hospite visitari. Vnde hoc mihi, inquit, quod mater domini mei venit ad me? Et subdit. Beata, quæ credidit: quoniam perficient in ea, quæ dicta sunt ei a domino. Perfectum donum prophetæ per Virginis salutationem consecuta est Helisabet: quo præterita cognosceret, occulta, præsentia, & futura. Præsentia: quoniam eam matrem domini sui vocans mundi redemptorem in vtero gestare cognouit: ideo & fructum benedixit. Præterita: quoniam verba Angeli loquentis, Virginis consentientis, se nouisse prodidit. Futura, quoniam perficienda a domino, quæ ei dicta sunt, asserit. Nec solum ab Helisabet benedictionem virgo immaculata consequitur, sed ab omnibus cęli, & terræ generationibus: ipsa dicente beatam me dicent omnes generationes. Ecce quātos montes virgo sua humilitate abeūdo ascendit: quare rectè de ipsa dixit euangelista: Exurgens Maria abijt in montana.

## IN FESTO VISITATIONIS Mariæ Sermo II. in ordine. XIIII.

Luc. 1. Festum visitationis Mariç quid cōtineat

Benedicta tu in mulieribus Luc. 1. Antiqua nostræ redemptionis exordia nouis ecclesia gaudiis solēnizat: dum hodierna die sanctarum matrum conuentus, sacri verborum, officiorumque mysterij memoriam dudum Euangelicæ autoritatis veritate firmatam, institutis salutaribus renouauit. Teste nanque Luca, mox vt Angelus, qui Virgini loquebatur, ad cælestia redijt surgit virgo, atque ad montana conscendit: gestans (vt Beda ait) in vtero Deum: seruorum Dei habitaculum petit. Intrans quoque domum Zachariæ Helisabet, quam præcursorem domini nouerat parituram, congratulando cognatæ de dono, & ministratura seni, iuuencula salutat: atque per filium gloriæ regem, quem gestabat, matrem Helisabet, & filium sanctificauit, tribuens gratiam prophetiā dicit. Totoque spiritu in Deo salutari suo exultans, gloriosum illud canticum toto corde pro receptis Deum laudans muneribus, virginali voce deprōpsit, dicens: Magnificat anima mea dominum &c. Occurrens quoq; Helisabet magnis ad vocem salutantis Virginis oppignerata muneribus, prophetico repleta spiritu: non ingrata de munere, quod habuit, refudit. Nam benedictionis verbo, & gratiarum virginem grauidam: simul & benedictum vētris sui fructum benedicens ait. Benedicta tu inter mulieres .i. plus benedicta, quod omnes mulieres secundū Hiero. in sermone Cogitis. Et benedictus fructus ventris tui. Hæc sunt hodiernæ festiuitatis gaudia, de quibus quia per singula dici horæ breuitas, ac aeris intensa caliditas, non finit: saltem benedicentis Helisabet verba paululū pertractemus. Pro cuius executione virgini dicamus Aue.

Beda.

Benedicta tu inter mulieres. Beata mater Helisabet per donū prophetiæ quod ad salutantis vocem Virginis acceperat: nedum virginem deuotè laudauit: sed profundissima, sanctissimaq; dominicæ incarnationis mysteria reuelauit. Verba siquidem salutantis archāgeli, quibus Virginem commendauerat, resumpsit, & laudes maximas, quas idem Angelus dicere nondum potuit, adiecit, dicens: Benedictus fructus ventris

Helisabet per donum prophetiæ incarnationis misteri reuelat.

tris tui. Nondum enim dum Angelus suæ salutationis verba protulit, Christus dñs ventris eius fructus fuit. Sed Helisabet, hæc pphetico, quo instructa erat spiritu, addidit: in quo & filij, & matris laudes omnes compræhendit, dicens enim: Benedictus: non inter homines, aut Angelos, innuit eum sine alicuius cōparatione in infinitum benedictum: sicut Apostolus ait ad Rom. 9. Qui est Deus sup omnia benedictus in secula: addens verò fructus ventris tui: superexaltat Virginem. Laus em̃ matris (vt Alber. in de laudi. virgi. ait) in hoc, quod eam filius antecellit, non minuitur, sed exaltatur, in eo quod non tantum genuit sibi filium æqualem sed in infinitum meliorem, quod etiam ex parte infinitat quodammodo bonitatem matris. Omnis enim arbor ex fructu cognoscitur proprio. Vnde si bonitas fructus bonificat arborem: infinita bonitas in fructu ostēdit quodammodo infinitam in arbore bonitatem. Hæc Alber. Bonitas denique filii causa est maternæ benedictionis. Nam vt Bern. ait super Missus est. homil 3. Verè benedictus fructus ventris tui: in quo benedictæ sunt omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, & si differentius a ceteris: ex cuius benedictione benedicta ēt tu in mulieribus. Non quia tu benedicta: ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille præuenit te in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta.

Rom. 9.

Albert.

Bern.

Benedictio autem secundum Alber. in de laud. virgi. quatuor importat scilicet maledictionis euacuationem, fœcunditatis ampliationem, singularis gratiæ collationem, & congratulantium collaudationem: secundum hos em̃ modos inuenitur accipi benedictio in scriptura in multis passibus. Colligi tamen possunt simul ex his benedictionibus Balaam Num. 23. & 24. quibus per os Balaam benedixit dominus populo Israel: de cuius radice benedicta virgo nostra orta est: immo propter eam omnem suam benedictionem con secuta. Nam propter hanc virginem segregauit dominus peculiarē illum populum: ac benedictionibus multiplicauit, lege, sacramentis purgauit: quatenus purgatissima produceretur virga, de cuius radice flos ascenderet Christus dominus: super quem requiesceret spiritus sanctus: vt habetur Esa. 11. Quantum ad maledictionis euacuationem ait Balaam. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Non est idolum in: Iacob: nec videtur simulacrum in Israel, Deus eduxit illum de Egypto. Quantum ad secundatis amplificationem dicitur. Quis dinumerare posset puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Quantū ad singularis gratiæ collationem, dicitur: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab. Quantum ad congratulantium laudationem dicitur. Qui benedixerit tibi, sit & ipse benedictus: & qui maledixerit, in maledictionibus reputabitur. Sed hæ omnes benedictiones excellentissimè conueniunt virgini gloriosæ: super omnes mulieres benedictas: quare verissimè in laudem Virginis ait Helisabet. Benedicta tu inter mulieres.

Benedictio quatuor importat: Albertus Sum. 23.

Essa. 11.

Fuit benedicta inter mulieres: quia ab omni maledictione fœminei sexus liberrima. Dura siquidem maledictio, & graue iugum super omnes filias Euę, cui dictum est. In dolore paries filios, & nihilominus secutum est: maledicta sterilis in Israel. Ecce manere sterilem maledicitur: concepitioni autem concupiscentiæ fęditas, parturitioni doloris cruciatus alligatur. Verum maledictio sterilitatis opprobrium est hominum, non peccatum. Ait enim Bernar. super Missus est. Neque ob aliud sterilis dicitur maledicta: nisi quod opprobrio, & contemptui sit habenda tanquam inutilis, & infructuosa in Israel. Maledictio autem parturitionis, & peccatum habet in conceptione, & laborē in gestatione, cruciatum in partus effusione. Ab his euacuatur virgo benedicta, quia nec sterilis permansit, nec cum pudore concepit, nec in dolore peperit

Maria fuit benedicta, quod libera ba oīs maledictione fęminea.

Bern.

perit. Et quare hoc? quia certè elegit magis esse opprobrio hominibus, quã ob noxia peccato. Ait enim virgo prudentissima (secundum Bern. super Missus est. homil. 3.) apud se: Quid facies? si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris. Sed melius mihi est maledictum, quod est opprobrium hominum incurrere, & castam manere, quam prius per concupiscentiam concipere, & merito postea per dolorem parturire. Hinc enim & si videro male dictum, sed non peccatum: illinc verò & peccatum simul & cruciatum, mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me virginem castã possim exhibere Christo. O inquit Bernar. virgo prudens, O virgo deuota, O virgo castissima, quis te docuit Deo placere per Virginitatem? Quæ lex, q̃ iustitia, quæ pagina, vete. testa. præcipit, consulit vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam vitam ducere? Vbi legeras beata virgo, sapientia carnis mors est, & curam carnis ne feceritis in desyderio? Vbi legeras de virginibus, quia cantãt canticum nouum, quod nemo alius cantare potest: & sequuntur agnum, quocunque ierit? Vbi audieras de Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do? Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplũ habueras, nisi quod te vnctio docebat, de omnibus ac sermo Dei viuus, & efficax, ante tibi fuit magister quam filius. Prius instruxerat mentem, qùam indueret carnem. Eligis in Israel esse contẽptibilis: vt illi placeas, cui probasti te maledictum incurrere sterilitatis. Et ecce maledictio benedictione commutatur, fęcunditate sterilitas compensatur. Nec tamen fęcunditate Virginitatis integritas aufertur. Nam concipies sed sine peccato: grauida eris, sed non grauata: paries, sed non cum tristitia. Nescies virum, sed gignes filium. Hanc Virginis benedictionem exclamando innuit Helisabet cum ait: Et vnde mihi hoc vt mater domini mei veniat ad me? matrem vocans ostendit, quia sterilitatis euasit opprobrium. Dicens domini mei: integram corpore, & sanctã mente profitetur. Solent prægnantes matres a suis maritis, aut progenitoribus commendari: nunquam a fętu concepto. Sed non ait Helisabet: vnde mihi hoc: vt veniat ad me filia Dauid, vel sponsa Ioseph? parùm hoc fuisset, cum & ipsa Helisabet de stirpe sacerdotali progenita, virum habuit sacerdotali infusa præsignitum: sed mater ait domini mei. Cuius domini? Haud dubium; quin saluatoris mundi, & filij Dei, quem in sacratissimo gestabat vtero. Sed hic est, qui collapsa reparat, peccata mundat, innocentiam tribuit: hunc agnoscens & matrem Virginem, innocentemq; non dubitauit. Ipsa denique virgo pro hac benedictione accepta in spiritu exultans, dominum salutare suum magnificauit, cum dixit. Quia respexit humilitatem ancillæ suę. Quæ nam hæc fuit humilitas, quã tantũ respexit dominus? Illam puto: quoniam elegit virgo esse, opprobrium hominum, & abiectio plebis, vt suam virginitatem sponso consecraret in cęlis. Hanc procul dubio dominus respexit, & eam, quæ se despexit, ipse mirabiliter exaltauit: vt salua virginitate non esset vltra in israel maledicta, neque inter steriles deputata, sed ab omnibus Angelis, & hominibus venerata. Hinc sequitur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quam admirans Hugo de sancto Vict. ait. O humilitas Vrginis, & virginitas humilis, quomodo in vnum conuenistis? sic sublimastis humilem, sic fęcundastis virginem: vt virgo pariat Dei filium, & humilis habeat sponsum Deum? Et secundum hoc excellentius in ea locum habuit prima benedictio Balaam. Siquidẽ sola habitauit sine coniugali societate. Sic patet prima benedictio.

Bern.

Hug.

Fuit secundo benedicta inter mulieres, quia fecunditate amplificata: quoniam de ipsa verificata est benedictio Balaam, quis dinumerare possit &c.? Nã vnum naturalem filium genuit, benedictum ventris sui fructum: & fa-

Maria benedicta quod fęcunda.

cta est omnium mater credentiū. Quo modo enim virgo non est credentium mater cum propter eam sanctus patriarcha Abraā omniū credentium dicat pater? Dictus enim est Abraā a domino: quia constitutus pater multarū gentiū, Gen. 17. Pater multarū gentiū, nō p naturalem generationē: sic enī tm̄ pater fuit vnius gentis iudæorū: sed pater multarū gentium. i. omniū credentium: & hoc per repromissionē: quia repromissum erat ei semē, in quo benedicendæ erant oēs tribus terræ: sicut clarè docet Apostolus Gal. 3. Abrahæ dictę sunt promissiones, & semini eius, non dicit in seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Sequitur. Quicūq; in Christo baptizati estis, Christū induistis. Si aūt vos Christi, ergo semē Abrahæ estis secūdū promissionē hæredes. &c. 4. Nos secundū Isaac promissionis filii sumus: ob hāc causā Christū noīat primo genitū. Mat. 1. Peperit filiū suū primogenitū. Et ad Ro. 8. dicit. Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Si ergo primogenitus est, & fratres habet secūdo genitos: virgo mater nou est vnius tm̄, sed multorū: sed adoptione, nō carnis ppagatione. Vñ ait Alb in de lau. ait. Mater est vnius hominis p generationē: omniū hominū mater p regenerationē, virginum verò mater per imitationē. Hæc sancta ista Helisabet exponendo per singula, p quæ in suę benedictionis verbo simul complexa est, subdit. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quid hoc aliud est dicere: quam vt Chry. ait Dum virgo salutauit Helisabet, vox eius ad puerum descendit, & statim spiritu sancto repletus in matris vtero exultauit? & Beda. In vno, eodemque momento cum voce salutantis, gaudiū nascitur infantis quia dum vox ad aurem peruenit corporalem, virtus spiritualis cor intrat audientis: nec solum genitricem, sed sobolem amore domini aduenientis accendit. Ex hac aūt spiritussancti repletione cum Ioannes fuerit sanctificatus ab originali, & in spiritu regeneratus per Virginis vocem, clarè patet, ipsam omnium iu Christo filio suo regenerandorum esse matrem. De hac quoque benedictione ipsa virgo in suo cantico gratulabunda exultauit, cū cecinit: Et misericordia eius a progenie, in progenies timentibus eum. Quæ misericordia? Illa vtiq;, quia fecit mihi magna, qui potēs est, qua me humilem fecit matrem Dei creatoris mei. Hæc misericordia protendit a progenie in progenies, in omnes timentes eum: vt scilicet omnium illorum sim mater, salutem multa sollicitudine procurando: sicut etiam Ecclesi. 24. in eius persona dicit spiritussanctus: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris.

Gal. 3 · Mat. 1. · Rom. 8. · Alber. · Chrys. · Beda. · Eccl. 24.

Fuit virgo tertio benedicta per singularis gratiæ collationem. Fuit nanque virgo gloriosa super omnē creaturam post Christi humanitatē, in omnis gratiæ singularissima præuētione semp benedicta: in eius conceptione, natiuitate, & cōuersatione: sed his dimissis, hāc singularissimā præ cunctis contulit gratiā, q creatura existens, in matrem eligitur sui creatoris. In hac sola impleta est benedictio Balaam: Orietur stella ex Iacob &c. Ipsa enim est germen Iacob, atq; Israel: de quo ortus est sol iustitiæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: qui est virga percutiens duces Moab. i. idolatras populos. Hoc enim maius nihil in laudibus Virginis dici potest, de quo Pet. Rau. sup Missus est. Verè benedicta inter mulieres: qa cœlo fuit maior, terra fortior, orbe latior. Demum nanq; quē mundus capere non potuit, ipsa cæpit: portauit eum, qui portat orbem, suum que genuit genitorem, nutriuit omnium viuentium nutritorem: & Beda in humil. super Missus est. Verè ait benedicta inter mulieres, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cum decore Virginitatis gauisa est honore parentis, quodque Virginem matrem decebat Deum filium procreauit. Et Bernard. super Missus est. Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis:

Maria benedicta p gratiæ collatione. · Petrus. Rauen. · Beda. · Bern.

stitatis: sapientia paterna cordis, erit, fructus vteri Virginalis. Deum denique paries, & de cęlo concipies. Singularis fuit hęc benedictio: quia vt ait Sedulius: Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Hanc benedictionem explicans Helisabet dixit: Beata quæ credidit, quoniam perficient in ea, quæ dicta sunt ei a domino: dictũ erat ei per Angelum a domino: Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit il. dominus se. da pa. eius, & reg. in do. Iacob in eter. & reg. eius non e. fi. Hæc enim credendo concepit mente, & consentiendo, carne: in quo non solum benedictam, sed & beatam merito dicit: quasi summam perfectionem assecutã, quæ beatitudinis nomine significatur. De hac etiam benedictione in suo cantico congratulatur ipsa virgo dicens. Suscepit Israel puerũ suum. Suscepit, inquam, dominus per mysterium incarnationis puerum suũ .i. carnem infantilem de Israel: hoc est Virgine Israelitica: vel glo. dicit. Suscepit per dispensationem incarnationis quasi medicus ægrotum: dominus inter homines visibilis factus Israel in puerum suum .i. populum iudææ: vt faceret Israel .i. videntem Deum: & puerum suum .i. humilem & obedientem. Hanc autem incarnationem per Virginem factam nemo fidelis dubitat.

Sedulius

Glossa.

Maria benedicta laudatione gratulantium.

Fuit quarto benedicta congratulantiũ collaudatione. Laudata enim est super omnes mulieres, immo creaturas puras, ab Angelis, & ab hominibus. Laudant eam Angeli: vt ait Alber. vbi supra quia genuit Angelorum restauratorem. Restaurauit siquidem benedictus huius Virginis fructus, Angelicam ruinã, per æquipollentiam, numerum cadentium ex hominibus restituendo, augmentando, & superaddendo. Laudant eam homines, quia genuit perditi generis redemptorem, iustificatorem ac glorificatorem. Ideoq; rectè de hac virgine in benedictionibus Balaam dicitur: Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus: & qui maledixerit, sit maledictus: & verè benedicti sunt, qui huic virgini benedicunt. In cuius persona dicicit Eccl. 24. Qui elucidant me, vitam æternam possidebunt. Elucidare hanc virginem est eam laudare, benedicere, magnificare. Ea propter Helisabet egregia huius Virginis laudatrix, prima omnium post conceptum diuinum: vt ostẽderet eam ab omnibus deuotissimè laudandam, impleta spiritusancto exclamauit voce magna. Magna ait Beda: non tam clamorosa, quam deuota. Sed nec de hac benedictione domini in cãtico suo virgo exultans siluit. Ait enim beatam me dicent omnes generationes. Et concludens ait: Sicut locutus est ad patres nostros Abraam, & semini eius in secula. Locutus est inquam, de susceptione Israel ex Virgine matre, in quo & Virginis magnificauit laudes. Locutus est per Angelos, per figuras, & prophetas. Non ne Virginis nostræ commendabat fortitudinem: dum per angelum antiquo serpenti ait: Ipsa conteret caput tuum? Laudauit amoris indeficientiam: dum Moysi in figura rubi ardentis, sed non conburentis apparuit. Laudauit virginalẽ integritatem simul, & fęcunditatem: dum de virga Aaron non irrigata, super naturam florem produxit, & fructũ: quantum denique eam laudauit in omnibus prophetis, longum est recitare. Laudauit denique per euangelistas, & Apostolos. nec cessabit per suos fideles laudare: qui semen sunt Abrææ vsque in secula. De quorum numero quia nos esse gaudemus, & nos laudare non cessemus: sicut Hyerony. hortatur in ser. Cogitis Ait enim. Nolite cessare a laudibus Virginis. Si virgo es, gaude: quia meruisti esse, quod laudas: tantũ cura vt sis, quæ digne laudare possis: Si continens, venerare, & lauda: quia non aliunde constat, quod possis esse casta nisi ex gratia Christi, quæ fuit plenissimè in Maria; quam laudas. Si coniugata, aut certa peccatrix: nihilhominus confitere, & lauda: quoniam inde omnibus misericordia profluxit & gratia: vt laudent. Omnes itaq; dicamus cum

Eccl. 24.

Beda.

Hieron

cum Helisabet Virginem laudantes: Benedicta tu inter mulieres, quatenus & nobis eius meritis benedicat benedictus fructus sui ventris Christus dominus cũ patre, & spiritusancto Deus in secula seculorum Amen.

### IN FESTO VISITAtionis Mariȩ: Sermo III. in ordine. XV.

Luc. 1. Visitatio num festũ dies adiutorij & consolationis.

AVE Lucæ 1. Magna hodiernæ festiuitatis celebritas modo gaudia cumulauit. Est enim dies illa dies adiutorii & consolationis, dies lȩtitiæ, & salutationis. Quoniam hodie declaratum est mundo quod in conclaui factum est Mariæ: nunciatæ Angelo, ibi mater Dei efficitur, hic mater, & adiutrix miserorum comprobatur. Quis a modo derelictus desperet? imo quis mæstus non respiret dum nouam Dei matrem continuo maternæ pietatis officia adiuuando, ac cõsulando exhibuisse hominibus memoratur? Narrante siquidem Luca statim concepto Dei filio: Maria cœlorum Regina cognatam, ac seruuli matrem visitat: vt mulieri prouectæ ætatis, virgo iuuencula ministerium sedula impẽderet: vt dicit Beda: quo se iam matrem & curatricem significat seruulorum. Hinc canitur. Succurre cadenti, surgere, cui cura est, populo: vt quod dicitur (surgere, cui cura est) non tã ad populum referatur cadentem, quàm ad matrem succurrentem: quoniam reuera sicut suo filio: ita ipsi cura est de nobis 1. Pet. 5. Est etiam dies hodierna dies salutationis, & lætitiæ: quoniam hodie salutauit Helisabet Maria, & resalutatur a cognata: non secrete vt a Gabriele in thalamo: sed voce magna pluribus coram positis in domo. Cuius tanta fuit virtus salutationis: vt non terreret, quemadmodum verba Angeli, sed lætitia, & gaudio perfunderet: nedum aures audientis, sed corda matris, & nondum geniti infantis. Ecce inquit, vt facta est vox salutationis tuȩ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et quid mirum: quod prompta fuerit ad seruiendum: efficax ad adiuuandum, dulcis ad consolandũ quæ in castis suis visceribus sine vȩ cuiuslibet corporalis incommodi, lætitiã Angelorum, conseruatorem cœlorum, & totius naturæ administratorem de sua clausit substantia incarnatum onus vtiq; sine onere, fœtum sine dolore, fructum sine labore: quia conceptum sine corruptione. Quod prædixit ac promisit Gabriel in sua salutatione, cum dixit Virgini: Aue. De quo pro gratia idipsum replicemus mente deuota Aue Maria &c.

Beda

1. Pet. 5.

Aue. In festo salutationis merito tractatur verbum salutis. Quod licet multiplices in se claudit (huius ad quã missum est) Virginis dignitates vt sæpe dictum est: vnam tamen solam secundum prȩsentis festiuitatis exigentiam pertractemus. Generaliter siquidem ab omni væ imperfectionis, & mentis & corporis in verbo aue significatur liberrima. Sed nunc consyderemus, quomodo ingestando benedictum ventris sui fructum fuerit sine væ corporalis grauedinis; & laboris, agilis, & expedita. Adiicientes pro secunda huius sermonis parte: quomodo ex hoc ipso nobis plurima fluxerunt beneficia. Solent quo ad primum mulieres cȩteræ prægnantes: multis pulsari incommodis: incipiunt namq; corpore debilitari: de die quoq; in diem magis grauari, & erumnas varias perpeti Sicut in pȩnam primæ transgressionis dictum est, Euæ pro se, & vniuersis suis filiabus: Multiplicabo erumnas tuas, & conceptos tuos Genes. 3. In hebræo habetur loco conceptus, imprægnationes tuas ait Lyra. i dolores: labores; & miserias, quas patitur imprægnata in portando. Sed non sic nostra virgo, & mater fœlicissima. Non modo expers fuit a væ cuiuslibet erumnæ concepto Dei filio, sed etiam hoc onere nobili fuerat roborata: vt valentior esset ad seruiendũ: & corpore potentior prægnans, quam fuerat non concipiens: quod liquido

Mulierũ prægnantium incõmoda.

Gen. 3.

Lyra.

ex hodierno patet euangelio. Nam virgo prudentissima audiens inter cętera allocutionis verba: Ecce Helisabet cognata tua, in senectute sua concepit filium: postquam tam humiliter, quam deuotè se totam Deo obtulit di. Ecce ancilla domini: fiat mihi secundum verbum tuum, suscepit quoque in vtero iam Deum incarnatum non quasi incredula de oraculo: vt ait Ambrosius super Lucam: nec quasi incerta de nuncio: nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio: Exurgens abijt: nō in domum, aut villam proximam: nec per planum, sed per montana, & ne laborasse suspicemur ex fętu, addit Euangelista, cum festinatione: quam prægnantis labor non admittit. Intrauit domum Zachariæ, & salutauit Helisabet: atque seruiuit: non quidem ad horam, vel diem sed tribus mensibus: donec nasceretur domini præcursor: donec etiam suus intumuit vterus; vt iam concepisse a suo sponso Ioseph depræhenderetur, sicut tangit Mat. 1. Ex quibus lucidè cognoscitur quia robustior fuit corporis vigore virgo prægnans, quã fuerat prius, quam conciperet. Cui consonare videntur verba Ambro. super Luc. quibus ait. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur non a publico virginitatis pudor: non a studio asperitas montium: non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana cum festinatione virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vigente, non sexu, relicta perrexit domo. sequitur. Maria in domo sera, festina in publico: mansit apud cognatam suam etiam tribus mensibus: etenim quæ propter officium venerat, in hærebat officio. Hæc Ambr. Quod si adhuc eam vis videre omnis doloris, ac laboris in gestatione expertem: cognosce eam iam partui vicinam, de Nazareth in Bethleem cum Ioseph in diebus professionis ascendentem: vt Lucas commemorat: non ait equo insidentem: aut curru vectam, sed magis pedibus (sicut solebat statutis diebus ire Hierusalem) ambulantem. Et ibant, inquit, parentes eius, haud dubium quin cũ Iesu, per oēs annos in Hierusalē die solemni paschæ: de hoc etiam beatus Ber. in ser. qui incipit Signum magnum: ita ait. Iure illud molestissimum tædium quo reliquę omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit: quæ sola sine libidinosa voluptate concepit: vnde & in ipso cõceptionis initio quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur: Maria tota alacrita te montana conscendit: vt Helisabet ministraret: sed & ascendit Bethleem imminente iam partu: portans præciosissimum illud depositum: portans onus leue: portans, a quo portabatur. Hæc ille. Quid mirum: si portando non grauabatur, quæ pariendo non laborabat, sed gaudebat? vt ostensum est sermone, quo supra de purificatione. Iustum aũt fuit, & condecens: vt portando suum Maria conceptum non grauaretur. Et quia virgo concepit: & quia portantē, omnia portauit. Ratione primi nullũ in gestando, aut fouendo dolorem laborem vę sensit. Ratione secundi robustior: & ad adiuuandum potentior exstitit. Quia etenim in concipiendō longè fuit omnis libido pudor, aut corruptio: decuit omnimodis: vt in portando, & fouendo excluderetur omnis dolor, ærumna, atq; labor: quæ vt vult Hugo in pœnam libidinis infliguntur. Neque est Deus prius vltor (secundũ Au.) quam sit aliquis peccator. Non ergo debuit virgo ab omni peccato immunis sentire vltionem peccati. Quia denique conceptio illa opus fuit singularissimum summi opificis spiritussancti: cuius dum omnia opera sint perfecta Deut. 32. perfectissimum est opus illud singularissimum. Nequaquam autē perfectum fuisset: si non sine naturæ iniuriis, dolore. s. & labore consummatũ fuisset. Quomodo deniq; non potentior fieret, quæ illum clausum gestabat, cui⁹ nutui omnia subsistũt: aut a cuius facie silet vniuersa terra: Abacuc. 2. Si enim cæteri domino adhærentes, vnus

Ambr. Mat. 1. Ambr. Bern. Hugo. Aug. Deu. 32. Abacuc.

cum eo effecti sunt: (sicut Apostolus loquitur) voluntatum scilicet conformitate: pro suo modulo diuinas induunt conditiones: ita vt dii nominentur. Sicut in psalmo dicitur. Ego dixi dii estis, & filii excelsi, omnes. Quanto magis illa quæ & super omnes Deo mente adhæsit: & corpore Deum concepit: nouem mensibus gestauit & fouit, diuinas induit conditiones talisque efficitur pia, fortis, potens, adiutrix, misericors: qualis ille, quem possedit mente: & intra se continens, virginea induit carne. Hinc beatus Bernard. in ser. de Annunci. suam commédans pietatem: sic ad propositum nostrum ait. Quid mirum si pietatem exhibebant viscera pietatis? Nonne qui pomum tenuerit in manu sua dimidia die, reliqua diei parte seruabit odorem? Quantum ergo illa viscera virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit: nam & ante repleuit mentem, quam ventrem: & cum processit ex vtero, non recessit ab animo. simili modo de fortitudine, & cæteris diuinis perfectionibus argumentari licet.

Verè potens, & fortis fuit etiá prius quam conciperet, & superpotens, quæ sola Deum ad terram sui corporis (cui benedixit dominus) trahere, incompræhensibilem compræhendere: cælum, terramq; pugillo continentem in suo gremio præualuit continere? Quantum nunc poterit virgo mater Dei facta circa creaturam quæ tantum potuit circa creatoré: quæ solum (cui obediunt cuncta) sibi obedire: & de paterna maiestatis sede vsque ad infirma nostræ mortalitatis suscipienda descendere coegit? Adduxit illú vinculis suis alligatum. Adduxit illum charitatis suæ sagittis vulneratum, vulnerauit impassibilem, ligauit insuperabilem, traxit incommutabilem, æternú fecit mortalem. Sicut in de laudibus charitatis loquitur Hug. Verè tibi possumus dicere illud Gene. 32. patri tuo Iacobo ab Angelo dictum, Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem præualebis? Si Deum de cælis ad terram trahere præualuisti: quis dubitet, quin potés iam Dei sicut vnigeniti mater filii: poteris omnia præstare hominibus, & ipsos in cœlum eleuare? O quam forte est vinculum tuum virgo fortissima, quo Deus ligari potuit: & homo ligatus vincula iniquitatis dirupit. O magna virtus tua: vt per te ad hoc humiliaretur Deus: & vsque ad hoc exaltaretur homo. O quanta victoria tua, vnum prius vulnerasti: & per illum plurimos postea superasti: omnes, scilicet qui ad tuas aspirant laudes: quod ipsa prædixisti. Beatam, inquis, me dicent omnes generationes. Multi iam in præcordiis suis sagittas tuas infixas portant: & altius adhuc eas infigi desyderant. Delectabiliter enim & suauiter vulnerati sunt, & plagas suas se percepisse, non dolent, nec erubescunt. Multi iam tibi manus dederunt: & post te clamant illud Can. Trahe me post te: curremus in odorem vngétorum tuorum. Hanc fortitudinem Virginis prę uidit Salomon: & non dubitantis, sed admirantis affectu ait, Mulierem fortem quis inueniet? procul de vltimis finibus precium eius. Verè de vltimis finibus i de summo cœlorum benedictus filius eius, qui est precium, quo omnes redempti sumus. De huius mulieris fortitudine plurima dicenda alii sermoni reseruentur. Patet nunc vtcunque: quod virgo non solum portando suum filium non grauata est nec laborauit, sed & fortior facta, & potentior. Quare verè dictum est ei ab Angelo Aue, id est sine væ grauedinis, laboris, & ærumnæ: in benedicti fructus ventris sui gestatione. Tantum de primo.

Videamus nunc, Si qua nobis ex hac Virginis visitatione fluxerunt beneficia; vt nos per eam salutationis eius participium mereamur: & per eam à væ corruptionis, doloris, & laboris eruamur. Posset forté aliquis ingratus, & ad diuina rimanda hebes, & grossius cogitare: ne dicam dice-

Bern.

Hugo. Gen. 32.

Mariæ Visitatio quantú cantulis Helisabeth & Maria.

re. Quid tanti prædicatur, ac festiuis laudibus veneratur hæc Mariæ visitatio, quæ Helisabet cognatam suam accedens alloquitur, & ibi commoratur: cum hodie soleant iuuenculæ consanguineas suas visitare, & cum eis iucundari? Sed charissimi non sumus ad diuina dogmata, sicut Asinus ad lyram: vt

Boetius loquitur Boetius. Spiritus domini, qui Virginem obumbrauit: ipse ad visitandum inspirauit: & idem spiritussanctus per beatum Lucam euangelistam tanquam per instrumentum suum, hæc scriptis commendauit. Quis ita desipiat: vt credat: quia spiritus ille, qui cælis, & omnibus, quæ in eis sunt virtutem suam tribuit: aliquid casu agat, vel frustra: aut huiuscemodi literis commendet. Attendamus ergo beneficia visitationem Virginis consequentia, & saltem ex effectu cognoscamus causam. Siquidem claré, docet euangelium: quantum Virginis visitatio, ac salutatio profuit his, quos dignata est visitare: Helisabet loquor, & Ioannem. Contulit enim Ioanni purgationem: ac vtrisq; sanctificationem, gaudii exuberantiam, contulit spiritum sanctum, contulit secretorum reuelationem, contulit demũ prophetiæ actũ: vt alias in sermone de Ioannis natiuitate plenius fuit tactum. Nemo dubitat hęc magna, & singularia fore dona. Sed forte dicis: quid hoc ad nos? Multum per omnem modum. Nam Ioannem nostis: & præcursionis eius officium scitis. Ioannes fuit limes, & terminus prophetarum Christum vaticinantium: & quasi medius inter figuram legis, & gratiam veritatis: sicut ait Christus: Lex, & prophetæ vsq; ad Ioannem. Ex eo regnum

Luc. 16. Dei Euangelizatur. Lucę 16. & Matth.

Matt. 1. 11. A diebus Ioãnis vsq; nunc regnum cęlorum uim patitur: & violenti diri-

Ioan. 1. piunt illud. Ioannes enim non solum venturum dominum prædixit: sicut omnes prophetę, ante eum, sed etiam præsentem demonstrauit. Io. 1. Ecce agnus Dei &c. Propter quod a domino plus quam propheta dictus est. Mat. 11. Ipse

M,t. 11 regnum Dei euangelizare cępit. Pænitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cęlorum. Matt. 3. Ostendit Christum in spiritu baptizare, & per pænitentiã hominem ad ipsum recipiendum præparauit: & quoniam de prop inquo fuerut intraturi regnum cęlorum, quod nullum prius de massa perditionis susceperat: dicitur regnum cœlorũ vim patitur. Officium eius fuit pcurrere ante illum, & parare viam domino. Quibus fuit opus hac præparatione Christo an nobis? Scimus autẽ omnipotentẽ nullius egere: bonorum nostrorũ non indiges: ait propheta: nobis ergo opus fuit: nobis, inquam, in vetustate peccatorum degentibus necessarium fuit: vt nouus homo Christus annunciaretur, vt notificaretur, vt demonstraretur, veridico, & credibili testimonio sicut Zacharias pater eius prophetauit. Tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius. Quare? Ad dãdam, inquit, scientiam salutis plebi eius, nõ inquit salutẽ, sed scientiã salutis. i. eius q omnium verã salus. Nobis ergo necessarius fuit Ioannes: vt sua præcursionẽ: ac testificatione induceret Christum. Quo? Non in mundum: vbi iam erat sed in corda nostra: vt eius testimonio eum crederemus redemptorem mundi. Quod nequaquam potuisset nisi singulari sanctitate, & gratia lucens, ipse primum credibilis factus fuisset. Hanc ergo sanctificationis gratiam: cum per Virginis visitationem recepit: vt euangelium probat: nonne per hanc aucta sunt nobis beneficia? maximè cum testimonium non sit finitum: sed & nostram, & omnium futurorum firmat fidem? O quantum merito in nobis firmatur fides Christi: cum legimus vel audimus tantæ sanctitatis virum: vt ipse iam Christus putaretur: toto quo potuit clamore, & diligentia testimonium dedisse Christo.

Matt. 3.

Per hanc quoque Virginis visitationem clare perpendere possumus illud quod Bern. in sermone 2. de aduentu ait. Nihil nos Deus habere voluit: q non per Mariæ manus non transiret. Si enim

Deus nihil voluit nos habere nisi per virginẽ.

enim Ioannes ab archangelo primo promissus miraculose; quia de anustерili a vetulo conceptus (in peccato tamen originali) sanctificari non potuit: nisi veniente, & cooperante Maria: quis vnquam salutem sperabit nisi per illā?

Bern. Tu inquit Bernar. non eras dignus, cui donaretur: datum est Mariæ vt per illam acciperes, quicquid haberes: vnde rectè dicta est aquæ ductus. Eccl. 24.

Eccl. 24. Ego quasi aquæductus exiui de paradiso: per quam vniuersa nobis influit gratia: omnis consummatur salus, & redemptio; per eam enim conceptus est redemptor noster, natus, & nutritus; per eam præcursor sanctificatus: ea instigante miracula Christi initiata sunt in Chana galileæ: ea præsente nostra consumatur redemptio in cruce. Domino denique ascendente super choros Angelorum: manet in terris virgo, & cum spiritusancto consolatore, & doctore ipsa consolatrix, & doctrix fit discipulorum. Nunc quoque & ipsa ad dexteram filii assumpta, nostram causam promouet: iram iudicis lenit: & vt nos ab omni væ eripi mereamur: sicut ipsa a væ cuiuslibet imperfectionis prædicatur liberrima: suppliciter intercedit: quare omnes nostram causam ei, quæ se hodie matrem præbuit egentium commendemus: ab ea iugiter auxilium imploremus: quia si fideliter postulabimus sine dubio consequemur: præstante benedicto ventris sui fructu domino nostro Iesu Christo: cum patre, & spiritusancto in secula pricipāte: Amen.

## *IN FESTO VISITAtionis Mariæ Sermo IIII. in ordine. XVI.*

Luc. 1. Visitatio nis Mariæ festiua gaudia.

BEATA, quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a domino. Lucæ. 1.

Adest spectabilis festiuitas gloriosæ Virginis, quæ felicem transitum per montana ad vetulæ visitationem cognatæ, post conceptum diuinum ecclesia solemnizat. Gabriel namque paranymphus cum post allatam desuper salutationem ad solatium Virginis propterque causas alias inferius specificandas: conceptum sterilis indicasset (dicens: Et ecce Helisabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. Expletoque fœliciter commissionis suæ negocio) rursus ascenderat in cœlum. Maria virgo extemplo surrexit: abijt, salutauit Helisabet: eiusque prophetica benedictione audita, dominum, qui mirifica operatus est, deuotissimo cantico mirificauit: ac seni cognatæ mensibus tribus vsque ad præcursoris natiuitatem humillime ministrauit. Hæc sunt festiuitatis hodiernæ gaudia veneranda. Hæc multiplicis gratiæ effusionis memoria amplexanda. Quæ festiuitas cæteris eiusdem Virginis solennitatibus minor non est, quantum ad ea, quæ ad beatissimæ magnificationem pertinent. Nam plenitudinem gratiæ, quam Angelus in die incarnationis dominicæ nunciauit: in ista in conspectu domini anus hodie approbauit. Beata inquit, quæ credidit: quia perficientur in ea, quæ dicta sunt ei a domino. In die illa verbum patris concepit in Virginalis vteri latibulo. Et ecce (inquit Angelus:) concipies in vtero: hodie diuinum conceptum Helisabet exclamat in patulo. Et vnde mihi hoc: vt mater domini mei veniat ad me? In die illa laus Virginis & benedictio nunciatur. Benedicta tu, inquit, in mulieribus. Hodie a prophetissa consummatur, quæ quod Angelus dicere nondum potuit, mulier sancta adiecit. Et benedictus fructus ventris tui. Consummatio autem bonitatis, & benedictionis arborum, est benedictio, & bonitas fructus excrescentis. In die illa virgo cor de tātum domino cecinit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Hodie voce plena secundum plenitudinem suæ gratiæ dominum

num magnificauit. Non ergo minor hodierna festiuitas festo annunciationis quantum ad Virginis nostræ magnificationem. Sed quantum ad nos aliquid etiam superaddit in effluxu plenitudinis gratiæ, quæ fuerat in Maria. Nam in illa die facta est mater
Albert. verbi æterni creatoris sui. Hodie facta est mater generis nostri: quoniam tunc concepit Deum corporaliter. Hodie verò fideles Dei concepit spiritualiter, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus: vt dicit Apostolus
Rom. 8. Roma. 8. Nos autem fratres secundo geniti. Scitis fratres eosdem habere parentes: alioquin quomodo dicerentur fratres? Ideo Christus factus est frater noster per carnis nostræ assumptionem: sicut ipse ait. Ite nunciate fratribus meis. Parens Christi facta est mater nostra. Concepit autem Christum Maria per gratiæ plenitudinem: ipsam intus perficientem. Spiritussanctus, ait, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Concepit nos per gratiam effluentem: quæ hodie effluere cœpit: dum exurgens ad sanctificandum domini præcursorem properauit. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Helisabet exultauit infans in vtero eius. Et repleta est spiritusancto Helisabet: & clamans voce magna dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Dehinc volens omnia perfectioni fidei eius ascribere subiunxit: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a domino. Quæ? Certè quod ad summæ creaturæ fastigium leuaretur: quod concipiendo, & pariendo altissimi filium: vera Dei mater diceretur, & esset: vnde præmisit. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Hoc itaque donum Helisabet merito fidei ascribere volens, inquit, prout in rhemate Beata, quæ credidisti &c. Pro gratia Aue Maria.

Mariæ fides quatuor fidē De Virginis fide (de qua in Euangelio commendatur) nunc vel breuiter aliquid dicendum est. Excedit itaque fides Virginis fidem omnium viatorum omnium excedit. improportionabiliter: & hoc præsertim in quatuor quantum nunc sufficit. Quoniam fides beatissimæ Virginis fuit generalior in appræhendendo, Clarior in cognoscendo, Constantior in perseuerando, Vigorosior in causando. In appræhendendo fuit generalior: quoniam etsi varii prophetæ varia per diuinam reuelationem cognouerunt: quoniam sicut diuisiones gratiarum sunt: ita & donum prophetiæ diuinum est in multis: vt multi diuersa vaticinarentur: non vnus omnia: vt patet per decursum prophetarū. Virgo autem gloriosa, & præcedentium prophetarum dicta vniuersa legerat, ac fide integra tenebat. Omnia denique verba concomitantium Helisabet, Zachariæ, Ioannis, pastorum, Symeonis, Annæ, Gabrielis archangeli: sed & superuenientis spiritus, & intus loquentis: & vniuersa circa Christum actitata, per ipsum quoque prædicata conseruabat conferens in corde suo Luc. 1. & 2. Luc. 1.
Quæ tractans Beda in homil. super euangelium Pastores loquebantur: ostendit: quemadmodum quæ viderat, Beda.
& audierat, contulit cum his, quæ legerat in prophetis. Quid enim de Deo, non sapiebat? in qua Dei sapientia latebat, ait Anselm. in homil. hodierne festiuitatis. Denique in eius Ansel.
laudem canit ecclesia: Gaude virgo Maria cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.

Quia cum verbum verbo virgo conciperet, & virgo permanens pareret: cæterasque circa hominem Christum oculis videret: manibus contrectaret: fide sua certissima, & experimentali notitia, & populorum errores, & hæreticorum prauitates confudit: vt puta quod ex nihilo nihil fit, quod supra naturam Deus operari non potest: nec eam mutare. Quia non nisi sexuum commixtione homo produci potest. Quia virgo non concipere, nec omnino parere potest. Quia Dei cum hominibus cōuersatio nō est: vt dixere

Chal-

Chaldæi Nabuchodonosor regi. Dani. 2. ac cetera sine numero. Prauitates hæreticorum, Carpocratis, Cherinthi, & Ebionis, dicentium Christum purũ hominem ex Maria sumpsisse principium. Manichæi dicentis ipsum habuisse corpus phantasticum. Valentini dicentis Christum nihil sumpsisse de Virgine, sed corpus cęleste attulisse, & p eã tanquam fistulam, vel canale transisse. Nestorij dicentis Christum duas esse personas sicut complectitur duas naturas. Arrij negantis Deum humanatum, Virginem autem non theotocon, sed christotocon dici debere, mentientis. Sabellij, & patripassianorum, personas diuinas confundentium, & ita sicut filium, ita & patrem incarnatum esse dicentium. Macedonij negantis spiritum sanctum esse Deum, & per consequens Christum non ex Deo conceptum. Carpocratis & iudæorum dicentium Christum ex Ioseph semine natũ. Heluidij dicentis Virginem post Christum à Ioseph cognitam, alios filios procreasse. Eorũ quoq; qui (vt Hugo recitat) dicunt Virginem per consensum coniugalem in coitum consensisse, & ita Virginitatem mentis perdidisse. Horum & omnium aliorum sine numero errantium hæreses confutauit veritatem clarissimè cognoscendo, fideliter profitendo, eamq; apostolis, & fidelibus manifestando. Propter quod Hiero. in sermone Cogitis, dicit. Ipsa est sola, quę nos post Deum confert omni veritati. Cuius ergo fides omnem veritatem comprehendit, omnibus generalior fuit.

Hæreses de Christo.

Hugo.

Hiero.

Fuit etiam fides virginis clarior, eo ꝙ per eam clarius credenda agnouit. Hinc Gerson super Magnificat. Clarior fuit in Maria fidelis cognitio, cum claritate præ ceteris patriarchis, & prophetis, immo & apostolis, addamus immo & angelis. Quod ex eo satis conijcimus, quoniã modum dominicę incarnationis angelus ei petenti explicare non potuit, sed eam inquirentem ad altius magisterium transmisit, dicens. Spiritus sanctus superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit &c. Quasi di. secundum Bernardum super Missus est, hom. 4. Modum, quo de spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus in suo secretissimo consilio sic obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notum habeatur, & tibi, quia non potest doceri nisi à donante, nec potest disci nisi à suscipiente. Vnde manifestum est eam incarnationis mysterium clarius angelis cognouisse, quoniam angeli incarnationis mysterium nec donauerunt, nec susceperunt. Propter vtrunq; generalitatem, & claritatem Bea. Hierony. in serm. Cogitis, eam apostolos docuisse asserit, ita di. Inter apostolos post resurrectionem intrans & exiens familiarius contulit de Christi incarnatione, tanto siquidem verius, quanto ab initio per spiritum sanctum didicerat, & per spexerat oculis vniuersa.

Maria fides clarior quã aliorum.

Gerson.

Bern.

Hiero.

Fuit quoque fides Virginis constantior in perseuerando. Nam nullo vnquam momento fides Virginis nutauit, aut minus credidit, vel etiam cre denda ignorauit. Non enim ad promissionem angeli dubitauit, vt infra tangetur. Nec in passione minus credidit, cuius cruci constanter astitit. Nec de eius resurrectione fides matris quo modolibet nutauit, quemadmodum de apostolis, discipulis simul cum ceteris mulieribus sacra testatur historia, propter quod ceteris fugientibus ipsa astitit, ceteris ad sepulchrum currentibus, vel vt corpus mortuum vngerent. vel vt mausoleum vacuum cernerent, ad resurrectionis fidem tardis, & duris, virgo quieta in domo stabat, certa fide resurrectionis horam expectans. Vnde de ipsa communiter exponitur illud Eccle. 1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra vero in æternum stat, nam generatio apostolorum præteriuit à fide, vt plurimi dicunt. Generatio latronis, & Centurionis aduenit, ad fidem. Terra vero, idest virgo Maria (de qua in psalmus. Benedi-

Mariæ fides constantior alijs.

Eccle. 1.

Esa. 45. xisti domine terram tuam. & Esa. 45. Apetiatur terra, & germinet saluatorem) in æternum stat: quia fidem immobiliter sine interceptione, & inamissibiliter conseruauit.

Mariæ fides vigorosior in causãdo. Fuit deniq; fides gloriosissimè Virginis vigorosior in causando. Nam effectus fidem eius consequentes: ad quos fides ipsa disposuit, improportionabiles fuerunt effectibus, fidem aliorum omnium consequentibus. Sunt enim (vt plurimos sileamus) duodecim effectus fidem perfectam consequentes in diuersis scripturæ passibus designati.

Mortificat nanque fides carnem: vt ei velut mortuæ homo non inhæreat: ipsamq; morti pro Christo verisimiliter exponat: sicut legitur Eccl. cap. 7. Eccl. 7. Memorare nouissima tua (haud dubium, quin per fidem: neq; enim aliter, quam per fidem nouissima cognoscuntur) & in æternũ non peccabis: carnis.s. cõcupiscẽtia illectus, & ad Heb. 11. Heb. 11 Per fidẽ distenti sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Viuificat spiritum. Abac. ij. Abac. 2. Iustus ex fide viuit Ioan. 6. Ioan. 6. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet. Fæcundat ventrem ad Heb. 11. Heb. 11. Fide Sara sterilis virtutem non conceptione seminis accepit. Impinguat mentem. Ipsam enim habitaculum Christi efficit. Eph. 3. Eph. 3. Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Denique secundum Bedã in homi. Extollens: Beda fide Christi concipimus: bonis operibus parturimus, Blandientem mundum vincit. 1. Io. 5. Ioan. 5. Hæc, est victoria, quæ vincit mundum: fides nostra. Patriam, & parentes contemnit. ad Heb. 1. Hea. 1. Fide Abraam obediuit exire in locum exiens, & nesciens, quo iret. Contra tyrannos, & regna triumphat. ibidem. Sancti per fidẽ vicerunt regna. Contra demonum insidias armat. Ephe. 6. ad Eph. 6. In omnibus sumentes scutum fidei: in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Operatur iustitiam, expectans repromissionem: vbi supra ad Heb. Sancti per fidem vicerunt regna &c. operati sunt iustitiam: adepti sunt repromissiones. Adducit benedictionem. ad Gal. 3. Gal. 3. Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraam. Filios Dei constituit. Ibidem. Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Io. 1. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in eum. An non filios Dei constituit quos eadem miraculorum potentia stabiliuit? Ioann. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet: & maiora horum faciet. Et Matt. 17. & Mar. 11. Mat. 17. Mar. 11. Si inquit, habueritis fidem, vt granum sinapis, & dixeritis monti huic, tollere, transi hinc, & mitte te in mare, fiet. Salutem, gloriam, & lætitiam tribuit sempiternam 1. Pet. 1. 1. Pet. 1. Credentes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorifica ta: reportantes finem fidei vestræ: salutem animarum vestrarum. Nunc autem nemo mortalium ita carni moriens, Deo vixit. Nemo tam mirabiliter fecundo ventre, mente prægnans fuit: atque deitatem corporaliter inhabitantem suscepit. Nemo sic blandientem mundum contempsit: patriam & parentes reliquit, tyrannos, & mortem paruipendit: diaboli caput pede virtutis contriuit. Nemo sic operatus: nemo sic contemplatus, tanta fiducia, & anxietate repromissionem expectabat. Nemo sic benedictionem: nemo sic in prolem diuinam adoptatus: nemo talem inenarrabilis gloriç coronam assecutus: quemadmodum gloriosissima virgo Maria, quæ nunc declarare, breuitas vetat temporis. Cum ergo effectus fidei eius improportionabilis est quorumlibet aliorum. Ipsa est enim: vt dicit Albertus super Missus est, quæst. 38. Albert. quç credens verbum dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum, ad cuius dictum summus montium tulit se, & misit se in mare amarum idest Mariam. Sic enim interpretatur Maria. Etsi Abraam ponitur in exemplum maximæ fidei: quia in spe contra spem credidit, quod seni de vetula filius nasceretur Roma. 10. quod improportionabile fuit, quod beata virgo credidit Rom. 10

didit de se virgine nasciturum Deum. Sequitur igitur: quod fides eius perfectissima improportionabiliter excessit fidem omnium aliorum.

Mariæ fides sine merito, quoad experimentum hũc de incarnatione. Bern. Heb.

Sed moueris forsitan ex verbo beati Gregorii homil. 26. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed beatissima virgo experimentum habuit dominicæ incarnationis & aliorum per Christum in carne gestorum. Sicut Bern. in persona Angeli dicit homil. 4. super Missus est. Quid a me quæris; quod in te mox experieris? Præmisit autem, hæc sola in se feliciſsimè meruit experiri: qualiter ille inaccessibilis Virginæis sese visceribus infuderat: & ita fides sua non fuit meritoria: & per consequens respecta fidei aliorum, quę meritoria fuit minus perfecta. Immo videtur secundo, quod nec fidem habuit. Fides enim secundum Apostolum ad Hebre. 11. est substantia rerum sperandarum: argumentum non apparentium, idest ineuidentium. Sed articuli fidei fuerunt Virgini euidentes, quæ Christum de se genitum nouit, oculis vidit, auribus audiuit, ac manibus contrectauit. ad ista dicitur: quod beatissima virgo ante incarnationem Christi habuit fidem tam habitualem quam actualem: credidit enim prophetis, credidit, & Angelo ad se misso, se futuram matrem Christi. Ideo humiliter consentiendo se obtulit domino, dicens: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuũ. Et de hac eius fide exclamauit Helisabet: beata, quæ credidit. Nec tunc respectu articulorum experientiam habuit: sed habitura erat secundum verbum Bern. domino autem incarnato ac nato: respectu articulorum humanitatem Christi concernentium: vt quod Iesus natus fuit de se Virgine &c. passus, crucifixus &c. experientiam habuit sicut & Apostoli de eo: quod homo ille miracula fecit, prædicauit captus fuit, flagellatus, & tandem in cruce mortuus: & ideo hæc non nouerunt per actum fidei, sed per notitiam intuitiuam experimentalem. Sed quod homo ille fuerat Deus: & ita quod Deus conceptus fuit de Virgine, quod Deus natus in carne: quod Deus moriebatur in cruce: non per experientiã, sed per fidem cognouerunt, de hoc ergo experientia haberi non potest, nisi per notitiam intuitiuam deitatis: hæc autem est beatifica, & viatori vt tali non conuenit. Quod dicitur propter Christum, qui fuit simul viator, & compræhensor. Sic in simili dicit Greg. hom. 26. exponens illud Io. 21. de Thoma: Quia vidisti me: credidisti. Liquet profecto; quod fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dũ palpauit: aliud vidit aliud credidit a mortali quippe homine diuinitas videri non potuit: hominem ergo vidit, & Deum confessus est, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Videndo igitur credidit: quia consyderando verum hominẽ: hũc Deum, quẽ videre non poterat exclamauit.

Greg.

Maria virgo & Apostoli minus meruerũt asseñtiẽdo articulis fidei alio.

Nec tamen virgo beata pariter & Apostoli minus meruerunt assentiendo articulis per notitiam euidentẽ experimentalem, quã si credidissent per fidem actualem. Quia habuerũt fidem infusam, quæ secundum probabilem opinionem vna est respectu omnium credibilium, per quam eos credidissent: si ẽt non vidissent. Meritũ enim primo est in actu voluntatis, non in actu intellectus: & non fuit minor voluntas in eis ad credendum reuelationem, si non vidissent: quam in his, quæ non viderant: immo non videtur improbabile: quod notitia euidens visionis quantum ad aliquem gradum certitudinis, seu firmitatis dependebat ab habitu fidei infusæ: quoniam firmius adhæserunt; quia reuelatum, quam quia visum: licet euidentius ex visione cognouerũt, quam reuelatione. Scientes; quod minus fallere potuit reuelatio primæ veritatis, quam visio experimentalis. Propter quod secundum verbum Apostoli 2. Cor. 10. parati fuerunt redigere

2.Co. 10 in captiuitatem omnem intellectum: in fidei Christi obsequium. Et huic fauere videtur Ioan. Cancella.Parrhysien. in de veritatibus credendis: vbi Ioa. cās. expræsse dicit: quod de notis per experientiam, & euidentibus per rationem naturalem, fit fides propriè dicta: licet non sub ratione experientiæ, vel euidentiæ naturalis, sed respectu intendentiæ diuinæ reuelationi: prout fides est ex auditu per verbum Christi. Declarando subdit. Quoniam præcepta decalogi euidentia sunt in lumine naturali: & ista: Deus est, illa, Roma fuit: Hierusalem fuit: nota per experientiam: hæc nihilominus prout nobis in scriptura sacra traduntur tanquam approbata per ecclesiam, sunt certa fide tenenda: quoniam credulitas omnium contentorum in sacra scriptura innititur huic principio solum credito: & naturaliter ineuidenti Tota sacra scriptura a Deo reuelata est. Remanet igitur ineuidens totum: sub hac credulitatis ratione.

Fides & scientia vt in eodē intellectu stare possint: Et forte non apparet impossibile; quòd in eodem intellectu respectu eiusdem veritatis stent simul duo actus adhæsiui: vnus genitus per reuelationē: alius per demonstrationem, vel per experientiam. Primus erit fidei. Secundus agnitionis naturalis, qui quantum ad firmitatem adhæsionis, & euidentiam habent se, vt excedentia, & excessa: ita quod primus esset certior: secundus euidentior. Nec isti actus habent ad inuicem oppositionem: sicut scientia, & opinio: quarum altera includit formidinem: altera excludit. De eadem autem veritate non potest idem habere certitudinem, & formidinem: & ita nec scientiam, & opinionem. Fides autem non simpliciter excludit euidentiam, sed in ordine ad medium, per quod acquiritur: ita quod actus fidei est veritatis non apparentis per tale medium: puta reuelationem, per quam ipse acquisitus est: non curando: an sit apparens, siue euidens per aliud medium, experientiam, vel demonstrationem. Et ita sustineri posset; quod de eodem simul posset esse fides, & scientia propter diuersa media: sed non scientia, & opinio: quia non sic opponuntur euidentia respectu illius medij: & ineuidentia respectu alterius, sicut formido & certitudo: hæc sine assertione posita sunt: videtur qualis cunque occasio profundius inquiren di. Et per hoc sufficienter solute sunt obiectiones.

Sed fortè quispiam Virginis fidem infirmam suspicando putabit: quod ex ea suam cognatam visitauit vt veritatem signi & dicti euangelici (cum inquit: Ecce cognata tua &c.) experimento comprobaret. Sed fallitur sic opinans. Credidit enim prius, quam Helisabet visitaret: ipsa teste: Beata inquit, quæ credidit. Virgo etiam signum non postulauit; sed Angelus sua sponte adiecit, Et quomodo se obtulisset ministram tanti sacramenti, dicens: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum: si incredula fuisset verbi ad se per Angelum missi? Mariæ fides quomodo perfecta.

Ambro. Neq; enim (ait beatus Ambr. lib.2. super Lucam) fas est: vt electa ad generandum vnigenitum Dei filium, fuisse videatur incredula. Quo ergo modo fideri posset: vt Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, spiritusancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria: neq; tam temere vsurpare debuit diuina. Neq; enim facilè erat scire mysterium absconditum a seculis in domino, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officiū refutauit, sed accommodauit affectum, spopondit obsequium. Temperantior fuit responsio Virginis, quā verba sacerdotis. Hæc ait: quomodo fiet istud? Ille respondit: vnde hoc sciam? Illa iā de negocio tractat, ille de nūcio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire, & quasi adhuc fidei quærit autorem. Illa non dubitat faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit. Legerat Maria virginem parituram: ideo credidit futurū: sed quomodo fieret ante non le-

gerat. Nō eſt quēadmodū fieret Eſaiæ ꝑphetæ fuerat reuelatū. Tantum enim mandati myſteriū, non hominis fuit, ſed Angeli ore promēdum. Hęc Amb. Et gl. be. Lu. 2. concordans ait: Legerat Maria Virginem parituram: non dubitabat, ſciebat enim: quod impleri opportebat, quod ab Angelo nunciabatur: ſed quia: quomodo fieret, non legerat: nec ab Angelo audierat: quo ordine impleri debuit, requirit: quia hoc myſterium a ſeculo abſconditum, a prophetis non prædictum, Angelo eſt reſeruatum. Et beatus Bern. homil. 4. ſuper

Bern. Miſſus eſt: exponens illud: Quomodo fiet iſtud, ait: Non dubitat de facto, ſed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit: an fiat iſtud, ſed quomodo: q. d. Cum ſciat dominus meus, teſtis conſcientiæ meæ, eſſe votū ancillæ ſuæ, nō cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat, illud? Si oportuerit me frangere votum; vt pariam talem filium: & gaudeo de filio, & doleo de propoſito: fiat tamen voluntas eius. Sin verò, virgò concipiam, & virgo pariam: quod vtique ſi placuerit ei, non erit impoſſibile. Tunc ſcio verè, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuę. Hęc Bern.

Mariæ cur nil dubitans ordinem quærit rei.

Ponit aūt Alb. quatuor rationes cur virgo nihil dubitans ordinē rei qnæſiuit videlicet: Propter pleniorem materiæ deſcriptionē. Propter veritatis maiorem expræſſionem. Propter errorum, dubitationū & opinionū excluſionem. Propter noſtrā ædificationē. Sic & beatus Ioannes in vinculis propter diſcipulorum eruditionem quæſiuit a domino per diſcipulos ſuos: Tu es, qui venturus es: an alium expectamus? vt exponit Chry. in glo. Matt. 11.

Chry. Angelus ſignū cōceptus ſterilis mulieris adhibuit & quare Ambro.

Sed fortè quis diceret: Si virgo non dubitauit, cur Angelus ſignum conceptus ſterilis mulieris adhibuit? Cur etiam virgo vt experiretur veritatem ſigni exurgens viſitatura Heliſabet in montana abijt? Ad hoc dicendum ſecundum Albertum ſuper Miſſus eſt: quod virgo neque de facto neque de modo dubitauit: licet de modo inquiſiuit. Sed ad hoc ſecundum Ambro. ſuper Lucam: Angelus ſignum adhibuit: quia morale eſt omnibus vt qui fidem exigunt, fidem aſtruant. Et ideo Angelus cum abſcondita nunciaret: vt fides aſtrueretur exemplo ſeniorum ſemen, ſterilisque conceptum Virgini Mariæ nunciauit: vt poſſibile Deo omne, quod ei placuerit, aſſereret. vnde Maria non quaſi incredula de miraculo: vel quaſi incerta de nuncio: nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio ad montana perrexit. Hæc Ambro.

De hoc etiam beatus Bernard. ſuper Miſſus eſt. homil. 4. ita ait: Quid fuit neceſſe huius ſterilis Virgini nunciare conceptum? Nunquid fortè dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recētiori voluit confirmare miraculo? Abſit. Legimus Zachariæ incredulitatem ab hoc ipſo Angelo fuiſſe caſtigatam. Mariam autem in aliquo repræhenſam non legimus: quin potius fidem ipſius Heliſabet prophetante laudatam agnouimus. Et ſubdit quatuor rationes propter quas Angelus conceptum ſterilis nunciauit, dicens: Ideo ſterilis cognatæ conceptus Virgini nunciatur: vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò neceſſe erat nō modico lætitiæ, & amoris præueniente inflammari incendio: quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio ſpiritusſancti mox fuerit conceptura. Neque enim niſi in deuotiſſimo, atque hilariſſimo corde, tanta ſe capere poterat dulcedinis, & alacritatis affluentia. Vel ſecundo ideo: quia profectò decebat: vt verbum mox diuulgandum, vbique prius ſciret virgo per Angelum: quoniam audiret ab homine, ne mater Dei videretur a conſilijs filij amota: ſi eorum, quæ in terris tam prope agerentur remanſiſſet ignara. Vel tertio ideo, vt dum nunc ſaluatoris, nunc præcurſoris edocetur aduentus rerum tempus, & ordinem tenens: ipſa melius poſtmodum ſcriptoribus, ac ꝑdicatoribus euangelij Bern.

refer-

referret veritatem, quæ plenè de omnibus à principio cęlitus fuerat instructa mysterijs. Vel quarto ideo, vt audiens cognatam vetulam grauidam cogitaret iuuencula de obsequio, sicq; illa properante ad visitandum paruulo prophetiæ locus daret, & occasio, quo minori adhuc domino sui officij valeret exhibere primitias. Et dum se ad inuicem matrum infantumq; occurrit ab alterutro excitata deuotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. Hæc Ber. Patet itaq; integra Virginis fides, & quam excellenter aliorum excellebat fidem. Vt sic ex fidei suæ plenitudine perficiantur in ea, quæ dicta sunt ei à domino filio suo cum patre, & spiritu sancto in secula benedicto. Amen.

## IN FESTO ASSVMptionis Mariæ. Sermo. I. in ordine. XVII.



ENI de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis. Canti. 4. Cant. 4

Singularis hodiernę festiuitatis gloriam, deuotissimis laudibus celebremus In qua vnigenitus patris dilectissimę matri suę quam de præsenti seculo vocās ait: Veni de libano &c. cęlestium stipatam comitatu ciuium, omni cum gloria suscepit, sicut Beatus Anselmus ait: Stipatus mille millibus, immo innumerabilium angelorū agminibus Deus ipse huic pijssimæ matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cœlos exaltatam, cunctæ secū creaturæ perenni iure domi naturam, in throno gloriæ collocauit. O iucunda, & desyderabilis dies tanti occursus, gloriosa, & fœlix dies tā præclarę exultationis, beata, & celebris dies tam sublimis glorificationis; festiua, & omni seculo admirabilis. Dies quæ non solum benedictam Virginem ineffabiliter sublimauit, sed cœlum ipsum, quod penetrauit, noua gloria decorauit. Terram quoq; mira gratia irrigauit. Cuius exultatione exors nemo est, nisi miserabilis illa dęmonum creatura, quæ se huius mulieris prostratam pedibus, ac deuictam fortitudine dolet se mundi amisisse principatum. Vnde & nos de vngulis frementium harum bestiarum huius Virginis liberati beneficio, in eius laudibus nefas est cessare. Maximè autem in hac eius gloriosissima festiuitate, in qua summè exaltata post benedictum fructum sui ventris creaturas supergressa est vniuersas. Sed quas laudes ei nos peccatores miseri referre in hoc transitorio poterimus festo, quam beatæ angelorum voces perpetuum colentes Assumptionis sue festum, cęlestibus eam non cessant laudibus cumulare? Quoniam autem tantæ reginæ gloriam sicut nec concipere, ita nec proloqui valemus. Ne tamen omnino (licet indigni) tacere arguamur (quoniam de eius gloria silere deuotio non patitur) ab ipsa gratiæ præsidium impetremus dicentes: Veni o sponsa altissimi de libano: Veni de regni solio per gratiæ influxum, vt quæ perpetuo ab vnico tuo filio coronaris, & in nobis coronari non despicias, dum nos tuæ exultationis participes, & secundum modum nostrum dignos tuæ beatitudinis effic is laudatores. Pro cuius impetratione tibi dicimus: Aue Ma.

Assumptionis Mariæ, laudatio

Ansel.

Inter cetera Virginis gloriosæ festa hodierna celebritas obtinet principatum. Quoniam & si ab initio suæ creationis, & per vitæ huius temporalis discursum plenitudinem sortita est gratiarum, donorum, & meritorum, immo fontem gratiarum in suo castissimo vtero clausit, humana carne induit, & de se (seruato Virginitatis sigillo) suum creatorem huic mundo generauit, fouit, & vbere de cœlo pleno lactauit, ei q; ministrauit, ac charitate integerrima adhæsit, hodie tamen cum de hoc seculo nequam eripitur, primum glorię cęlestis coronam consequitur, qui

Assumptionis festiuitas oēs alias trā greditur

terminus est, & finis omnium præcedentium munerum, gratiarum, & meritorum. Tanto superexcellens cetera, quanto finis media in finem ordinata, quanto perpetuum temporale, quanto figuram veritas, quanto ænigmaticam, & specularem excedit visio facialis. Hodie præ cunctis vitæ suæ diebus magnificata, longè fęlicius cœlo innascitur incorruptionis munere dotata, quam olim de Anna matre in hunc prodijt mundum, dolore, ac labore plenum. Longè intimius tanquam sponsa super omnes electa hodie coniũcta est, vnusq; spiritus facta cum super benedicta trinitatis diuinitate, quam olim dilectissimo suo filio de carne Virginea concepto. Ideoq; etsi ineffabilis est illa Christi susceptio, qua mater facta est sui creatoris incomparabiliter iucundior est susceptio illa, qua olim vicissim à filio suo vocata, & assumpta, toti trinitati vnita est vt sponsa reginalis, quoniam hanc incompræhensibilem vt aliquatenus miraremur, per ineffabilem illam nobis hodie ecclesia nititur declarare, sicut Beatus Bern. ser. 1. huius festi. ait: Quem in castellum mundi huius intrantem prius ipsa suscepit, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens ciuitatem. Sed cum quanto putatis honore, cum quanta exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior virginalis vteri templo, in quo Dei filium Maria suscepit. Nec in cęlis regali solio, quo Beatam Mariam hodie filius sublimauit. Felix nimirũ vtraq; susceptio ineffabilis vtraq; quia vtraq; in excogitabilis est. Vt quid .n. hodie in ecclesia Christi ea lectio euangelica recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur saluatorem? Credo vt hæc, quam celebramus ex illa susceptione aliquatenus estimetur, immo vt iuxta illius æstimabilem gloriam, inestimabilis cognoscatur & ista. Quis etiam etsi linguis hominum, & angelorum loquatur explicare valeat quemadmodum superueniente spiritu, obumbrante virtute altissimi, dominus maiestatis, quẽ

Bern.

non capit vniuersitas creaturæ, inter virginea sese clausit viscera factus homo? Sed & illud quis cogitare sufficiat quam gloriose regina mundi hodie processerit: & quanto deuotionis affectu, tota in eius occursum cęlestis legionum prodierit multitudo? Quis explicare queat, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu quam serena facie, quam lætis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata sit creaturam cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cũ ea gloria, quæ talem decuit filium? Quantũ enim gratiæ in terris est adepta præ ceteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quia si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, & quod de omnibus certum est, diligenti præ omnibus quis loquitur? Felix planè Maria, & multipliciter fęlix, siue cum ipsa suscipit saluatorem, siue cum ab ipso suscipitur saluatore Hæc ille. Suscepit prius dominum nedum carne, sed vt vult August. beatius fide, dum vocatur à domino intus per gratiam, mundi lubricam conuersationem respuit, & Deo cui se sponsam castissimam deuouit sine exemplo amorose adhæsit. Qua susceptione & meruit hodie ab eodem filio suo & sponso vocari, & suscipi ad animæ suæ beatificationem, gloriam quoq; corporis, quod hospitium præbuerat mundissimum suo ac omnium redemptori. August.

Hæc nimirum triplex vocatio ad coronam in themate insinuatur, cum ter, veni, replicatur. Ad quid vocatur? Haud dubium vt coronetur Veni inquit dominus de libano, per mundi renunciationem, & concupiscentiarum eius, & coronaberis virtutum & gratiarum plenitudine, vt sis mihi sponsa inter omnes filias Hierusalem vnicè electa, quoniam etsi multæ filiæ congregauerunt speciales gratiarum diuitias, tu sola supergressa est vniuersas Prou. vlt. Et Canti 6. sexaginta sunt reginę octaginta duæ concubinę, & adolescentularum

Mariã tripliciter ad coronã vocata.

Prou. 49

tularum non est numerus. Vna est columba mea perfecta mea. Veni iterum de libano huius seculi transeuntis, per carnis depositioné,& coronaberis post amorosos gemitus, & dolorosos labores tanta beatitudinis gloria, quantã alteri creaturæ fas non est participare. Siquidem super omnes choros angelorum exaltata, ad dexteram filij collocata, tanta refulget gloria, quantam capere potest intelligibilis natura per
Psal.44. vnionem hypostaticam non assumptã, secundum illud prophetę: Astitit regina à dextris tu. in vesti. deau. circundata varietate. His duabus vocationibus de libano aduocatur. Quid libanus in proposito nisi mundum hunc significat licet alibi etiam alia represen tet? Libanus enim, de quo hic scriptu-
Lyra. ra loquitur, vt dicit Lyra non est mõs in iudæa aut promissionis terra, secundum quam significationem sæpe habitationem celestem significat, sed alterius loci trans Iordanem, vnde filij Israel peregrinati sunt in iudæam, quare recte præsens seculum (quod peregrinantium est) repræsentat, cuius prosperitas candet, per cuius aspectum infirmus cordis oculus debilitatur,& obtunditur, quæ tamen prosperitas citò arescit, ideo Naun. 1. dicitur,& flos li-
Nan. 1. bani elanguit. De hoc libano mundanæ prosperitatis bis vocatur, quoniam & prius eum deseruit conuersatione, dum in mundo existens non secundum mundum conuersata est, sed cum apo-
Phil. 3. stolo ait. Nostra conuersatio in cœlis est Phili. 3. Et hodierna die multo fęlicius deseruit, grauantis corporis depositione. Vocatur & tertiò cum dicitur, veni. Non iam de libano huius mũdi, cum quo iam nihil commune habet, sed de stola animæ, & coronaberis altera stola, corporis, scilicet glorificatione, quatenus etiam arca ista in qua diuinitas corporaliter in habitabat, ab omni opprobrio resolutionis vermis & pulueris sit immunis, de quo & illud
Apoc.12 Apoca. 12. intelligi potest. Apertum est tẽplũ Dei in cœlo. i. locus dignior, & visa est arca testamenti eius in templo eius. Verè arca testamenti est corpus illud Virgineum, habens suæ integritatis vtriusq; legis testes, quod continebat vrnam auream manna plenam, tabulas testamenti, & virgam Aaron. i. Christum, cuius triplex est substantia. Deitas immutabilis,& dulcissima per vrnam auream manna plenam significata. Anima sapientissima, per tabulas diuinæ legis sapientiam cõtinentes repræsentata. Et caro mundissima, per virgam floridam figurata.

De tribus vocationibus, atq; gloriosis Virginis aduentibus non incongruè nunc dicendum foret, sed primò, quo hodiernæ glorificationis coronam meruit nunc dimisso, & tertio pro futuro sermone reseruato: De secundo dumtaxat modicum subiungetur, qua beatissima illa anima hodierna die è corpore vocata venit, summa beatitudine coronanda. Hanc eius felicissimam coronationem sanctus ille virgo Virginis minister,& velut filius matri virgini sub cruce assignatus vidit, & nobis quibus clarè intelligere non licuit, sub figura designauit, cum ait Apocal. 12. Signum magnum apparuit in cęlo, Mulier amicta sole,& luna sub pedib⁹ eius & in capite eius corona stellarum duodecim. Esto enim (ait Bern. ser. 1. de natiuitate) vt de præsenti ecclesia ad litteram intelligendum propheticæ visionis series ipsa demonstret, sed illud planè non conuenienter Mariæ videbitur attribuendum, maxime autem quantum ad illud quod hodie sancta recolit ecclesia, cuius ipsa mater est, quæ caput ecclesiæ, & sponsum de virgineo thalamo generauit. Hæc est illa, per quam dominus olim nouũ fecit super terram, vt mulier circundaret virum, teste Hiere. 31. ca. Virum vtiq; non alium, quam Christum, de quo dicitur Ecce vir oriens nomen eius Zach. 6. Hodie vero fecit dominus signum magnum in cœlo, vt mulier vestiretur sole. Olim hanc Virginem in terris degentem circundabant dies verni flores rosarum, & lilia conuallium Cant. 2.

Mariæ virginis coronatio.

Apo. 12.

Bern.

Hier. 31.

Zach. 6.

Cant. 2.

Omnis

Omnis scilicet venustas odoriferarum virtutum viæ ac meritorum, quæ in ea per dies singulos sicut viriditas in vere augmentabatur, quæ non incongruè per lunam significantur, quoniam & si lucidè, imperfectè tamen sunt, & per dies crementum accipiunt in via. Hodie autem luna sub pedibus eius, dum omnem imperfectionem viæ supergressa virtutum, & patriæ præmia est fœlicia consecuta. Ipsa denique olim coronauit patris vnigenitum, regem pacificum, virginea, scilicet carne sua in diebus, sicut scribitur Cantic. tertio. Egredimini filiæ sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Hodie verò vicissim meruit ab eo in gloria coronari. Ideo ingredimini magis, & nunc videte reginam in diademate, quo coronauit eam filius, pater suus. In capite, inquit, eius corona stellarum duodecim.

Cant. 3.

Præmiū beatificum cur corona dicatur.

Dignum planè ait Bernardus, stellis coronari caput quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent sydera, quam sol vestit? Vtinam mihi daretur, vel mediocriter euoluere posse mysteriū huius visionis magnę, & quā voluit dicere Moyses. Vadam, inquit, & videbo visionem hanc magnam, & audiuit: Ne appropies, huc solue calciamenta tua de pedibus tuis: Soluere digneris, ô beatissima mater calciamenta mortuorum animalium, carnalium, scilicet & transeuntium passionum, de pedibus affectionum mearum, quatenus nudatus, ac mundatus concupiscentijs, tibi appropinquare merear, & tuam gloriam saltem per rimulam speculari.

2. Tim. 4

Præmium itaque beatorum in patria corona sæpe appellatur; sicut. 2. ad Timoth. quarto ait apostolus. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona, iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex in illa die. Per coronam iustitiæ præmium patriæ intelligens. Siue quia debetur merito pugnæ, quam hic agimus. Pugnantibus autem corona debetur. Nemo (inquit apostolus) coronabitur, nisi qui legitimè certauerit secundo Timo. secundo. Siue quia hoc præmio beatus fit particeps deitatis, & ita regie dignitatis, quæ per coronam significatur: Siue quia perpetuum est carens fine, sicut est circularis figura coronæ.

2. Tim. 2

Præmiū beatificū duplex.

Est autem præmium huiusmodi duplex scilicet Essentiale, quod est actus beatificus, vel gaudium, habitus, vel habitus respectu creatoris, qui est obiectum beatificum. Et accidentale, quod habetur de creatura, seipso, actu suo proprio, vel aliqua alia creatura: Primum (quia incomparabiliter perfectius, & excellentius est secundo) dicitur aurea. Secundum verò dicitur aureola, quasi parua, vel modica corona, sed vtraq; de auro, quia incorruptibilis. Verum non quodlibet præmium accidentale aureola dicitur, sed quædam excellentiora inter alia prēmia accidentalia vt infra dicetur sermone sequenti. Has coronas nulla pura creatura ita adepta est sicut virgo Maria hodie coronata, quemadmodum visio ista designat. In eo siquidem quod mulier amicta fuit sole, & luna sub pedibus eius essentiale præmium figuratur. Accidentale verò in corona stellarum duodecim.

Beatitudinis essentialis tres partes.

Siquidem beatitudinis essentialis tres noscuntur partes, tribus virtutibus theologicalibus correspondentes. Visio scilicet clara, & facialis ineffabilis trinitatis, quæ correspondet fidei. Fruitio delitiosa infinitæ bonitatis, quæ correspondet charitati. Tentio firma, id est securitas certissima possesse diuinitatis, quæ correspondet spei. Claritatem visionis, & feruorem dilectionis, sol calens, & illuminans representat, qua non modo irradiata est virgo beatissima, sed tota amicta, de quo Bernardus sermone de Natiuitate Mariæ, ait. Iure Maria sole perhibetur amicta, quæ profun-

Bern.

dissimam

dissimam diuinæ sapientiæ vltra, quam credi valeat penetrauit abyssum, vt quã tum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetę labia purgantur. Illo igne seraphin accenduntur. Longè verò aliter meruit Maria. Non velut summatim tangi, sed operiri magis, & circunfundi & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius iam omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed nec obscurum saltem, nec minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari, quia nulla iam pugna, nullus dolor aut afflictio spiritus, quæ prima abierunt. Nemo mortalium æstimare poterit, quanta hodie excreuerint Mariæ gaudia, dum ita soli, & fontali luci immersa, vt irreuerberatis oculis toto cordis amore videret totius diuinitatis principium patrem ęternum q se ab initio, & ante secula elegit, spiritum sanctum, qui se obumbrando fęcundauit, & verbum patris vnigenitum quod ipsa concepit, & virgo permanens generauit.

O quantum eam voluptatis suæ torrens inebriauit: filij sui deitas nunc primum nude visa cuius prius humanitas tantum delectabat in terris contemplanda: quam licet omnes beati videant: nemo tamen beatorum ita appropinquat cognitionis claritate, ac dilectionis feruore: quomodo illa beatissima ipsa diuinitatis sole amicta. Ipsa nanque modo sola secundam constituit hierarchiam sub Deo trino, & vno hierarcha primo & summo: vt dicit Gerson super Magnificat: tractatu. 4. circa finem: apud quem hierarcham humanitas filij sui sola sublimata sedet a dextris virtutis per vnitatem suppositi. Suscepit autem ipsam dominus collocans super omnes Angelorum choros, apud quos videtur Ioannes baptista primus post Mariam positus in ordine seraphin loco luciferi. Simul & alij pro qualitate meritorum, vsq; ad infimum Angelorum ordinem: Sub quo repositos dicunt saluatos ex solo Christi merito, proprio deficiente: qui tertiam constituunt hierarchiam.

Gerson.

Exaltata est hodie & suo coniuncta filio mater beatissima super omnem creaturam: inter quam, & Deum verè mediatrix existit, vt regina cœli, immo mundi, iure vocetur, habens præeminentiam & virtutem influxiuam super omnes. Hæc ille. O quam familiaris Christo domino hodie, facta es quam proximo, immo quam intima fieri meruisti, quantam gloriam inuenisti apud Deum, in te manet & tu cum eo, vestis illum substantia tuæ carnis, & vestit te illæ suæ gloria maiestatis. Vestis nube solem, & sole ipsa vestiris.

Dei visionem sequitur ineffabile gaudium.

Tertia verò essentialis pars beatitudinis, scilicet tentio firma & certissima securitas in eo signatur, quia luna sub pedibus eius. Quid luna nisi mutabilitas, & defectus, siue temporalitas designat? De quo dicitur: Stultus vt luna mutatur. Eccle. 27. Alioquin nihil magni dixisse videtur, vt sit luna sub pedibus eius, quam super omnes choros angelorũ super Cherhubin, & Seraphin exaltatam nefas est dubitare. Lunam itaq; habet sub pedibus, quoniam omnem iam defectibilitatem ac quamlibet temporaneam variationem supergressa de perpetua inseparabilitate à summo bono est certissima. Cernit enim nunc ait Gerson super Magnificat, dilectum nimia claritate simul, & feruore, per intimam, & meridianam visionem, vt nullius sit amplius euagandi timor, nullum discrimen operandi, omni diuisionis suspicione reiecta, quoniam scandens ad ethera potestates aereas debellauit, nihil aduersus eam malignantes se spiritus posse sentientes. Admirari potius oportebat dęmones & pauescere, quasi quærentes intra se. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi aurora consurgens, quę nobis est vmbra mortis, & terribilis vt castrorum acies ordinata? Ecce habemus aliquantulum expressam mulierem

Eccl. 27.

Gerson.

rem

rem sole amictam, & Lunam sub pedibus eius. Cetera alteri sermoni reseruantur.

Mariæ vestigia amplectenda. Amplectemur ergo ait Bernard. sermone de natiuitate huius mulieris virginis, scilicet Mariæ vestigia, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Stillet nobis de promptuarijs plenissimis refrigerij potum aduersus æstum vitiorum. Charitatem enim nūc habet perfectam nedum in se, sed alijs maximè communicatiuam, sicut ait: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Eccl. 24. quia ad hoc ipsum hodie est sole amicta, quia quemadmodum ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoq; præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem omnibus clementissimam præbet, omnium deniq; necessitates amplissimo quodam miseretur affectu. Quem nos experiri concedat benedictus fructus ventris sui, qui eam ad regna sua coronandam de libano huius seculi vocauit, eduxit, suscepit, coronauit, cum patre, & spiritu sancto, in quorum vnitate viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Eccl. 24.

## Pars secunda eiusdem sermonis pro articulo tertio in præfato sermone reseruato. Cui ad nostram eruditionem imitationis adiunguntur doctrinæ.

Dei fruitioné ineffabile sequitur gaudiū. Audistis sermone proximo quia nulla creaturarum ad hanc coronam vocata est, qua virgo in cęlestibus refulget quantum ad essentialem beatitudinem, quia nemo tantā claritate diuinam intuetur essentiam, nemo tāto feruore fruitur ea, nemo securius tenet beatificum obiectum. Quæ gaudia consequuntur ineffabilia, & delectatio incompræhensibilis. Dicis fortè. Intelligo satis hanc visionem perfectissimam omnium cognitionem, & similiter fruitionem esse perfectissimum amorem inter omnes dilectiones, quia sunt nobilissimi obiecti summi, scilicet boni. Et ita in eis beatificatur intellectus, & voluntas, cum beatificari sit consequi maximam perfectionem sibi possibilem. Sed nondum intelligo quo modo ad illa sequitur maximum gaudium, ac delectatio summa. Ad cuius elucidationem nunc supponitur delectationem, & gaudium ( quod nunc pro eodem reputatur ) consequi apprehensionem conuenientis vt habiti, vel præsentis. Sed voluntati nihil est conueniens vltimatè, nisi per actum proprium qui est velle, vt probat Scotus in 3. dist. 15. Cum ergo appræhensionē præsentiæ maximè conuenientis sequitur maxima delectatio, nihilq; voluntati ipsius beati conuenientius .i. magis volitum, quam finis vltimus, qui est Deus gloriosus, sequitur, q̄ appræhensionem summè dilecti per visionem claram, & fruitionem sequitur summa delectatio. Sed hoc consyderemus in exemplo. (Plus enim secundum Greg. simplices sæpè mouent exempla) Quę ramus in quo consistat maximum gaudium, quod assequimur hic in terris: Quilibet haud dubium maximè gaudet, dum id, quod maximè diligit, assequitur. Exempli causa, sit mater vni cum habens filium, quem tenerrimè diligat. Diligat, inquam amore amicitiæ, non concupiscentiæ, volendo sibi multa, & magna bona, vt sanitatem corporis, robur & pulchritudinem, honores, principatum, potentiā, diuitias, & huiusmodi. Si ista, inquam, filius secundum matris desyderium consequitur, maximè vtiq; mater delectatur. Et tanto magis, qui hæc intensius diligit esse in filio. Cum ergo in patria summè diligatur Deus, quilibet etiam beatus longè magis vult inesse Deo summas perfectiones, omnipotentiam, omniscientiam, omniclementiam & bonitatem &c. quàm sibi aut cuicunq; creaturæ. Hæc itaq; & cuncta, quæ Deo

Scotus.

(quem intensissime diligit) vult inesse quia habet inamissibiliter gaudium summum, & inæstimabile consequitur in beato; magis tamen in vno beato, quam alio secundum amoris, & visionis quantitatem. Nec qualecunq; gaudium beati, de seipso, sua perfectione, vel alio beato huic aliquatenus comparari potest, sicut nec amor amori.

Delectatio in cōprehensibilis sequitur Dei visionem.

Ex quo etiam hoc pro nostra doctrina elicere poterimus. Si in hac vita continua gaudia habere placuerit quæ à nobis neq; eripere nec perturbare vllus valeat inimicus, conemur perfecte diligere Deum propter seipsum. Quicquid enim transitorium hic diligimus in corpore nostro, rebus vel honoribus, aut proximorum, transitorium est gaudium, consequens sicut id quod diligimus & mutabile in tristitiam cū id perdimus quod amamus. Solus Dei amor transire non potest, nisi volentes ipsum abijciamus. Et ita permanet gaudium de Deo, quia quo amplius hic in terris Deum diligimus propter seipsum, tanto etiam amplius hic letamur adeo vt qui perfecte Deum diligit, contristari vix poterit. Sicut sancti martyres. qui propter gaudium, quod in domino habuerunt, etiam proprij corporis iacturam nihilpenderunt, dūmodo per mortem suam diuinus honor posset ampliari. Neq; quæcunq; illa passio huiuscemodi gaudium cordis extinguere conualescit, sicut nec charitatem extinguere multæ tribulationum aquæ possunt. Hoc est, quod apostolus. 2. Cor. 4. ait. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, thesaurum .s. diuinæ illuminationis, qua cognoscimus fide, & diligimus charitate, ad quam sequitur gaudium. Vt sublimitas virtutis Dei sit in nobis, non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, habentes, scilicet consolationem diuinā. Aporiamur .i. de pauperamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Humiliamur, sed non confundimur, Deijcimur, sed non perimus. Semper mortificationem

2.Cor.4.

Iesu in corpore nostro circumferentes vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesū, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Et. c. 8. de macedonibus ait In multo experimēto tribulationis abundantia gaudia ipsorū fuit.

Nec tamen in beatitudine desunt gaudia incomparabiliter omnibus gaudijs huius seculi maiora de seipso sua beatitudine, ac sublimatione, ac suorū conciuium. Siquidem plus homo seipsum, & proximum ibi ex charitate diligit, quam in præsenti seculo. Sed hæc ad præmium accidentale pertinēt quod .s. homo habet de creatura. Et huiusmodi præmium accidentale in Virgine gloriosa significatur per coronam illam duodecim stellarum, quæ non totum corpus sed caput adornabat. Quoniam enim minus est essentiale, quo solo tota anima beatificatur quantum ad omnes potentias (ideo recte per solē totum mulieris corpus vestientem significatur) Ideo recte corona præmij accidentalis non totum corpus, sed caput tantum adornari visum est Ioanni. In qua etiam non sol, sed stellæ luxerunt, quia accidentalia gaudia respectu essentialium, quasi nulla videntur, sicut lumen stellarum offuscat lumen solis propter nimiam suam claritatem.

Sunt autem tria inter cetera accidentalia præmia magis excellentia; quæ à doctoribus aureolæ vocantur, vt deducit Thomas. in 4. scripto. dist. 49. allegans scripturas. Hæc respondēt excellentioribus victorijs trium hostium, carnis .s. mundi, & diaboli. Qui enim excellentissimè de his triumphāt in terris, specialia, & excellentia gaudia habebunt, præter præmium essentiale, de hoc, quia tam excellenter cooperante Dei gratia vicerunt forte etiam quendam singularem decorem in corpore post resurrectionem generalem, aut animam præ ceteris, vt quibusdam placet, & huiusmodi præmia accidentalia aureolæ vocantur, diminutiue

Aureolæ sūt tria præmia, accidentalia. Thom.

nutiuè reſpectu pręmij eſſentialis, quod aurea dicitur. Sicut figuratum fuit Exo. 25. Facies coronam quatuor digitis altam ſuper menſam propoſit io nis auream, & ſuper illā alteram coronam aureolam. Caro autem cum ſuis concupiſcentijs excellentius vincitur Virginitate. Mundus excellentisſimè vincitur martirio. Impugnat enim pro ſperis, & aduerſis, Sed magis eſt non terreri aduerſis, quam non allici proſperis, vt vult Aug. lib. 83. quæſtionum. Terribilium autem terribiliſſimum eſt mors, ſecundum philoſophū. Excellentisſime ergo mundū vicit. Diabolus autem, qui malis ſuggeſtionibus ad ſingula peccata trahere nititur, tūc perfectius vincitur, quando eius ſuaſiones repelluntur & ad oppoſitū doctrinæ requiruntur. Quibus non ſolum vitia refugiuntur, ſed oppoſitæ virtutes acquiruntur, atq; ipſæ fraudes diaboli populo ſimpliciori detegūtur, & ad reſiſtendum veris informationibus, & exēplis inſtruūtur, ſiue verbo hmōi doctrinæ ſiue ſcripto communicentur. Idcirco virginibus, martyribus, & doctoribus debetur aureola.

Exo. 25.

Gradus eſt in marty-rio virginitate & doctrina

Sicut autem gradus ſunt in virginitate, in martyrio & doctrina, ita etiam in aureolis eſt inuenire magis, & minus. Virgo autem, & mater dñi coronata eſt omnibus his aureolis, longe ſuper omnes virgines, martyres & doctores, quoniam eius virginitas purior, martyrij gladius penetrabilior, doctrina ſublimior. Habet autem quodlibet horum tres comites, quibus valde ſublimatur in via. Vnde & refulget amplius aureola in patria. Quæ connumerata faciunt numerum duodenarium, qui eſt numerus ſtellarum coronæ qui caput mulieris ſuperbenedictæ coronatur. Quæ ſola in terris, in merito cunctos excellebat. Fuit enim virginitas eius purisſima, quia humillima, quia verecundisſima, quia fœcunda. Idcirco eius aureola tribus fuit fulgoribus adornata, ecce quatuor ſtellas. Fuit deniq; martyrij gladius penetrabilior cęteris, quoniam aliorum corpus, iſtius animam pertranſiuit. Ceteri paſſi ſunt corporis proprij contritione. Illa paſſa eſt in vulneribus filij vnigeniti longè amplius, quam corpus proprium dilecti. Adornata quoq; fuit eius pasſio mira patientia, candida innocentia, & cordis dulcedine amoroſa, ecce iterum quatuor ſtellas; Doctrina quoq; quia non populum prædicando, ſed populi magiſtros, & rectores, & fidei columnas apoſtolos, ſcilicet inſtruxit, ſapientiæ commendabat profunditas, vitæ exemplaritas, animi quoq; firmitas, ecce iterum ſtellas quatuor. Quorum declarationem, quia ſpecialem requirit ſermonem breuitas cogit reſcindere. Pro his itaq; duodecim donis, & virtutibus, quibus excellentiſſimè vicit carnem, mundum, diabolum, ſingularibus gaudijs coronatur & ornatibus, qui ſunt ſtellæ duodecim coronæ in capite relucentis. Ecce patuit in ſufficienter nimis, ad quas coronas vocata virgo Maria peruenit, dicente filio ſuo dulciſſimo: Veni ſponſa mea de libano &c. Et tantum de prima parte ſermonis:

Hæc glorioſæ virginis feſta ſi rectè colimus, non ſolū verbalibus præconijs Deū in benedicta ſua matre magnificamus in præſenti tranſitoria feſtiuitate, ſed ita aſſiſtimus præſentibus, quaten' intereſſe mereamur eternis. Væ enim nobis ſi hic tantū gaudere contingat, & à perpetua feſtiuitate ſecludi. Intererim' autē proculdubio æternis, ſi vere eā hic coluerimus per quā omnibus credit ſalus orta. Verè autē eam colim' ſecundū Hier. in ſermone Cogitis, ſed ſi imitari velimus toto corde, quam laudamus. Principium itaq; & regula prima imitationis hæc eſt, audire obtemperanter vocationem noſtram, & ſecundum eam dignè ambulare, ſicut apoſtolus ait: Obſecro vos vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. ad Epheſ. quarto. Si rectè imitabimur Virginem, quam exaltatam ſuper angelorum choros, gaudemus, quia ipſa perfectiſſimè obediendo ſuæ vocationi, qua de libano

Eruditio ad imitationem, virginis Mariæ.

Hieron.

Eph. 4.

bano mundanæ conuersationis vocata est, vt se sponsam immaculatam Deo conseruaret, meruit secundo, & tertio vocari ad animæ beatitudinem, & corporis gloriam, ita & nos necesse est, agamus. Qui enim hic dominum vocantem se non audit, cum dies retributionis aduenerit, non vocabitur ad gloriam, immo rogans non exaudietur. Quoniam qui declinat aurem, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Prouerb. 28. Sed audiet tunc vocem hanc horribilem. Amen dico vobis, nescio vos. Mat. 25. Vocamur autem continue à domino multipliciter & sine intermissione, sicut ipse ait Ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meã, & aperuerit ianuam introibo ad illum, & cęnabo cum illo, & ipse mecum. Apoc. 3.

Prou. 28

Matt. 25

Apoc. 6.

Est enim in genere duplex vocatio, secundum Thom. in 4. distin. 17. Vna interior, quæ est instinctus quidam, aut motus ad bonum à Deo immissus. Hoc modo antecedenter omnes vocat dominus, dum omnibus dedit naturalem rationem, quæ semper deprecatur ad optima, vt dicit philoso. 1. Eth. De quo & illud intelligi potest: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Quibus respondet propheta dicens: Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Glossa. Lumen vultus dicitur ratio nostra, secundum hanc Deo conformamur sicut secundum vultum alius alij similatur. Vltra hoc quoq; sępe imittit homini bonas cogitationes &c. Alia est vocatio exterior. Et illa est multiplex. Omnes enim circa nos creaturæ, pro quanto in eis, relucet diuinum vestigium, beneficia quoq; & flagella nos ad eum dirigunt sicut ad principium omnis boni, & iustum peccatorum vltorem. Verum clarius per scripturam, & ecclesiæ doctrinam, quæ prędicatores tanquam præconęs Dei præponunt ad obediendum Deo vocamur. Quid enim aliud tam scripturæ, quam prædicatorum vox clamant nisi illud thematis? Veni de libano sponsa, idest veni anima à Deo in sponsam electa

Vocatio duplex interior & exterior.

Thom.

Eth. 1.

Glossa.

de prosperitate huius mundi, adhære Deo. Veni de mundo, & si non corporaliter exeundo, tamen conuersationem eius immundam vitando, sicut apostolus ait. 1. Corint. 7. Tempus breue est, reliquum est, vt qui vtuntur hoc mundo, sint tanquam non vtantur .i. secundum beatum Greg. hom. 36. Qui sic necessaria cuncta exteriora ad vitæ suæ ministerium redigit, vt tamen eadem non sinat suæ menti dominari, qui non sic placet rebus mundi, vt displiceat conditori.

1. Cor. 7.

Greg.

Sed hanc vocem & si multi audiunt, non tamen multi exaudiunt, quia sicut Greg. super Ezech. homil. 10. ait: multi vocem prædicationis audiunt sed post vocem vacui redeunt, quia & si mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliuiscendo, & non seruando, quę audierunt in corde non reponunt. De quibus per Agge. 1. dicitur. Seminastis multum, & intulistis parum comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis celestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando parum fructificat. Comedit, & non satiatur, qui verba Dei audiens nihilominus lucra, vel gloriam seculi concupiscit, sicq; non satiatur, dum aliud comedit, & tamen aliud esurit. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicatoris aurem inclinat, & mentem non mutat. Si enim inebriatus esset, mentem sine dubio mutasset, vt iam terrena non quæreret vana, quæ amauerat, non amaret. Multi autem omnino suam vocationem cõtemnunt, qui nec prędicantis verba audire dignantur. De quibus Chry. super Matth. Non paruus est ex ipso verbi Dei auditu profectus. Nam qui audit, seipsum sæpe repræhẽdit, & altius ingemiscit. Vt quandoq; studeat adimplere, quæ didicit, quia verò nec ꝙ peccauit. agnoscit, quomodo à peccatis recedet? quomodo seipsum culpabit? quomodo emendare conabitur? Et Rabanus. Si quis non vescitur verbo Dei, ille

Vocatio dñi qũo debemus parere.

Greg.

Aggeus.

Chrys.

ille non viuit. Et sicut corpus humanum nullo modo viuit sine terreno cibo ita nec anima sine verbo Dei. Sunt & tertij malis peiores, qui verbum Dei audiũt, sed corde pessimo auditum verbum reprehendunt ac prædicatori liuenti corde remurmurant. De quibus per Salomonem dicitur. Acetum in nitro, qui cantant carmina corde pessimo. Acetum (ait Greg.) si mittitur in nitrum feruescit nitrum protinus, & ebullit. Et peruersa mens quando per increpationem corripitur aut per prædicationis dulcedinem ad bona suadetur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem succenditur, & ad contumeliam prouocatur, vnde debuit ab iniquitate compesci.

Lyra ( Et notandum secundum Lyram q̃ nitrum est quędam species salis, quæ per fusa aceto crepitat, & fumat, sicut calx viua, in acqua posita. Catholicon verò dicit, q̃ nitrum species est terræ, cui si acetum superfunditur, fumigat. Ex quo fiunt medicinæ & sordes vestium, & corporum lauantur. Vide in glo. ord.) Hi significati sunt per illos, qui à domino, seruos ad nuptias vocantes contumelia afflictos, occiderunt.

Matt.22 Matth. 22.

Vocati multipliciter se habent in nõ obtẽperã-do dño. Vtinam tales consyderarent, quid agerent, ne cum homini putant insultare, Deo repugnare inueniãtur. Ait enim Moyses de se & de Aaron in persona prædicatorum contra murmurantes Exod. 16. Nos quid sumus, nec contra nos est murmur vestrum: sed contra dominum. Et reuera contra dominum est murmur, non contra prædicatorem, dum prædicator verba domini, vt debet, populo, pronunciat, q̃ si verba sua non domini, sed contra domini mandata ad populi seductionem proferret iam certè tanquã scripturæ corruptor ad rationem publicè ponendus esset, & secundum suum demeritum arguendus. Alioquin incident in illud Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit eum, qui misit me, & se participes eorum constituunt de quibus dominus Matth. 13.

Exod. Luc. 14. Matt.13

Esa. allegans loquitur dicens. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequãdo oculis videãt & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos. Aut etiam huiusmodi intelligunt veritatem, quæ prædicatur, aut non. Si non, stolidissimè sunt impugnantes, quæ minime nouerunt. Similes ei, qui viam qua iturus est, nescit, & cum monstratur, ducem irridet, sponte sua manens in errore. Si agnitam impugnauerint veritatem, iam deterius peccant in spiritum sanctum peccato irremissibili. Matth. 12. Caueatis ergo dilectissimi, ne tales in vobis reperiantur. Verbum Dei cum patientia, & desyderio audite. Prauas voluntates ad Christi vocationem corrigite: Verbum Dei corde, & opere custodite, imitantes in hoc Virginem gloriosam, quæ omnia verba de Christo per angelos, pastores &c. dicta conseruabat, conferens in corde suo. Sic enim vocationi nostræ parebimus, qua à domino de libano mundanæ conuersationis vocati sumus, vt sua mandata custodiamus, suæ voluntati tanquam sponso sponsa placeamus. Mundum istum mente deseramus. Illuc dirigamus mentes nostras, quo virgo gloriosa hodie peruenit. Per hanc enim excellentissimam Virginem via nobis patefacta est ad cœlum, via virtutum, scilicet & meritorum. Hanc acceptemus, quatenus illo vocari mereamur & peruenire, vbi habemus matrem, vbi videbimus filium, & quæcunq; desyderamus, perpetuè possidebimus. Quod nobis concedat meritis eiusdem Virginis Christus dominus noster cum patre, & spiritu sancto in secula benedictus: Amen. Matt.12

## IN FESTO ASSUMptionis Mariæ. Sermo. II. in ordine. XVIII.

Luc. 1. Mariæ Virgini, quam cóuenićter dicitur. Aue gratia plena.

AVE Lucæ. 1. Congregatis nobis gratia altissimi ad gloriosissimam festiuitatem, cœlorum ciuibus, terrigenisq; communem, festum Assumptionis, quo vtrorúq; gaudium auctum est, Dignú est erectis sursum cordibus tantæ virgini deuotionis nostræ offerre oraculum. Sed perscrutanti quid in eius laude depromamus nihil occurrit dignius nihil illi gratius nihil præsenti solemnitati congruentius angelica salutatione. Nihil dignius, quia à sancta trinitate dictata, & per archangelum transmissa. Nihil illi gratius, quia hac super omnium creaturarum dignitatem vsq; ad verbi maternitatem est sublimata. Nihil festiuitati congruentius, quia hodie plenius, & perfectius consecuta singula in hoc salutis eulogio designata. Hinc canit ecclesia Beata es virgo Maria Dei genitrix, quæ credidisti domino, perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi. Ecce exalrata es super choros angelorum. Deniq; etsi in die illa deificæ conceptionis ab vno angelo salutata est, hodie vero à benedicto filio, à tota cœlestium legionum multitudine, ab assistentibus apostolis, discipulorumq; cętu eius fęlicissimæ dormitioni asisten. multo fęlicius aflata, qui nihil aliud in eius laudem eructare poterant, quam quod his verbis significatur. Dum nanque (vt Hiero. sentit) saluator omnium per se totus hodie festiuus occurrit dilectissimæ suæ matri & cum gaudio eam secum in throno collocauit, di. Surge, propera amica mea, columba mea formosa mea, & veni iam enim hyems transiit imber abijt, & recessit &c. Cantic. 2. Hoc dixit, quod angelus in verbo aue significauit. Quid enim est hyemen pęnalis asperitatis ab hac Virgine transisse, & imbrem fluuidæ, siuè temporalis aspersionis abijsse, nisi eam hodie perfecte ab omni væ nedum culpæ qua nunquam attacta est, sed penæ & temporalis vicissitudinis inconstantiæ subtractam esse, & penitus liberatam. Dum deniq; in eius occursu tota legionum cœlestium prodierat multitudo (vt dicit Bern. ser. 1. huius festiuitatis) atq; leti susceperũt cęli multiplici iubilo, sicut beatus Gerardus episcopus testatur. Hodie inquit Virginem beatam cœli susceperunt lętando, angeli gaudendo, archangeli iubilando, throni exultando, dominationes psallendo, principatus armonizando, potestates citarizando, cherubin, & seraphin hymnizando, atq; ad diuinæ maiestatis tribunal deducendo. In consideratione tantæ nouitatis non fine admiratione clamabant. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluẽs innixa super dilectum suum? Cant. vlt. Et quid est dicere, de deserto ascendit de sub sole, vbi nihil nisi labor, & dolor & afflictio spiritus, vt loquitur Eccle.) nisi hoc ascensu ab omni væ laboris, & afflictionis penitus liberata fuit? Quod vero sequitur, delitijs affluens, vtiq; donorum, & gratiarum, & innixa super dilectũ suũ, hoc est, quod Gabriel adiunxerat gratia plena dominus tecum. Plurimas deniq; egregias laudes apostolos, ac ceteros discipulos domini dormitioni Virgini in corpore assistentes depromsisse Dionysius refert. Et quamquam singuli singulas laudes, protulerint, quid aliud dicere poterãt, quam quod in illa salutatione in triclinio trinitatis edita, & ita perfectè omnes Virginis perfectiones & dignitates compræhendente includitur Horũ ergo exemplo & nos pro gratia eandẽ offeramus, dicentes. Aue gratia plena.

Hiero.

Can. 2.

Bern. Gerard.

Can. vlt.

Dionis.

Quamuis omnes particulæ huius laudis perfectissimę hodie de Virgine prædicari possint, eo ꝙ omnia, quæ de illa dici possunt, includit, quia cum multa simul dicere non possumus, primum verbum secundum præsentis, materiam festiuitatis tractemus, considerando

Virgo gloriosa licet sine peccatõ vere mortua est.

ſyderātes a quibus imperfectionibus,& væ, hodie fuerit beatiſſima priuilegialiter præſeruata vnde ei dicimus Aue .i. ſine vę. Quamuis virgo glorioſa ſemper ab omni peccato liberrima fuit: non tamen ab omni peccati ſequela: ſed neque omnibus ſubiecta. Ne ſi in omnibus humanæ naturæ excederet infirmitatem: non homo, ſed magis dea ab hominibus putaretur. Sic & filius eius pro nobis pati, & mori voluit, quæ ſunt ſequelę peccati, ac legis, qua ſtatutum eſt homini ſemel mori. Hebræ.9. ſubijci voluit. Cui & mater eius ſubiecta fuit. Hodierna quoque die per realem ſeparationem animæ a corpore verè mortua fuit. Hinc Hieronymus in ſermone Cogitis. loquens de quibuſdam ſcriptis apocryphis: de tranſitu Virginis ait. Ex his nihil aliud experiri poteſt pro certo: niſi quod hodierna die glorioſa migrauit a corpore. Conſonat Damaſcenus, Auguſtinus, & cæteri omnes. Verum etſi mortem ſubiit: tamen ob ineffabilem eius dignitatem, & materni honoris ſummam excellentiam: ne ſicut vna ex cæteris putaretur mulieribus: a multis huius mortis nexibus, & appenditijs eſt exempta. Quod in collecta Gregorius clare innuit, cum ait. Veneranda nobis huius diei feſtiuitas opem conferat ſempiternam, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum. Pulchra correſpondentia, fuit nanque virgo benedicta pura homo: ac filia Adę, & Euæ: quia communi lege propagata: ſed ab omni peccato originali, & actuali liberrima, & ita omnium hominum digniſſima. Debuit ergò ad vtriuſque probationem in quibuſdam communicare filijs. Adę in naturæ infirmitate: & in quibuſdam eximi, ne non putaretur de filiis Adæ. Et ne ſimul per omnia eis iudicaretur communicauit ergo in morte Exempta eſt quantum ad nexus mortis. Tres autem intelligi poſſunt nexus mortis præter peccatum, quod eſt occaſio principalis. De quo nullam hic oportet facere mentionem. Hi ſunt: Dolor infirmitatis ad mortem impellentis. Infeſtatio dæmonis animam rapere cupientis. Incineratio cadaueris putreſcentis. Ab his virgo exempta creditur pœnitus pia fide. Nam licet ſcriptura canonica modum, quo glorioſiſſima hæc virgo migrauit a corpore. Vbi, Quibus præſentibus; Quibuſque baiulis ſanctiſſimum hoc corpus deferum: & quo ſepeliendum ſit: delatum ſit &c. huiuſmodi non exprimat: immo de omnibus, quæ circa illam acta ſunt poſt viſibilem ſpiritus ſancti miſſionem, mentionem nullam facit: non tamen ſine cauſa: nihilominus tamen non vocabant ſancti doctores multa ex his tradere, quædam ex fideliſſima antiquorum relatione: quædam probabili ratiocinatione conſonantibus, & non diſſonantibus ſcripturis. Quibus & ſi non oportet fidem certam, piam tamen adhibere decentiſſimum eſt. Sic enim inueſtigare conuenit ea, quæ ſcripturæ auctoritas non tradit. Sicut dicit beatus Auguſtinus in ſermone longè præſentis feſti.

*Heb.* *Hiero.* *Damaſ.* *Aug.* *Greg.* *Mortis nexus tres.* *Aug.*

De ſanctiſſimo corpore perpetuæ Virginis, eiuſque ſacræ animæ aſſumptione loqui ſuſcipientes: hoc primum dicimus: quod in ſcripturis poſtquam eam dominus in cruce diſcipulo commendauit: nihil de ea reperitur, præterquam quod Lucas commemorat in Actibus dicens. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cū Maria matre Ieſu. Quid ergo de morte? Quid de eius aſſumptione dicendum eſt? vnde ſcriptura nihil commendat: niſi inquirendum ratione, quid conſentiat veritati. Fiet ergo ipſa veritas actoritas: ſine qua nihil valet auctoritas. Quia tamen virgo beatiſſima vere mortua ſit: atq; eius anima ſuper omnes choros Angelorum exaltata: prima, ac beatiſſima poſt Chriſtum benedictum fructum ventris

sui in reginali solio residcat, ex determinatione sanctæ ecclesiæ (quæ tanquam sponsi sui spiritum habens non errat) indubitatum habetur. Quod & cantica huius festi multipliciter osten-
Hiero. dunt, sicut apertè Hiero. in sermone. Cogitis, tradit. De ceteris vero supra dicta pia fide sine temeritate quæ sequuntur sunt credenda.

Virgo Maria obdormiuit sine corporali ac sensibili dolore.

Quantum ergo ad primum, Virginem hodie obdormisse sine corporali, ac sensibili dolore, est veritati consonum, & sententijs doctorum. Quod probatur. Ex habitudine corporis optimè complexionati nihil intemperantiæ subiecti. Ex desyderio spiritus, amoris diuini igne accensi, & ex vocatione igniti. Ex merito compassionis animæ, Christo in cruce pendenti commorientis, semel enim mortua dolore animæ sub cruce non iterum sentire dolorem mortis debuit. Ex excellentia super discipulum custodem sine dolore decedentis. Ex congruentia turbæ discipulorum sibi morienti assistentis. Virgo etenim Maria complexionis optimæ haud dubium fuit. Fuit denique temperatissimi regiminis & omnis intemperantiæ expers. Vnde videtur nullam in vita sua passa fuisse ægritudinem, donec naturali morte ex senio dulcissimè eius vita extincta fuisset. In talibus enim ex senio solo & non accidentali morbo decedentibus, sensualis viuacitas remittitur successiuè sine dolore vsque ad non esse, ita quod prius deficiat dispositio complexionalis ad sentiendum requisita, quam illa, quam requirit anima vegetatiua, sicut in senibus sine dolore caligant oculi, obsurdescunt aures &c. Quia si mortis eius naturalis tempus acceleratum, atque præuentum vt quædam referunt historiæ, creditur, ne tantum vsque ad extremum senium moram faceret in præsenti exilio, proportionatus est terminus vitę, termino meriti eius, vt termino meriti ab æterno in ipsa præuisi, ad quem continuis, & quotidianis profecit crementis adepto, statim à domino assumenda sit vocata, quamuis nondum esset terminus vitæ ex naturali complexione, & senio eius. Neq; credendum est beatissimam illam per moram notabilem vixisse in terris sine merito continuo, & gratiæ, ac virtutum augmento. Si itaque sic verum est quomodo putandum foret Christum dominum filium eius omnium saluatorem, matrem dilectissimam ad æterna gaudia vocasse, & non à dolore etiam, vndecunque accidere potuisset, præseruasse? Ipse enim est, qui mortuos suscitat, vniuersos languidos ad eum currentes solo imperio sine vllo dolore perfectæ restituit sanitati. Quomodo eam, quam summè (sicut filius matrem) dilexit, cum ad beatificos amplexus vocaret, à dolore non seruaret? Præterea. Quis cogitare, poterit, quanta cor suum dulcedo repleuit dum vocantem dominum audiuit, & dicentem, vt scribit Sanctus Cosmas cognomento Vestitor. & Damasc. Surge veni electa mea amica mea, mater mea. O mulierum pulcherrima, quoniam macula non est in te. Veni inquam, ad vitam perpetuam, ad gaudium indeficiens, ad pacis requiem, ad conuersationem securam, ad refectionem interminabilem, ad lucem inaccessibilem, ad diem non vesperascentem, ad gloriam inenarrabilem, ad me ipsum filium tuum vniuersitatis factorem. Depone mihi corpus tuum, quia in vtero tuo deposui deitatem meam. Non gloriabitur super te mors, quia vitam genuisti. Non te offuscabit caliginis vmbra, quia lumen peperisti. Non te concisionis contritio attinget, quæ meum vas fieri meruisti. Veni iam ad eum, qui ex te natus est, receptura materni vteri pignora, educationis mercedem, lactis, & escæ vicissitudinem. Vnigenito festina adhærere filio, cuius hactenus affectu anxia æstuabas. Veni vt sicut terram gaudio repleſti, ita facias celestia gratulari. Patris mei mansiones iucundas redde, sanctorum meorum spiritus consolare, & quia te mihi

Cosmas vestitor. Damascenus.

vir

Mariæ virginis, assum- ptio ad cœlum elegâter discribitur.

virginem matrem mihi exhibui, totius mundi exhibeo te murum, arcam saluandorum, pontem fluctuantium, baculum imbecillium, scalam ad cœlos ascendentium, propiciatricem peccantium. O quantum gaudium, quanta mentis exultatio, dum hæc & similia audiens cognosceret se illum iam visurum in maiestate, quem genuit, contrectauit, & vidit in infirmitate. Dum se vniendum non dubitaret illi, ad quem per singula momenta, tantis suspirijs, tantis ardoribus, tantis dilectionis stimulis æstuabat, vt semper sanctis angelis diceret. Nunciate dilecto quia amore langueo. Hæc vocacio, hæc hora concupiscenti animo semper extiterat expectata, quæ & si Sancto Andreæ, Paulo, & alijs sanctis fuit præ amoris magnitudine dulcis, quam suauis erat illi, quæ sine comparatione dilexit amplius? De quo venerabilis Hugo de Sancto Victo. in lib. de triplici holocausto. & Beda in homil. de vigil. festi. idem clare sentiunt & exprimunt. Hęc inquam, dulcedo, & exultatio spiritus, nedum mentis cruciatum (qui quantus fuerit Hieronym. pulchrè describit ad Paulam) sed etiam omnem dolorem corporis, si quiaccidisset sine dubio penitus absorpsisset. Cum etiam multi sancti ex eadem causa dolores in tormentis non senserunt, vt de Beato Laurentio, Tiburtio & alijs legitur. Vnde putandum vt tangit Henricus de hassia: Ad huius vocationem suam mentem in contemplatione suauissima fuisse suspensam, ad eum, ad quem se iam assumendam cognouit, corporis complexio, paulatim deficiebat, vsque tandem nullo dolore percepto, nec interrupta contemplatione anima illa beatissima corpus desereret mortaliter discrassatum. Valde insuper decuit vt cuius anima nimia penalitate commoriebatur morienti Christo doloris gladio transfixa, filij mortem suam faciens ab eo paululum separanda sine dolore vniuersæ debitum carnis solueret iam itura ad Christum.

Hugo

Beda.

Henric⁹

Si denique Beatus Ioannes huius Virginis custos, & minister propter Virginitatis priuilegium (sicut ait Hiero. in prologo super Ioannem) descendit moriturus in defossum sepulturæ locum, tam extraneus à dolore mortis, quam à corruptione carnis inuenitur, alienus, Quid minus de hac sentire possumus quæ sine peccato concepta virgo concepit, sine dolore peperit, & virgo mente, & corpore in æuum permansit? Nunquid sine dolore spiritum in æternum victurum reddidit, quæ filium suum moriturum sine læsione qualibet procreauit? Poterimus denique eiusdem rei, & hoc signum accipere, quoniam (vt dicetur) apostoli præsentes fuere Virginis resolutioni, haud dubium quin propter honorem Virginis, sed nihilominus etiam propter consolationem eorum, qui non modicè turbati fuissent, si ipsis absentibus hoc domini tabernaculum vita functum didicissent. Sed si vidissent matrem domini dolentem hinc exisse ad filium & sic in eius exitu quasi à filio omnium consolatore derelictam. Nunquid magis ex hoc ipsi qui pro Christo sanguinem fusuri erant desolationem (ne dicam desperationem) reportassent, quam consolationem? Fuit ergo placida & dulcis resolutio Virginis, non modica consolatio apostolis. Vnde & ipsi non in lamenta sed laudis cantica proruperunt, vt dicit Dionysius. Hæc de primo. Rectè ergo hodie dicimus Aue, hoc est sine vę corporalis aut sensibilis doloris in corporali eius resolutione, qua terminata fuit omnis prior anxietas mentis. Amoris impatientia, siue suspiria desyderiorum quo con gaudendo commemorantes dicimus verbum Aue.

Hieron.

Dionysius.

Secundus nexus mortis secundum prædicta intelligitur infestatio dęmonis. Solent nanq; dęmones morientes cunctos crudelius oppugnare, peccata, quæ fuaserat, replicare, & omnimodè machinari, quatenus hinc decedentes trahat socios ad tormentum, vt vult Grego. homil 39. Sed huic nostre Vir-

Maria virgo nō tenuit secundū nexum mortis.

gini (cui malum suadere non poterant) absit vt appropinquasse iam ascendenti in cœlum credantur, quam adhuc conuersantem in terris fugere, ac tremere sunt compulsi. Hinc eam taliter alloquitur Gerson super Magnificat tractatu. 4. Scandens inquit, ad æthera, potestates aeræas debellasti. Nihil aduersum te malignantes spiritus posse sentientes, admirari potius oportebat dęmones & pauescere quasi quærentes intra se: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi aurora consurgens, quæ nobis est vmbra mortis, & terribilis vt castrorum acies ordinata? Vere enim in sua migratione ordinata fuit castris dęmonibus tremendis, ordinibus, scilicet angelorum, & sanctorum apostolorum, cui nequaquam appropinquare audebant. Quomodo enim qui ex possessis vasis fugere compulsi sunt vno apostolorum præsente, & imperante, comparere auderent præsentibus omnibus Dei apostolis, atque angelorum choris? Quia enim angeli præsentes astiterint Beatus Hieronymus in serm. Cogitis, ita dicit. Legimus quam sæpe ad funera, & ad sepulturas sanctorum angelos aduenisse, & ad exequias eorum obsequia præstitisse, necnon & animas electorum ad cœlos cum hymnis, & laudibus detulisse. Interea & quod perspicatius est multo nonnunquam lumine eosdem resplenduisse. In super adhuc viuentes in carne ibidem fragrantiam diutius persensisse. Quia si ad recreandam spem dilectionis, & corroborandam fidem interdum astantium, saluator noster Christus ob merita sanctorum amplius approbanda talia, ac tanta dignatus est exhibere per suos cœlicolas ministros circa defunctos. Quanto magis hodierna die credendum est militiam cœlorum cum suis agminibus festiuè obuiam aduenisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & vsq; ad thronum olim sibi ante mundi constitutionem paratum cum laudibus, & canticis perduxisse? Hæc ille.

Greg. Gerson.

Hiero.

Quia etiam apostoli præsentes fuere Dionysius (qui & ipse cum multis alijs discipulis præsens interfuit) libro de diuinis nominibus cap. 3. testatur. Volens enim ostendere Timotheo excellentiam præceptoris sui Ierothæi quem multipliciter ibi commendat, ait. Nanque apud ipsos diui uino spiritu plenos pontifices nostros, cum & nos vt nosti, & pleriq; ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumq; cōceperat, cōuenissemus, aderat autem & frater domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum, theologorum summitas vbi post contuitum vt infinitè potentem diuinæ infinitatis bonitatem pontificis laudarent omnes, quisq; pro captu suo. Ille vt nosti, post apostolos omnibus alijs prædicatoribus superior erat &c. Hoc dictum Dionysij Albertus magnus, maximus eiusdem libri commentator atq; sanctus Thomas in suis commentis, exponunt de conuentione apostolorum, & aliorum discipulorum in morte Virginis ad videndum corpus illud Deum portans, cui & singuli singulas laudes protulerunt, quas vtinam con scripsissent ad eiusdem virginis honorem. Non enim hoc de corpore Christi intelligi potest, quem in humanis, Dionysius vtputa post ascensionem per Paulum conuersus, non vidit. Huic concordat Damasce. in serm. de præsenti festiuitate ita dicens. Apostoli vbiq; terrarum dispersi, hominum piscationi vacabant, sagena verbi homines de profundis tenebris ad cœlestem mensam curiæ supernæ, seu solemnes patris nuptias educentes, iuxta diuinum præceptum, quos quasi sagenas, vel nubes è finibus terræ Hierusalem contulit. Et idem ex antiqua traditione verissima recepimus, quod tempore gloriosæ dormitionis Virginis, cum apostoli ad saluandas gentes orbem terræ peragrarent, ipsi in momento temporis in altum subleuati, Hierusalem venerunt. Hoc idem testatur Beatus Germanus Constantinopolitanus ar-

Angeli & apostoli fuere præsentes resolutioni Virginis Dionysius.

Dama.

Germanus.

chiepiscopus di. Licet ineuitabilem mortem ô Dei genitrix humanæ naturæ susceperis, non dormitabit tamen neque dormiet, qui nos custodit oculus tuus: non enim sine testimonio dormitatio tua, nec est dormitio mendax. Cœlum enarrat gloriam eorum, qui super te cecinerunt, terra de illis exhibet veritatem, nubes vociferant honorem, qui ex eis tibi administratus est. Angeli factum in te obsequium prædicant, quo videlicet apostoli ad te in Hierusalem conuenerunt Hæc ille.

Dęmones virginem infesta-re nō potuerunt, pp eius potentiā

Nec tamen sic ab illis munita quasi sine eis non posset eum procul fugare, cuius victoriam dominus à principio pronunciauit. Gen. 3. dicens. Ipsa conteret caput tuum. Contriuit caput venenatum, quæ omnimodā maligni suggestionem tam de carnis illecebra quā de mentis superbia deduxit ad nihilum vt dicit Bern. hom. 2. super Missus est. Ipsa est mulier illa fortis cuius præciū de vltimis finibus, illum pariēs qui fortem armatum debellauit, & vniuersa spolia eius diripuit. Quæ etiam de cordibus eorum hunc repellit, suisq; meritis & intercessione quos vel apertè seuiendo deiecerat, vel occulte & varia fraude tecum deceperat. Propter quod in Canti. 4. de cubilibus leonum & mōtibus pardorum coronari prohibetur. Nequaquam ergo propinquare audet illi dęmonis audacia quæ tantis totq; victorijs vbiq; se non dubitat prosternendum. Ecce patet secundum, quomodo à nexu mortis altero attingi nō potuit vllo modo, propter angelorum prę sentiam, apostolorum assistentiam, Virginis potentiam.

Maria virgo p̄seruata ab incineratione.
Aug.

Tertius nexus mortis est incineratio cadaueris. De quo dictum est Adæ per dominum. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Et Aug. in ser. de assumptione. Putredo, & vermis humanę est opprobrium conditionis. Ab hoc autē opprobrio credimus Virginē omnino prę seruatā. Quod multis rationibus probabiliter persuadent doc. sancti, quarū aliquę sumūtur ex parte assumptę virginis, Dei assumentis, hominis auxiliū Virginis præstolantis. Ex parte Virginis arguitur ex singulari eius introitu. Nam decet vt finis respondeat principio, & quæ singularem sortita est introitum in hunc mundum, potiatur exitu speciali. Virgo sola omnium mortaliū concepta est lege quidē propagationis, sed sine originali peccato. Insuper sanctificata est, & gratia repleta in vtero antequam nata. Fomes quoq; carnis, vel penitus extinctus, vel ita debilitatus, vt corpus eius nunquam spiritui rebellauerit, sed ei semp integerrimū, & ab omni corruptione purissimū seruierit. Decuit itaq; ipsum corpus in ingressu singulari gaudere priuilegio, quatenus incorruptum reuniretur spiritui in æternitate, à quo nūquā dissen sit in tempore præsertim quia incineratio pena est pro peccato primi parētis inflicta, à quo virgo fuerat præseruata. Nec aliud priuilegium corporis post mortē assignari pōt ꝙ virgini sit cōcessū. Hanc rationē tangit Dama. in ser. de hac festiu. additis quibusdam in hæc verba. Eua serpenti aurem exhibuit, pestiferum virus hausit, voluptatibus illicitatur, partus dolori subijcitur, & cū Adam condemnatur. Hāc autem verè beatam, quæ verbo Dei aurem inclinauit, quam spiritussanctus repleuit, quæ paternā misericordiam in vtero baiulauit, quę sine viri contactu concepit, sine dolore peperit, quomodo mors absorbet, quomodo corruptio audet aliquid in corpus, quod ipsam vitam portauit? Ex conuersatione singulari similiter arguitur. Et qui singulari, ac eminentiori ministerio Christo ministrauit in terris correspondenter præmio profusiori, & singulari sublimatur in cœlis. Cum autem ceteris Christo seruientibus promittitur, vt sint, vbi ille, & hoc quantum ad animam, consequens est vt illa quæ excellentissimè seruiuit Christo, nedū spe, fide & charitate, sed etiā ope, singularissima Christi corpori, impendendo obsequia sit cū Christo, non solū secundū animā, quod & alijs concessum

Dama.

Mariæ I cineratio pbata ex pte à scriptę virgini.

est

August. est:sed etiam corpore. Hanc tangit August.in ser. huius festi. sic dicens. Suis aliquãdo ministris veritas ait. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si hæc est generalis sententia omnium per fidem, & operationem Christo ministrãtium: quanto magis quodammodo specialiter Mariæ, quæ absque dubio omni opere ministratrix extitit: quæ hunc in vtero gessit: partúq; profusum aluit, fouit, & in præsepio reclinauit. & fugiens in Ægyptum abscondit: & omnem infantiam eius prosecuta vsq; ad crucem ab eius societate non recessit? Nõ enim potuit diuinitatis eius non esse credula, quæ se nouerat hunc non virili semine, sed diuino spiramine concepisse. Ecce Maria fide, & opere Christi ministratrix. Sed si ibi non fuerit, vbi Christus ministros vult esse, vbi ergo erit? Etsi ibi fuerit, nunquid æquali gratia? Etsi æquali gratia, vbi æqua Dei cẽsura? qui reddit vnicuiq; secundum sua merita. Si merito Mariæ præ omnibus uiuenti tanta est gratia donata: mortuæ erit minuenda? Absit: Si enim omnium sanctorum mors est preciosa, Mariæ erit sanè preciosissima. Ex statu quoq; singularissimo maternitatis Dei arguitur sic: Quæ in natura conueniunt, incorruptionis conditione non separantur: quia corruptio, & incorruptio sequitur principia naturæ. Sed corpus filii, quod non vidit corruptionem, est eiusdem naturæ, cuius est corpus maternum, de quo sumptum est: quare nec corpus matris vidit corruptionẽ. Detrahit denique maternæ dignitati: vt thronus Dei, thalamus domini, taberaculum Christi: vterus ille, qui sine corruptione genuit corpus Christi glorificatum, alibi quam in cælo reseruetur: aut esca vermibus detur in putredinem resolutus. Hanc rationem tangit August. vbi supra dicit. Opprobriũ putredinis, & vermis, Christi caro eua fit, quæ corruptionem non sustinuit. Ab hoc ergo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ea assumpsisse probatur. Caro enim Iesu, caro est Mariæ: quam super astra transuexit, honorans omnem hũmanam naturam: & multo magis maternam. Si natura matris est filius, consequens est: vt sit & filij natura mater. Non quantum ad vnitatem personæ, sed quantum ad vnitatem corporalis naturæ? Si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate speciali corporalis naturæ: quantomagis vbi est gratiæ vnitas, & corporalis specialis natiuitas? Si ergo secum vult habere eos, qui hic sua fide iuncti, vnum cum eo esse iudicantur: quid existimandum est de matre vbi digna sit haberi, nisi in præsentia filij? Quantum igitur intelligo, quantum credo, Mariæ anima excellentiori quadam prærogatiua a filio honoratur: possidens in Christo corpus suum, quod genuit glorificatum: & quare non suum, per quod genuit, si nõ obuiauerit, nedum perspecta autoritas? verè credo & per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior est cælo q̃ terra: thronum Dei, thalamum domini, tabernaculum Christi, dignum est ibi esse vbi ipse est. Tam preciosum thesaurum dignius est cœlo, quam terra seruare. Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis illa resolutio sequitur. Si voluit dominus integram matrem virginitatis seruare pudore: cur non velit incorruptam a putredinis seruare fætore? Illud ergo sacratissimum corpus in escam vermibus traditum esse: quia sentire non valeo: dicere pertimesco. Ioannes quoque Damas. ad idem sic dicit: Sacrum corpus tuum venerabili in sepulchro ponitur: sed non est relicta anima tua in inferno: nec caro tua vidit corruptionem. Decet autem Dei sacrarium, fontem indefessum, agrum inaratum, vineam non irrigatam, oliuam fructiferam terræ gremio non seruari. Decuit matrem ad filium sublimari: vt ad ipsum ascenderet, sicut ad ipsam descendit. At vt quæ in partu seruauit virginitatem, post mortem corpus non videret corruptionem: & quæ creatorem portauit in sinu: in diuinis tabernaculis commoretur: & quam pater despõ

Incineratio virginis ex parte filii.

Aug.

Damas.

ſauit in ſponſam in cœleſtibus thalamis conſeruetur: & a matre quæ ſunt filii poſſideantur. Hæc ille. Illa ratio procedit: attento quod materna propinquitas ex corpore Virginis oritur, non anima. Nihil enim ab anima Virginis recepit Christus: ſed de corpulenta eius ſubſtãtia. Decuit ergo illam ſubſtantiam. i. corpus Virginis priuilegiari: ſecundum quam eſt mater filij Dei Benedicti.

Maria virgo nõ incinerata ex parte Dei aſſumẽtis. Ex parte Dei aſſumentis virginem, poteſt ſimiliter argui tam ex iuſtitia Dei, ex ſapientia Dei, ex bonitate Dei. Ex iuſtitia ſic. Perfectiori merito ſecundum diuinam iuſtitiam correſpondet perfectius præmium: ſed meritum paſſionis Christi perfectiſſimum eſt, quantum ad liberationem hominis: & quo ad animam a peccato: & quo ad corpus a perpetua morte. Meruit ergo animæ iuſtificationem, & corpori reſurrectionem. Perfectius eſt autem meritum, quo meretur anima a peccato præſeruari, quam lapſa mundari: & corpus nondum corruptum, & reſolutum viuificare, quam poſt reſolutionem, & putrefactionem reſuſcitare. Ergo huius perfectioris meriti fructum, ſiue præmium conſecutus eſt Christus in aliqua perſona: nec perfectiſſimus modus medendi, aut redimendi perfectisſimi redemptoris in nullo haberet effectũ: ſed in nulla decentius, quam in propria matre: ergò ſicut mater præſeruata eſt ab omni peccato etiam originali in eius conceptione quo ad animam: ita ab omni corruptione, verme, & putredine quo ad corpus. Similem rationem ponit Sco. diſt. 3. q. 1. libri tertij. Ex diuina ſapientia arguitur ſic: Diuinæ ſapientiæ eſt attingere a fine vſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuauiter Sapien. 8. Fortiter attigit ad finem ſupremi Angelorum chori: dum ſupremum Angelum nulla exteriori impulſum tentatione: ſed propria malitia in Deum creatorem ſuum ſuperbientem, totum deiecit, ſine ſpe veniæ cum omnibus ſibi adhærentibus Apoſtaticis ſpiritibus. Decuit, vt & alium finem huic oppoſitum attingeret: diſponendo ſuauiter illam ſcilicet (per quã caſus ille Angelorum reſtauratus eſt) quæ nullam admiſit tentationem: ſuper omnem Angelorum puritatem vixit in terris: ſecundum ſe totam ſuper omnes choros Angelorum exaltando. Iterum: Sapiens architectus domum, quam ſibi conſtruit, intus, & foris ornat. Sapientia patris thalamum virgineum ſibi domum ædificauit pulcherrimam: ergo non ſolum beatificare debuit in anima: ſed etiam dotibus gloriæ ornare in corpore. Ex bonitate etiã arguitur. Ad Dei bonitatem ſpectat omnibus benefacere, cuilibet ſecundũ ſuam capacitatem: quoniam ipſe dat omnibus affluenter, & non improperat. Iaco. 1. Maximè autem hoc pertinet ad bonitatem Dei filii: reſpectu ſuæ matris, quam ſuper omnes magis dilexit: cuius etiam reuerentiam, & honorem, atque curam magis procurauit, & geſſit viuens in terris: quam ſuam ſecundum legem, quam ipſe præcepit nobis de parentum honoratione. Hinc enim dum eam ſibi in matrem eligere decreuit: fabro deſponſari voluit: a quo tamen intactam cuſtodiuit: malens reputari fabri filius, quam matris dignitatem infamia temerare. De quo Amb. ſuper Lucam ait: Maluit dominus aliquos de ſuo ortu, q̃ de matris pudore dubitare. Nec putauit ortus ſui fidẽ matris iniuriis aſtruẽdã. Hinc in partu voluit eã ſine corruptione: ſine dolore cũ gaudio parere: cum tamen ipſe vellet ſimiliter aliis infantibus flere. Sicut ſcriptum eſt: Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Sap. 8. Et in proſa: Vagit infans inter arta poſitus præſæpia. Hinc denique patris agens negocia: ad eius ſponſiq; ſui requiſitionẽ in Hieruſalem deſcendit cum eis in Nazareth, & erat ſubditus illis. Luc. 2. Demum immanibus tormentis expoſitus in cruce; quaſi ſui doloris oblitus: prius quam per ſe quicquam loqueretur ad patrem, aut ſuam exclamaret pœnalem neceſſitatem, vidit aſtantem matrem, ac diſcipulo, quem præ cæteris dilige-

Scotus. Sap. 8. Iac. 1. Amb. Sap. 8. Luc. 2.

Ioan.19. ligebat, custodiendam commendauit. Ioan.19. Quam ergo in omnibus tantū dilexit, honorauit, & prouidit adhuc mortalis, inter aduersitates constitutus in terris: quomodo non magis illud ipsum ageret gloriosius regnans in cœlis? Cum autem suum corpus incorruptum præseruauit in morte: omnino credendum est idipsum egisse in dilectissima sua matre. Hanc rationem breuiter tangit Aug. dicens: Nunquid non pertinet ad benignitatem domini, matris seruare integritatem, qui legem soluere non venerat, sed adimplere? Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit: pium est credere, eam in morte singulari præ cunctis & speciali gratia honorasse. (Aug.)

(Mariæ incineratio probatur ex parte nostra.) Iterum ex parte nostra potest ad idē persuaderi. Primo ex comparatione eius ad cæteros Christi dilectores. Nā sanctorum suorum reliquias multo in terris cumulauit honore: & occultas mirabiliter reuelauit. Non ergo præsumendum: quod sanctæ sanctarum matris suæ ossa nisi glorificata iam forent in cœlis hactenus reliquisset sine honore in terris. Hanc tangit Ganfredus super Apostoc. dicit. Plurimorum martyrum corpora legimus diuinitus reuelata, vt non essent sine honore sic occulta. Et quomodo Christus fineret suæ matris corpus sine honore sic occultari: qui legem dedit de parentibus honorandis? Et sequitur: O bone saluator Christe, tuum sepulchrum, in quo mortuus iacuisti licet lapideum, cernitur (sicut prophetatum est, gloriosum. Et quomodo creditur sine honore latitare virginæum corporale scrinium, in quo viuus iacuisti: carnē, vnde carnem sumpsisti, viscera, quæ replesti, & vbera, quę suxisti? Simili argumēto probat Hieronim. Angelorum præsentiam transiui Virgini affuisse: vt supra visum est. Similiter argumentatur Augu. vbi supra dicens: Si elegit diuina voluntas inter igneas flammas puerorum vestimenta seruare illæsa. cur abnuat in matre propria, quod in veste elegit alieno? Ionam seruare in ventre cęti incorruptum voluit, incorruptum sola misericordia: Mariam incorruptam gratia non seruauit? Seruatus est Daniel in intemperatissima fame Leonum: non seruanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum? Expediebat etiam nobis ad spem resurrectionis firmandam. Quamuis enim scimus corpus domini corruptionem videre non potuisse: quia vnitum est deitati: quod in nullo alio homine inuenitur: idcirco nequaquam tantam spei sumimus fiduciam nostræ resurrectionis futuræ: quantam ex resurrectione Virginis, quæ puram habuit humanam naturam. i. deitati hypostatice vnitam. Hinc etiam valde sublimatur humana natura: dum etiā in virgine super omnes angelorum choros creditur exaltata. (Hiero.) (Aug.)

Item in resurrectione testes habere voluit suæ resurrectionis: decens est, vt & habeat in ascensione: & quem, si non matrem? Hinc ad gaudendum, & laudandum nos hortatur beatus Bernard. in sermone huius festi: vt supra allegatum est. Non cesset humana mortalitas a laudibus: cum hominibus sola natura super immortales spiritus exaltata est in Virgine. Demum arguitur ex officio mediationis. Cum enim debuit esse mediatrix Dei, & hominum: congruum ergò fuit: vt illa sublimaretur in cœlis: quatenus intercedendo pro peccatoribus dicere posset filio suo: Ecce beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Sanctus Tho. in 3. parte q.54. arti. 4. inter alias causas cicatricum Christi illam ponit: vt pro nobis patri supplicans, quale genus mortis pro homine pertulit, semper ostendit: ita de Virgine &c. Sic & beatus Bern in ser. de assumptione: Aduocatam inquit, præmisit peregrinatio nostra: quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ: suppliciter, & efficaciter nostra negocia pertractat. Et modū pertractandi alibi tangit, dicens: Securum accessum habes ô homo ad Deū: vbi mater est ante filium, & filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus, & vbera: filius ostendit patri latus, & vulnera (Bern.) (Thom.) (Bern.)

Assumptio virginis, animam & corpore, ppo netur.

nera. Nulla ergò poterit esse repulsa, vbi tot occurrunt charitatis insignia.

Ex his, aliisque similibus concludit beatus Augustinus: Confitendum ergo censeo Mariam ad æternitatis gaudia assumptam benignitate Christi & honorabilius susceptam cæteris:quā gratia præ cæteris honorauit: atq; ad communem humanitatem nō esse per ductam post mortem, putredinis, scilicet vermis, & pulueris: quæ suum, & omnium genuit saluatorem. Et infra. Christus ergo lætari facit Mariam anima, & corpore in proprio filio, & cum proprio filio, per proprium filium:nec vllam sequi corruptionis ærumnam: quam nulla secuta est tantum pariendo filium integritatis corruptio:vt semper incorrupta (quam tanta profudit gratia) sit integraliter viuens quæ omnium integram genuit vitam.Hæc ille. Fauent prædictis scripta quædam de transitu Virginis: quæ licet apocrypha sint: non tamen debent putari falsa. Non enim vt dicit Henricus de bassia ab hæreticis creduntur ficta ad finem, vt errent fideles: quia totum, quod ibi credendum proponitur,non obuiat alicui articulo fidei. Nec videtur iudæis, aut gentibus fictum: quatenus infatuarent Christianos: faciendo eos credere falsum. Quoniam si constitisset infidelibus ista falsitas,a fortiori, vtique fidelibus constitisset. Sciebant nihilominus christianos ita graues, & circumspectos in credendo: quod eorum fictæ historiæ non crederent: relinquitur ergo: quod illa apocrypha a fidelibus primitiuæ ecclesiæ fuerint scripta. Et non videtur: quod fictè propter sanctitatem, & deuotionem fidelium primitiuæ ecclesiæ: quare relinquitur, quod historia sit vera,a quo cunque etiam fidelium sit conscripta. Fauet etiam vsus ecclesiæ, qui hoc festum appellat assumptionis: non obitus, vel depositionis Mariæ: sicut in aliis sanctis: quod non videtur vacare a mysterio, sed aliquid speciale denotare: sicut ascensio Christi sonat

Heric.

translationem in corpore Christi, & anima. Et assumptio Enoch, & Heliç sonat translationem eorum: quam constat similiter factam in corpore, & anima. Patet ergo ex dictis probabiliter, quomodo virgo gloriosa hodie mortem temporalem subiit: & tamen a væ nexus libera fuit. Vnde in huius commemorationem congruit a fidelibus hodie replicari verbum salutis Aue: cum immodica mentis exultatione.

Enoch. Helias translati in corpore & anima.

Hæc nunc de Virginis transitu dicta fidei pietate non necessitate recipienda sunt. Ita enim suscipit ecclesia sanctorum legendas, Vitaspatrum, exempla gestorum, opiniones doctorum, visiones deuotarum personarum: & cętera talia; quæ nihil sanæ doctrinæ, aut cognitę veritati contrarium continent. Non quod determinet talia de salutis necessitate fore credenda: sed quia apparentia sunt, & probabilia: & proficiunt ad commouendos, vel nutriendos affectus pios fidelium, & ędificationi eorum.

In his verò sic piè tenendis cauere oportet curiositatem in inquisitione: ne prætermissis salubrioribus studiis, minus necessariis intendamus: & cum affectum delectare cupimus, salutem negligamus. Temeritatem in adhæsione, ne propter affectum, vel suum, vel alterius excitandum, quod scitur, falsum affirmetur. Ne etiam ex aliqua passione, vel affectu informatio sanior spernatur: sed semper piè credens, paratum habeat animum ad credendum sententiæ saniori. Et tantum de illo.

## IN FESTO ASSVMptionis Mariæ Sermo III.in ordine XIX.

AVE: Lucæ 1.

Magnam hodie festiuitatem de magna ac omni veneratione dignissima, sancta mater Ecclesia celebrat

lebrat cui tanquam bonos filios:magna nos necesse est deuotione assistere: atque eam,quam colimus magnæ salutationis eulogio collaudare Quæris forte quã?de qua? Festiuitatem certè maximam de imperatrice mundi, de regina cœli,de victrice inferorum,de aduocata miserorum,de iustorum primiceria, de Angelorum domina,de sacrario spiritussancti,de genitrice perennis verbi,de filia patris, de Virgine sponsa trinitatis, de matre misericordiæ,de inuentrice gratiæ, per quam venit sanctorum sanctus omnes sanctificans: quorum in ecclesia festiuè memoria celebratur. Cuius etsi plurima sint festa, pro gratiarum, donorumq; multitudine, quas velut aquæductus purgatissimus a fontana summæ deitatis bonitate recepit: atq; in nos refudit, per anni circulum solemniter colimus: vt puta Conceptionis: qua de communi perditionis massa: communi probationis lege formata: sola ab originali macula præseruata: perdito generi innocentiæ statum renouauerat in seipsa. Natiuitatis, qua velut nouus lucifer,& aurora matutina: huic mundo longa expectatione fatigato orta: profundas mentium tenebras illustrauit. Annunciationis,qua solem iustitiæ trabea nostrę mortalitatis vestiuit: vt temperata inaccessibili lucis claritate, quam æternaliter inhabitat:iam infirmis,ac mortalibus exhiberi posset oculis illuminator pariter, & saluator. Visitationis qua facta mater altissimi etiam matrē se fore, auxiliatricem, ac curatricem miserorum filiorum Euæ: ministerio vetulæ exhibito publicè demonstrauit. Purificationis, qua benedictum ventris sui fructum, quem pridem virginali flore seruato editum,in templo humillima non pro suis sed nostris peccatis obtulit summo patri. Hodiernam tamen solemnitatem(qua vt Hiero.in sermone Cogitis:ait, meruit super choros Angelorum exaltari, & peruenire vltra quam nostræ humanitatis sit naturæ licitum: vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur,cum eleuatur in dexteram patris: vbi Christus pro nobis introiuit pontifex factus in æternum ad cęli palatium) non solum omnium festiuitatibus sanctorum incomparabilem: sicut & sanctis ipsis virgo incomparabiliter dignitate pręeminet: verumetiam inter cæteras eiusdem Virginis solemnitates velut summam, & maximam ecclesia catholica veneratur. Nimirum, quia præ cunctis diebus vitæ suæ magnificata, perfectionis suæ terminum atq; plenum gratiæ complementum hodie secura recepit. Cui licet magna fecit,qui potens est omnium dominus, in sua cōceptione ab originali culpa præseruando: maiora in annunciatione,ipsam purissimam spiritusancto fęcundando. Sed hodie maxima, dum in sinum spōsi dilecti filij Dei salutaris sui infinibili collocauit. Hinc egregius quidam huius Virginis laudator de hac gloriosa festiuitate loquens ait: Nulla dies illi festiuior: nulla desyderabiliori iucūditate refulsit, felicius parit hodie gloriosa in corde filium, quam viatrix in corpore genuerat: immo iam non meminit pressuræ: quia natus est homo in mundum alterum, & in sinu patris collocata. Ideoq; ecclesia tribus principalissimis festiuitatibus hanc quartam annumerauit atque cum eis inter dicti relaxatione priuilegiauit: vt in capi. Alma mater, de senten. excom. lib.6. In hac ergò maxima solemnitate sua,qua super omnes est cœli incolas magnificata: nos omni, qua possumus deuotione, concurramus: orantes voto supplici:quatenus & a nobis magnificari dignetur cordis dilectione, operis imitatione, atque oris laudisona prædicatione: offerentes ei magnificationis verbum: prius quidem per Angelum nunciatum: hodie verò rei veritate completum in sua summa exaltatione hoc quod præmissum est Aue.

Hiero.

Quia verbum aue includit,quidquid ad Virginis cōmendationem diei potest. Itaque cum in prioribus sermonibus de Virginis assumptione ptractauimus verbum. Aue quantum ad eius

inter-

interpraetationem, qua interpraetatur aue.i.sine vae. Ostendimus quoq; quantum ad hanc solemnitatem pertinet: quia in eius transitu per mortem ex hac vita libera fuit a vae poenalis infirmitatis ad mortem impellentis: quia mortua est contemplando dulciter. A vae visionis horrendae infestantis daemonis, quia transijt circumuallata Angelorum, Apostolorumque choris terribiliter. A vae incinerationis resoluendi cadaueris: quia surrexit glorificata anima, & corpore faeliciter. Placet nunc tractare idem verbulum quantum ad eius impositionem: secundum quam est verbum salutis optatiuum: cui bene cōgruit suum vulgare teutonicum sonās idest magnificare. Nullo quippe vnquā die verius, perfectiusque hoc verbulo salutata creditur: quam hodierno: qua salutem perfecte consecuta: in omni consummata gratia benedictione, & gloria noscitur magnificata, & ineffabiliter exaltata. Neq; admittit praesentis vitae viatrix conditio consummata in bonis potioribus magnificationem: quam assecuta est hodie, dum vitā excessit, dum statum gloriae introiuit. Licet enim beatitudo viae Virginis fuerit eminentiae singularis: tamen beatitudini patriae par non fuit. Nam cum praetulisset dominus Ioannem inter natos mulierum, subiunxit. Qui minor est in regno coelorum maior est illo. Mat. 11. Videamus itaque primo, quod sit hodie magnificata. Secundo a quibus venerabiliter per magnificationis verbulum salutata.

Matt. 11

Vitas duas esse actiuam & contēplatiuā. Aug.

Quo ad primum duas esse vitas nemo fidelis ignorat. Quarum vna vt scribit Aug. homil. vlti. supra Ioan. est in fide: altera in specie. vna in tempore peregrinationis: altera in aeternitate mansionis: vna in labore: altera in requie: vna in via, altera in patria: vna in operatione actionis, altera in mercede contemplationis: vna declinata a malo, & facit bonum: altera nullum habet, a quo declinet malum, & magnum habet, a quo fruatur bonum: vna cum hoste pugnat: altera sine hoste regnat: vna fortis est in aduersis: altera nihil sentit aduersi: vna carnalem libidinem frenat: altera spiritualibus delectationibus vacat: vna est cura vincendi sollicita: altera a victoria pacis secura; vna in tentationibus adiuuatur: altera sine vlla tentatione in suo adiutore laetatur vna subuenit indigenti: altera ibi est, vbi nullum inuenit indigentem: vna aliena peccata; vt sua sibi ignoscantur, ignoscit: altera nec patitur, quod ignoscat: nec facit, quod sibi poscat ignosci: vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis: altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo: vt sine vlla tentatione superbiae cohaereat summo bono. Vna bona, & mala discernit: altera, quę bona sunt: cernit. Ergo bona vna est, sed adhuc misera: altera melior, & beata. Tota hic agitur illa vsque in huius seculi finem, & illic inuenit finem: differtur illa complenda post huius seculi finem, sed in futuro seculo non habet finem. Christus itaque ascendens in vnam, Mariam reliquit in altera: piè simul & pulchrè (vt ait Aug. in homil. super Stabat) ordinans: vt vtraque vitae portio visibili, & inuisibili solatio frueretur. Illa in Christo in cęlo assumpto: ista in matre relicta in mundo. Illa in Christi diuinitatis, & humanitatis iugi contemplatione, ista in spiritusancti inuisibili gratia, & Mariae caelesti conuersatione. Siquidem gaudiosum, & supra quam dici potest solatio sum fuit in terris videre matrē habētē filiū omnipotētem, cunctis in coelo praesidentem. Post Christi nanque ascensionem, vt idem ait quasi ad limina sanctorum, ita ad Virginem intemeratam domini matrem adhuc in carne viuentem quaedam peregrinatio fuit fideliū, videre cupientium illud monstrum cęleste, illud diuinum prodigium, capsam illam subcęlestem: in qua repositus fuit thesaurus ille nobilissimus Christus Deus, & homo: vt scribit Ignacius in quadam epistola ad beatum Ioannem Apostolum.

Ignac. Angeli fuerunt praesentes resolutioni Mariae.

Noluit enim Dei benignitas a vita ista misera inter tentationum vndas

tunc temporis plurimum fluctuantem: simul & subito totam consolationem tollere: ne pusillus ille grex principalibus fidei personis seductis, quasi dereli ctus desperaret. Ideo Christus sua sublata præsentia per ascensum ad patris dextram, voluit matrem in terris constitui: vt adhuc infirmos & in fide nouitios solaretur; sueque vitæ sanctitate sollicite patientię, immobilitate perseuerantiæ, doceret Christicolas inter iudeorum rabiem, præsidentium tyrannidem, gentium insaniam, conseruari fideliter, & perferre vnanimiter passiones: atq; vt inter Christi Apostolos de Christi mysteriis, fideique sacramentis differentes vti magistra præsideret: & in quibusdam fidei rudimentis eosdem religiose erudiret. Huic dicto fauet beatus Hiero. in sermone Cogitis.

Hier. Ecce inquit, Iesu ascendente: vacat virgo in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis. Conuersatur autem cum testibus sanctæ resurrectionis & ipsa testis. Conuersatur cum senatoribus cęli intra curiā paradisi: sub disciplina spiritussancti, & magisterio totius diuinæ maiestatis: inuenitur prima inter primos summi regis principes: quorum vita iā non erat de terris. Inter hos Apostolorum choros intrans, & exiens vt idem ait, familiarius contulit de Christi incarnatione, tāto siquidem verius, quanto ab initio plenius omnia didicerat: & perspexerat oculis vniuersa. Licet enim Apostoli per eundem spiritū omnia cognouerint, & in omnem edocti peruenerint veritatē: multum tamē ex illius relatione profecerunt tanquā eius, quæ verba Angeli corporalibus auribus audierat Christi conceptionē, natiuitatem, ac omnem vitæ suæ conuersationem experimento cognouerat: verba quoq; eius, Angeli, pastorū, Helisabet, Symeonis, Annę, ac cęterorum de Christo testimoniū perhibentiū: euāgelio teste conseruabat, conferens in corde suo. Ideo ipsa est, quæ sola (vt idē

Hier. Hier. dicit: interemit vniuersam hæreticam prauitatem: sola post Deum nos confirmat in omni veritate: suisq; commendās meritis, & precibus auxiliatur.

Ignat. Hinc & Ignacius in supra allegata epistola. Nouæ nostræ religionis, ait, est magistra: apud fideles omnium operum pietatis est ministra: humilibus est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, in omni virtute abundans, hæc ipsa fidei doctrinā tradidit, quæ nequaq̄ sub uerti poterit, domino mirabiliter ordinante: vt sicut per fęminam mundus cecide rat: ita super fęminam fundatus stabilitamentum acciperet sempiternum.

Maria virgo super Angelos exaltata. Stabilita autem solidius in dies ecclesia: diuisisq; in orbem discipulis: præuiso denique aduentante termino: quo completis, ac super effluētibus eius meritis remunerari debuit saluari, & magnificari in cœlis coram Angelis Dei, quæ magnificata fuerat in vniuerso populo fideli. Cœlorum imperator, vitę auctor, a cęlestibus sedibus exiliit, cęlestibus assequentibus turbis: vt ipsam superopimam meritis hymnidicis exultātium Angelorū alternantibus choris honoribus maximis de hac valle lachrymarum, & miseriæ conduceret ad regni perennis soli um: sibi prius, quā mundus fieret præparatum: locumque præsidentiæ supra quosq; beatę illius vitæ incolas regaliter consignaret: de

Bern. quo beatus Bern. sermone 1. de hac festiuitate pulchrè dicit. Quis cogitare sufficiat: quam gloriosa hodie mundi regina processerit? & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cęlestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta a filio? & super omnem exaltata sit creaturam? cum eo honore, quo tanta mater digna fuit: cum ea gloria, quę tm̄ decuit filiū? Ecce quemadmodū hodie magnificata est Maria: dum super choros Angelorū eleuata sublimata est super omnē creaturā in solio regni filij sui. Vnde ipsa sola secundam hierarchiā constituit sub Deo trino, & vno hierarcha primo, & summo: apud quā

hierar-

hierarchiam humanitas filij sui sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei per suppositi vnitatem, quemadmodum vidit Stephanus. Act. 6. Sub ea autẽ oẽs chori Angelorum, apud quos videtur Ioannes baptista primus in ordine seraphin posit⁹ loco Luciferi, simul & alij pro qualitate meritorũ vsq; ad infimũ ordinẽ Angelorũ. Sub quo repositos qd dicunt saluatos ex solo Christi merito, deficiente proprio, puto baptizati pueri ante rationis vsum defuncti, qui omnes tertiã constituunt hierarchiã: vt sit prima regis summi, & principis omniũ patris, & filij & spiritussancti. Secunda dominæ, ac reginæ cęlorũ matris Dei Virginis Mariæ. Tertia totius cœlestis familiæ Angelorũ, & beatarũ animarũ, quos conseruos esse summi principis Angelus Ioanni missus testatur dicens eidẽ se adorare volenti: Vide ne feceris conseruus tuus sum, & fratrũ tuorũ, ꝓphetarũ & eorũ, qui conseruant verba libri huius, quales sunt omnes beatificandi. Apoc. vlt. Ita inquã, si tota super cælestis curia vna cum principe Deo in hierarchias diuidatur.

Act. 7.

Apoc. vl.

Maria virgo quarta Hierarchiã solã cõstituit

Quia si solas creaturas in cælesti curia beatificatas partiri placuerit, & in cõceptione secundũ B. Diony. tres assignare hierarchias, supmã videlicet mediã, & infimã, singulas tribus ordinibus sub distictas. Virgo gloriosa hodie sup oẽs Angelorũ ordines exaltata quartã sola cõstituit hierarchiã, sicut ostẽdit Alb. in de la. vir. q. 54. Nã quis ambigit plus distare a seruo dominã, a ministro reginã, quã a seruo seruũ? distantia dico dignitatis. Sed cũ tãta sit ministrorũ differẽtia, vt eos hierarchia vna nõ capiat, quomodo cũ seruo dominã vna iũget? Siquidẽ vt Apo. verbis ad Heb. 10. de filio loquẽtis vtar: tantò melior Angelis Maria effecta, quanto differentius præ illis nomen obtinuit. Cui enim dixit aliquando Angelorũ, genitor meus es tu, in tempore me genuisti? Ad hanc autem, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. De illis scriptum est, Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebãt ei, vtique ad ministrandum. Siquidem omnes sunt administratorij spiritus. De hac autem, Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate psalmus. 44. De illis ait Esa. cum viderat dominum sedentem super solium excelsum: seraphin stabant super templum, parati scilicet ad ministerium Esa. 6. De ista autem in figura habetur: Surrexit rex in occursum eius, & sedit super thronum suum Positusq; est thronus matri regis, quæ sedit ad dexterã eius 3. Regum 2. Adhuc autẽ, cui angelorum dictum est: Filius meus es tu? Ad hanc vero inquit: Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam. Audi inquam, filia summi regis te de hoc seculo vocantem: & vide tibi occurrentẽ, & inclina aurem tuam a d te super omnia eleuantem. quia concupiscit rex decorem tuum: quoniã omnis gloria eius filiæ regis, ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. Rursus de angelis tanquã de administratorijs spiritibus ait. Angelis suis mãdauit de te, & custodiãt te in omnibus vijs tuis. De Maria autem tanquam regina. Vultum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis. De illis inquit propheta: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. De hac canit ecclesia. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Et iterum. Veni de libano, veni coronaberis. Postremò angeli multo ornatu stant ante faciẽ domini purgati, illuminati, perfecti: gratiarũ donorumq; insignijs quasi lapidibus præciosis ornati. Sicut de principẽ ex eis dum adhuc in naturalibus steterat. Nunc verò apostata. Omnis lapis præciosus operimentum tuũ, aurum opus decoris tui. Non põt diademate regio, quod ille insipiẽter cõcupierat c oronari. Hæc autem benedicta mulier tanquã signũ cęli magnũ, & admirabile: illã illuminã te, quem ipsa aliquando vestiuit nube mundissimæ carnis suæ: & luna: omnis beatorũ ecclesia sub pedibus eius: & in capite eius corona stellarum 12. supereminẽtiũ, scilicet priuilegiorũ: nõ angelis, sed ei singulariter cõseruatorũ.

Dionysi.

Albert⁹.

5. Resp.

Perfectionis mensura Mariæ describitur

Expectatis fortasse audire magnificationis (qua hodie supermagnificata est) perfectionem, aut mensuram. Sed frustra oculis suspicitis frustra erigitis aures: non est hoc meum, sed nec cuiuslibet hominis plus dico, nec Angelorum. De Mariæ assumptione loquitur Bern. quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præce teris, tantum, & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Et quidem magnificentiam, ac claritatem eius Angelos admirari oportuit comprehendere nequaquam: hinc vox illa admirantium Virginis gloriam. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora, consurgens pulchra vt luna, electa vt sol terribilis vt castrorum acies ordinata. Can. 6. Et iterum: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi, ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii. Can. 3. Nec mirum quoniam si oculus non vidit? ait Bernard. nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ pręparauit dominus diligentibus se: quid pręparauit gignenti se: & quod omnibus certū est diligenti præ omnibus, quis loquatur? Quod verò nondum cognoscere possumus: interim gaudio, & admiratione celebremus. Exultantes cum cœli ciuibus de tanta benedicta Virginis matris magnificatione, quæ sine dubio, nostrę salutis magna est profectio: quoniam aduocatam præmisit peregrinatio nostra: quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negocia pertractabit. Præcessit nos regina nostra. Sequamur dominam seruuli, desyderiorum votis, ac medullis cordis, suæ fęlicitati congaudentes, clamemus: Aue aue: Salue magnificare absorpta in beatificis amplexibus sum mi regis, sponsi, & filij tui in secula seculorum Amen.

Bern.

Cant. 6.

Can. 3.

Bern.

Secunda pars alteri
reseruetur sermo
ni de eodem
festo.

## *IN FESTO ASSVMptionis Mariæ: Sermo. IIII. in ordine. XX.*

AVE gratia plena. Lucæ. 1. Solemnitatem gloriosissimam annuus nobis hodie recursus aduexit: qua iucondissimam Virginis theotocæ assumptionem recolimus, & gloriosæ eius plenitudinem, quæ est gratia consummata. Nam licet adhuc in terris conuersans, gratiæ plenitudinem obtinuit, teste archangelo: Aue gratia plena. Omnis tamen gratia viæ quamuis plenissima, quamuis perfectissima: quatenus statum illum condecet: minus tamen est a gloria, quam hodierna die super cœlos exaltata in beatitudine possidet sempiterna. Vnde sicut vniuersa quæ dono Dei accepit in terris siue in sua conceptione, siue in conceptione verbi Dei, vel partu, siue etiam in profectu vitæ vsque ad terminum deficiunt ab ea gloria, qua hodie in bonis omnibus consummata, sedet ad dexteram filii in excelsis. Ita cæteræ eius festiuitates, quibus magna illa beneficia Christi in terris collocata recolimus, minores sunt hodierna: quæ gloriam celebramus: quam adepta est in cœlis supra choros omnium Angelorum exaltata, & cum laudisono plausu deducta. Neque enim temere sed chatolicè, & piè gloriosissima virgo per Christi gratiam super choros Angelorum exaltata deuotissimè hodie prædicatur ait Hiero. ad Paulam in sermo. Cogitis. Sed fortè dicis. Cum dominicæ ascensionis solemnitas non sit maior inter festiuitates Christi: vt puta cui præfertur celebritas tam natiuitatis, quā resurrectionis secundum ritum, & morem ecclesiæ. Cur festum assumptionis inter festa Virginis maximum prædicatur? Ad hoc respondemus, quod non est par ratio de assumptione Virginis, & ascensione Christi. Nam beatissima virgo Maria in eius assumptione hodierna assecuta est maximam, & vlti

Luc. 1.

Festiuitatis assumptionis eccellentia.

Hiero.

mam perfectionem, beatitudinis videlicet gloriam, quam ante præsentem diem non habuit. Et nihilominus quæ prius habuit, hodie cępit plenius possidere. Nam in sua conceptione, & natiuitate gratiam accepit initialem: sed hodie consummatam. In annunciatione Angelica Christum concepit in carne mortali: eumque post menses nouem sine sui corruptione peperit: sed vt Gerson ait super Magnificat. Hodie fęlicius parit gloriosa in corde filium, quem matrix in corpore genuerat. Vnde & magnificat hodie dominum, quia magnificata prę omnibus diebus vitæ suæ, plenum gratiæ complementum hodie secura recepit. Ideo nulla dies ipsi festiuior, nulla desyderabilior iucunditate refulsit: Christo verò per suam ascensionem nulla noua accessit perfectio: non gloria noua, vel beatitudo, aut pars eius: duntaxat loci extrinseci mutatio facta est, qua iam beatus in anima,& corpore in terris secundum humanitatem locum suscepit in cęlis. Siquidem beatus fuit secundum portionem superiorem animę, & perfectus compræhensor ab instanti suæ incarnationis,eadem & non minore beatitudine qua nunc fruitur ad dexteram patris. Beatitudinem verò portionis inferioris, & gloriæ dotes in corpore in sua resurrectione suscepit. In qua completissima fuit vniuersa eius beatitudo, & gloria in corporę, & anima,quæ multo maiora sunt & incomparabiliter excedentia susceptionem noui loci extrinseci: qui essentiali beatitudine nihil conferri potest: immo nec accidentali: vt manifestum est de Angelis custodibus qui non minus beati sunt nobiscum existentes in terris quam si forent diffinitiuæ in cœlis: cum semper hic & ibi euangelio teste vident faciem patris. Nihil ergo mirum si dies resurrectionis Christi præfertur diei ascensionis suæ. Secus de Virgine matre, quæ sicut hodie summam gratiam, & gloriam consecura est: ita & summam inter cæteras eius solemnitates hodiernum festum prædicamus, in quo & verius, & deuotius eam allocuturi cum Angelo, quam in ipso annunciationis termino, voce clamamus deuotissima, Aue gratia.

Gerson.

In priori sermone de festiuitate præsenti assumptionis Mariæ Virginis ostensum fuit,quam aptissimè sibi dicatur hoc eulogium, Aue gratia plena in eius assumptione gloriosa, immo aptius quam in quacunque alia eius festiuitate, & hoc pro articulo primo eiusdem sermonis. Exigit ratio, vt nunc articulum secundum eiusdem sermonis, tunc suspensum propter temporis breuitatem possetenus prosequamur, [illegible] dendo a quibus,& quam laudisonis, & hymnidicis Angelorum choris sit assumpta, vt verum ostendatur illud ecclesiæ canticum: Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt dominum. Cum verò in terris manens omnium Angelorum officia diuinis moribus tenuit, perfectiusque impleuit, merito super omnes angelorum choros exaltari debuit. A singulis denique Angelis in sua assumptione, laudisonos plausus, & hymnidicas voces lætabunda suscipere. Quomodo autem id factum fuisse pie teneri, ac credi potest, nunc videamus pro nostræ deuotionis fomento. Solet in die omnium Angelorum ostendi,& partim supra patuit, quemadmodum tota angelica concio in tres partitur hierarchias, & quælibet earum in tres ordines. Et ita erunt nouem chori Angelorum.

Maria a qbus assumpta sit.

Ad primã Angelorum hierarchiam, quæ secundum beatum Dionysi. in de Angelica hierarchia, accipitur secundum actionem ministerialem, quæ in se habet tres ordines.s.principatus,quorum actio est circa custodiã,& regimen principium, qui sunt capita multitudinis archangelorum, quorum ministerium est circa multitudinem populi,in vrbibus aut prouinciis collectam: de quo in Dan. de principe synagogæ & principe persarum c.10. Angelorum quorum ministerium,& actio est circa singulas personas, & consistit actio hęc

Angelica concio ĩ tres hierarchias partitur.

Dan.10.

in nunciando, custodiendo, dirigendo. Itaque veniens ad primæ hierarchiæ chorum primum ascendendo: Angelorum magnis gaudijs est suscepta, & laudibus cœlestibus honorata acclamantibus, vt piè cogitari potest: his aut similis sententiæ vocibus. Aduenisti speciosa, ac pulcherrima maris stella, quæ in terris manens cunctos illuminasti. Singulis lucis exempla vitæ magisterio præstitisti. Tu certissima vitæ nuncia fuisti, verbo docens: exemplo illuminans: tua enim vita cunctas illustrat ecclesias, nam in ea expressa sunt cunctis totius magisteria probitatis: nostram vicisti operam: nos multi singulorum custodes, & nuncij, tu vna singulis ministrasti: tu verè salutis nuncia fuisti. Excedit gloria retributionis, tuis respondens meritis, nostra dona: non est apud nos sedes tuæ speciositati ac pulchritudini condigna. Aue ergo gratia plena, dominus tecum benedicta tu in mulieribus.

Hinc ascendens ad secundum chorum, Archangeli occurrunt, & inquiunt, dudum a patribus expectata, nobis desyderata, gloriosa specie pulcherrima actione, aduenisti. Tu cunctarum gentium adiutrix necessaria. Angelorum consolatrix semper desyderata, tu sollicita fuisti, & turbata circa plurima tanquam communis vrbium, & prouinciarum, immo totius humani generis mater, & nutrix, & Angelorum reparatrix. Per te enim datus est vnicus hominum saluator, ruinę angelicæ restitutor. Tu aurora valde rutilans, stella matutina dominum æternum nuncians. Ex te enim ortus est sol iustitię Christus Deus noster, qui soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitā sempiternā, horū maximorum non solum nuncia fuisti, sed supra nos etiam cooperatrix assumpta, quo nostra supergressa es officia, tuarum specie virtutum, & pulchritudine, actionum, vnde longè maior te expectat gloria. Aue itaque gratia plena. Ad tertium inde Angelorum ordinem multo famulatu comitata ascendens, magna principum pompa suscipitur. Aduenisti fęliciter, inquiunt, virgo speciosa, eunctis admirabilis, pulchritudine diuina, vniuersis gratiosa, & amabilis, nos terrenorum principum rectores & ministri præsidentes, tu verò super angelica puritate candida, sola digna fuisti, regis cœli, & terræ ministra. Omnia materne pietatis obsequia tuis manibus mundissimis impendisti, vberibus de cęlo plenis nutriuisti, in Ægyptum fugiens transtulisti. Inde reduxisti, Indiuidua eius comes. In ingressu in hunc mundum, in progressu, in egressu, nulla iudæorum, gentium vè crudelitas te abstergere potuit, nulla fugientium discipulorum infirmitas retrahere. Sola in angustijs, mente, corpore, fide & lectione constanter astitisti, vnde nostra officia longè excessisti. Ideoque ad destinatum tibi ab ęterno altissimum brauium, sine væ veni, veni electa mea. Aue gratia plena.

Secunda hierarchia respondet alteri statui ecclesię .s. prælatorum. Sunt enim tres status ecclesiæ, contemplatiuorum, prælatorum, actiuorum. Signati per tres viros, Danielem, Noe & Iob. Et sicut inferior hierarchia correspondet inferiori statui ecclesiæ, scilicet actiuorum, ita media medio statui, qui est prælatorum ecclesiam regentium. Consistit autem perfectio prælationis, seu potestatis in tribus. In præsidendo subiectis. In resistendo inimicis. In operando magna prosuis. Et secundum hoc ordinantur in hac media hierarchia tres ordines, dominationum, potestatum, & virtutū. Dominationum est præsidere subiectis Angelorum agminibus, purgando illuminando, perficiendo. Potestatum est oppugnare aduersarios, dæmonum dolos, potestates tyrannicas, & fraudes. Virtutum est operari miracula, sanitates, & beneficia. Per has enim Deus operat miracula sicut p has operatus est miracula in Ægypto

Hierarchiæ cęlestes quibus respōdeat in ecclesia militanti.

in mari rubro, in deserto, & similiter in nouo testamento. Igitur virgo omnibus gratiosa ascendens ad virtutum ordinem cum ingenti gaudio suscipitur, clamantibus laudatione huius chori sanctis spiritibus. Aduenisti potentissima virtutum operatrix, Nos quidem circa inferiores creaturas insolita, & per hæc miracula ad nutum Dei nostri operamur, passiua actiuis applicando, non noua creando. Tu cum creatore omnium in re maxima cooperatrix assumpta es. Tu de patris sinu æternum detraxisti. Tua nardus humilitatis profundissimæ, dum rex esset in suo accubitu, silentibus cunctis, ac peccatorum nebulis offuscatis. O speciosa, & suauis pulcherrima, ac delectabilis, dedit odorem suum, quo indomitus ille rhinoceros à te captus ad te tractus, per te potentissimum admirabilis suæ incarnationis miraculum, quo maius nullum fuit, operatus. Cuius & nuncij esse potuimus nequaquam tamen & cooperatores. Tu autem hortus conclusus, fons signatus, porta in eternum clausa, soli summo principi nostro regi peruia fuisti. Vnde ineffabili tua specie, ac castitatis potentia, & virtutis pulchritudine omnes nos sublimiter transcendisti. Ideo Aue gratia plena. Hinc ad secundum huius hierarchiæ ordinem deducta sic optantibus suscepta creditur pie. Fœliciter aduenisti mulier fortissima, à summo omnium principe ab æterno electa, in tempore prouiso producta, & inuenta, procul de vltimis finibus præcium tuum. Confidunt in te corda virorum viriliter pugnantium. Tu turris Dauid altissima, ædificata cum propugnaculis, mille ex te pendent clypei defensionum. In te omnis armatura fortium. Tu terribilis crudelibus inimicis, vt castrorum formidanda acies ordinata. Tu enim sola caput serpentis antiqui contriuisti. Iacet sub pedibus tuis istul tus ille vt luna mutatus, murmurans quidem, & fremens, sed non valens nec tibi, nec te inuocantibus propinquare. Vnde pro tam sublimi victoria altior tibi thronus debetur. Igitur fortissima Aue gratia plena. Insuper eleuata ad supremum huius hierarchiæ ordinem à dominationibus ita creditur laudata. O virgo prudentissima quo progrederis? Tu specie tua vniuersalis gratiæ, & pulchritudine excellentis gloriæ. Merito secundum nomen tuum omnibus dominaris. Maria enim domina interpretatur. Nos quidem secundum Dei ordinationem subditis dominamur spiritibus angelicis, præcepta superiorum ad ipsos dirigentes. Non superbè imperantes, eosq; ad dominum vniuersitatis, voluntatis executionem ordinantes, ac eis secundum hierarchicos actus præsidentes purgando, illuminando, perficiendo. Tu verò profundissima humilitate seruata, non angelis tantum aut hominibus, sed angelorum, hominumq; creatori, ac dominantium dominatori materna auctoritate dominata es. Nam & Christus dominus noster tibi subditus erat in terris. Lucæ secundo. Qui nunc te tanta gloria subleuat in cœlis. Vnde verè potestas tua est in Hierusalem, & in plenitudine sanctorum detentio tua. Nam per te cœlum repletum, infernus euacuatus est, instauratę ruinę cœlestis nostræ Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Vnde iure angelorum omnium hominumq; domina appellaris. Vnde nunc te nobiscum sub excellentioribus tertiæ Hierarchię spiritibus constitutis locus condignus expectat. Supra nos expectaris, Ideo o domina mundi Aue gratia plena.

Superest tertia hierarchia quæ statui contemplatiuorum respondet. Consistit autem contemplatiuorum status in conuersione ad Deum, & hoc in tribus scilicet in perfecta, quiete, & abstractione ab omnibus creaturis, ac pace, & securitate cordis, vt Deum mereatur perfectum sui inhabitatorem. Nam teste propheta. In pace factus est locus eius. Secundo in perfecta cognitione creatoris. Tertio

Hierarchia tertia respődet statui contemplatiuorũ.

tiò ardenti amore trinitatis: secundum tres virtutes theologicales: spem, fidē, & charitatem. Item hinc sumuntur tres supremę hierarchię, scilicet throni, cherubin, seraphin. Throni sunt: vt tradit beatus Dionysius cap. 7. cœlestis hierarchiæ, qui ab omni exteriori affectione remoti, per quietam, & internam pacem tranquilli: immobiles, exteriora soli Deo intendunt: aduentum eius absque vllis perturbationibus, & impedimentis suscipiunt: Deū que ferentes obsequii deuotione ad ipsius percipiendos fulgores semper patent. Vnde tanquam sedes Dei stabiles sunt. In quibus dominus iudicia sua discernit. Vnde & thronorum nomen participant. Hi ergo ascendentem ad se Virginem sic suscepisse putandi sunt. Aduenisti formosissima specie: ordinatissima intus, & foris priuilegiorum pulchritudine: summi patris templum thronus eburneus filij: sacrarium spiritussancti. Tu singularissimum totius trinitatis triclinium: sed verbi Dei vnitum domicilium. Tu omnia spreuisti: vt illi soli placeres. Tu te prima omnium voto castitatis illi obstulisti, non refugiens maledicta reputari inter homines, vt te illi castā Virginem conseruares. Vnde sola sine exemplo placuisti domino nostro Iesu Christo. In tua persona spiritus sanctus in canticis ait cap. 2. Dilectus meus mihi & ego illi. Quæ etsi de vniuersali ecclesia, vel etiam de quacunque contemplatiua anima exponi possint, & intelligi. Singulariter tamen & verissimè in tua persona (cuius pedibus subiacet ecclesia. secundum illud Apocal. 12. Luna sub pedibus eius: quæ verè est illa Maria, quæ optimam partem elegit) dicta accipiuntur. Tu enim soli dilecto tuo intendisti: quia nulli præterquam Deo, & cui propter Deum intendendum fuerat, intendisti. Tui ocij, ac studii fuit prouidere dominum, in conspectu tuo non horarie, sed semper a vitæ tuæ principio vsque ad finem sollicitè ambulare cum domino Deo tuo, & nostro & præparare

Heb.

Cant.

Apo. 12.

sibi habitaculum dignum in corpore tuo pariter, & mente; propterea & dilectus tuus tibi te præ omnibus eligendo: super omnes sanctificando: & in omnibus regendo: vterum tuum castissimum præparando: in te habitando: & ex te naturam humanam assumendo: thronum sui iudicii in te ponendo, quo in misericordia, & miserationibus mundum saluauit. Nam quicquid manus omnipotentis creauit: per te, & in te recreauit. Tu in omnibus requiem quæsisti, & pacem. Nam in omnibus eum, qui vera pax est, & sanctorum requies agnouisti. Ideo sedes eius in te facta est: nedum inhabitandus per gratiam, quod nobiscum communiter (licet longè excellentius) sortita es: sed per corporalem vnionem, qua de tuo impolluto corpore carnem assumpsit: qua omnia restaurauit: quod tibi soli donatum est, quo nos, cunctosque Angelos nosceris superare. Vnde & supra nos tibi tribunal regium constitutum est tuis sanctissimis priuilegiis condignum. Vnde specie tua singularium priuilegiorum, & pulchritudine donorum intende prospere, procede, & regna gratia plena. Hinc his cæterisque comitata Angelis, ad secundum supremę hierarchię chorum Cherubin ascendens: qui a scientię plenitudine sic dictus est. Huius enim ordinis Angeli secundum Diony. vt supra eximia Dei scientia, atque speculatione summæque & exuberantis lucis contemplatione dotati, quam indultam sibi sapientiam, in sequentia, ac inferiorum Angelorum agmina (liuore carentes) transfundunt. Hic ab eius laudibus suscepta est. Aduenisti speciosa, & pulcherrima lucidissima veri solis aurora, stella matutina omnium astrorum clarissima, illuminans cunctos, ab ipso lucis fonte illuminata. Ecce tua pręsentia totus illuminatur orbis: adeo vt ipsa tam cœlestis patria clarius rutilet: virgineæ tuæ lampadis irradiata fulgore. Tu sola cunctas hæreses interemesti. Tu mysterium a seculo abscōditum, quod paranymphus Gabriel a

Diony.

Deo

Deo missus aperire non potuit: a spiritusancto superueniente obumbrata immediate didicisti: qui diuini in te arcani creator fuit, simul & doctor. Tu sola fidem cæteris abeuntibus sub cruce integerrimam conseruasti. Tu in schola spiritussancti, Christi discipulos, quod certiora noueras experientia docuisti. Quid ignotum autem tibi esse potuit, aut te latere: in qua sapientia patris, & deitatis plenitudo corporaliter inhabitauit? Tu omnia illius verba audisti: scripturas, & prophetas legisti. Omnia de Christo scripta, dicta, gesta figurata, significata intellexisti. Eaque conferens in corde, memoriter conseruasti. Tuæ lucis perspicacitati nemo patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, euangelistarum, doctorum, sed nec Angelorum comparari potest. Quæ profundissimam diuinæ sapientiæ vitra quam credi valeat, pænetrasti abyssum: vt quantum sine personali vnione (creaturæ conditio patitur) luci illi inaccessibili videaris immersa, vnde maior nostra te decet laus, & gloria, qua aue gratia plena. Hinc ad supremum Angelorum ordinem seraphicum perueniens, qui a suprema, perfectissimaque virtute diuina scilicet charitate, qua plus omnibus inferioribus ardet: reliquosque incendit: & ad similem feruoris gratiam suscitat, seraphin, idest incendentis, atque ardentis nomen accepit: hic immediatè post Deum auctorem suum locata: puritate quadam singulari, non quasi a maculis purgata, sed vt omni impuritate, atq; admixtione celsior Deo proximatur? Ab hoc itaque ordine festiuioribus laudibus, cum admiratione suscipitur dicentibus. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Canticorum 3. cap. Quæ est ista, quæ
Cant. 3. progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna: electa vt sol: terribi-
Cant. 6. bilis vt castrorum acies ordinata? Canticorum. 6. Et iterum. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluēs innixa super dilectum suum? Canticorum 8. capitulo. Vnde ei ascendenti vtique de deserto, affluentia tanta delitiarum. Cant. 8. Nec enim pares inueniuntur delitiæ, vel in nobis quos in ciuitate domini lætificat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur. Quæ est ista, quæ ascendit de sub sole (vbi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus) delitiis spiritualibus affluens? Quidni delitias dixerimus virginitatis decus cum munere fęcunditatis, humilitatis insigne distillantem charitatis fauum misericordiæ viscera: plenitudinem gratiæ: prærogatiuam gloriæ singularis? Inter quæ alia quoque quam plurima emmet charitatis magnitudo. Eia quis tuæ charitatis flammam non miretur? Introduxit te rex in cellam vinariam: ordinauit in te charitatem: vt affectus syncerus ad Deum non minueret pietatis affectum ad proximum. Tu enim (sermo 4. de Assumptione ait Bernard.) omnibus Bern. omnia facta es: sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem te fecisti: omnibus misericordiæ sinum extendisti: vt de plenitudine tuę charitatis accipiant vniuersi: captiuus redemptionem: æger curationem: tristis consolationem: peccator veniā: iustus gratiam: Angelus lætitiam: denique tota trinitas gloriam: filii persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat a calore charitatis tuæ. Verè fortis: vt mors est charitas tua: & dura sicut infernus ęmulatio: lampades eius vt lampades ignis atque flammarum: aquæ multę non poterunt extinguere charitatem tuam: nec flumina obruent illam. Nec mirum: nam tu es mulier amicta sole: & luna sub pedibus tuis. Et quidem huius solis igne prophetæ labia purgantur. Illo igne nos seraphin accendimur longè verò aliter tu meruisti, non velut summatim tangi, sed operiri magis, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane & calidissimus, amictus tuus.

O mulier nedum in mulieribus, sed & super Angelos benedicta: cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur: vt nihil in te, non animus tenebrosum, sed nec obscurum saltem, vel minus lucidum: sed ne tepidum aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari: verba sunt Bern. ser. Signum magnum. Nā & defectus omnis sub te: quia quicquid fragilitatis, & quicquid corruptionis, excellentissima quadam sublimitate prę omnibus excedis: & supergrederis creaturas: vt merito sub pedibus tuis deficiens luna esse dicatur. Vnde & o domina & si speciosa nobis facta es, & suauis in delitiis tuis: omnium pulcherrima sancta Dei genitrix non tamen est tibi pars nobiscum in remunératione cundigna. Nos quidem omnes administratorij sumus spiritus. Species tua, & pulchritudo tua digna est imperio: igitur super omnes Angelorum choros exaltata: tu mundi domina intende prospere procede, & regna: tu enim A væ, tu verè gratia plena.


Maria quomodo est susceptaab omnib' hierarchiis. Ecce prosecuti sumus ascendentem cœli reginam cogitatione, & desyderio super choros Angelorum. Et quis trascendentem sequi valeat, quis gloriam, & honorem cogitare poterit ad quam eam vnigenitus patris rex cœlorum, & filius huius Virginis matris suscepit: & secundum merita, immo supra merita præmiauit? Ponendus esset ori digitus, ne velut temerarius maiestatis scrutator opprimeretur a gloria: nisi indecens existi marem, truncatum relinquere sermonem. Igitur de maxima re, & indicibili (saltem minima quædam, ad laudem Virginis, & excitationem deuotionis balbutiendo loquar.

Transcendente igitur Maria, omnes beatorum spirituum choros occurrisse: regem cœlorum Christum toto Angelorum, & sanctorum comitatum exercitu: eamque ad summa fęlicitatis gaudia exaltasse credimus: & similibus verbis suscepisse. Can. 2. Veni nunc electa genitrix mea, columba mea vnica sponsa mea, surge, sursum Cant. exaltare propera amica mea: formosa mea iam enim hyems transiit: imber abiit: & recessit, flores apparuerunt: tēpus putationis aduenit. Cant. 4. Tota enim pulchra es amica mea: & macula non est in te, veni de libano sponsa mea: veni de libano candidissimæ conuersationis tuę: veni coronaberis. Tu me vestisti substanria carnis tuæ: Ecce vestio te gloria maiestatis meæ: vestisti solem nube: nunc sole ipsa vestieris. Coronasti me diademate humanitatis: corono te corona fruendæ deitatis. Insuper adijcio coronam stellarum 12. duodecim singularium, ac sublimium præmiorum in te perpetuo fulgentium, totidem priuilegiorum dans tibi in mortali vita concessis correspondentium. Materno fouisti me in sinu: colloco te in regni solio, fruere requie opulenta. Hic siste, & regna, tu verè gratia plena. Nihil inter te, & me sit medium. Sub vmbra eius, quem desyderasti quiesce, ab eius fęlicibus amplexibus nunquā abrumpenda. Tu in me manebis, & ego in te, quia super omnia dilexisti me, & ego ex omnibus & præ omnibus elegi te. Et quoniam te super omnes creaturas donis gratiæ sublimaui in terra, super omnes exaltaris in cęlesti patria. Sume igitur thronum regni a vero Salomone me filio tuo: tibi ad dextram meam ab æterno præparatum. Partior tecum regnum patris mei. Huius regni via misericordia, & veritas sine iustitia, mihi veritas, tibi misericordia: vt ego regnem per iustitiā, tu imperes per misericordiam. Et sicut ego constitutus sum iudex viuorum, & mortuorum, Tu sis mater misericordiæ, miseris subueniendo, & omnibus ad te clamantibus misericordiā gratiam, & gloriam impetrando. Tu itaque sub trinitatis imperio proximam, & primam hierarchiam sola tenes super Angelos, & omnes creaturas. Specie tua, & pulchritudine tua immobilis sedens, regna gratia plena, & imperium cęli, & terræ, mecum tene per secula. Ecce inquit Ber. ser. 4. de assum. Bern. iam

Iam quibus potuimus votis te ascendentem ad filium deduximus:& prosecuti sumus saltem a longè(virgo benedicta)Sic pietatis tuæ, ipsam quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitatibus adiutorium, & liberationem, tuis precibus sanctis obtinendo. In hac quoq; die solemnitatis, & lætitiæ, dulcissimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus seruulis: per te regina clemens gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus filius tuus dominus noster. Qui te hodie suscepit Angelico cum eulogio dicens: Aue gratia plena.

## *IN NATIVITATE beatæ Mariæ Virginis Sermo I. in ordine. XXI.*

Prou. 9. Natiuitas Mariæ initium omnis gratiæ.



SAPIENTIA ædificauit sibi domū Prouerb. 9.

Celebrauimus proximo gloriosissimū excelsę genitricis Dei intemeratæ Virginis Marię natalē: quo de tenebrosis huius seculi voluminibus, lumē illud inaccessibile diuinumq; quantū creaturæ fas est, natiuitate beatifica est ingressa, quo mortis regionem excessit, vitæ viridariū intrauit: vbi modo geniti primā vocē non lamentationes edunt, sed alleluia lætitię, cum sanctis Angelis per omnes vicos canunt Tob. 13. Hæc est vera, & desyderabilis, & beata natiuitas qua prodeunt electi in regionem vitę, non iterū morituri, sed sine fine victuri, viuentesq; perpetuò gauisuri. Hac ergo Virginis iucundissima natiuitate vtcunq; celebrata, pauco dierū interuallo, eiusdē perpetuæ tēporalem natiuitatē: qua

Bern. hodierna die virgo clarissima longè ante (vt Ber. ait. ser. qui incipit Signū magnum) pātribus cœlitus repromissa, mysticis miraculis præfigurata, oraculis propheticis prænunciata, de semine fidelis Abraæ regali progenię, generosa Dauid stirpe exorta, caligāti mundo diuinitus nobis citur concessa, mentibus deuotissimis celebramus: quam vt corporaliter inhabitaret, diuina creatrix sapientia fabricauit. Per quam ecclesiæ suæ domum fundauit, & totius spiritualis ædificii primordia consecrauit. Nascente enim Virgine: prima persona nouo testamento promissa mundo apparuit, quæ mediatorem Christum, ecclesiæ caput, sponsum & immobile fundamentum edidit, qui totam fideliū creaturam se ipso & suorum Apostolorum, prophetarū, & prædicatorum ministerio, in vnitatem suæ fidei congregādo, ecclesiam, ac domum sibi fidelē construxit.

Natalis denique ortus huius sanctissimæ Virginis, initium fuit aurorę gratiæ, & omnis spiritualis virtutis: per ipsam in christianum populum transfundendæ. Nam in hac benedicta virgine incepit perfecta vitiorum mortificatio, ad regnum cœlorum aspiratio, singularis gloria virginitatis, virtus continentiæ, & castitatis, agnitio Christianæ veritatis, filialis timoris, ac fulgidissimæ dilectionis, in quibus tota fundatur Christiana religio. Ideo a spiritusancto, Ecclesiastici vigesimo quartò, mater pulchrę dilectionis, timoris & agnitionis, & sanctæ spei, non incongruè nominatur. Cuius ortus fabricam spirituisancto expressit: cum ait. Sapientia ædificauit sibi domum. Aue.

Sapientia æterna virgini nem elegit ī qua habitares.

Sapientia ædificauit sibi domum. Consubstantialis patri sapientia in altissimis cum eodem æternaliter habitans: domum olim sibi ædificatam, quia lapsam: quia malitiæ veneno infectam, & ideo ab eo derelictam (eo quod non intrat animam maliuolam: nec habitat in corpore subdito peccatis, sed in animas sanctas se transfert Sapient. septimo.) Hanc itaque euersam domum reformare volens, ad adiutorium aliquod simile sibi: Sap.

pu-

purum, scilicet lucidum, mundum, ornatum. De quo naturam immaculatam omnium maculas abstersuram sumeret quæsitura, girum cęli circumiuit, abyssum penetrauit, terras peragrauit, omnem gentem, & populum consyderauit. Audita quoq; patris voce, in Iacob inhabita, & in Israel habitare, & in electis meis mitte radices in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum ibi detentio mea, ex hac ipsa sanctorum linea Virginem elegit, & prælegit, quam ad reparationem totius perditi generis, sibi domum acceptissimam, omnium gratiarum, & virtutum gloria ornatam, in qua decenter habitare, & carnem sine macula sumeret, hodierna natiuitate ædificauit Hæc est terra illa noua non iam maledicta, sed econuerso benedicta, quæ fructum protulit, qui omnium maledictionem benedictione commutauit. Benedixisti domine terram tuam (ait propheta. Et pater de filia) auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem p. t. o. omnia peccata eorum. Mitigasti o. i. t. ab ira indignationis tuæ. Sequitur. Etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructũ suum. Quem fructum? Fructum perditæ salutis, quia eodem propheta teste. Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ, hoc est secundum Bern. ser. de Pente. in vtero Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur.

Psal.

Bern.

Terræ medium quod iuste nominetur.

Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei sicut ad rerum causam, sicut ad negocium seculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequuntur, & natorum, & qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in cœlo, vt resarriantur, & qui in inferno, vt eripiantur, qui præcesserunt, vt prophetæ fideles inueniantur, qui sequuntur, vt glorificentur. Eo beatam te dicent omnes generationes, genitrix Dei, domina mundi, regina cęli. Omnes inquam, generationes. Sunt. n. generationes cœli, & terræ. Pater spirituum (ait apostolus) ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & de te, & per te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, & recreauit. Hæc Bern.

Hanc itaq; benignissimam, non modo produxit, creauit, aut formauit, sed ædificauit, quod artis est, quia tanquã antifex prudentissimus eam ad finem nostræ redemptionis, sine defectu quolibet cum omni congruentia industrio sissimè adaptauit. Siquidem ædificauit eam in natura puriore, in forma pulchriore, & gratuitâ perfectione plenio re. Duobus vltimis nunc omissis, ædificauit eam in natura puriore.

Deus Mariam non modo produxit sed ædificauit artificio se.

Natura hominis, quæ in prima sua conditione pura fuit, & innocens, per originalem culpam multas impuritates contraxit, & defectus omnes communi lege propagatos concomitantes. Hinc enim fomes rebellionis, hinc obtusitas cognitionis, hinc malitia complexionis, quam fouet prauitas nutrimentalis, peruersitas consuetudinalis, de quo Aug. 22. de ciuitate Dei. Quis ignorat inquit, cum quanta ignorantia veritatis, quæ in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita vt si dimittatur viuere, vt velit, & facere quicquid velit, in cuncta, vel plurima flagitia perueniat? Et licet peccatum orginale homini dimittatur in baptismo, manet tamen etiam post baptismum fomes peccati, qui licet in quibusdam per gratiam remittatur, in multis tamen per malam consuetudinem, prauam educationem, malam cõplexionem &c. intenditur, secundum q diuersi diuersimode de fomitis quiditate loquuntur. Verum quicquid sit,

Aug.

experientia scimus, quia est. Male si quidem experimur in nobis pronitatem ad malum, tarditatem ad bonum. Hic fomes à sanctis multis solet nominari nominibus pro varietate pessimorum effectuum quos causat. Dicitur enim fomes peccati, quia omnia peccata nutrit. Concupiscentia, quia effrenatè fertur in obiectum. Concupiscibilitas ab aptitudine tendendi effreni in obiectum. Lex carnis, quia subiectatur in carne, vel sensu carnis. Lex membrorum, quia his vtitur contra spiritum, Languor naturæ, quia à bono deficere facit. Tyrannus, quia rationi rebellat. Hæc latius solent discuti. 2. sent. dist. 30. à doc & magistris. Hæc omnia (experientia teste) in nobis sentimus. Siquidem ex fomite qui secundum communem opinionem doc. & veritatem est pronitas quædam ad malum, & difficultas ad bonũ, surgit hoc bellum hominis intestinum, quo sensitiuus appetitus aduersatur rationi rectæ, contra eius dictamen effrenatè delectabilia obiecta quærens, inuenta tenens, tristia plus debito fugiés. De qua pugna, & rebellione ad Roma. 7. apostolus ait. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati &c. Et quia hæc omnia mala ex peccato originali tanquam ex radice pessima oriuntur, eo q in omnes concupiscentialiter natos traducitur, ideo vitiatæ natiuitatis diem tot miseriis plenum Iob lamentatur sub maledictionis forma, cũ dicit. Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictũ est, conceptus est homo, dies illa vertatur in tenebras, non sit in recordatione, non computetur in diebus anni, sit solitaria, non sit laude digna &c. Iob. 3. Quorum verborum intellectum, vide in postilla, In quorum persona Iob hoc dixit? In persona .s. eorum, qui negabant futuram bonorum remunerationem, & malorũ correctionem. Hoc enim errore admisso sequeretur, quod Iob ad literam in persona eorundem intulit, non ex impatientia vt quidam

Fomes quibus nominibus dicitur.

Rom. 7.

Iob. 3.

estimant, vide ibi. Lamentabiliter deplanxit, & hunc diem Hieremias sanctus propheta domini. c. 20. Maledicta inquit, dies in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea non sit benedicta. Quare de ventre egressus sum, vt viderem laborem & dolorem.

Hier. 20.

Gloriosissimę autem Virginis Mariæ hodierna natiuitas ab his infectionibus primitiuis communiter nascentium fuit penitus aliena. Non enim hanc nascentem Virginem maculat originali peccati infectio, non fomitis mala inclinatio, non culpabile ignorantię excęcatio, non parentum mala complexio, aut mala nutricum educatio, non peruersa, aut vana conuersatio. Nam teste Bern. sermone qui incipit. Signum magnum. Defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ ceteris omnibus excedit, ac supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius luna esse dicatur. Apoc. 12. Et sequitur. Eius omnia tã excellenter irradiari noscũtur vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed nec obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, & non feruentissimum liceat suspicari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus eius, vt penitus absit hæc ab insipientiũ mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Hæc Bern.

Fomes peccati qũo Mariã ligãs

Bern.

Apo. 12.

Siquidem secundum doctorum sanctorum attestationem, ita fomes ille totius mali seminarium in Virgine penitus extinctus, seu ligatus creditur, q non poterat eam inclinare contra rectum rationis iudicium in quemcunq; peccati actum, vel leuem motum inordinatum, in somno, vel vigiliis, immo nec quomodolibet retardare à bono, ita vt in ea nulla fuerit penitus rebellio culpabilis virium sensitiuarum, sed tanta pax, & tranquillitas, vt ratio in ea præueniret omnem motum inordinatum partis sensitiuæ, quemadmodum in statu innocẽtiæ ratio perfectum dominium habuit in vires inferiores agẽte

Fomes in virgine penitus extinctus.

te hoc in ea non iustitia originali, sed plenitudine diuinæ gratiæ, quam recepit, & prius quam nasceretur, in vtero sanctificata fuit, vt ostendit Bern. ad canon. lugdu. ita scribens. Fuit procul dubio mater domini ante sancta, quam nata. Nec fallitur iudicio sancta ecclesia diem natiuitatis eius sanctum reputans. Neq; enim festiuis laudibus honoraretur si non sancta nasceretur, quæ longè ante natiuitatem fuit copiosa benedictione præuenta, Si enim decuit Hieremiam sanctificari, qui erat Christum apertius prophetaturus, & Ioannem Baptistam, qui erat eum digito indicaturus, quanto magis hanc Virginē sanctificari decuit, in qua ipse Christus erat personaliter habitaturus? Quod ergo paucis mortalibus constat esse collatum, phas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Et subdit Bern. Ego puto ꝙ copiosior sanctificationis benedictio in ipsam plus, quam in alios descenderit, quæ non solum ipsius ortum sanctificauit verum etiam vitam ipsius ab omni peccato immunem custodiuit, quod alteri nemini mortalium in natis mulierum creditur esse datum.

Bern.

Bern.

Et digne in hac puritate naturæ producta fuit, quoniam ipsa erat domus illa (iuxta thematis verba) quam sapientia sibi singulariter ædificauit, vt non tantum in ea habitaret, sed ex ea carnis substantiam (vt dictum est) susciperet. Vnde si vniuersa huius sapientiæ, quæ à fine ad finem attingit fortiter, & disponit omnia suauiter, perfecta sunt opera Sap. 8. Quanto magis opus illud singulare, & perfectissimum, ab omni naturæ impuritate, & defectu fuit alienum, de qua naturam immaculatam sumere debuit is, qui solus per naturam sine culpa fuit, vt vult Ansel. in de Concep. Virgi. Vnde sapientia ipsa diuina, quæ ab æterno Virginem Mariam præuidit & sibi, matrem elegit (haud dubium naturam iuuando) ipsam in matris vtero à generalibus nascentium defectibus præseruauit.

Mariam ædificari in natura puriore congrū fuit

Sap. 8.

Ansel.

In cuius signum à sterili eam matre secundum naturam nasci voluit, & omnium gratiarum priuilegijs præuenire vt sic quam naturalis, communisq; naturæ cursus parentum sterilium non inchoauit, sed magis specialis Dei operatio parentes eius ad sui generationē aptauit, diceretur potius proles specialis diuinæ gratiæ, quam filia generalis cursus naturæ. Ad idem quoq; persuadet Beatus Thom. parte 3. quæst. 27. ita dicens. Illos quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat ac disponit, vt ad id idonei inueniantur, secundum illud 1. Corint. 3. Idoneos nos fecit ministros no. test. Beata virgo fuit electa diuinitus, vt esset mater domini (ideo haud dubium) ad hoc idonea reddita est à Christo per gratiam. Hinc angelus ad eam. Inuenisti inquit, gratiam apud dominum, gratiam inquam, idoneè eam præparantem. Non autem fuisset idonea mater Dei si aliquando peccasset. Tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prouerb. 17. Gloria filiorum patres eorum. Vnde & per oppositum ignominia matris in filium redundasset. Tum quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Ait autem apostolus 2. Cori. 6. Quæ conuentio Christi ad belial? peccatum vero opus est belial. Tum quia sapientia patris in ipsa habitauit non solum in animo, sed etiam in vtero, sed sapiētia vt supraallegatum est, In maliuolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Hæc Thom. Quibus concordat Aug. in de natura, & gratia, Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorē domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus ꝙ ei plus gratię est collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, ꝙ concipere, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Anse. quoq; in de Concep. Virgi. Decuit inquit, vt illa virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, sed sub quo intelligitur status

Thom.

1. Cor. 3.

Prou. 17

2. Cor. 6.

Aug.

Anse.

innocentiæ ab omni peccato immunis qui fuit in angelis bonis, primis parentibus ante lapsum, ergo talis fuit status Virginis. Ideoq; de ea canit ecclesia illud Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et hoc quidem congruebat propter honorem filij.

Cant. 4.

Mariam ædificari in natura puriori necessariũ fuit.

Necessarium autem fuit propter nostri vtilitatem, vt & nos in domo illa sub eius vmbra quiesceremus, & virtus eius nostra vitia & culpas nostras eius gratia operiret. Hinc in vespertino officio cecinit in eius laudem ecclesia. Ad nutum domini nostrorum dictantis honorem. Sicut spina rosam genuit, iudęa Mariam. Vt virtus vitium operiret gratia culpam. Hæc est illa rosa omnium virtutum odore suauissima, charitatis ardore rubea, criminis aculei nescia, quamuis genita de spina, de perditionis massa, de tortuosa iudeorum linea, genita autem sic, ad domini nutũ nostrum dictantis honorem, & vtilitatem vt nostras culpas, & vitia, eius virtus, & gratia compensaret. Deniq; trepidationem nostram veniendi ad Deũ solaretur tanta habitationis suæ, in qua inueniri vult à nobis virtus, puritas, ac supereffluens copia gratiarum excitaret fidem, roboraret spem, diffidentiam abigeret, erigeret pusillanimitatem. Vnde verè huius natiuitatis festiua dies prioris diei maledictionem benedictione commutauit, vt omnes in laudem virginæi ortus dicamus; Non pereat sed clareat dies gloriosa, noui luminis scintillans radio, in qua nata est Maria virgo. Letetur dies illa, longè fit omnis tristitia, quæ perdita mundi reduxit ad gaudia. Non sit dies hæc solitaria sed miserorum vocibus resonet letabũda. Exurget letè hui⁹ aurora diei iucundo concentu animi, sit in memoria celebri, nominetur prima in diebus anni. Anni, inquam benignitatis temporis gratiæ noui testamenti. Cessent suspiria à paradiso expulsorum, quia noua domus hodie fabricata, est plena omnium gratiarum, in qua habitare licet cum Dei sapientia, quos à voluptatis horto exulare, compulit stultitia serpentina. Ecce nouus voluptatis paradisus hortus plane dilitiarum, quem vt Bernar. ait, non solum afflauit veniens, sed & perflauit superueniens auster ille diuinus, vt vndiq; fluant, & effluant aromata gratiarum. Inquam vniuersum pręcium contulit genus hominum redempturus.

Bern.

Nunc ergo charissimi in hac domo sapientiæ, horto virtutis, & gratiæ omnes habitemus mentis desiderio, eius moribus conformetur omnis nostra cõuersatio. Curramus ad eam, licet enim ipsa nos vocante. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini, generationibus scilicet virtutum, donorum, meritorum, quia fructus mei, fructus honoris, & honestatis. Accedentes quoque, totis eam pręcordiorum affectibus, & votis omnibus veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos voluit habere per illam, dominus noster Iesus Christus cum patre, & spiritu sancto in secula benedictus. Amen.

## *IN FESTO NATIVITATIS Mariæ Sermo II. in ordine. XXII.*

AB æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Prouerb. 8. & in epistola.

Prou. 8.

Duplicem gloriosissimæ Virginis natiuitatem celebrat ecclesia. Vtraque ab æterno ordinata, non tamen vtraq; manens in æternum: Vnam quam paucis transactis diebus festiuis gaudijs egimus, qua nata est ad vitam beatam, dum exuens veterem hominem, nouum inquit, qui secundum Deum creatus est. Veterem, non vetustate peccati, sed corruptibilitate. Nouum incorruptibilem, & immortalem, qui secundum Deum similitudine gloriæ est creatus, & hæc in æternũ

Natiuitas duplex Mariæ celebratur ab ecclesia.

per

permanet. Alteram natiuitatem, quam hodie solemnizamus, qua in terris ex patre Ioachim & matre Anna corporaliter fusa est in hunc mundum, quæ transijt. Prima sicut cœlis, ita secunda gaudium attulit mundo. De prima cęlestes ciues præ gaudio admirantes, acclamabant ascendenti. Quæ est ista, quæ ascendit &c. De secunda canit militans ecclesia. Natiuitas tua Dei genitrix virgo &c. gaudium annunciauit vniuerso mundo. Et merito, quoniam hinc est exordium nostræ salutis. Hac enim natiuitate inuenta est illa fortis mulier, quam admirans Salomon, ait. Mulierem fortem quis inueniet? procul de vltimis finibus precium eius. Prouerb. vlti. Per hanc natiuitatem data est nobis fortis, & sapiens illa mulier, quæ infirmitatem, & fatuitatem primę mulieris, se & posteritatem suam perdentis repararet, ac prudentia oris, & pede virtutis serpentis caput contereret, qui primam mulierem decepit, & vicit. Vnde per eam illum fortiorem victorem recepimus, qui fortem armatum vinceret, & vniuersa eius arma auferret, & spolia distribueret. Vnde & subdit ecclesia. Ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Quod sicut ab initio fuit promissum Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum, ita ab æterno fuit ordinatum. Spiritu sancto per os sapientis id testificante cum dixerat Ab æterno ordinata sũ, & ex antiquis antequam terra fieret. Pro gratia Aue.

Prouer. vltimo.

Gen. 3.

Natiuitas Mariæ quõ ab æterno ordinata.

In præsentiarum sunt duo dicenda. Primo quomodo ab æterno ordinata est. Cum enim est hodie nata, & ita in tempore producta, non videtur fuisse ab æterno, sed neq; ante terram facta. Secundo ad quid fuit ordinata. Quo ad primum, licet verba illa thematis cum præcedentibus, & sequentibus ad litteram dicta sunt de coæterna, & genita patris sapientia, filio scilicet consubstantiali, per quem fecit & secula ad Hebr. 1. Hæc enim sapientia non prius est ordinata, quam fuerit, quia semper fuit, & semper ordinata fuit, semper cum patre fuit cuncta componens. Hæc tamen ab ecclesia per tropum attribuuntur, & allegoricè dicuntur de virgine matre sapientiæ eternę. Quoniam quæ filij sunt, a matre aliena non sunt. Christus autem, qui sapientia est patris, verus filius est Mariæ matris. Tum etiam quia ipsa est perfectissimus huius sapientiæ effectus, in qua sapientia ipsa habitauit corporaliter. Ipsa enim est domus illa, de qua dicitur Prouerb. 9. ca. Sapientia ædificauit sibi domum, excedit columnas septem &c. quæ omni sapientia, & gratia plena fuit. Hæc ergo beatissima virgo licet non fuerit ab æterno quantum ad esse actuale, fuit tamen ab æterno quantum ad esse ideale, & hoc in mente diuina, secundum illud Ioan. 1. Quod factum est in ipso vita erat. Illud esse non est nisi esset cognitum, quod sufficit ad ordinationem rei sicut patet in artefice, qui primo ordinat media in finem, quam producat. Nam immutabilis voluntas Dei sicut ab æterno omnia prænouit, ita ab æterno omnia voluit, & volendo omnia ordinauit, Voluit quidem ab æterno creaturas esse, quas produxit pro certo tempore.

Heb. 1.

Prou. 9.

Ioan. 1.

Sed di. Sicut voluit, ita & volendo ordinauit omnia vt essent in suo tempore. Non ergo prius beatam Virginé, quam cętera ordinauit, & ideo in eius laudem specialem dici nõ potest, ꝙ ab æterno ordinata sit, cum hoc omnibus conueniat. Respondetur ꝙ prius, & ante, quandoq; dicunt prioritatem, & ordinem durationis, seu temporis, quãdoq; prioritatem perfectionis. Primo modo verum est ꝙ omnia æquæ ordinata sunt, sed non secundo modo. Sic enim coeua nõ sunt æquæ prima, quia nõ æquę perfecta, sed quod perfectius est dicitur prius, licet tempore posterius. Sic dixit Baptista. Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Ioan. 1. Sic beata virgo prior omnibus creaturis post Christi humanitatem

Maria quomodo ante terram facta.

Ioan. 1

tatem facta est, quia omnibus dignior, quia ab æterno in matrem vnigeniti Dei electa, qua dignius in creaturis nõ assumptis nihil esse potest, vt dicit Albertus. Hinc Eccl. 24. In omni populo & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium, colla virtute calcaui. Et secundum hanc prioritatem ab æterno ordinata, est antequam terra, & quelibet creatura fieret, quia super omnes ad supremũ creaturæ statum Dei scilicet filij maternitatem ab æterno est electa.

Albertus
Eccl. 24.

Maria omnibus prę locata digni tate non duratione est id atteſtãtur figuræ.
Eccl. 1.
Rufus

Hanc autem ordinationem de ea factam attestantur figuræ, & prophetarum scripturæ. Designat hanc terra immobilis in sua productione. De qua Salomon Eccle. 1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in ęternum stat, vt exponit Rufus in homil. super Stabat. Hanc fons paradisi in quatuor partes diuisus, circumiens, & irrigans vniuersam terram, repræsentat, quia etiam de plenitudine gratiæ eius omnes accipimus gratiam pro gratia, licet aliter quam à filio. Ille fons, hæc fluuius, & aquæductus. Hinc dicitur Eccle. 24. Ego quasi fluuius dorix, & sicut aqueductus exiui de paradiso. Dorix medicamentum generationis interpretatur. Hanc sol, luna, stellæ, & inter has altissima maris stella figurãt. Vnde in mystica visione Ioan. Apoca. 12. Apparuit signum magnum in cęlo mulier amicta sole, & luna &c. Quod si singula percurrere voluero, non est creatura, quæ non aliqua ex parte perfectionem Virginis significet. Hinc in Ecclesiastico. 24. ca. comparatur cedro propter hæreticorum reprobationem. Siquidem cedrus venenum pellit. Et de ea canit ecclesia. Gaude Maria virgo, cũctas hæreses sola interemisti &c. Cõparatur cypresso, quæ venustatem come suo nullo deponit impulsu, propter constantiam meritoriarum actionum. Comparatur palmæ, quæ incuruari nescit, & fructum dulcissimum gignit, ac victorię signum existit propter vniuersalem victoriam omnium vitiorum, fructum ventris dulcissimum, & inflexibilem virtutum eius rigorem. Comparatur oliuæ, quæ est signum pacis. Gen. 8. & ipsa Salomonem pacificũ Christum, pacis restitutorem protulit huic mundo. Quod si singulas arboris preciosarum herbarum, aromatum, volatilium, quadrupedum species transcurrere voluerimus, longissimum sermonem texeremus. Seruiunt huic extensioni Ecclesiasticus, & Cãtica, immo penè omnis scriptura. Quid enim arca Noe, quæ saluãdos continet? quid virga Aaron quæ electionem, & fructificationem significat? Quid arca fęderis, quæ auream vrnam manna plenã, & Moysi tabulas continuit? Quid vellus Gedeonis, Moysi rubus, mons Daniel, porta Ezechielis, fons in canticis signatus, & cetera innumera significãt? nisi Virginem hodie nobis natam, per quam saluamur, quæ sine semine floruit, amygdalum diuinæ dulcedinis supra naturam germinauit, & noui pontificij sacerdotem nobis protulit. Ipsa arca deifera continens auream vrnam cœlestis panis; quo manna omnes reficiuntur angeli, & fideles. Ipsa tabula, in qua lex, & vniuersæ virtutes sunt descriptæ. Ipsa vellus victoriæ rore gratiæ plena. Ipsa rubus charitatis flãma ardens, nec corpore, nec mente corrupta. Mons, de quo præcisus sine manibus lapis, qui pedes statuæ Nabuchodonosor percussit, & omnia regna comminuit. Ipsa porta omnibus propter inuiolabilem Virginitatis integritatem clausa, soli principium principi peruia, sed non aperta, & propter idem fons signatus, fluens tamen in sui dilectores riuulos copiosissimos gratiarum.

Ecclc. 24
Apoc. 12
Gen. 8.

Omnia hæc attestantur prophetarũ scripturæ. Nam dominus prophetarũ de hac Virginitate prophetauit dicens serpenti. Inimicitias ponam &c. vt supr. Genes. 3. Esa. quoq; 11. Egredietur virga &c. & 7. Ecce virgo concipiet &c. Hiere. Nouum, inquit, faciet dominus super terrã &c. Eiusdem. 31. Ezechiel sub nomine clause portæ de ea prophetauit Eiusdem 44. Daniel sub figura montis vt sup. eiusdem. 2. Sed & eximius

Mariam ab æterno teſtãtur prophetæ.

eximius prophetarum Dauid psal. 44.
Psal. 44. Astitit regina à dexteris tuis in vestitu deau. circun. varie. scilicet omnium virtutum. Ex quibus omnibus patet satis ab æterno ordinatam, quam à principio creaturæ, figuræ, & scripturæ protestatæ sunt.

Maria quomodo cum Deo cuncta composuit.

Nec tantum ab æterno ordinata, sed etiam cum æterno cuncta composuit, vt consequenter ait. .s. in epistola. Quando præparabat cœlos, aderam quando certa lege, & giro vallabat abyssos quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: Quando componebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Non ita quod ipsa fuerit concreatrix, cum fuerint disposita à creaturæ principio, non enim tunc erat in rerum natura. Sed eo modo cunctis his aderat, & cum eo creatore cuncta componebat. Cum enim sapientia patris decreuerat per eam reparare, quod per mulierem primam perdiderat, perdita autem erat salus æterna homini, propter quam homo creatus erat, Omnia autem supradicta propter hominẽ creata sunt, & sic homine pereunte, omnia perierunt, homine reparato, omnia creduntur reparata. Quæ quia ad finem creationis comparata est, rectè creatori astitisse dicitur, quia ad finem creationis hominis. s. ad reparationem est cooperata. Est ergo ab initio cooperata, quia contemplatione eius facta est creatura. Est & ab æterno præuisa, & per hoc ab æterno ordinata.

Maria ad quid, ordinata ab æterno.

Quo ad secundam partem principalem videndum ad quid est ordinata. Dicitur ergo quod est ordinata, vt esset mater Dei electa, eorum potens aduocata, virtutum, & honestatis forma. Poterat quidem vndecunq; sibi (dominus hominem assumpturus) corpus humanum formare, qui corpus Adæ de gleba terræ, corpus Euæ de costa Adæ formauerat. Sed si miraculosè fierent omnia, non solidaretur fides, sine qua non proficerent omnia. ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo, nec humanum cor caperet, si non aliqua ex parte naturæ cursu iuuaretur. Nec hæreses repellere sufficeret, nisi partim rationabili argumentatione (quæ naturali experientiæ innititur) temeritas, ac pertinacia hæreticorum vinceretur. Egit ergo prudentissimè in suis operibus sapientia æterna, vt in aliquo natura cooperaretur miraculis, vt per cooperationem naturæ infirmitas nostri intellectus iuuaretur, & per miracula diuina potentia exaltaretur. Quis .n. verum hominem fuisse Christum crederet, si non ex fœmina natus inter homines nutritus, & vt homo necessitatibus nostris affectus fuisset? Si repente inter homines apparuisset, & iterum disparuisset, & non magis phantasma fuisse æstimaret, sicut Manichæi hæretici somniarunt? Hi enim non capientes, quod homo verus & corporalis nasceretur de Virgine, prolapsi sunt in hæresim, vt dicerent Christum non verum, sed phãtasticum corpus habuisse. Alij dixerũt eum corpus cœleste attulisse, sicut Valentinianus. Ad vtranq; autem hæresim sequitur Christum hominem verũ non fuisse. Quanto magis hoc diceretur, si non de homine natus subito apparuisset inter homines perfectus statura? De quo Aug. ad Volusianum. Si omnipotens Deus ait, hominem vndecunq; formatum, non ex materno vtero assumeret, seq; repente offerret cõspectibus hominum, Nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem assumpsisse vllo modo crederetur, & dum omnia mirabiliter faceret, auferret, quod misericorditer fecit? Opus ergo habuit adiutorio Virginis, de qua naturam assumeret, natusq; ex ea paruulus aleretur, eiusq; ministerio, ac sollicitudine materna successiuis profectibus ad corporeæ perfectionis statum perduceretur. Ad idem Ambro. libro de incarnatione ait. Nunc ad fidei confirmationem multa inuenies secundum naturã, multa supra naturam. Secundum conditionem naturæ in vtero fæminei fuit corporis, sed supra conditionem naturæ

Hæresis Manichæi de Christo.

Aug.

Ambr.

ræ virgo concepit, & virgo peperit, vt crederes quia Deus erat, qui innouabat naturam. Et homo erat, qui secundũ naturã nascebatur ex homine. Op⁹ ergo erat hanc nasci virginem, quia ad hoc erat præordinata, vt esset mater Dei. Deniq; dicit Bern. Sufficere poterat ad omniũ restaurationẽ Christus sed nobis opus erat vt concurreret sexus vterq; in reparatione, sicut vterq; non defuit in hominis destitutione, vt sic apertè responderet lapsui modus reparationis: Alioquin non honorem suum plenè recuperaret sexus ille, qui reparationi hominis deesset. Nunc ergo matrem eligere voluit, per quam salutis esset initium, per quam reduceretur redemptor, sicut per mulierem fuit perditionis initium, & per eam vir totius humanæ naturæ principium fuit inductus in peccatum.

Bern.

Ordinata est secundò vt esset reorum potens aduocata. Nouit enim dominus trepidationem nostram, nouit & nostram indignitatem. Propter primum timuimus ad offensum redire patrem, solo auditu territi, sicut Adam post peccatum ad folia fugiens ait. Audiui vocem tuam, & timui, & abscondi me. In filio deniq; quem mediatorẽ accepimus, veremur diuinam potestatem, quoniam licet homo factus est, mansit tamen Deus, Deus verò ignis consumens est. Deutero. quarto. Non itaque mirum, si & ad Deum filium peccator trepidet accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei, vt dicitur in psalmo. Voluit itaque & nos habere matrem, cuius tenera solet esse dilectio, quæ susceptorum filiorum aduocata filio eos reconciliaret, & per filium patri. In qua nihil austerum, nihil terribile. Reuolue, inquit, Bernardus diligentius euangelicæ seriem historiæ vniuersam. Et si quid fortè increpatorium, siquid durum, siquid deniq; signum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas, & accedere vereare, omnibus enim omnia facta est sapientibus, & insipientibus copiosissim a charitate se debitricem fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine illius accipiant vniuersi, captiuus redẽptionẽ, æger curationẽ, tristis consolationẽ peccator veniã, iust⁹ gratiã, angelus lętitiã, deniq; tota trinitas gloriã, filij ꝑsona humanæ carnis substantiã, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Ecce qualẽ nobis parauit matrem ꝑ quam intrepidè pctór ascenderet ad Deũ patrẽ. Primo ad hominẽ purũ ab omni peccati cõtagione liberũ, virginẽ .s. Mariã, ꝑ hanc ad hominẽ Deũ ꝓ nobis incarnatũ, ꝑ hunc ad Deũ patrem omnipotẽtẽ, vt sic nulla esset via repellẽdi ascẽdentẽ. Siquidẽ exaudit mrẽm fili⁹, ꝑut canit ecclesia: Te fili⁹ nihil negans honorat. Exauditur pro sua reuerentia à patre filius, ipso dicente: Ego sciebã quia semper me audis. Ioan. 11. Ecce inquit Bern. filioli, hæc peccatorũ scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.

Maria est ordinata vt esset aduocata reorum.

Deut. 4.

Bern.

Ioan. 11.

Propter secũdũ peccata nr̃a diuiserunt inter Deũ & nos. Esa. 59. ꝑꝑ quæ merito nr̃e pces ad Deũ ascẽdere non poterant. Scimus quia peccatores De⁹ nõ exaudit, dixit cęc us à dño illuminat⁹. Io. 9. Deniq; nõ respicit prius ad munera, quã ad offerentẽ ea. Opus ergo erat mediatrice ad mediatorẽ, dedit ergo & ab æterno ordinauit piam, purã sanctã, acceptam nobis matrẽ, cui⁹ man⁹ mũdissimæ, q̃ semper filius audit, & filiũ pater nunquam non exaudit, vt ꝑ illam omnes nostræ preces, & sacrificia porrigantur, & ita nunquam repulsam patiantur. Hæc est scala peccatorũ, per quam Christus rex celorũ ad se traxit oĩa. Regula B. Ber. Quæcunq; Deo offerre disposuim⁹, Mariæ Virgini cõmittam⁹, vt ipsa filio præsentet, & suis meritis, & dignitate, ac precibus quicquid minus acceptũ est ex nobis suppleat, & sic acceptum reddat. Ecce sicut filius nobis natus est, & nobis datus frater, ita & Maria filij genitrix nobis nata est, nobis data est mater &c. Hic canit ecclesia. Ad nutũ domini nostrum dictantis honorẽ; Sicut

Maria est nostra aduocata ꝑꝑ nostram indignitatem.

Ioan. 9.

Bern.

I spina

ſpina roſam genuit Iudęa Mariam. Vt vitium virtus operiret gratia culpam. Expone.

Maria ordinata vt forma eſſet totius ſanctitatis. Ordinata fuit tertiò vt eſſet nobis virtutum, & totius ſanctitatis forma. Hinc canit eccleſia. Natiuitas eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat eccleſias. In ea enim gratiarum plenitudo omnem virtutis actum expreſſit. Quæ enim alijs per partes, hic ſe totā infudit Mariæ gratiæ plenitudo, ait Hierony. ad Paulam, quamuis aliter, & aliter. In Chriſto enim fuit plenitudo gratiæ tanquam in homine perſonaliter deificato. In Maria vero tanquam in templo ſingulariter conſecrato. In Chriſto tanquā in capite influente. In Maria tanquam in collo transfundente. Talis enim fuit Maria ſecundū Amb. vt eius vnius vita ſit omnium diſciplina. Nihil deniq; eſt ſplendoris, nihil candoris nihil eſt numinis, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa. Itaq; in ea etiam ſunt expreſſa totius probitatis magiſteria Vnde B. Amb. lib. de virg. Præter enim priuilegia ſibi ſoli conceſſa, etiam virtutes cum alijs communes in ea fuerunt heroicæ, & ſingulares. A nullo deniq; illuſtriū vincitur, ait Dama. ſed omniū (ſanctitatis excellentia) victrix extitit. Hinc in proſa canitur Tu pios patrum mores oſtentas in te, ſed excellis eoſdē, quo virgo beata commendatur ex glorioſis parentibus, ſeu patribus, quos imitata eſt in virtutibus. Habuit enim in linea conſanguinitatis nobiles, ſicut patet de genealogia eius. Ipſa .n. eſt de tribu. Ieſſe cuius virga floruit in generoſa propagatione. Ab ipſo enim regnum iudęorum exordium ſumpſit. Nam filius eius Dauid primo vnctus erat, iuxta illud pſal. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo sācto meo vnxi eū. Exēplifica ſi placet de patribus. Ecce ad quid ordinata. Vnde quia mater Dei electa, quod eſſe ſummū eſt creaturis, debemus ei ſummum poſt Deum honorem, & hyperduliæ cultum. Quia reorum potens aduocata, ad ipſam nobis eſſe debet in omnibus noſtris neceſſitatibus fiduciale refugiū. Quia totius honeſtatis forma eius imitari debemus ſanctitatem tanquā certiſſimū totius iuſtitiæ exemplū quatenus eam ſequentes in via eius ductu, & interceſſione ſibi coniungi mereamur in patria.

Hiero.

Ambr.

Damaſc.

Pſal.

## IN FESTO NATIVITATIS Beatæ Mariæ Sermo. III. in ordine. XXIII.

QVI creauit me requieuit in tabernaculo meo. Eccle. 24. — Eccl. 24.

Mariam feſtiue a nobis excipi eſt decens. Feſtum ſolemne natiuitatis Virginis glorioſæ, deuotione magna ſuſcipere debēt omnes chriſticolæ eiuſdem Virginis, & matris Chriſti zelatores. Siquidē moris eſſe videmus ſeculi filios, mundi hui⁹ principes in primo eorum ingreſſu feſtiuius excipere, eiſq; laudis præconia multiplicare. Ingreditur hodie mundi domina, cęlorū regina, angelorū imperatrix, hominū reparatrix, diuerſoriū mūdi huius. Occurram⁹ & eidē, opportunū eſt eā reuerenter, & deuotē ſuſcipientes, prout tā tā condecet Virginē, & reginā, quā altiſſim⁹ formauit, in qua diuinitati placuit veluti tabernaculo ſacratiſſimo corporaliter habitare. Col. 2. offeramus oportet Virgini recenter genitæ laudū primitias, cū eiuſdē natiuitatē pariter, & creatienē, patrū ſequentes veſtigia, hodie celebramus. Cū enim ipſa ab initio humano generi ſit promiſſa, figuris præſignata, prophetarū oraculis nunciata, à patribus deſyderātiſſimè tāquā limes obſeruandæ generationis expectata. Indignū valde eſt ſi nō toto venerationis affectu, eius exhibitionis celebremus exordia Quod enim Moyſi (ait Bern. ſuper Miſſus eſt. homi. 2.) monſtratum eſt in rubo, & igne. Exo. 3. Aaron in virga, & flore. Nume. 17. Gedeon, in vellere, & rore. Iudicū 6. Hoc apertè præuidit Salomon in muliere forti, & eius prætio. Prouer. 1. Apertius Hieremias c. 31. præcinuit de fæmina

Col. 2. Bern. Exod. 3. Num. 17. Iudic. 6. Proue. 1.

mina, & viro apertissimè. Esa. c. 62. declarauit de Virgine & Deo. Hodie vero eam sic multipliciter præsignatam,& prægnãtã generauit,& creauit altissimus e matris suæ vtero, vt verũ sit quod Oseæ c. 6. dixit. Cępit,& sanabit eos. Cępit dum sacratissimũ sibi tabernaculũ,in quo requiesceret nondum spiritualiter, sed & corporaliter, creauit & ædificauit patris sapientia. In quo nedum habitare, sed & de ipsa tabernaculi materia hodie fabricata,& in mundum genita pro nobis constituit incarnari. Fœlix, & semper felix huius tã sanctæ natiuitatis dies, & hora in qua matutina emersit stella, totius mũdi redemptoris allatiua. Fœlix planè instans virgineæ creationis, quo profundissimæ simul, & longissimæ noctis, omnes ab Adam vsq; ad hanc Virginẽ inuoluentes tenebræ fugari ceperunt,dum aurora rutilans orta est, de quo sol iustitiæ Christus Deus noster erat processurus,sicut dudũ propheta ꝑ dixerat. In sole posuit tabernaculũ suũ & ipse tanquã sponsus procedẽs de thalomo suo. In sole vtiq; Maria Virgine fulgida, & feruida,sole amicta, & spiritussancti gratia plena. Die etenim,qua erectũ est tabernaculũ operuit ipsum nubes,legitur Nume. 19. de tabernaculi erectione in veteri testa. quanto magis in erectione huius virginæi tabernaculi per illius beatam natiuitatem, quam vniuersalis ecclesia hodie solemnizat,operuit ipsum nubes gratiæ diuinæ. Hinc licet communi more genita processerit in mundum, quia tñ obumbrante spiritussancti gratia, criminis aculei nescia, de spinosa, & tortuosa iudæorum linea emersit, rectè dicere potest. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Pro gratia Aue Maria.

Hier. 31.
Oseæ 6.
Num. 9.

Mariæ singularis formatio.

De duobus nunc dicendũ foret secũdũ thematis verba.s.de Virginis creatione,& singulari formatione,quã altissimus sibi fabricauit in tabernaculũ sacratissimũ,& de tabernaculi huũi propter nos erectione & exhibitione. Sed quia de primo in prioribus huius festi sermonibus aliquid dictũ est, ideo nũc de secundo aliquid breuiter dicẽdũ venit. Erectum itaq; est nobis diuinum istud & singulare tabernaculum, dũ hodierna die virgo singularis cunctis vitę spem habẽtibus desyderabilis, nata est in hunc mundũ. Fundatum quidẽ prius est siue ædificatũ, & nube opertũ, dum in matris suæ vtero non sine miraculo concepta,& fota, sancti spiritus gratia est repleta. Nubes lucida operiens, & spiritussanctus sua gratia sanctificans. Nam & in transfiguratione Christi, qua trinitas benedicta apparuit in diuisis signis,pater in voce filius in homine,spiritussanctus repræsentatus est in nube lucida obũbrãte,vt habetur Mat. 17. Hac autẽ nube operta est .i. spiritu sancto repleta,prius quã nata. Neq; .n: natiuitatem eius ecclesia festiuaret, nisi sancta nasceretur. Hanc denique ait Bern. ser. de assumptione, pietas christiana credere prohibet,vel non minus à Hieremia in vtero sanctificatam,vel non magis à Ioanne spiritu sancto repletam. Si .n. Hieremias sanctificatus fuit in vtero,vt habetur Hiere. 1. Ante quam exires de ventre, sanctificaui te, vt esset dignior propheta Dei. Quãtò magis virgo gloriosa in vtero sanctificari debuit, vt esset dignissima mater Dei? Iterum, si Ioannes adhuc ex vtero matris suæ repletus est spiritusancto. Luc. 1. vt velut idoneus præcursor, & præco dominum in carne venientem, nunciaret, digito ostenderet, atq; in Iordane baptizaret, Quanto magis id decuit Virginem, vt ipsum dominum cœli principem, carnis substantiã posset purissimam ministrare, ac de suis visceribus generare? Decuit omnimodis,vt B. Anse. in de conceptu Virginis loquitur, vt ea puritate virgo niteret, qua maior sub Deo intelligi nõ posset, quam dominus ipse sibi elegit in matrem,vt de sanctissima, & immaculata matre prodiret immaculatus dñs, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,qui venit purgare maculas criminum totius mundi.

Matt. 17
Bern.
Hier. 1.
Luc. 1.
Anse.

Licet hæc inquam ita se habeant,

erectum tñ est hodie idem Dei tabernaculũ,nube gratiarũ opertũ,dũ natiuitate hodierna tanquam vehiculũ solis iustitiæ,tanquã aurora diei gratiæ,tanquã stella maris rutilans, tanquã lucifer solẽ præueniens, caliganti mundo emicuit, ab omnibus inspectandũ, Erectũ est in publicũ, vt esset spectaculum salutis, asylum turbatis,& fortalicium terribile inimicis. Hæc .n. tria olim reperta fuere in ve. testa.tabernaculo,sed longè plenius, perfectiusq; in Virgine. Rectè tabernaculi nomen eidẽ cõmunicant. Siquidẽ tabernaculũ Moysi grande fuit cũctis intuẽtibus spectaculum, quia auri,& argenti, tabularũ, ac cortinarũ,gẽmarũ,ac lapidũ erat compositione admirabili,& artificiosissima prę- Exo. 25. ciosũ, vt habetur Exo. 25.& sequentibus.Fuit & asylũ cunctis afflictis, eo ꝙ in illo dominus responsa dabat dubia dissoluens,vota supplicum audiuit,petita concedens, hostias legales accepit, peccata relaxans, vt patet ex decursu librorum legaliũ. Fuit deniq; terribile inimicis. Nã in eo continebatur arca fœderis,quæ dũ circumgirauit Hierico muros eius prostrauit, quæ allophilos 1. Reg. 5 terruit,& plagauit. 1. Regũ.5.Propter ꝙ cũ eam Moyses profecturus eleuabat dicebat. Surge domine, & dissipentur Num. 10 inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Num. 10.

Maria spectaculum salutis omnibus.

Quis autẽ eloquatur, quã grãde spectaculũ,quã lympidissimũ hodie nobis prodijt admirandũ,& omnium virtutum,donorum,ac gratiarũ præciosissimum salutis speculũ,qm in illa relucet quicquid honestatis, quicquid disciplinæ, quicquid perfectionis? Nihil enim Hiero. est virtutis si diligenter attendas, ait Hieron. nihil splendoris, nihil gratiæ, nihil candoris, quod non resplendeat in virgine. Quoniam cęteris virginibus per partes pręstatur gratia. Mariæ vero se totam infudit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quanquam aliter,& aliter,quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tanquã in homine personaliter deificato, in Maria vero tanquam in templo singulariter consecrato. In Christo tanquam in capite influente: In Maria tanquam in collo trasfundente. Talis enim fuit Maria, ait Amb. lib. 2. de virgi. vt eius vnius vita sit omniũ disciplina.Et iterũ idem Amb. Sit vobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ,in qua velut in speculo refulget species castitatis, forma virtutis. Hinc sumatis exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere,quid tenere debeatis,ostendunt. In hoc deniq; speculo quicquid ante, quicquid retrò, quid sursum, quid deorsum quid à dexteris est, & à sinistris apparet. Si quidem præcedentium patrum virtutes, fides Abraæ contemplatio Isaac, simplicitas Iacob, castitas Ioseph, mansuetudo Moysi, constantia Iosue,patientia Iob, misericordia Dauid, sapientia Salomonis, rectitudo Ezechiæ, religiositas Iosiæ. Sed & sequentium vsque in seculi finem refulget, atque superexcellit, vtpote quæ nec primam similem, nec habere visa est sequentem. Sed & cęlestis vitæ quæ sursum est integritas, & contemplatiua conuersatio, atque vitę actiuæ deorsum exercitium fructuosum. Compassionis denique & ferendæ aduersitatis quæ ad sinistram pertinet forma, prosperitatis quoque quæ ad dexteram statuuntur in ea, moderamina, decernuntur. Ideoque oportet vniuersos christicolas (vt ait Bernard. in sermone) inter fluctus huius seculi nauigantes, attendere hanc Bern. maris stellam, quæ supremo cardini. idest Deo proxima est, & respectu exempli eius cursum vitæ dirigere, quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur scyllea voragine voluptatum,sed prospere veniet ad portum quietis æternæ.

Quomodò sit autem asylum miseris,probant beneficia toti humano generi communiter,& omnibus ad se cõfugiẽtib⁹ singulariter exhibita. Ipsa.n. nobis hodie data, noua mater ad vitam, loco veteris illius Euæ per quam

Maria Asylum, turbatis & miserijs.

genera-

generamur omnes ad mortem: Crudelis nimium prima mater nostra Eua (dicit Bern. in sermone, qui incipit Signum magnum) per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit. Sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum,& viris, & mulieribus propinauit. Illa ministra seductionis, hæc propitiationis. Illa suggessit præuaricationem, hæc ingessit redemptionem. Et beatus August. in ser. de Assump. Au-
Aug. ctrix peccati Eua: Auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit.
Bern. Hinc recte Bern. homil. 2. super Missus est Lætare (inquit) pater Adam, sed magis tu mater Eua exulta, quia sicut omniū parentes, ita fuistis omnium peremptores, & quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo inquam, consolamini super filia,& tali filia. Per istam enim tollitur opprobrium, vt non habeat vir iam quod causetur aduersus fœminam. Redditur tibi o Adam fœmina pro fœmina, humilis pro superba, prudens pro fatua: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ: & pro venenoso illo cibo amaritudinis dulcedinem tibi pariat fructus æterni. O admirandam, & omni honore dignissimam virginem. O fęminam singulariter venerandam, parentum reparatricem, posterorum viuificatricem. Ea propter eam alloquens beatus Augustinus. Tu domina, inquit, cella es aromatica, ex qua omnium vulnerum nostrorum medicina profluxit: per quam generalis omnium est celebrata curatio. Tu via es, qua Deus venit ad homines, qua homo redit ad Deum, qua venit peccator ad veniam, & venia venit ad peccatorem.
Cassio. Et Casio. in epistola. Tu patrona (inquit) humani generis, tu afflictis rebus medicina singularis: quis tuo non eget munere, cum sit peccatum commune? Denique ipsa est mater misericordiæ, aquæductus gratiæ, aduocata pauperum; reconciliatrix peccatorum. Quam si non accepissemus, miserrimi, ac desolati periremus sicut Bern. testatur. Tolle inquit, corpus hoc solare, quod illuminat mundū vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni,& spaciosi: quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis ac densissimæ tenebræ relinquuntur. Mariæ beneficia humano generi collata. Bern.

Quod etiam singulariter singulis succurrat, hic intelligit qui misericordiæ eius longitudine, latitudinem, sublimitatem, & profundum attendit. De quo idem Bernard. serm. 4. de Assumptione eius ita ait. Hæc est, quæ totius mundi reparationem obtinuit: salutem omnium impetrauit. Quis misericordię tuæ o benedicta longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque in diem nouissimum, inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarū, vt tua quoq; misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus euacuatus, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima, & piissima charitas & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuplex in vtroq;. Vnde & copiosissima sua charitate sapientibus, & insipientibus se debitricem fecit, omnibus misericordiæ suæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, Captiuus redemptionem, æger curationem, peccator veniam, iustus gratiam angelus lętitiam, deniq; tota trinitas gloriam, filij persona carnis suæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Quid multis moror? Sileat misericordiam tuam virgo beata (inquit Bern.) siquis est, qui inuocata te in suis necessitatibus sibi meminerit defuisse. Bern.

Fuit ipsa demū fortaliciū terribile inimicis, secūdū illud Can. 6. Terribilis vt castrorū acies ordinata. Reuera terribilis est etiā principi dęmonū, q Ma-

riæ pedibus conculcatus, & contritus, miseram patitur seruitutem. Ipsa enim est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura. Ipsa (inquit dominus ad serpentem) conteret caput tuum. Gen. 3. Conteret inquit non percutiet, aut vulnerabit. Nam quod percutitur aut vulneratur, interdum resanatur, quod verò conteritur, nunquam vlterius reparatur. Sic virgo fortis inimicū contriuit, vt contra eā insurgere amplius non audeat, neq; possit, sed prostratus expauescit, vlulat, atq; fugit. Huius fortitudinem, & contra inimicos fortitudinem, mulieres famosæ Iudith, Iahel, Hester, & ceteræ, quarum laus est in scriptura, figurabant. Sapientissimus Solomon admirando prophetauit. Mulierem fortem quis inueniet? Prouerb. vlti. Nouerat vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem, quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fęminam, per fęminam vinceretur, ipsam vęhementer admirans aiebat. Mulierem fortem quis inueniet? quod est dicere. Si ita de manu fęminæ pendet & nostra & omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, Fortis omnino necesse est vt prouideatur, quę ad tantū opus possit esse idonea. At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando, procul & de vltimis finibus precium eius, hoc est non paruum, non mediocre, nō deniq; de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris precium huius fortis mulieris, sed de vltimis cœlorum finibus, à summo cœlo egressio eius. Nec mirum si terribile est hostibus virgineum hoc fortalicium, quod etiam sua fortitudine de cœlis traxit Deum. Vnde non incongruè ei dici potest, quod patri suo Iacob in testimonium fortitudinis ab angelo dictum est. Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?

Gen. 3.

Prou. vlt.

Hortatio ad confu— Ecce quale nobis hodie dominus erexit tabernaculum, nube sancti spiritus opertum, vt esset cunctis spectaculum salutis, asylum miseris, fortalicium terribile inimicis. Propter quod eam ecclesia exorans canit. Maria mater gratiæ, quo ad primum, mater misericordiæ, quo ad secundum, tu nos ab hoste ptege, & in hora mortis (qua callidius insidiatur) suscipe. Ex quo etiam satis colligitur, quàm iucunda, quàm veneranda, quàmq; gloriosa est dies hodierna. In qua nobilis est stella ex Iacob diuino munere nobis orta, cuius radius orbem vniuersum illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat. Terras autem perlustrans, & mentes magis quam corpora calefaciens, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa est præclara, & eximia stella, super hoc mare magnum, & spaciosum (vbi monstra dęmonum, & reptilia, quorum non est numerus) necessariò subleuata, illustrans exemplis, micans meritis, potenter triumphans victorijs. Agamus toto corde omnipotenti Deo gratias, qui tale nobis erexit tabernaculum, exemplar pulcherrimum, consolationem dulcissimam, protectionem fortissimam. Ad quod omnes, rogo, concurrite. Quisquis es, qui te intelligis in huius seculi procellis fluctuare, ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tempestatum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellā, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractationis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, si auaritia, si illecebra nauiculam concusserit mentis, respice Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fęditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, claudi desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, inuoca Mariam, cogita Mariam. Non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras eius conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa te tenente

giendū ad Mariam.

non

non corruis, ipsa te protegente non metuis ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis ad litora ęternitatis.

## IN FESTO NATIVItatis Beatæ Mariæ Sermo. IIII. in ordine. XXIIII.

AVE Maria Luc. 1. Egimus paucis interiectis diebus festiuis gaudijs natalem gloriosissimæ Virginis, qua exiens mundum istum, nata est in mundum alterum, vbi boni totius perfectionem consummationemque percepit perpetua, cum securitate. Agimus hodie pari letitia eiusdem Virginis natiuitatem alteram, qua vice de maternis latebris in hunc mundum progrediens, possessorum nunc præmiorum merita nunciauit gratia præueniente. Illa quidem Virgini nostre iucundior, in qua deposita omnis corruptionis sarcina, filio glorioso est copulata. Sed ista nobis dulcior, qua miseris, & in tenebris errantibus, per eius ingressum orta est lux, & lætitia. Quoniam per hanc venit ad nos mediatrix, ac directrix in via ad patriam, quia maris stella, Venit tenebrarum nostrarum effugatrix, & hæresum cunctarum interemptrix, quia illuminatrix, & illuminata. Venit aduersariorum nostrorum potentissima expugnatrix, quia domina. Venit gratiarum, & donorum redundans & largissima dispensatrix, quia mare. Venit deniq; miseriarum nostrarum compatientissima subleuatrix, quia amara. Propter hæc omnia iustè secundum vocabuli interpretationem, dicta est Maria. Quamuis autem dies qua benedicta inter mulieres nata est in cœlum, quasi terminus, & finis itinerarij eius, meritò cetera eius festa excellat. Hodiernæ tamen diei solemnitas, qua nata est in terris, non impari festiuitate est cęlebris, quoniam totius adeptæ gloriæ, natiuitas temporalis principium est, & causa. Ibi à terris subleuata cœlestis aulæ gloriam sua præsentia adauxit, hic terris data, exulum Euæ filiorum se matrem benignissimam exhibuit Ibi angeli ciues cęlorum, reginæ occurrentes, & præ gaudio admirantes cecinere. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens? Cantic. 8. Hic errabundi viatores, per hanc redemptionis suæ initia capientes post veteres tristitias gaudio tripudiant, quibus vt Hester. 8. scribitur, lux noua oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Vnde canit ecclesia: Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo, ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Et iterum ad gaudia exhortans canendo ludit: Solem iustitiæ regem paritura supræmum, Stella Maria maris hodie processit ad ortum, Cerne re diuinum lumen gaudete fideles. Ibi constituta est domina supernorum ciuium. Hinc ait. In Hierusalem potestas mea: Hinc valle miseriæ exorta per labores, & gemitus, paupertates & luctus facta est solamen miserorum & reconciliatio proscriptorum. Vnde si eam tunc tanquam dominam deducentes cantauimus. Aue maria. Nunc tanquam communem ministratricem per amara suspiria & labores, nostrã amaritudinem dulcorantem, lęti suscipimus, & gratiam eius expetimus eodem nomine salutantes, consona voce, mente pia dicentes: Aue maria.

Aue maria. Decursis gloriosæ Virginis solemnitatibus in effusione huius sanctissimi nominis Maria interpretationem eius aperiendo, & exponendo quantum potuimus laborauimus. Ostẽdentes quam pulchrè, & congruenter virgo mater dicta est Maria: Vtpote cui plenissimè ipsius nominis interpretationes conueniunt. Nam ipsa rectè maris stella, illuminatrix, & illuminata. Videamus nunc de alia huius nom

Luc. 1. Cõparatio festorũ Mariæ .s. assũmptionis, con Natiuitatis

Cant. 8.

Hester. 8

Maria sonat amarum mare.

nis interpretatione qua congruenter dicitur amarum mare. Et quoniam alia est ratio amaritudinis, alia maris, de vtraq; inquiramus, quare proprietate hæc nostræ Virgini in sua natiuitate in mundum hunc lachrymarum, & miseriæ ascribantur. Aptissimè enim hoc congruit suæ natiuitati, quatenus ingressum eius in hanc vallem plorationis, & amaritudinis inquirimus. Ne autem amaritudinis vocabulum aliquem offendat, si ei attribuitur, quæ tota suauis est, cuius omnia plena sunt pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, vt dicit Bern. ser. qui incipit Signum magnum. Præmittimus multiplicem esse amaritudinē. Est enim amaritudo peccati totius radix amaritudinis, amaritudo itaq; amarissima, per quam summa dulcedo relinquitur, de qua dicitur Hiere. 2. Scito, & vide, quoniam amarum est reliquisse te dominum. & Eccle. 3. Melior est mors, quam vita amara. Et hæc amaritudo sicut peccatū vniuersaliter nullam cum beata Virgine habuit vnquam communionem dicente Aug. in de natura, & gratia. Cum de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria propter honorem domini, nullam prorsus volo habere quæstionem. Est & amaritudo quædam austeritatis, & terroris, de qua apostolus Col. 3. dicit. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Nec huius suspicio, vel tenuis poterit esse in Maria. De qua Bern. serm. quo sup. Nihil in ea austerum, nihil terribile, tota suauis est omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue diligentius euangelicę historiæ seriem vniuersam & si quod fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum, vel tenuis indignationis in Maria occurrit, de cetero suspectam habeas, & accedere verearis. Verum & si viatoribus dulcis est, & exorabilis demonibus tamen, & damnatis dura est, & terribilis. Vnde de ea spiritussanctus in Canticis: Pulchra vt luna, viatoribus, electa vt sol, cōprehēsoribus, sed terribilis vt castrorum acies ordinata, dānatis, & demonibus. Est quoq; amaritudo pœnalitatis luctus, & afflictionis, de qua Prou. 14. dicitur. Cor quod cognouit amaritudinem animæ, suæ in gaudio eius non miscebitur alienus. Tales amari, & lugentes à dño beatificantur. Beati inquit, qui lugēt, quia consolabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiā quoniā ipsorum est regnū cœlorum. Et de hac amaritudine ad propositum. Vnde de Virginis amaritudine locuturi, nihil aliud per amaritudinē intelligi volumus nisi fluctus, & afflictionis pęnalitatē. Nisi .n. hæc amara essent, pęnalitates dici non possent.

Possumus itaq; in virgine nostra triplicē pęnalitatis amaritudinē denotare. Fuit .n. amara afflictione propria, amarior compassione aliena, amarissima ex mortis, & passionis vnigeniti præsentia. De quibus per ordinem inquirendum. Fuit quippe amara afflictione propria p corporis, & spiritus afflictionē. Nā quāuis ab omni pęnali afflictione tā mentis, quā corporis meritū impedientis liberrima fuit tā in ingressu eius, quā pgressu, q etiā in egressu, vt à fomite malè inclināte, lege carnis rebellante, malitia cōplexionis retardāte, & similibus, vt latius supra dictum est. Sustinuit tn̄ penā, & corporis & mētis, quę meritū nō impediuit, sed promouit, quas p eorūdē meritorū cumulatione, vel spōte assūpsit, vel patiēter volens tulit. Quāuis namq; sine originali culpa cōcepta fuit & nata vt ex prioribus deductū, est, fame tamen, siti, frigori, fatigationi, & morti, ceterisq; pęnalibus defectibus, naturā humanā generaliter ex originali peccato comitantibus subdita fuit, sicut & Christus filius eius sine omni peccato pęnales peccati effectus, quos assumere non dedecuit, sola volūtate sponte sua suscepit, vt tangit Mag. in 3. dist. Nec his virgo contēta, corpus suū sacratissimū, in nullo spiritui aduersās, orationibus, ieiunijs, laboribus, vigilijs, ac disciplinis multiplicibus castigauit. Deniq; paupertate, & luctu, ceterisq; abstinen

Bern.

Amaritudo multiplex.

Hiere. 2.

Eccl. 3.

Aug.

Coll. 3

Bern.

Prou. 14.

Pęnalitas triplex in Virgine Maria.

Mag. 13. dist. 1.

tijs se supra modũ attenuauit, propter quod in Canticis virgulæ fumi compa ratur. Quæ est ista (inquit spiritussan ctus, ex persona supernorũ ciuiũ admi rãs, q̃ ascendit p desertũ sicut virgula fumi ex aromatibus? Quæ exponens Hiero. ad Paulã, & Eustochiũ, dicit: Be ne quasi virgula fumi, quia gracilis, & delicata, quia diuinis attenuata disci plinis; etenim cõcremata intus in holo caustũ incẽdio pij amoris, & desyderio charitatis. Vt virgula, inquir, fumi, ex aromatibus, nimirũ, quia multis reple ta virtutũ odoribus, manans ex ea fra grabat suauissimus odor etiã spiritib' angelicis. Refert historia Longobardi ea Hierony. scribens ad Cromatium, & Heliodorũ, q̃ virgo Maria, dũ in tem plũ præsentata fuerat, hãc regulã sibi statuerat, vt à mane vsq; ad tertiã ora tionibus insisteret. A tertia vsq; ad no nam textrino operi vacaret. A nona ab orationibus non recedebat, quousq; an gelus apparens sibi escam daret. Et B. Amb. in lib. 2. de virginibus circa prin cipium de eius cibo simul, & somno ita ait. Si quando Mariæ reficiendi suc cessisset voluntas, cibus plerũq; obuius, qui mortem arceret, non delitias mini straret. Et d. somno sequitur. Dormire prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tñ etsi quiesceret corpus, vigilabat animus, quæ frequenter in somno aut lecta repetit, aut somno interrupto cõ tinuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronũciat. Quis autẽ laborũ fatigatio nes enumeret, quas iuuencula sustinuit dum etiam prægnans, & nutriens labo rare non cessauit. Concepto saluatore statim montana transcendens Helisa bet ministrauit. Vicina partui Bethleẽ cum Ioseph ascendit. In partu ipsa ob stetricis, simul & nutricis officium ges sit, nam ipsa pannis inuoluit, ipsa lacta uit, ipsa deuotissimè maternis respecti bus Deo filio ministrauit; post partum cum puero Iesu in Ægyptum fugit, re diens in Galilæam, statutis festiuitati bus in Hierusalem cum puero, & Io seph sponso ascendit, ipsum puerum nutriuit, eiusque laboribus vsque ad crucem indiuidua communicauit, prout hæc & alia ex euangelio colli guntur.

*Hieron.*

*Historia Longo-bardica.*

*Ambr.*

Paupertati eius altissimæ testimo nium perhibet diuersorium, in quo sal uatorem mundo edidit, panni, quibus inuoluit, præsepium, in quo reclinauit par turturum aut duo pulli columba rum, quas pro eo in templo obtulit, & hospitium, aut mansio propria qua ca ruit. Cum enim hæreditario iure, quæ matris sunt ad vnigenitum pertinent, quomodo dixisset: Vulpes foueas ha bent &c. si mater possedisset, quo suum caput reclinare valuisset? Quia verò paupertas Virginis omnium homi num paupertates excellit post Chri stum, patet ex gradibus paupertatis quos Alb. assignat in de laud. Virginis q. 34. ponit ibi decem paupertatis gra dus. Primus, & minimus est eorum, qui abijciunt seu erogant superflua naturę sed nõ personæ, secundũ illud Aug. de verbis dñi. Vtere superfluis da paupe ribus necessaria. Vtere pręciosis, da pau peribus vilia. Secundus gradus est eo rũ, qui erogãt superflua naturæ, & per sonæ, secũdũ illud Luc. 11. De eo, quod superest da pauperibus. Glos. de eo q̃ superest necessario victui, & vestimẽto dadũ pauperibus. Tertius gradus est eo rũ, qui cũ superflua abijciũt, etiam de necessarijs erogant, sicut de vidua, quæ duo æra in gazophylacium misit dñs loquitur, eam ceteris dona maiora mit tentibus præferendo. Ait enim. Vidua hæc pauper plus omnibus misit, omnes .n. ex eo miserunt, quod abũdabat illis, hæc vero de penuria sua omnia, quæ habuit, misit. Mar. 12. Quartus gradus, cum superfluis simul necessaria proijce re, & nullã proprietatẽ sibi reseruare, quod etiã Socrates, & quidã philosophi fecerũt, qui diuitias contẽpserunt sicut dicit Hiero. super illud Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia. Quintus gra dus omnia dare, & seipsum superaddẽ re, q̃ apostolorũ, & credẽtiũ est, secũdũ illud Mat. 19. Si vis pfectus esse, vade, vẽde omnia, quæ habes, & da pauperi bus, & veni sequere me. Sextus gra- dus.

*Marię paupertas.*

*Paupertatis gradus.*

*Albert.*

*Aug.*

*Luc. 2.*

*Glos.*

*Matt 12*

*Hieron.*

*Matt. 19*

dus est omnia dare, seipsum relinquere, & ad releuandum suas, & aliorum miserias manibus laborare, quem gradum Paulus attigit, vt habetur 2. ad
2.The.3. Thes.3. Septimus gradus est, omnia & seipsum dare, vt pascat proximum pane spirituali, qui secundum Greg. maior est prædicto, quia maius est nutrire animam super duraturam, quam corpus aliquando moriturum. Octauus gradus est, omnia relinquere, & seipsum dare, & de substantia sui corporis accipere, & ad refectionem animarum proximis dare. Greg.

Omnes priores gradus beatissima virgo transcendens: ad hunc peruenit, quo de purissimis carnibus, & sanguinibus suis, viaticum nobis fecit, & con fecit panem viuum, qui de cęlo descendit, qui est verè vita, quem qui gustauerit, non sentiet mortem in æternum. Hunc autem toto mundo mendico dedit beatissima mulier, de qua in euangelio. Mulier commiscuit tria sata donec fermentaretur totum. Tria sata sunt deitas, corpus, & anima. Fermentum (vt dicit Bern.) est Virginis, quæ Deum humana natura coniunxit, & homini refectionem fecit. Cęteri duo gradus ad solum Christum pertinent, quorum primus, & in ordine nonus, est omnia dare, & corpus, & animam propriam, & diuinitatem his vnitam, proximis dare in cibum animæ sub specie aliena. Hoc fuit opus misericordiæ, & summum paupertatis domini nostri Iesu Christi in via. Decimus gradus est, seipsum totum dare, animam, & corpus, & diuinitatē in cibum, simul corporis & animæ in specie propria, & semper in beatitudine æterna. De quo Luc.cap. 14. Beatus, qui manducat panem in regno cœlorum. Ex quibus patet beatam virginem paupertatem habuisse quantum ad rerum abdicationē excellentius omni homine præter Christum. Quam etiam extollit personæ dignitas. Si enim æquè parum habent miles, & princeps: pauperior est princeps milite: quia diuitiæ militis, paupertas sunt principis. Hæc Alber. paucis pro declaratione additis. Quantum verò hæc paupertas extrema, sit corpori amara, & pęnalis, vt puta nedum commoda, sed etiam necessaria subtrahens, nemo est, qui ignorat. Bern. Luc. 14. Albertus

Cæterū singulas corporis castigationes, disciplinas, fatigationes, atq; pænas, quis edicere potest? quoniam etsi hæc particulariter scripta non sunt: ea tamen scripta sunt, ex quibus saltem in genere sufficienter eliciuntur. Cum enim præmium præsupponit meritum, certumq; sit, super omnes sanctos, & angelos, & vniuersas creaturas puras virginem præmio sublimatam: dubitare nemo potest ipsam meritò omnes viatores excessisse. Deus enim) ait Bernar. super Missus est. homil.2.) matrem suā in cælestibus singulariter donaturus gloria singulari in te rris curauit præuenire, & gratia. Tanta vtique gratia, qua omnes excederet meritis, quos glo riosis excellere habebat præmiis. Vnde de nulla virtute, aut gratia, quam vnq̄ mortalis habuit dubitandum, nō est quin habuerit eam perfectius in specie propria vel eminentiori. Alioquin secundum Bern. super Missus est, quomodo dixisset angelus, gratia plena: si quippiam vel parum boni, quod ex gratia esset, non habebat? Hinc & in eius persona spiritussanctus ait: In plenitudine sanctorum detentio mea. Vnde & Damasce. A nullo illustrium superatur. Hinc quasi regulam, & principiū ponit Alber. Quod quicquid boni aliqua creatura recepit, vel fecit: huius expertem esse Mariam non liceat suspicari. Sic quidem secundū B. Hier. ad Paulam: Nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, & gloriæ: quod ex ea non resplendeat. Et sequitur. In ea habetis magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Et beatus Bernar. exponens illud statim allegatum. In plenitudine sanctorum detentio mea, ait. Cui nec puritas Angelorum, nec fides patriarcharum defuit, nec Apostolorum zelus, nec constantia martyrum nec sobrietas confessorum, nec castitas virgi-

Mariæ castigationes corporales. Bern. Damasc. Albert. Hiero.

virginum, nec coniugatorum fęcunditas. Cum ergo virtutis sit, & in cæteris sanctis laudabilis abstinentia ad corporis castigationem multifaria: dubitare impium est Mariam in his cæteros non excessisse. Luctus autem, & lachrymæ cum ex turbatione mentis oriuntur, sequenti reseruentur articulo. Et ita patet breuiter; quod merito dicitur Maria: idem amara, propter corporis sui multiplicem voluntariam castigationem, abstinentiam, & paupertatem.

Mariæ contritio spiritualis. Nunc autem de amaritudine, ac contritione spiritus videdū est, secundū q̄ amarior fuit cōpassione aliena, quantū ad secūdū membrum principale, quamuis aliqua interserentur de eius spiritus contritione quam sustinuit passione propria, videlicet ex filii ac beatitunis dilatione, & abstinentia.

Itaque ipsam spiritu cruciatam fuisse probat excellentissima eius dignitas Cum enim veritas dicat. Qui non tollit crucem suam, & sequitur me; non est me dignus. Nemo autem dignior fuit Christo eius piissima matre: sequitur a contrario sensu, neminem Christum sequentium amariorem crucem tulisse, quam Virginem benedictam. Hanc non tulit in corpore secundum gradum celsiorem: quia non martyrio, sed in pace quieuit: secundum Ambro. Ambr. Tulit ergo crucem amarissimam in mēte. Fuit autē amara spiritu ante Christi conceptionem: similiter & post eius ascensionem, sed non ex eadem causa. Ante quidem ex causa simili, & communi, qua etiam patres præcedentes plurimum suspirabant. Post verò occasione speciali. Inuenimus siquidem patres ve. test. statum miserabilē humanę conditionis multipliciter defleuisse. Recoluerunt enim cum lachrymis, quid boni homo peccando amisit, & quid mali incurrit. Incurrit enim geminam captiuitatem, & amittit geminam dignitatem, vt dicit Hugo in de triplici holocausto, & subdit. Sponte subditus culpæ, inuitus addictus est pœne. Et de cætero perdidit stabilitatem gratiæ, & perpetuitatem gloriæ. Tali itaque gratia, & gloria nudatus homo, volens nolensque subseruit peccato, & subiicitur flagello: breuique viuens tempore repletur multis miseriis. Geminam itaq; captiuitatem, vt pote exactionis culpæ, & pœne nascendo contrahimus: & quandiu hic viuimus, fixam gratiæ stabilitatem, gloriæq; perpetuitatem recuperare non possumus. Sed nec post hanc vitam, nisi per mediatorem Dei, & hominum, hominem, Deumq; Christum Iesum tunc promissum, nunc verò exhibitum. Hæc planxit patriarcha Abraam, qui primus promissionem huius mediatoris de suo semine futuram recepit. In cuius signum sacrificio suo aues addidit: turturem.s.& columbam Gen. 15. quæ gemitum pro cantu habent, & alas: ad significandum gemitum pro dilatione duplicis libertatis cum spe redemptionis. Gen. Sed & cęteri patres anxie clamauerunt ad dominū. Moyses inquit. Mitte, quem missurus es. Exo. 4. Exod. Dauid. Ostende faciem tuā, & salui erimus. Excita potentiam tuā & veni: vt saluos facias nos. psal. 79. Psal. 19. Inclina cœlos tuos, & descende psalm. 143. Psal. 143 Esa. 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum &c. Esa. Et iterum Esa. Vtinam dirumperes cœlum, & descenderes &c. 64. Quod si tantū patres sancti pro humani generis liberatione clamauerunt: quantum credendum est illam plus omnibus in gemuisse, quæ hāc salutem super omnes affectabat? Quis enim audeat aliquem sanctum Virgini comparare, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem, vt dicit Sedulius? Sedulius Hinc in prosa canitur. Tu pios patrum mores ostentas in te, sed excellis eosdem Et quid magis piū quam pro communi salute suspirare, gemere, orare & importune pulsare? Licet enim ipsa peccatum non habuit, tamen causam humani generis suam reputauit, sicut & filius eius delicta nostra sua dicit psal. 21. Psal. 21. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti, longe a salute mea verba delictorum meorum. Hinc die, noctuq; a gemitibus, & oratione non cessabat, donec

missio Gabriele, per eam dominus salutem nostram consummare dignaretur. Hinc Bern. de hac nostra redemptione loquens, & eam alloqués homil. 4. super Missus est ait. Hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, & noctibus orando suspirabas. Vnde etsi gemitibus suis, & lachrymis incarnationem Christi non merebatur, vt puta quæ vt præuisa, vel exhibita omnium merito præsupponitur, tamen accelerationem eius meruit, & sese ei coaptauit: vt vult Sco. lib 4 dist. 2. q. 1.

Scotus.

Maria gemuit post Christi ascensionem.

Sed quos gemitus sustinuit post Christi ascensionem, quoniam de his, quæ passa est, filio in humanis agente, in tertio principali membro dicetur, & alteri sermoni reseruabitur. De hoc colligere possumus in summa, quod de tribus virgo piissima super cæteros mente tristabatur, præsertim post filii sui ascésionem, videlicet de populi sui excecatione, de fidelium multiplici persecutione, & de præsentię filij, ac beatitudinis dilatione. Quarum amaritudinum prima magna fuit, secunda maior, sed tertia maxima. Quis enim loquatur, quantum cor maternum salutis cunctorũ auidum de sui populi, a quo ꝓcessit reꝓbatione, & excecatione tristabaẽ, in qua spiritus sanctus naturę affectus, quibus suo quilibet generi fauet, & inclinatur, non extinxit sed perfecit? Si denique Paulus de hoc tristitiam magnam habuit, iuxta illud ad Roma 9. Tristitia mihi est magna, & dolor continuus cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, multo fortius beata virgo, quæ sicut erat plena maiori charitate, ita & affecta est maiori compassionis amaritudine.

Rom. 9.

Passio Marię ex discipulorum & fideliũ persecutione in Christi.

Fuit etiam maior Virginis amaritudo ex Apostolorum, & discipulorum, cæterorũq; fidelium persecutione. Cũ enim (vt Bern. ait ser. qui incipit, Signum magnum: exponens illud Hiere. 31. Mulier amicta sole) ipsa sit, quæ velut alterum solem induit sibi, quoniam quemadmodum ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam prębet: omnium necessitates amplissimo miseretur affectu, quanto eis compatitur, quos eius filius de mundo elegit: quos tenerrime dilexit: quibus denique ascendens in cœlum vice sui ipsam reliquit vt suæ fidei, spei, charitatis ac patientiæ: præsentes verbo, & exemplo: absentes scripto doceret, singulos consolaretur: vt dũ beati Angeli in cęlis exultantes inspicerent hominé Christum, cum gaudio intuerentur in terris eiusdem Dei, & hominis indubitatam matrem fideles: vt dicit Rufus in homil. super Stabat. Hiero. quoque ad Paulam, eam cum senatoribus cęli idest Apostolis conuersatam, tantò familiarius, tantoque verius contulit de Christi incarnatione, quantò ab initio per spiritumsanctum plenius omnia didicerat & perspexerat oculis vniuersa. O quam gaudiosum, quam solatiosum, quam consolatorium fuit afflictis fidelibus: eam videre oculis corporalibus sibi compatientem in suis persecutionibus: quæ haberet filium de sua carne genitum, in cœlo iam corporaliter residentem: & cœli ambitum, & totius mundi machinam suo nutu gubernantem. Quæ omnibus omnia facta, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de eius quoq; plenitudine consolationem accipiant vniuersi. Hinc beatus Ignacius (qui & eius epistolas consolatione plenas accipere meruit, in epistola ad beatum Ioannem euangelistam testatur, quod ad eam viuentem in carne post domini ascensionem, sicut ad sanctorum limina quædam peregrinatio fuit fidelium desyderantiũ videre illud cæleste monstrum, illud diuinum prodigium: capsam illam supercælestem, in qua repositus fuerat Deus & homo.

Rufus.

Hiero.

Ignac.

Maxima verò fuit in corde virgineo amaritudo ex beatificę filij præsentiæ,

ac fruitionis dilatione. Scimus nanque quod donum certe, & confidenter speratum quanto magis amatur, tantò ardentius desyderatur, & impatientius expectatur. Beatitudo verò post hanc vitam possidenda, quæ summo bono cōiungit, & per hoc plenam a culpa, & pęna libertatem, summam gratiæ, & glorię dignitatem confert, quia summum bonum plerosque electos tantum in sui amorem, ac desyderium accendit, vt tædeat eos viuere, ita vt veraciter vox illorum videatur esse: Tædet animam meam vitæ meæ. Illud namque bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascē dit, quis quæso, poterit cum spei certitudine expectare, & ingenti desyderio non æstuare & penè non nisi inpatienter viuere? Hinc est vox illa hominis secundum cor Dei, incolatum vitæ huius gementis, & clamantis. Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et iterum: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Satiabor cum apparuerit gloria tua. Quia si ita est de perfectis, quanto æstuabat desyderio virgo, & mater vnica verbi æterni, quæ velut obiectum beatificum plus cunctis amauit, meritorum prærogatiua certius expectauit, & materna propinquitate anxius concupiuit. Hanc peregrinationem molestius sustinuit, & mentem dilationis impatientem, amaritudine afflixerat ampliore. Dicere quoq; poterat, Ecce in pace huius vitæ amaritudo mea amarissima.

Mariæ amaritudo ex dilatione beatitudinis.

Veruntamē vt dicit venerabilis Hugo de sancto vic. in lib. de triplici holocausto, interest, qua intentione, quis huius vitæ fastidio, futuræque vitæ desyderio æstuet, quoniam alium ad hoc timor impellit, alium vero amoris vehementia trahit. Illum exagitat timor ancipitis periculi, istum amor & ęstus perfruendi desyderij. Audi vocem de medio periculorum anxiantis. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Accipe & illam amoris nimiæ estuantis: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vtrobique audio desyderium mortis, & tædium vitæ præsentis. Multi enim in magnis tribulationibus, & tentationibus sunt, & fortiter agunt, gemina libertate securi, fidenter perseuerant. Sed sæpe nonnulli eorum, qui eiusmodi sunt propter metum cadendi, & laborem patiendi desyderant cito mori, vt ab omni periculi suspitione possint esse securi. Sed verendum, ne videatur esse signum non nullius impatientiæ, laborum certamina subterfugere velle, signum similiter nonnullius diffidentiæ sub cadendi metu vltra modum trepidare. Certum namque debet esse pfectioribus, quia fidelis Deus qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus ferre, sed faciet cū tentatione prouentū, vt possimus sustinere 1. Cor. 10. Est ergo alia lex timoris, alia amoris. Nam velle quiescere, & esse securum, non est tam amantis amicū, quam seipsum. Illum verò, quem diligit anima sua velle videre, illius desyderio æstuare, & donec illum videat, appræhendat, inhæreat, nullo modo posse quiescere, signum videtur summæ deuotionis, & admirandæ charitatis. Absit autem, vt dicamus, & credamus sanctarum sanctissimam, propter metū patiendi, vel timorem cadendi mortis desyderio vrgeri. De nullo enim sanctorum rectius creditur quam de ipsa quod parata fuerit semper ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sustinenda. Metu verò cadendi, quomodo vrgeri potuit, quæ in carne, quæ Christi carnem genuit, & nutriuit nil contradictionis portauit? Ad momētaneum dextræ saluatoris tactum leprosus mundatur. Ad tactum fimbriæ sanata est illa, quę sanguinis fluxum patiebatur. Quanto magis illam ab omni contagio mentis, & corporis mūdari oportuit, quæ tandiu totum in vtero, totiens totum in gremio circum plexa fuit, quæ illius vt sic dicam medelæ plenitudinem modo intus infusam, modo exterius adhibitam, sufficienter habuit, illius inquam medelę, quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis satis, super quā sufficere posset.

1. Co. 10

Quo-

Quomodo obsecro cadendi, vel patiendi metu vsq; ad vitæ tędium vrgeri potuit: quæ iuxta angelicæ nostræ salutationis præconium gratia plena fuit? Sed quo eam impellere non potuit timor, potuit attrahere amor. Quisnam vnquam ex omnibus Christi dilectoribus libentius mori vellet: vt eius diuinitatem videre, vt eius maiestatis posset immensitate perpetua eomtemplatione inhærere? Quis vnquam huiusmodi desyderij feruore ardentius ęstuauit? Quanto certè præ cæteris dilexit, tantò præ cæteris diuinæ dilectionis, visionisque sempiternitatem ardentius desyderauit. Audenter dico (ait Hugo) quod ne illa, quæ præceteris amplius dilexit, huic dulcedini inseparabiliter inhærere, vel hanc solá, & sine interpolatione haurire potuit quandiu in hac vita fuit, & corpus corruptibile portauit. Corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quis enim viatorum illam plenitudinem gratiæ, & gloriæ in hac vita obtineat, quam statim post animæ exitum euolans obtinere non dubitat, vt videlicet possit iugiter diuinæ contemplationi inhærere, & ab illa nulla abduci cogitationi, vt possit in illo delectari, & in illo omni hora, & momento gloriari. Non est hoc huius vitæ vbi oportet quemlibet perfectum tantæ iucunditatis dulcedinem (vt cætera taceam) saltem dormiendo interpolare. Quia ergo beatissima virgo illam plenitudinem in hac vita obtinere non potuit, quam in sua assumptione accepit, Quid mirum, si acceptionis illius horam ardenter desyderauit, si horæ huius dilatio eius spiritum vehementer eruciabat? De quo & beatus Hier. in sermone Cogitis. ita scribit: Rogo inquit, cogitare attentius, & perpendite diligentius, quibus afficiebatur beata, & intemerata virgo doloribus post Christi ad cœlos ascensum, expletis omnibus, quę de ipso erant. Quęso, si qua sunt in vobis viscera pietatis considerate, quo cruciabatur amore: quo ue desyderio æstuabat, quanto indefinenter cremabatur ardore pij amoris. Siquidem iugiter nouis desyderiorum affectibus inflammabatur absens præsentia, tantò validius, quanto diuinis illustrabatur intus visitationibus, quá totam repleuerat spiritussancti gratia: totum incanduerat diuinus amor. Sępius putatur Angelis mandasse illud Cant. 5. Nunciate dilecto: quia amore langueo. Fortassis enim pro nimio amore, in loco, quo sepulta dicitur, interdū habitasse eam credimus, quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus. Sic nanque locus medius est hincinde constitutus, vt adire posset ascensionis eius vestigia, & locum sepulturæ, ac resurrectionis, seu omnia, in quibus passus est, loca inuisere, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis solaretur aspectibus, quæ dum in carne vixit, carnis mouebatur sensibus. Et ideo quam sępe locorum recreabatur visitationibus, quia omnino amor impatiens est: quando quod amatur videre non potest. Hæc Hiero. Ex his aliquantulum patet amaritudo spiritus tam ex compassione proximi, quam ex dilatione visionis filii. Tertiū membrum principale alij est reseruandum sermoni, Amen.

Hugo.

Hiero.

Can. 5.

*SERMO DIFFVSVS, ET multū laudatus de assumptione Mariæ, qui secundum diuersos eius articulos, & materias diuersas, quas continet, ad diuersa eius festa pōt faciliter applicari. Ideo dici potest Sermo generalis in ordine. X X V.*



VIA respexit humilitatem ancillæ suę. Ex hoc ení beatá me dicét omnes generationes. Luc. 1. Gloriosissimam maximamque virginis

Luc. 1. Mariæ Christus saluator, & militia cælestis occurrit in celum ascédenti. Hiero.

ginis theotocæ festiuitatem deuotissimo,& corde lætissimo celebremus: triũ phantem in hoc ecclesiam imitantes. Hodie nanque virgo in terris olim humillima, super omnes Angelorum choros vsque ad dexteram filij sedentis in throno exaltatur. Obsequamur & nos terrigenæ: ascendentem prosequentes laudibus, atque hymnis, Sic namque saluatorem nostrum cum tota cœli curia euolanti occurrisse, immo & morienti astitisse beatus Hieronimus. ad Paulam testatur dicens, Credendum est militiam cœlorum cum suis agminibus hodierna die festiuè obuiam aduenisse genitrici Dei, eamque circumfulsisse ingenti lumine:& vsque ad thronum (olim ante mundi constitutionem paratum) cum laudibus,& canticis perduxisse. Nulli dubium illam cælestem Hierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tunc iucundatam esse inæstimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione iubilasse, quoniam festiuitas hæc, quæ nobis hodie reuoluitur annua illis omnibus facta est continua. Nec immerito. Creditur enim, quod saluator omnium quantum intelligi datur, ipse per se totus festiuus occurrerit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Hæc Hiero. Gaudeamus denique,& exultemus, quoniam in eius assumptione, nostram exaltationem certissimam intuemur, nihil hæsitationis relinquitur, quin angelicis inserendi simus choris, cum nostram naturam puram in Virgine Maria super omnes Angelorum ordines fideliter credimus eleuatam. Et quidem præcessit natura nostra in Christo domino, sed non in se subsistens, quinimmo deitati in verbo hypostaticè vnita. Neq; enim Christus homo purus, sed homo Deus ad dexteram patris regnat omnipotentis. Quomodo enim homo terra, & puluis de terrestri paradiso extrusus ad cælestem aspirare auderet, si non in aliquo suam naturam puram præcessisse cognosceret? Hinc beatus Bern. ser. I. præsentis festiuitatis ait, Præciosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum

Bern.

vt dando, & recipiendo fęlici amicitiarum fędere copulentur humana diuinis, terrena cęlestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, vnde data optima, & dona perfecta descendunt. Et quæ dona meliora promissionis certitudine beatitudinis assequendæ, propter quam vtiq; cætera omnia donantur? Deniq; Christus dixit discipulis, Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem: quia pater maior me est. Ioan. 14. Non secus si eam diligimus, gaudebimus vtique, quia vadit ad filium, quia filius maior ea est: qui ipsam summa gloria dotauit, sicut in terris positam, gratiæ plenitudinem infudit. Et quantum gratię in terris adepta est præ cęteris, tantum & in cęlis obtinet principatum glorię singularis, quia enim dominus respexit humilitatem ancillæ suæ, ex hoc beatam dicent eam omnes generationes. Verum quia ipsa gloria gratia est consummata, & summa eius plenitudo. Ea propter verius hodie ab omni cęlesti curia plena gratia predicatur, quam olim ab archangelo Gabriele, solo tunc futuræ maternitatis intuitu, vt plena gratia salutatur. Quam & nos pro obtinenda loquendi,& intelligendi gratia, salutemus deuotione intima dicentes, Aue gratia plena.

Ioan. 14

In hac summa beatissimę Virginis solemnitate de eius gloria, quæ est gratiæ consummatio,& plenitudo, quam hodie plenissimè in corpore, & anima consecuta est, sermonem exigit ipsa festiuitas. Sed si nec oculus vidit, nec auris audiuit, (nec in cor hominis ascendit (Esa. & Apostolo testantibus) quæ præparauit dominus diligentibus se, quid præparauit gignenti se, & quod omnibus certum est, præ omnibus diligenti, quis loquitur? Susceptio qua in suum castellum verbum suscepit ex se incarnandum super rationem est, & intellectum. Nam generationem eius quis enarrabit: ait propheta? Quantò magis susceptio beatifica, qua hodie a filio suscipitur in cęli palatium, pęnitus ineffabilis est? linguis etiam Angelorum

Mariæ humilitas & eius exaltatio.

rum Proinde nos terreni, qui summa tangere non possumus: saltem de his ad eiusdem virginis honorem, nostrâq; ædificationem loquamur: quibus in terris, meruit tantam gloriam in cœlis. Hæc autem sunt, quæ in prima thematis parte tanguntur, & humilitatem virginis respiciunt, quæ custos est, principium, & causa totius meriti, & præmiationis. Et quia secũdum verbum Christi Matt. 23. Qui se exaltat, humiliabitur, & econtra. Ideo non impertinenter hodiè: priusquam de virginis exaltatione sermo habeatur, dicendum erit de sua humilitate. Et potest illa pars sermonis ab hinc vsq; ad literam M cõuenienter prædicari in eius visitatione sub themate præfato: ex euangelio diei sumpto a littera M vsq; ad litteram P in eius annunciatione. Et dehinc a litera P vsque in finem sermonis in eius assumptione. Potest ergo pars initialis incipiendo in littera C prædicari in eius visitatione: vt claret intuenti.

Mat. 23.

Est autem humilitas virtus refrenãs animum, ne immoderate tendat in magna, & excelsa supra se, & hoc propter diuinam reuerentiam, si formata fuerit charitate. Vnde humilitas talis inclinat hominem primo, & præcipue ad subijciendum se Deo, quatenus propter diuinam reuerentiam non sibi maiora attribuat, nec secundum appetitum in maiora tendat, nec alio modo quam secundum gradum, quem sortitus est a Deo. Secundo inclinat hominem ad subdendum, & subijciendum se aliis hominibus propter Deum. Et quantum ad hanc duplicem inclinationem dupliciter assignantur gradus humilitatis. Nam secundum primariam inclinationem possunt tres gradus hoc modo assignari. Primus est, per quem homo ex veraci sui, & defectuum suorum cognitione seipsum despicit, vilem se reputando, honores non quærit, & exhibitos non acceptando refugit. Et secundum hunc diffinit humilitatem beatus Bern. di. Humilitas est virtus, qua homo verissima, & certissima cognitione sui sibi ipsi vilescit.

Humilitas quid.

Bern.

Secundus est, quo homo etiam patienter sustinet, quod talis ab aliis cognoscitur, & vilis reputatur, immo desyderat se talem, qualem se in veritate cognoscit, ab aliis reputari. Et hoc inquantum credit hoc cognoscentibus non obesse, de hoc gradu loquitur beatus Greg. di. Sicut superbi honoribus, ita plerique humiles sua despectione gaudent: quia iudicium, quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari. Tertius gradus est, quo homo in bonis habitis, & possessis nihil sibi aut suis meritis, seu viribus attribuit, sed totum, quod est, & habet, in Deum refundit, nec donis, & bonis attollitur, sed hinc magis humiliatur, acceptis existimans se indignum secundum sapientis consilium. Eccl. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo Et hic gradus est perfectissimus. Quantum verò ad inclinationem secundariam sic assignantur tres gradus humilitatis. Primus, per quem se homo subiicit superioribus melioribus, & maioribus, & hoc tam intellectu, quam affectu, & hic est de necessitate salutis, quia oppositum agere, damnabilis esset superbia. Secundus quo quis subiicit se, & submittit æqualibus, & hic est consilij. Tertius, quo quis etiã iudicio & affectu se inclinat, & submittit inferioribus, & hic est perfectionis. Gradus autem illi non sunt indiuisibiles, sed in quolibet est consyderare latitudinem quandam, infra quã sunt excedentia & excessa.

Greg.

Hæc omnia pręmissa sunt, vt per hæc cognoscatur perfecta humilitas Virginis gloriosę. Ipsa enim altissimi mater, altissimam tenuit in omnibus humilitatem non modo secundum gradus perfectissimos, sed etiam secundum perfectissimorum graduum perfectissimos modos. Quippe necesse fuerat eã plus omnibus humiliari, quæ fuerat die hodierna super omnes homines, & Angelos exaltanda. Nã secundum beatum Aug. homil. 10. de ver. euangelii. Quanto quisque vuult, & disponit super, imponere molem ædificij, & quantò

Humilitas perfecta fuit in Maria

Aug.

tò erit maius ædificium,tanto altius fodit fundamentū.Cogitas magnā fabricam construere celsitudinis,de fundamento prius cogita humilitatis. Magnus esse vis,a minimo incipe.Et serm. 39.Arborem inquit attende, ima petit prius vt sursum excrescat, figit radicē in humili, vt verticem tendat ad cœlū. Sic ad magna si tendimus, parua capiamus, & magni erimus. Et beatus Maximus:vis magnus esse in cœlo, & magnus valde, & valde nimis, esto paruus in terra,& paruus valde,&valde nimis. Sic enim habebis in cœlo ingressum fœlicem, & locum sublimem. Sola enim est humilitas, quæ capacem facit donorum præsentium,& æternorum.Mariæ igitur humilitas maxima fuit, & propter graduum perfectionem,& propter humilitatis generalitem, & circunstantiarum eam commendantium integritatem.

Maximus.

Tenuit siquidem perfectissimam & profundissimam humilitatem secundum perfectissimos gradus,& graduum modos vt in subiecta declaratione apparebit.

Maria humilis in mēte & voce.

Et hoc generaliter in oībus, in mente,in sermone, in opere, in gestibus,& omni conuersatione.Habuit humilitatē pfectissimam mente non solū voce, qualis est humilitas eorū,qui verbis se inclināt,atq; summittunt, asserentes se indignos,viles,inscios &c.Nō tñ ita de se sentiunt,sed huiusmodi verbis humiles videri, & latentē supbiā palliare gestiunt,quæ humilitas,quia simulata est, & hypocritarum, duplex iniquitas, & grauis superbia est, de qua Eccl:19. dicitur. Est humilitas plena dolo nequiter se humiliantis.Humilitas aūt Virginis etsi apparuit foris in conuersatione, pfecta tñ fuit in mēte, qm in suis oculis abiecta fuit. Nec vnq̃ sibi tenuis 'altē cogitatio elationis surripuit.Et licet ex defectuum suorum cognitione humiliari non potuit, quoniam luna sub pedibus eius .i. secundum Bern. omnis defectus longè ab ea quod ad primum, & secundum gradus humilitatis pertinēt: Tamen in maximis Dei donis, & meritis humillimè sensit,nunquam in eis tanquam suis, aut a se meritis sibi complacuit. Sed quicquid in ea perfectionis, & gratiæ esse potuit, totum in Deum refudit, nihil in his sui recognouit, se omnibus his indignam æstimauit, vt sic bonorū omnium dator Deus solus glorificaretur.Hinc cum laudaretur a cognata sua Helisabet dicente, Benedicta tu in mulieribus &c ipsa a se laudes huiuscemodi remouens, soli Deo attribuit dicens. Magnificat anima mea dominū.Vbi glosa.Totum interioris animi affectum in agentis gratiarum laudibus offero, totum,quod viuo,totum, quod sentio, quod discerno in eis magnitudine contemplanda, & eius præceptis obseruandis impendo, quasi diceret: Tu me benedicendo laudas,ac magnificas, sed has ego non accepto: quinimo anima mea dominum magnificat, qui solus laudabilis est, & benedictus in donis suis in secula.Ipse salus omnium, ideo exultauit spiritus meus,non in me,aut his,quæ mea sunt, sed in Deo salutari meo. Et quam vilia de se senserit, in eo aperit, quod quicquid boni meriti habuit, superna se gratia percepisse ostendit dicens. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius, vbi Beda. Nihil suis meritis tribuit, quæ totam suam magnitudinem ad illius donum refert,qui essentialiter magnus, & potens fideles suos de paruis, atque infirmis fortes consueuit facere, atque magnos.

Eccl.19.

Bern.

Glosa.

Beda.

Fuit autem hæc benedictæ Virginis humilitas eo perfectior, quo non tam ex veritatis sui cognitione: quam ex charitatis Dei ardore processit. Est enim humilitas, quam veritas sola parit, quæ in cognitione, & intellectu consistit. Nam peccator homo, qui se ad veritatis lumen sine simulatione inspicit, erit profectò vilis in oculis suis, quamuis id nondum velit, nec in aliorum oculis patiatur. Humiliatur talis ex veritate, & non ex charitate. Est & alia humilitas, quam charitas format, & informat; quæ est, in

Humilitas Mariæ ex charitate.

affectu, qua diligens Deum, ita ad eius magnificentiam, & gloriam afficitur, vt sic omnem gloriam Deo inesse velit, vt omnino nihil sibi tribui patiatur, nec in aliquo se extollat, ne vel sic domini gloriam minuat, si in se quamcunque gloriolam attendat vel acceptare, quã non soli Deo extemplo inesse affectu ardentissimo vellet. Talis Mariæ humilitas fuit, quæ vtiq; nihil minus perfectum in se veritate illustrante cognoscere potuit. Sed quicquid perfectionis in se deprehendit, statim a se remouit, seque indignam talibus & iudicauit, & esse voluit, vt tota perfectionis commendatio soli diuinæ munificentiæ eo magis attribueretur, quo ipsa donis indigna esse probaretur. Hinc in canticis eius humilitas nardo comparatur can. 1. Dicit enim in eius persona spiritussanctus. Cum rex esset in accubitu suo. i. Christus in sinu patris, nõ dum factus visibilis, nardus mea dedit odorem suum. Nardus herba est humilis, & calida, quæ propriè Mariæ humilitatem significat, quæ (vt dictum est) magis ex calore charitatis, quam cognitione processerat veritatis.

Hugo.

Cant.

Fuit quoq; mater gloriosa humilis in sermone, quod & silentio, & eloquio comprobauit. Quid humilius dici potest, quam quod postquam omnibus seculis inaudita percepit munera, gratiæ .s. plenitudinem, & æterni patris filium, ita sacrum mysterium celabat, vt nec Dei laudes, quas in animo sine intermissione celebrabat ore decantaret, prius quam ipsum per Helisabet cerneret publicari? Obmutuit siquidem, & siluit a bonis, de quo Beda. Arcanum mysterij cælestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, donec donorum distributor, quid sibi doni cœlestis tribuisset, quid secreti reuelasset, quandocunque vellet ostenderet. At postquam eadem, quæ erant sibi charissima præstita, per alios spiritu reuelante esse patefacta cernebat, mox etiam ipsa thesaurum cęli, quem in corda seruabat apparuit dicens. Magnificat anima mea dominum, ne forte si taceret, laudes sibi coerceret. Nec tamen sic eis, quibus nondum reuelatum nouerat, humilis mater aperuit: quin potius sponsum, quem vt virginitatis suæ castissimum custodem dilexit, tristari nõ mediocriter permisit, quam quacunque laude dignissima de se præconizaret, vt habere Matt. 1. Denique foris stabat quærẽs loqui filio. Matt. 12. Nec materna auctoritate sermonem interrumpit, nec habitationem irrumpit, in qua filius loquebatur, ait Bern. in ser. Signum magnum. Quotiẽs verò legitur locuta de humilitate tota constat sermo. Locuta Angelo, eam vt dominam salutanti, ancillam domini se pro testatur Luc. 1. Helisabet eam magnificante loquitur, dum dominum magnificat, seque ancillam eius commemorat dum filium dolens quærit, sponsum suum se valde inferiorem sibi anteponit. Pater (inquit) tuus, & ego dolentes quærebamus te &c. Luc. 2. Iterum dum in Chana Galileæ filiũ alloquitur pro vino, vt nubentium confusionem preuenire rogatura, non vt mater filio imperauit, nec importunas preces porrexit, sed velut humilis ancilla rogare non audens, tantum defectum insinuat dicens. Vinum non habent, quæ tamen de sua exauditione certam se ostendit, cum ministris ait, Quæcunque vobis dixerit, facite. Io. 2. quibus verbis eosdem ad humilitatem subiectionis, & obedientiæ erudiuit.

Humilitas Mariç in sermone.

Beda.

Mat. 1.

Mat. 12.

Bern.

Luc. 1.

Luc. 2.

Ioan 2.

In opere quanta denique refulsit humilitas, etsi eius conuersatio, qua inter templi iuuenculas nouissima esse voluit, omnibus subiecta seruiuit, approbat. Clarius tamen illud efficitur, si eius opera post conceptum Dei filiũ attendatur. Quid enim virgo post Angelicam allocutionem, post spiritussancti obumbrationem, post humilem diuinæ electionis consensum, post verbi Dei incarnationem, in suo castissimo vtero, & de purissima sua substantia, qua iam mater Dei facta, Angelorum imperatrix constituta, cœlorum regina sublimata, hominum reparatrix electa, totius creaturæ dominatrix, & sceptrigera

Humilitas Mariç in opere.

gera exaltata. Quid inquã egit? Nunquid sibi(vt digna fuerat) regia adhibuit ministeria: aut imperandis Angelis, disponendis terræ principatibus, cogitarũ impendit, aut ędificandis palatijs, congregandis famulorũ famularumque cœtibus, cæteris quoq; regijs appa ratibus animum inclinauit? Nequaquã. Sed exhibendi ministerium assumpsit. Vnde beato Luca teste Postquam ab ea Angelus discesserat, exurgens Maria abiit in montana &c. Sola abijt, nulla comitata sodali, vt quæ se humilem ancillam domini spoponderat se seruam humiliorem seruæ Dei exiberet. Quæ? Cui? Virgo nuptæ, innocens iustificatæ, mater Dei matri prophetæ, domina famulę. Et ita gradu, sanctitate, officio, ac dignitate superior inferiori. Vnde Beda in Homil. Quis ne sciat Virginem Deo sacratam, mulieri Deo dedicatæ gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem regis æterni iure matri militis esse præferẽdam? Et tamen surgit, montana conscendit, ac gestans in vtero Deum, seruorũ Dei habitacula petijt. Intrat domum Zachariæ atque Helisabet, quam seruum, & præcursorem domini parituram nouerat, humiliter salutat, non vt verbum Angeli, mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis virgo iuuencula, ministerium sedula impenderet. Hæc ille. Ideoq; mansit in eius ministerio tribus mensibus, quia secundum Ambro. super Luc. quę propter officium venerat, officio inhærebat.

Beda.

Ambro.

Et quis dubitet mundi dominã etiã vilioribus officiis cognatæ fuisse obsecutam, videlicet purgando immunda, lauando sordida, & similia, cuius filius Deus, & homo, quem vtero gestabat, suorum pedes discipulorum plebeorũ, atque piscatorum lauare suis manibus non despexit. Quantam deniq; in partu summi regis, cui cœlestes Angelorum exercitus magno lumine pastoribus apparentes, cælũ nouo sydere, magi mystico munere famulabantur. Humilitatem tenuit, & stabuli vilitas, pręsepis angustia, fasciæ pannositas, nulla familia, solius Mariæ officiositas, noctis tenebræ, ac cæterarũ circumstantiarũ paupertas declararunt. Quæ est tantæ paupertatis, ac despectionis mulier, q̃ saltẽ in partu non habeat mulierculas obsecundantes? Sed ecce genitrix altissimi nullam famulantium admisit sedulitatem, nulla(vt ait Hiero. ad Heluidium) ibi obstetrix, nulla muliercularũ sedulitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix. Et collocauit inquit, eum in præsepio, qa non erat ei locus in diuersorio. Ipsa denique vlnis prona tremen tibus, omnem maternum respectum filio exhibuit, lactando, lauando, inuoluendo &c. Sed & post magorum adorationem, sola cum castissimo sue virginitatis custode Ioseph, nocte consurgens, puerum pertulit in Ægyptum, & inde retulit in Nazareth, nulla fit mentio de alicuius iumenti subsidio, tanquam pauperrima, tam spaciosum iter cum sponso suo humiliter perambulauit, in nuptiis virgo castissima inferiores non despiciens, famulatur, ac sollicita filium vt defectui simul, ac verecundiæ succurrat: humillime exhortatur, Vinum inquit non habent &c. Quid multa? Humilem filium a iudæis despectum, & morte turpissima condẽnatum, non erubuit, sed ignominiose cruci astitit, humiliata & ipsa vsq; ad crucẽ cũ humiliato in cruce. Sed nec discipulos eius aspernata, inter eos velut omnium ancilla, ac nouissima, humilitatis præferebat exempla: Quid plura? Omnes eius actus, & operationes, sed & epistolæ quas foras exhibuit cordis humilitatẽ perfectissimè declarabant. Quis demũ numerabit quãta fuit eius humilitas in cõuersatione, gestibus, habitu, cùm humilibus Christi discipulis cũ conuersis peccatoribus, & peccatricibus, cũ pauperibus, & mundo despectis conuersatio eius, quibus non præferri, sed omnibus subesse volebat. Ecce vt actuũ ꝓbat historia cũ Luca, suæ cõuersationis moribus applaudens ex nomine describere voluit eos, qui de mon

Hiero.

Humilitas Mariæ in cõuersatione.

te oliueti redierũt post ascensionẽ dñi in Hierusalẽ, nõ eã, quæ omnibus icorparabiliter excellẽtior erat primo, sed post Apostolos dubitãtes, & fugiẽtes, post quoq; mulieres viduas, & pœnitentes, post illã ẽt, de qua septẽ eiecta fuerũt demonia, vltimũ omniũ nominauit Petrus inqt, & Andreas, Iacobus, & Io. & cæteri qui sequũtur, hi oẽs perseuerabãt vnanimiter in oratione, cũ mulieribus, & Maria matre Iesu. Sed & illud conuersationis eius humilitatem attestatur, ꝙ cũ esset supma omniũ creaturarũ, vt dicit Alb. q. 32. de lau. vir. & ꝓxima Deo p incorruptionẽ, purificationẽ pollutis matribus cõstitutã, absq; legis ꝑcepto obseruauit. Et filiũ cũ oblationibus offerẽs, sacerdotibus legalibus reuerẽtiã exhibuit, p ꝙ humilitatẽ, & obedientiã cõsummauit, dũ ipsa super legẽ posita, legii & ministris legis obediuit. In quo vt idẽ dicit, sũmè se humiliauit. Sũmũ eñ citra Deũ in sursũ est incorruptio, iuxta illud, Incorruptio facit proximum Deo. Sũmè aũt distans ab incorruptione deorsum, est corruptio. Post corruptionẽ sequitur pœna posita ꝓ corruptione, vt ẽ mulierũ corruptarũ purgatio. Sũma igitur inclinatio humilitatis, qñ se excellẽtissima ex incorruptione virgo sub onus corruptioni impositũ spontanee inclinauit. Hæc Alb. Neq; solũ humilitatẽ tenuit, sed & humiliari, ac despici, & reprobari, legisq; maledicto subijci ꝑpter Deũ (cui se deuouerat) concupiuit: dũ virginitatẽ suã Deo consecrare, & velut sterilis ab hominibus maledici maluit, q̃ per carnis corruptionẽ mortali spõso adhærere, sed de hoc alibi dictũ ẽ. Quanta autem fuit humilitas in gestibus mẽbrorũ, in capitis dimissione, oculorum depressione, manuum cõpositione, gressus simplicitate, & totius motus honestate, hoc vnum testatur qd Alexan. de ales & Bona, scribunt. Quia propter humilitatẽ, ac decentiã suorũ morum nullus vnquam virorum ex eius aspectu ad libidinem accensus est, sed & lubricitas omnis extincta fuerat, si qua prius in erat. Habitus eius quantę vilitatis, & humilitatis fuerit, panni quibus infantulũ suũ creatorẽ, & dominũ inuoluit, satis probãt. Quẽ Alb. dicit fuisse habitũ humilitatis, sed non extremæ vilitatis, sed mediocriter temperatum, ita quod non fuerat ornatus, nec sordibus abominatus. Vnde Hier. ait Ipsa enim quia zelatrix animarũ maxima fuit, ad quarũ acquisitionẽ multũ cooperatur, cõformitas, secũdũ illud Pauli. Oĩbus oĩa factus sũ, vt Christũ lucrifacerem. Hæc autẽ cõformitas in mediocritate est, in qua & virtus cõsistit. Ideo videt; ꝙ etiã beatissima virgo, quæ omnibus virtutis speculũ fuit: secũdũ Hier. etiã mediocritatis habitus exẽplũ dedit. Ecce patet breuiter & recitatiuè generalitas eius humilitatis, & per hoc eius perfectio.

Alb.

Alex. de hales. Bonau.

Hier.

Hæc nihilominus humilitatis perfectio similiter consyderari potest ex circumstantiarum eam commendantium integritate. Cõmendatur enim humilitas ex statu, & qualitate subiecti. i. eius, cui in est humilitas, hoc est eius, qui se humiliat, ex causa, propter quã se humiliat, ex comparatione eius ad oppositum, & ex effectu humilitatis cõsequente. Ex omnibus his declaratur humilitatem Mariæ fuisse excellentissimam sub Deo. Ex statu, & qualitate personæ siue subiecti. Nam quanto is, qui se humiliat, maior est, & donis virtutibus, & gratiis perfectior, tanto ipsa humilitas commendabilior, atq; maior. Mensura nanq; humilitatis (ait Aug. in de sancta virg.) cuiq; ex mẽsura ipsius magnitudinis data est. Et subdit. Non vtiq; magnum est, si peccator conuersus ad dominum, humilietur coram domino, memor iniquissimæ vitæ suæ, & indulgentissimæ misericordiæ Dei. Sed si sit aliquis vitiis, & morum maculis carens, huic timendum, ne quo magis inest vnde sibi placeat, eo magis sibi placendo illi displiceat, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Siquidem amplioribus bonis amplius superbia insidiatur, & quo magis oppugnat superbia, gloriosior est eius victrix humilitas. De hoc Bern. 1. hom.

Humilitas Mariæ fuit maxima sub Deo.

Aug.

Bern.

B.hom.4.super Missus est.ait. Non magnum est esse humilem in abiectione. Magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuisci humilitatem. Cum ergo beatissima virgo inter omnes puras creaturas statu fuerit summa, quia summi genitrix electa, & qualitate perfectissima, quia omnium decore gratiarũ plenissima manifestum est eius humilitatem ex hac circũstantia fore oim excellentissimam. Hinc admirando ait Bern hom. vbi supra super Missus est. Quæ est hoc tam sublimis humilitatis quę credere non nouit honoribus, insolescere gratia nescit, mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Et idem in ser. cuius principium est, Signum magnum. ita ad propositum ostendendum ait, audierat Maria haud dubium, quin ab Angelo, quod ex te nasceetur sanctũ, vocabitur, filius Dei, & nihil aliud, qđ ancillam se esse respõdit. Inde ventum est ad Helisabet, & continuo Virginis gloria singularis eidem per spiritum reuelatur. Deniq; & mirabatur personam venientis, dicens. Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini Dei mei ad me? Cõmẽdabat, & vocem salutantis adiicies. Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo Et beatificabat fidem credentis, Beata inquiens, quę credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a domino. Magna quidẽ pręconia; sed deuota humilitas nihil passa sibi retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudantur. Tu inquit, magnificas matrem domini, sed magnificat anima mea dominum. In voce mea perhibes filium exultasse in gaudio, sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et ipse quoq; tanquã amicus sponsi gaudeat ad vocem sponsi, beatam esse dicens, quæ credidit & credulitatis, & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillã humilem & exiguã respexit Deus. Magna igitur immo maxima fuit Mariæ humilitas, quæ in tot magnis, ac maximis, verissimisque laudibus nihil imminuta est, sed & etiã in se aucta creuit. In quibus & hoc ad humilitatis commendationem beatissimæ Virginis confert, quod ex tanta humilitate nõ imminuta est credendi magnanimitas, nec magnanimitati cessit humilitas. Sed in sua æstimatione tam humilis existens, in promissionis credulitate tam magnanimis fuit, vt quæ nihil aliud, quam exiguam sese reputaret ancillam, ad incompræhensibile hoc mysterium, & admirablle commerciũ, ac inscrutabile sacramentum nullatenus dubitaret se electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit enim (hoc ait Ber.) in cordibus electorum gratię prærogatiua diuinę: vt eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes. Magis autẽ cooperetur sibi, vt non solũ nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè prouehatur humilitas, vt inueniantur amplius timorati, & largitori munerum ingrati, ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla surripiat, sed quo minus de sua quisque vel in minimis præsumere consueuit, eo amplius etiam in magnis quibusq; de diuina virtute cõfidat. Nõne ita contigisse apostolo perspicuũ est, qui cum ex humilitate, nec se cogitare aliquid posse a se tanquã a se præsumeret 2.Cor.3. Nihilominus omnia posse in eo, qui se confortabat minime dubitaret? ad Eph.4. Ita & nostra beatissima cum in se solam paruitatem a domino respectam, testata fuisset nihilominus magna sibi a domino facta. Luc 1. & verissime agnosceret, & palam prædicaret. Hæc est perfecta humilitas, qua ita in oculis nostris nosipsi vilescimus, vt tamen domini dona non vilescant. Sed quo amplius nos indignos veraciter credimus, tanto magis domini dona indignis collata, immo in donis suis dominum magnificamus. Crescit namque doni æstimatio humilitate recipientis, sicut id ipsum, quod pauper magnificat, diues recipiens minus pensat.

Bern.

2.Cor.3
Eph.4.

Luc. 1.

Humilitatis excellentia. Ex causa similiter propter quam siue ex qua crescit excellentia humilitatis. Quanto enim nobiliori causa quis humiliatur, tanto humilitas ipsa extollitur Sunt auté quantum ad propositum sufficit, duæ causæ ex quibus in homine gignitur humilitas.s. veritas & charitas. Est enim humilitas, quam veritas sola parit &c. vt supra scriptum est in litera F. de humilitate mentis, & aptius hic poneretur. Ex oppositione similiter commendabilior redditur humilitas. Solent opposita iuxta se posita secundũ philosophi sententiam sese magis illustrare. Opponitur autem Maria Euæ propter quod & ipsa Eua altera, sed noua, sicut Christus Adam secũdus, & nouus nominari solet. sic & humilitas Mariæ superbiæ Euæ veteris cõtrariatur, & per consequens hæc ex illa illustratur. Fuit auté Eua superba, quia secũdũ Ioanné Dam. erexit se vsq; ad Deũ, cõtra Deũ, supra Deũ. vsq; ad Deũ, quando ei⁹ diuinitaté appetere ausa fuit: cõtra Deũ, quãdo cõtra eius præceptum venire præsũpsit, supra Deũ, quando volũtaté suá diuinæ voluntati præposuit. Beata virgo Maria humiliauit se vsq; ad mulieres corruptas, earumq; cõmune cõsortiũ nnnq̃ spreuit. Nunquã aliquam earũ spreuit, sed velut vnam illarũ semp se exhibuit, vt patet in filij circuncisione, sua purificatione, festiuitatũ visitatione, & in omni legalium obseruatione Vnde Bern. in ser. de purificatione. Esto inquit, iter illas sicut vna illarũ, nam & filius tuus sic est in medio paruulorum. Eua deniq; per superbiam se Dei creaturã esse nõ cõsyderans deo parificari voluit. Maria verò se Dei matré oblita, humiliter se suo subdens factori, ancillã se eius ꝓfessa fuit: semper illud Iudih. 8. obseruans Humiliemus illi animas nostras. Humiliauit se etiã nõ solũ vsq; ad mulieres, sed etiã infra quarũ semper nouissima esse voluit, ac nouissima nominari, vt supra dictũ est. Siquidé cunctis se sub fecit, nec quicq̃ in se laude dignũ agnouit, quæ humilitatem suam fuisse a dño respectã exclamauit. Quid est, humilitaté? Humilitatis virtuté, quæ vtiq; honorabilis, & digna valde est? Nõ Neq; hanc in verbis thematis se habere iactitabat. Quoniam vt ait Bernard. Verus humil. non vult humil. prædicari. Nihil siquidé in se, aut de se magnum prædicabat. Propter quod vt Bern. in ser. Fecundæ Virginitatis ait, etiam se angelica salutatione reputabat indignam. Sed respexit humilitatem. i. paruitatem, & exiguitatem, quasi dicat Nihil ego merui, nihil in me condignum, quod respiciens dominus tanta mihi fecit: sed solam meã paruitatem considerauit, vt sic nulla mihi, sed tota illi cederet gloria, gratiarum actio, & benedictio, qui suam tanto magis declarauit bonitatem: quanto in me nihil condignum (quod respicere potuit) inuenit, sed solam exiguitatem. Humiliauit se etiam non contra, sed propter mulierum vtilitatem, quoniã totius illius sexus sua humilitate speculum fuit & exemplar ideo non tantum esse virgo voluit, sed vsque ad statum coniugalem se humiliauit, & vidualem. Vt enim omnibus spem, & fiduciam salutis daret, nullusque status salutem desperaret, voluit coniugio desponsari? & vt vidua a sponso moriente derelinqui posset cum Apostolo, Omnibus omnia facta sum, vt omnes Christo lucrifacerem 1. Cor. 9.

Radices duæ verę humilitatis.

Damasc.

Bern.

Iudith.

Bern.

1. Cor. 9.

Ex effectu autem humiliatis eius iã lucidissimè humilitatem pensare possumus. Nam secundum topicam Arist. Cuius effectus bonus ipsum quoque bonum. Neq; enim potest arbor bona fructus malos facere, neque mala bonos, sed ex fructibus res quęlibet nosci valet. Mat. 7. Habuit autem beatissimæ Virginis humilitas effectum, non solum in ea, sed etiam in nobis.

Mariæ humilitas ex effectu.

Matt. 7.

Quoniã non solum sibi pro
fuit, sed & nobis, immo
toti mũdo, omniq;
generatio-
ni
cœli, & terræ, & inferorum.

*Pars illa, quæ sequitur potest prædicari in annunciatione dominica.*

Sed videam⁹ primo, quo habuit humilitas effect⁹ in Virgine, vt sic patere possit clarius, quẽadmodũ redũdarunt ex ea in ceteros. Habuit .n. gloriosos Virginis humilitas effectus & fructus multiplices tam in via, quam in patria Quicquid enim ei propter humilitatem eius collatum est, ipsius humilitatis fructus, seu effectus est. In via igitur inter ceteros quattuor attendere possumus fructus, & effectus in Virgine, quos mater humilitas generauit. Hi sunt, gratiæ plenitudo spiritussancti inhabitatio, singularis electio, verbi incarnati conceptio. Hos .n. quatuor effectus fuisse in virgine tã angelico, quam euãgelico didicimus testimonio. Quia vero hos ex humilitate sua consecuta sit ostendamus. Siquidem gratię plenitudine operata est dispositiuè humilitatis plenitudo. Neq; .n. gratiam recipere potest nisi humilitas, dicente propheta. Qui emittit fontes in cõuallibus inter medium montiũ .i. valles inter montes mediantes pertransibunt aquæ gratiarum. Hinc valles ipsę humilia .s. corda, nullius superbiæ montibus tumida, abundabunt frumento .i. omniũ virtutum fructu Quod expressus præcursor dñi Lucæ 3. notauit cũ ait. Omnis vallis implebitur. Et manifestius vterq; apostolorũ Petrus & Iacobus exprimit. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hæc virtus propria secundũ cuius mensuram vnicuiq; distribuit suarũ dominus talenta gratiarum. Matt. 25. Nam quãto humilitas animã magis deprimendo cauat, & ab omni inflatione superbiæ euacuat, tãto eã capaciorẽ gratię reddit. Hinc ergo virgo Maria sup omnes gratia repleta fuit, quia infra omnes se (vt dictum est) humiliauit. Vnde Bern. exponens illud Cant. 1. Nardus mea dedit odorẽ suum. ser. 4. de assumptione ait. Nardus herba humilis est, & pectus purgat, vt manifestum sit, humilitatem nardi nomine significari, cuius odor, & decor inuenit gratiam apud Deum.

Luc. 3.

Mat. 25.

Bern.

Per eandem etiã humilitatem facta est habitatio. spiritussãcti. Nam Esa. 66. dominus loquitur. Super quem requiescit spiritus meus nisi super humilẽ, & quietum? Secundum aliã traslationem, ecce humilitas dispositio est animæ vt fiat habitaculum quiescentis in se spiritussãcti. Cum etiam per gratiam spiritussanctus inhabitat animã sicut per charitatẽ, vt patet ex primo, & secundo sententiarum. Consecuta est autem gratiæ plenitudinem virgo semper benedicta per humilitatem, vt nunc dictum est, consequens est vt humilitas ipsa eã reddiderit habitaculũ spiritussãcti. Electionẽ deniq; singularẽ, qua electa est, vt esset sponsa, & mater verbi humilitas operata est ex parte virginis, & benignissima charitas patris. Hæc .n. & si vniuersis virtutibus Virginis animum repleuit, cui plenitudinem gratiæ contulit, tñ singulariter humilitatẽ eius (ipsa teste) respexit, vt singulariter ad supræmum maternitatis Dei statũ eligeret. Hinc Bern. ser. 4. de assumptione, cũ admiratione exclamat. Vnde tibi inquit, humilitas, & tanta humilitas ò beata? Digna planè, quã respiceret dominus, cuius decorẽ concupisceret rex, cuius odore suauissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Cur autem dominus magis humilitatem, quam vniuersæ eius pulchritudinis, decorem aspexisse dicitur, Cancellarius parisien. in lib. super Magnificat. tractatu. 3. ostendit, dicẽs. Duas habitudines esse ponit philosophus in intelligentijs, quas angelos dicimus. Vna qua conuertuntur ad Deũ, ad contemplandum magnitudinẽ eius cum admiratione, pulchritudinem cũ dilectione, & omnimoda subiectionis obediẽtia, motu quodam assiduo quasi circulãdo circa diuinitatem, quẽ apud Boetium philosophia loquitur profundam .s. deitatem circumit. Et iterum. Da fontem lustrari boni. Alteram respe-

Humilitatis effectus s.s. habitatio.

Bern.

Cancellarius.

Habitudines duæ in intelligẽtijs.

Boetius.

ſpectu inferiorum,quæ regit mediante ſuo orbe,quem mouet, prout philoſophia ſubiunxit, ſimili conuertens imagine cœlum. Prima quæ eſt ſubiectionis ad Deum longè perfectior eſt, & pulchrior, quam habitudo regitiuæ dominationis reſpectu inferiorum, quoniam in prima conſiſtit intelligentiarũ fęlicitas, & beatitudo,non in ſecunda. Quia ſi angelus magnificans Deũ, & exultans in Deo gratias ageret verbis humanis,quid mallet dicere, vel ꝙ Deus reſpexit humilitatem ſerui ſui ſubijciens ſe ſibi, an dominationem;atq; potentiam in regimine creaturę?Haud dubium quin primum. Sic beatisſima noſtra ſuam electionem plus inſinuauit per humilē eius ſubiectionem, quā reſpexit dominus, quā ſi dominationis nomen aliquod poſuiſſet.Quid deniq; ſubiecit apoſtatas angelos, atq; homines,niſi ſuperbia, plus glorians in phātaſtica dominatione, quam in humili ad Deũ ſubiectione? ita e regione cauſa electionis virginis fuerat humilis ſubiectio.

Humilitas Mariã Dei, matrem fecit. Per humilitatem etiam mater electā mater verbi patris ſummi efficitur ei* ſacroſancta conceptione. Nam licet angelus à Deo miſſus Virgini colloquitur,ſalutat,diuinum partum nunciat. Inſtruit, ex domini præſentia per gratiæ ac benedictionis plenitudinem cōmendat, nondum tamen verbum concipit,ſed ſtatim ad eius obedientiſſimā humiliationem corde exhibitam, verbo expreſſam. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, ſine vlteriori mora, in primo inſtanti non eſſe verborum,humillimę ſubiectionis. Verbum ex ſinu patris in vterum Virginis matris deſcendit incarnandum, & ſua patris, & ſpiritusſancti operatione, humanam ex ea ſumpſit naturam.

Bern. Ecce quod aliarum nulla virtutum ſuffecit, humilitas executa fuit. Vnde ſecundum Bern. hom. 1. ſuper miſſus eſt. Et ſi placuit ex virginitate tamē ex humilitate concepit. Nā etiam vt placeret virginitas,humilitas fecit. Hinc de eā quidam ex eius laudatoribus ita ait Reſpexit Deus humilitatē Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, vt filiũ ſuum in carne conciperet,& de ſua carne verum Deum & hominem,omnium hominum ſaluatorem generaret. Nam quia ſe humiliter,quod erat, ancillam, cognouit,ideo quod non erat, ſublimiter mater Dei eſſe pro meruit. Exinaniuit enim ſe exēplo filij formam ancillę accipiens,propter quod & Deus exaltauit illam, donauit illi nomē, quod ē ſuper omne nomen, poſt nomen filij. Nomen ſcilicet quo diceretur, & eſſet mater Dei, & virgo Dicitur enim humilitas quaſi humi latens. Latebat in corde virginis, ſed interim etiam ipſa ignorante aſcendebat humilitatis eius meritum ſicut virgula fumi, ad regis accubitum, in ſinu patris cuius odore delectatus cęlos inclinauit, ac dirupit, & ſe humilians, ad humilem deſcendit,atq; ex ipſa carnem aſſumpſit.

## *Pars, quæ ſequitur Aſſumptioni conuenit.*

Expoſitis breuiter, ac generaliter effectibus humilitatis intemeratæ Virginis in via. Reſtat explicare, quantos tanta eiuſdem beatisſimæ matris humilitas meruit fructus in patria, quod propriæ hodiernæ eius feſtiuitati congruit,qua ad cœlos aſcendiſſe, & ſummum poſt filium gloriæ ſtatũ creditur appræhendiſſe.Cum .n. ſecundũ euangelicam promisſionē,qui ſe humiliat, exaltabitur. Et illud Salomonis Prou. 29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria, quicquid exaltationis,quicquid gloriæ hodie conſecuta eſt beatisſima noſtra, eius humilitati reſpondet.Hinc venerabilis Beda in homil. de vigi. aſſumptionis. Magna quidē gratia dilectisſimi beatæ Mariæ Virginis (ait)magna promeruit præmia æternæ remunerationis.Quæ gratia? Haud dubiũ quin humilitas,de qua ſtatim præmiſit di.Ideo q; humiliat ſe beata virgo in cunctis, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam largitoris. Et ſubdit quaſi exponens, quam gratiam

Effectus conſequentes humilitatem Mariæ

Prou. 29

Beda.

gratiam loqueretur, cum dixerat. Magna gratia, magna promeruit præmia. Quia multum se humiliauit inter immensa dona inter diuinitatis commercia, hac festiuitate à domino multum exaltatur virgo gloriosa. Deniq; ideo Christus humilis ad humilem Virginem venit, quam elegit, vt de tam profunda humilitate, triumphum erigeret salutis, & exaltaret eam (vt cantauimus) super choros angelorum Hæc Beda. Quæ cum ita sint, nemo ad hoc nos conari existimetur, vt vel fructuum patriæ quos nunc possidet, vel magnitudinem, vel multitudinem eloqui præsumamus. Tanti enim sunt, & tam ineffabiles, vt nec humano nec angelico intellectu poterint mensurari. Cuius deniq; humilitatis profunditaté (qua in via gratiæ plenitudiné, & attraxit, & conseruauit, ac tantam, quam nunc posfidet, gloriam meruit) nec cogitare, nec eloqui sufficimus quomodo præmia, huiuscemodi merita secundum ditissimam remuneratoris libertatem valde excedentia, infirmo compræhendere intellectu niteremur, ad rem impossibilem frustrà extenderemur. Ipsa enim est mystica regina Saba, quæ hodierna die venit de finibus terræ captiuitatis. 3. Regum. decimo. Cum comitatu magno cœlestium sibi occurrentium agminum ac deducentium angelorum. secundo Paral. nono. Cum diuitijs multis auri, amoris purissimi, aromatum redolentium, virtutum & gemmarum, præciosissimorum meritorum. Talibus vtique ac tam multis, quod & qualia prius, aut posterius ad cœlestem illam Hierusalem regi à suis famulis non sunt allata, quoniam ex supereffluentibus eius diuitijs pariter, & delitijs regi assistentes spiritus beati in admirationem ducti, aiebant illud Cantic. tertio. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum ex aromatibus myrrhę & thuris vniuersi pulueris pigmentarij? Nimirum ait Hieronym. quia multis erat repleta virtutum odoribus, & ex ea manans fragrabat suauissimus odor, etiam spiritibus angelicis. Venit autem audire, videre, & fruendo experiri sapientiam, potentiam, & omnem Salomonis pacifici, benedicti fructus ventris sui maiestatem. Vidit sapientiam eius, domum non manufactam æternam, quam omnibus electis præparauit, mensæ cibaria. de quibus Luc. 12. ait Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Seruorum habitacula, de quibus olim audiuit. In domo patris mei mansiones multæ sunt, officia, vestes, holocausta, laudes. Hoc est angelorum beatorum distinctas, Hierarchias, choros, & ordines, actus, officia, glorias, ac diuinas laudes. Admirabatur & ipsa, & pene non erat in ea præ stupore vltra spiritus, idest tanta admiratione vt in stuporem verti potuisset, & extasim nisi status ille nihil tale pateretur. Aitque ad regem. Verus est sermo, quem audiui in terra mea, terra miseriæ & captiuitatis (sic enim Saba interprætatur) de virtutibus, & sapientia tua. Non credebam narrantibus, prophetis, idest credendo compræhendere non potui, donec ipsa venissem, & oculis meis vidissem, visione intuitiua, quæ est beatifica, & probassem fruitione amorosa, vix medietatem sapientiæ tuæ fuisse mihi narratam immo nec medietatem, nec millesimam partem, aut quamlibet partem aliquotam. Infiniti enim quale est sapientia, & potestas diuina nulla portio potest perfectè compræhendendi. Maior est sapientia tua, quam rumor, quem audiui. Vicisti famam virtutibus tuis. Et beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt tibi in omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Et quid sequitur. Rex autem Salomon dedit reginæ cuncta quæ voluit, & quæ postulauit, multo plura, quam quæ attulerat. Quia sine proportione præmium, & gloria, quas Christus dedit matri hodie assumptæ excesserunt virtutes, & merita secum allata. Ecce si merita Virginis, cœlorum virtutes admiran

Marginalia: Maria est Regina saba. 2. Regu. 10. 2. Paral. 9. — Cant. 3. — Hiero. — Luc. 12.

mirantur, ipsa virgo etiam cœlicolarum regis æterni famulorum beatitudinem stupet,& exclamat. Gloriam virginis hæc omnia longe excedentē quis enarrabit? Admirati sunt super his angeli, in quorū persona spiritussanctus Cant. 8. ait. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens. Acsi manifestius dicant secundum Bern. ser. 4. de assumptione. Quanta est, & vnde ei ascendenti (vtiq; de deserto) affluētia tanta delitiarum? Nec .n. pares delitiæ inueniuntur vel in nobis, quos in ciuitate domini lętificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur. Sequitur. Quidni delitias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinē gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis? Multo magis,& nos non appræhendere, sed admirari oportebit. Sufficiat igitur nobis si correspondentiam eorum, quæ sunt in beatitudine Virginis, ad gradus modosq; suæ humilitatis sermone generali vtcunq; poterimus enarrare.

Cant. 8.

Bern.

Maria humilis nulli se præposuit aut æquauit

Dictum est autem q humilitas Virginis in eo profundissima fuit, quia nulli se præposuit, aut æquauit, sed omniū semper se nouissimam deputauit. Hāc humilitatem tenuit mente, sermone, opere, habitu, conuersatione. His in adepta gloria correspondet, profunditati humilitatis, sublimitas exaltationis, humilitati mentis, cognitio, & gaudium possessę beatitudinis, humilitati sermonis, voces diuinæ angelicæ pariter, & humanæ laudis, humilitati operis, vniuersalis culmen regiminis, humilitati habitus, solis vestitus, humilitati quam prætulerunt eius mores & conuersatio, respondet lunę sub pedibus subiectio. Hæc breuiter transcurramus. Profunditati igitur humiliationis respōdet sublimitas hodiernæ exaltationis. Quæ enim omnibus se inferiorem, ac nouissimam deputauit, nedū præferendo Virgines sed & mulieres corruptas, immo vt dictum est peccatrices, ideo nunc exaltata est super omnes puras creaturas, nedum super homines beatitudini ascriptos, sed etiam super omnes angelorum ordines, & Hierarchias, ad dexteram filij sui, vltra quam nostræ humanitatis est natura, vt dicit Hiero. ad Paulam. sub quo solam Hierarchiam constituit omnium principatuum celsiorem. Sicut olim in Bersabeæ Salomonis matre figuratum est, cui filius rex ad se accedenti de solio suo assurrexit in occursum eius, & cum in solio suo resedisset, positus est thronus matris eius, quæ sedit ad dexteram eius. 3. Reg. 2. Et quia secundum Bern. ser. qui incipit Signum magnum Nefas est dubitare eam super omnes angelorum choros, super Cherubin,& Seraphin exaltatam. De hacq; eius exaltatione latius dictum est sup. sermone 3. de assumptione. Ideo tantum de hoc commemoratum satis sit.

Hiero.

Bersabeæ Marię figura.

3. Reg. 2.

Humilitati mentis correspondet cognitio, & gaudium summæ possessæ habitudinis. Ecce enim quæ nulli se prætulit, sed se infimam omnibus vt dictū est estimabat: Luc. 14. quæ (velut in euangelica parabola dicitur) suo iudicio in nouissimo loco ecclesiastici conuiuij recubuit, iam primum se obtinere locum clarissimè contemplatur. Nā proximam se nunc Deo indubitate cōspicit, omnibusq; cœlestis aulæ incolis prælatam videt, meritis ditissimam, gloria,& honore præ omnibus coronatam. Non modo meminit pressurę, ac despectionis quibus humiliata est in terris, quia ineffabiliter se gaudet primatum compræhendisse in cœlis. Nullus iam timor, aut tremor, nullum discrimen euagandi, aut amittendi, certitudine summa tenet, quoniam assecuta est gloriam omnibus eminenter. Hæc inamissibilis gloriæ certa cognitio,& securitas, tentio dicitur, quæ est tertia pars beatitudinis. Cum .n. beatitudinis tres partes tradat theologorum autoritas. s. visionem, fruitionem, tentionem quæ secundum proportionem quandam tribus virtutibus theologicis respondent, fidei, charitati, & spei. Non videtur absurdum dicere tētionem

Beatitudinis tres partes.

tionē respondere humilitati. Neq; .n. superbus in se ipso confidens, sperat in alium. Sed qui per humilitatē nihil sibi tribuit, nihil à se sperat dicens cū apostolo. Non sumus sufficientes &c. sed sufficientia nostra ex Deo est hic in domino sperat. Et ita quia tentio spei succedit, etiam humilitati vt causæ spei respondet. Per quam tentionem securam se totius beatitudinis, & adeptæ dignitatis nouit omni separationis timore sublato.

Humilitati Mariæ respondēt voces diuinæ. Humilitati sermonis respondent voces diuinæ, angelicæ, & humanæ laudis. Nam quæ olim eminentem, sed latentem sui gloriam, & silentio & humilitatis eloquio abscondit, nunc vniuersorum laudibus celebratur. Principaliter autem, & excellentissimè eius cuius laus sola ineffabilis est, & beatificat laudatos. Si enim tunc erit vnicuique laus à Deo, vt dicit apostolus. 1.Cor.3. Quanta illius laus est, quæ super omnes electa est pariter, & dilecta? An nō voces erant laudisonæ, quibus hodie beatissima nostra exaltata, & præconizata est à domino eam vocante, & dicente: Ecce tu pulchra es amica mea: Ecce tu pulchra es, oculi tui colūbarū. Surge, propera amica mea, speciosa mea, columba mea, iam enim hyems transijt &c. Nam tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea &c. quæ in canticorum canticis in hunc modum continentur. Quantum verò ad angelorum, & beatorū laudes, sequitur ibidem. Viderunt eam filiæ syon, & beatissimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam cum admiratione dicentes. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, consurgens pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quoniam secundum Hierony. in sermone Cogitis. (Hiero.) Tantam eam viderunt, quantam nullus explicabit mortalium. Sed & ecclesia militans adhuc in via laudare eam non cessat, festa eius celebrans eam cum deuotione, & gaudio extollendo. Itaq; verificatum videmus, quod prophetiæ spiritu prius cęcinerat: Beatam me dicent omnes generationes. Quæ tractans beatus Bernardus sermone.2. de Pente. Beatam inquit, te dicunt omnes generationes. Genitrix Dei, domina mundi, regina cœli. Omnes inquam generationes. Sunt enim generationes cœli, & terræ, Pater spirituum, ait apostolus. Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim angeli lętitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum.

Humilitati operis Mariæ respondet culmen vniuersalis regiminis. Humilitati operis respondet vniuersalis culmen regiminis. Quantam in vniuersis suis operibus humilitatem tenuerit, nunquam sibi vt dominę ministeria exhibuit, dictum est, non præesse sed subesse omnibus semper voluit. Ideo sublimiter hodie ad supremi solium exaltata regni, sceptrum tenet imperij celestis pariter, & terreni. Vnde Hiero. ad Paulā. (Hiero.) Hęc inquam, est dies in qua vsq; ad throni celsitudinem intemerata mater, & virgo processit, atq; in regni solio sublimata post Christū gloriosa resedit. Et propheta. Astitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate. (Psal.44.) Verè in vestitu deaurato, corpore iam incorruptibili & glorioso circumamicta varietate donorum gloriæ. Siquidem hodie magnificata est beata virgo, ait Gerson super Magnifi. (Gerson.) Vt regina cœli, immo & mūdi iure vocetur, habes præeminētiam, & virtutem influxiuā super omnes. Vnde & Bernar. sermone.2. de Pentecost. (Bern.) Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui habitant in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlis, vt resarciantur

tiantur, & qui in inferno, vt eripiantur, qui præcesserunt prophetæ, vt fideles inueniatur, qui sequuntur, vt glorificetur. Quæ ergo cum & cœlos regat, cęlorum regina, sicut ecclesia canit, vocari digna est.

Humilitati habitus Mariæ respondet solis amictus. Apo. 12.

Humilitati habitus correspondet solis amictus. De hac enim beatissima visio Ioannis in Apoc. ca. 12. descripta accipitur, & à sanctis patribus exponitur, quamuis ad literam de præsenti ecclesia secundum prophetiæ illius ordinem intelligatur. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum. 12. Amictus hic admirabilis, & præciosus, & tantæ humilitati debitus. Sed nemo solem lunam, & stellas materiales illas orbium suorum densiores partes cogitet, quæ etsi terris secundum inditam eis ab omnium conditore optimo proprietatem, lumen, & virtutem influant. Longè tamen sub angelorum reginæ ineffabili dignitate, immo omniũ beatorum sunt, quorum etiam corpora sua claritate solis fulgorem vincunt, secundum illud ecclesię: Fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorum, sed solem intelligamus iustitiæ, Christum dominum, qui nunc vestit, à qua olim vestitus est. De quo B. Bern. in ser. qui incipit Signum magnum. Iure Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimæ diuinæ sapientiæ abyssum, quantum sine personali vnione natura patitur, luci illi inaccessibili videtur immersa, & cętera quæ sequuntur. Quid vero stellæ coronantes imperiale caput designent, breuitas nunc exponere prohibet, sermoni, alteri reseruandum.

Bern.

Luna sub pedibus Mariæ quid

Quia vero luna sub pedibus eius describitur, hoc est, quod humilitati morum, & conuersationis correspondet. Ipsa .n. tanquam humillima filia sion, velut nouissima inter filias Hierusalem, inter vniuersos electos, discipulos & Christi discipulos vt dictum est, conuersata, nunc autem super omnes exaltata, lunam, idest ecclesiam militantem (adhuc tentationibus agitatam crescentem, & decrescentem, nec ex se splendentem, sed ab eo, qui dicit: Sine me nihil potestis facere) habet sub pedibus, quia fideles suis pedibus prouolutos & ad eã vt saluari valeant, orationes supplices effundentes. Vnde Bernar. vt supra in fine. Iam te mater misericordiæ inquit, per ipsum syncerissimæ mentis tuæ affectum, tuis iacet prouoluta pedibus luna idest ecclesia, mediatricem sibi apud solem iustitiæ constitutam deuotis supplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amauit præ omnibus & ornauit stola gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Et sequitur. Plena es gratiarum plena rore cœlesti: Innixa super dilectum, delitijs affluens. Ciba hodie pauperes tuos domina. Ipsi quoq; catelli de micis edant. Nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua, quia verè tu puella es prædilecta, & præparata altissimi filio, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.


Bern.

FINIS.

# SERMONES IN FESTIVITATIBVS SANCTORVM SOLEMNIORIBVS TOTIVS ANNI,


A' MAGISTRO GABRIELE BIEL THEOLOGO CELEBERRIMO,

*Omni pietate, & studio eruditè explanati.*




BRIXIAE,
APVD THOMAM BOZZOLAM, M. D. LXXXIII.

3



# INDEX
# RERVM MEMORABILIVM
## EX SERMONIBVS DE SANCTIS.

## A





✠ 2 Anto-

B



C



D

# F



# G



# H



# I

L



M

# N



# O



# P

FINIS.

## DE SANCTO ANdrea. Sermo I.



VI non baiulat crucem suam, & venit post me, nō potest meus esse discipulus. Luc. 4. Agimus nunc solemnem festiuitatem beatissimi, Andreæ apostoli, qua ipse per crucis tropheum cunctos aduersarios vicit, cęlos ascendit. Agamus oportet cum lætitia memoriam passionis crucis eius, quam ipse feruentissima deuotione, desyderantissimè optatam sustinuit, immo elegit. Quis vnquam tantæ exultationis verba in passione acerbissima eructauit? Legimus Petrum apostolorum principem crucem timuisse, parumq; declinasse, & ad eam per dominum sibi apparentem reuocatum Domine quo vadis &cet. Audio Paulum clamantem Phil. 1. Cupio dissolui, & esse cū Christo, sed non suppliciū crucis desyderantem. Gloriatur quidem in cruce, sed Christi nō sua. Vñ Gal. 6. Mihi, inquit, absit gloriari nisi in cruce dñi nři Iesu Chři. Nouim⁹ deniq; dñm nostrū vsq; ad sanguineū sudorē angustiatum ad patrē orasse. Luc. 24. Si possibile est, transeat &c. quamuis in dño alia est ratio. Non .n. pro se, sed ꝑ nobis angustiā sua sponte assumpsit, & ꝑ suā angustiā suos martyres ab angustia liberauit. Beatus aūt And. per dñi angustiā fortificatus, nō mō crucis timorē vicit, sed cū gaudio illi occurrēs & tāquā amantissimā eā salutans ait. Salue crux, q̄ in corpore Christi dedicata es, & ex mēbris eius tanquā margaritis ornata, antequā in te ascenderet dñs, timorē terrenū habuisti, mō vero amore cęlestē obtinēs pro voto susciperis. Securus igitur, & gaudens venio ad te, vt tu exultans suscipias me discipulū eius, qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desyderaui amplecti te. O bona crux, quæ decorē de mēbris dñi suscepisti diu desyderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, & iam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt ꝑ te me recipiat, qui per te me redemit. Ecce crucē tollendā, quā Christus prædicauit, ꝙ multis durū, & penè impossibile videbatur, discipulus ille non solū possibilem cōprobauit, sed facilem, sed iucundā in eo ꝙ omni abiecto timore, cū immensa lętitia taquā perfectissim⁹ Christi discipulus crucē suā gaudenter baiulans, dñm secutus est excitatus thematis vocabulo. Qui non baiulat &c. Aue Maria.

*Andreas desyderauit ardenter crucem baiulare*

Perfectissimā crucis sequelā beatissim⁹ Andreas nobis ostendit à principio suæ vocationis vsq; ad eius consummationē, quæ sola via est ad regnū. Certè teste veritate, nemo ascendit ad celum nisi qui descendit de cęlo, filius hominis, qui est in cęlo. Ioa 3. Accedat autē totus, caput cū mēbris. Quæ membra Christi nisi eius discipuli? Sed non pōt esse discipulus, nisi qui baiulat crucem suam post Christū. Crux est tribulatio siue afflictio quælibet pro iusticia. Necesse itaque est Christum sequi volentem afflictionem pati pro iusticia. Hinc Paulus 2. Timo 3. Omnes, qui volūt piè viuere in Christo, persecutionē patiuntur. Et Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cęlorum. Ecce quicunq; fugiunt tribulari pro iustitia, ad vitam peruenire nolunt. Verū vt crucem nostram baiulemus, necesse est vt cruci Christi mysticè affigamur, cuius quatuor virtutibus quasi quatuor cornibus (quibus secundum Bernard. ser. 2. de sancto Andrea construitur) tanquam scuto veritatis circundati, omnia aduersariorum tela securi suscipimus, & triumphamus. Hæc sunt.

*Andreas docuit nos perfectissimā crucis sequelam.*

Continentia contra timorem nocturnum.

Patientia contra sagittam volantem in die.

Prudentia contra negocium per ambulan. in tenebris.

Humilitas contra dęmonium meridianum.

Nimirum quatuor sunt aduersitatum genera quæ timemus, quę propheta psalm. 90. tangit, scuto circundabit te &c. quæ sunt. Timor nocturnus, qui est pusillanimitas; quæ de carnis afflictione procedit. Contra hanc triumphamus si per continentiam corpus, quod sub nobis est viriliter castigare, & in seruitutem spiritus redigere studemus.

Aduersitatũ genera quatuor timet homo.

Alterum est sagitta volans in die, aperta .s. contumelia, aut aperta malorum suasio, & hæc à sinistris est, sinistro crucis cornu, quod est patientia excipienda. Tertium genus est negociũ perambulans in tenebris, scilicet adulatio, vel occulta, & palliata machinatio, quæ sub specie virtutis detractio, fraternum odium, discordia, aut quodlibet aliud vitium inducere conatur. Hoc genus à dextris est, speciem boni prætendens, sed dextro cornu, prudentia videlicet abigendum.

Quartum est dęmonium meridianum, superbiæ .s. spiritus, qui in splendore maiori virtutũ .s. insurgere solet, cęteris pernitiosior, quia initiũ omnis peccati superbia. Eccle. 10. Hoc genus de sublimi venit per supereminens capiti crucis cornu humilitate .s. ipsa extinguendum. Hæc sola est (ait Bern.) cui saluris titulus inscribitur, quia solus, qui se humiliat, saluari, & exaltari meretur.

Andreas quatuor genera aduersitatũ sustinuit.

Sed quõ hęc attingamus? Accedat nunc beatus Andreas, qui pertulit omnes has tentatoris sagittas. Nã homo fuit similis nobis. In natura caro, & sanguis, ex carne natus, ex eadẽ perditionis massa prodiit vnde ortus fuit. Vnde à carnis grauaminibus liber nõ fuit. Generale est omnibus quod scribitur: Corpus, quod corrumpitur, aggrauat auimã, & deprimit terrena cogitatio sensum multum cogitantem Sap. 9. Contumelias in faciẽ sustinuit, flagella carcerem, crucem. Tu es seductor ille &c. ait proconsul Ægeas. Quod Christo in cruce persuasit diabolus linguis iudeorum (hoc scilicet vt de cruce deponeretur, ac corona iam reddenda priuaretur discipul⁹ Christi Andreas) sub pietatis specie perficerè tentabat populi clamore, & manibus Ægeę.

Nec superbiæ conatus defuit, dum apostolus iustus, & sanctus, & sanguis innocens damnari conclamatur. Sed quomodo hæc vicit fortissimus miles Christi? Sine dubio, scuto crucis, quã amabat, cui corde infixus erat. Ad cornua crucis, quæ dicta sunt, via certissima processit. Nam ecce fides solida eũ initiauit, obedientia deduxit, spes firmauit, charitas perseuerantiam tribuit, & coronam. Credidit Ioanni dicenti: Ecce agnus Dei &c. Credidit Christo, quem audierat, & ei testimonium pe:hibuit, dicens Simoni fratri suo. Inuenimus Messiam, quod interpretatur Christus. Obedientiam perfectam tenuit, quoniam ad vnius iussionis vocem, omnia relinquens, dominũ secutus est, vt dicit Greg. in hom. & habetur historia Matth. 4. Spe certissima carnem, & omnes labores vicit. Secut⁹ inquit, & gaudens venio ad te &c. Ardentissima dilectione cursum consummauit. Deniq; per hanc, superbiam vicit, humilitatẽ tenuit quoniam per charitatem, non quæ sua, sed quæ sunt Iesu Christi quęsiuit, & nullum honorem aut gloriam sibi attribuit, sed per dilectionem se, & omnia sua in Deum retulit. Per spem futurorum continentiam à carnalibus desyderiis tenuit, & per hanc carnem crucifixã cum vitiis, & concupiscentiis eius. Gal. 5. per fidem prudentiam, per obedientiam patientiam, per quas à dextris, & à sinistris, tam blandimenta noxia, quam cõtumelias vicit apertas.

Andreas quomodo vicit & superauit.

Sed inter hæc ad nosipsos conuertamur. Non solum nobis in scripturis sanctis præcursor loquitur, loquuntur & prophetæ, loquuntur nobis apostoli, & euangelistę, loquitur nobis veritas ipsa, loquuntur nobis doctores sancti, ac prædicatores verbi Dei, & nihilominus

lominus infirma est fides nostra. Obedientia penè nulla nec solum non obedimus, sed repugnamus, sed veritatem impugnamus, contra propheticam inclamationem. Vę qui contradicit facto ri suo testa de samiis terræ. Esa. 45. Spes nobis tenuis est quia non ad dominũ, sed ad mundanam potentiam, ad baculum arundineum contractum. Contra illud prophetæ. Ecce confidis super baculum arundineum confractum. Esa. 36. Refriguit in nobis charitas. Matt. 24. Creuit vanitas, omnia ad Deum pertmentia sunt nobis fastidio, sola placet vanitas, & peritura cum hoc mundo. Omnes, quæ sua sunt, quærũt. Phi. 2. Et 2. Tim. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erũt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi &c.

Quomodo ad eas virtutes exemplo sancti Andreæ venire possumus? Dona enim Dei sunt & ex nobis apprehendere non valemus. Spiritus enim Dei, per quem præualuit beatissimus Andreas, ipse est, qui etiam nostram adiuuabit infirmitatem. Rom. 8. si dumtaxat eum tota mente quæramus. Inquiramus autem deuota oratione pro ptera enim ait Bern. Non inuenietis, quia non petitis. Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi vt sedulè, & cum desyderio requiratur. Ideò hortatur Bern. Petite inquit charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione, & in omnibus operibus vestris dulcissimi semper huius spiritus præsentiam & auxilium inuocate. Hæc Bern. Imploremus itaq; Deũ, inuocemns & sanctum Andream patronum, & mediatorem &c. Amen.

## *De eodem Semo. II.*

ILLI continuo relictis omnibus secuti sunt eum. Mar. 4.

Andreæ trina vocatio.

Festum beatissimi Andreę omniũ à domino vocatorum apostolorum primi solemniter agimus, cuius vita exemplaris perfecta nobis est doctrina salutis Nam conuersionis sui initium perfectam obedientiam. Medium sui profectus perseuarantiam. Finis charitatem ardentissimam demonstrauit. Ipse enim primus omnium discipulorum Christum agnouisse scribitur. Teste nã q; Ioanne euangelista cap. 1. beatũ Andreas, qui discipulus præcursoris domini existens audito eius testimonio, quod Christo perhibuit, dicens: Ecce agnus Dei &c. Audito etiam loquentem Christum, secutus est dominum Iesum, eius habitationem scire desyderans: vt frequenti visitatione eius dulci colloquio plenius doceretur. Cognito verò domino postquam die illo cum domino manserat, Germanum suum Petrum quęrens, ipsi Christum euangelizauit, dicens. Inuenimus Messiam, & adduxit eum, ad Christum. Et hęc prima vocatio interna. Iterum Luca teste ca. 5. Laborantibus in piscatione Petro cum sociis, & nihil capiente, & in verbo domini rete laxante, audiuit à domino. Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens. Vbi cum Petro creditur fuisse frater eius Andreas. Et hæc vt plurimi sentiunt, fuit secunda vocatio. Demum vt Mat. 4. cap. scribitur & est euangelium hodiernum. Ambulans Iesus iuxta mare Galileę, vidit, Petrum, & Andream &c. Ecce tertia vocatio, ad quam relictis continuò omnibus secuti sunt eum. De quibus pro gratia Aue Maria.

Audistis trinam beatissimi apostoli vocationem, consyderate promptissimam obedientiam. Nam teste beato Grego. ad vnius iussionis vocem Petr9 & Andreas relictis retibus secuti sunt redemptorem. Nulla adhuc eum facere miracula viderant, nihil ab eo de prçmio ęternę retributionis audierãt, & tamen ad vnum domini præceptũ hoc quod possidere videbantur obliti sunt. Sic ergo initium conuersationis beati Andreæ obedientiam demonstrat. Sed fortè dicis: Quomodo ad vnius iussionem vocis secuti sunt redemptorem, omnibus relictis, cum post primam, & secundam vocationem ad

sua redierunt, nec sequebantur donec tertiò vocarentur? Respondetur ꝙ ad quamlibet vocationem secuti sunt obediendo eo modo, quo vocati sunt. Nā primo modo vocati sunt ad notitiam domini consequendam. Vnde quæsiuit Andreas: Domine vbi habitas? Et respondit dominus: Veni, & vide. Et quitur: Venerunt,& viderunt vbi maneret,& apud eum manserunt die illa. Secundò vocati sunt ad familiaritatem contrahendam, quam & contraxerunt, & in nauem, vnde tam descenderāt ad lauandum retia dominum susceperunt, & eius imperio reducendo nauem pusillum a terra, & deinde ducendo in altum, atque laxando retia in capturam, licet tota nocte laborantes nihil cepissent, obtemperabant familiariter ei conuersantes. Vnde & Petrum futurum fore discipulum prædixit dicens: Ex hoc eris homines capiens, non tamen ad huc ad discipulatum vocauit, vt vult glosa Matth.4. Tertiò autem cum iam esset eis notus, & familiaris, vocauit ad sequelam, & discipulatum,dicens Petro, & Andreæ Venite post me &c. Et ad vnicam illam vocationem ad discipulatum continuò relictis retibus, & cęteris omnibus secuti sunt dominum, nec vltra ad propria redierunt. Vel dicitur breuius quod tantum semel vocati sunt ad sequelam, siue discipulatum, ad quam vnam iussionis vocem continuò relictis omnibus, dominum sunt secuti.

Vocationes diuinæ quæcunque sint non spernendæ.

Ex illo doctrinam hanc accipite: Diuinas vocationes, siue per internas inspirationes, siue per exteriores scripturæ & vocum, siue signorum idest beneficiorum, & correptionum exhortationes nemo contemnat, sed sine mora vigilanter vocantem dominum audiat,& sequatur. Ad hoc præter apostolicum exemplum scriptura nos multipliciter adhortatur. Hinc Prouerb. 8. Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me. Item Eccle. 32. Qui vigilauerit ad dominum, inueniet benedictionem. Et capit. 39. Iustus cor suū tradet ad vigilandum diluculo. Ad quid vigilet? certè vt cum propheta quid in eo loquatur dominus, audiat, & ne si hodie vocem eius audierit cor suum obduret, incidens in illud incredulitatis exemplum eorum quibus in ira sua iurauit dominus, si introibunt in requiem meam. ad Hebr. quarto. Quæ enim fuit causa propinquior iudaicæ captiuitatis per Salmanasar, & Nabuchodonosor? Non peccata, quibus in dominum peccauerunt. Sed quia cum peccassent, ad pęnitentiam vocantem dominum per prophetas suos mane consurgentem audire noluerunt, vt habetur. 2. Paral. 36. Hiero. 35. Similiter causam excidii Hierosolymitani per Titum, & Vespasianum dominus assignat, eo quod non cognouit tempus visitationis suæ Luc. decimonono. Et fatuis virginibus, quia paratę non erant ad clamorem mediæ noctis,clausa est ianua beatitudinis Mat. vigesimoquinto Denique non est permissus vocatus à domino prius sepelire patrem suum, dicente domino: Mitte mortuos sepelire mortuos suos. Neque redire alius similiter vocatus est, permissus est, vt renunciaret his, quæ domi habuit. Lucæ. 9 Hinc glo. Mat. 4. super verbo continuò, ait: Perfecta obedientia est sua imperfecte relinquere. Nonnunquam enim contemnens diuinam vocationem,quæ quasi lux quædam viam ostendit,postea eam non meretur. Ideò auisat dominus Ioa. 12. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, venit enim nox, in qua nemo potest operari. Io. 9.

Medium conuersationis beatissimi Andreæ perseuerantiam nobis in cępto bono exemplat. Nam sequens dominum ei fideliter adhæsit, & post dominicam ascensionem verbum Dei cōstantissimè prædicauit, pene totam Achaiam,quam ecclesiis repleuit, domino acquisiuit, nec in cruce cessauit à prædicatione. Nam biduo pendens in cruce, plus quā viginti millibus hoīm pdicauit. Hinc doctrina de pseuerātia cōtra recidiuā elici posset, & ostendi ꝗ gra

graue est post agnitam veritatem retrorsum abire & viuere vanitati, sed hoc rescinditur.

Andreę finis admirationẽ & stuporẽ affert.

Finis autem beatissimi nostri Apostoli in cruce consummatus in admirationem, & stuporem cedit, omnibus audientibus vel legentibus. Mortem enim omnibus terribilem, & velut extremũ malum fugiendam, cũ pena crucis velut epulas, vt esse cum Christo posset, concupiuit. Et genus mortis exprobratissimum simul, & penalissimum, propter assimilationem domini, & magistri sui, prece, & ingenio obtinuit, dum populum se in carcere positum violenter liberáre volentem, à suo proposito exhortatione diligentissima, compescuit, & ad similia pro domino sustinẽda animauit, atque iam biduo in cruce pendens oratione feruentissima, ne deponeretur, à domino obtinuit. Tu es (inquit) magister meus Christe, quem dilexi, quem confessus sum &c. tantum in hac voce exaudi me, ne permittas me ab impio iudice deponi &c. Eia quis dulcedinem diuinæ charitatis, quæ mentem eius impleuerat, ęstimabit? tanta enim fuit, vt mortem amarissimam dulcem fecerit. O quantus ardor dilectionis mentem eius accenderat, quæ omnem pęne dolorem absorbens, in gaudium spirituale commutauit. Salue crux inquit, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata, securus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te. Amator tuus semper fui, & desyderaui amplecti te. O bona crux diu desyderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. O quanta perfectione imitatus est Christi virtutes, & doctrinas, qui tanto ardore imitari desyderauit magistri sui pęnas. Hinc accendi debet humana infirmitas, ac intelligere quanto feruore diligendus est dominus. Hinc etiam discere, pót q̃ dulcis est beata & æterna vita, quæ tam dulcem suis facit mortem, & per quã accensus est, per doctrinam Christi euangelicam, quæ & nobis quotidie præponitur: Amen.

## NICOLAI EPISCOPI *Sermo I. in ordine. III.*



BONVM est viro cũ portauerit iugũ ab adolescentia: Thren. 4.

Nicolai commendatio ex miraculorũ magnitudine.

Festum solemne beatissimi Nicolai magni confessoris domini Mirreę ciuitatis episcopi agimus, qui hodie bonum summum consecutus in patria, quoniam ab ineunte sua ętate iugum portauit in via. Illud inquam, iugum, quod Christus asseruit fore suaue & onus leue. Mat. 11. Eo vtiq; leuius, atque suaue magis, quo in adolescentia citius assumitur, & perseuerantius insignũ vsque fertur, propter auxiliatricis gratię augmentũ, & ad genitum consuetudinis bonę habitum. Hęc enim secũ cũ Ari. velut altera natura inclinat delectabiliter in assueta. Hic vt de eo scribit B. Ber. in ser. de S. Nicolao electus est ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, senum reuerentia, sacerdotũ honor, pontificũ splendor. Huius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terrę, & quę habitant in eo. Tot. n. & tanta miracula cumulantur, vt oẽs literatorum argutię vix ad scribẽdum sufficiant, nos ad legendum. Superat enim gloria confessoris vocẽ, & mentẽ, linguã, & conscientiã. Crebrescunt. n. quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei ad memoriã militis sui sua cõtinuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in oĩbus periculis inuocatur. Hęc Ber. Sed licet in terra multifariã, multisq; modis à dño glorificatur, & ab hominibus laudatur, minus tamen est ab eo quod in cęlis inter Angelos possidet bono,

non temporaneo, sed æterno, id enim summum, & incomprehensibile est, quo meruit æternaliter perfrui, quia adolescentiam suam præueniens, per omnes ætatis suæ vices portauerat iugum Christi secundum verissima prophetæ promissa, bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia. Pro gratia Aue Maria.

Nicolai vitæ, & gesta breuiter describuntur.

Sanctissimi præsulis Nicolai vitam, merita, ac conuersationem sanctam, & imitabilem, altæq; potentiæ miracula vobis plenè recitare omnino nequeo. Vincunt .n. hæc oratorũ disertissimorum orationes. Sed tanti patris, ac patroni laudes tacere penitus culpabile iudico, & indignum. Præsertim quoniam huius capellæ fundatores sermonem ad populum hoc die fiendũ de patre nostro sanctissimo ordinarunt. De multis itaq; pauca quantum ipse gratiam impetrare dignabitur ad sui gloriam, nostramq; eruditionẽ prolatur, qua iugum domini ab ingressu suo portarit præmittam. Deinde ad imitationem sui vos exhortari incipiam. Tertiò subiuncturus quãtum ad hoc auxiliatur beatissimus patronus noster Nicolaus. Cætera vitæ gesta, & miracula sermoni alii reseruabo. Vitam itaq; & ortum viri Dei Methodius patriarcha stilo græco descripsit, quã summatim diaconus sancti Ianuarii in latinum transtulit eloquium, ita incipiens: Beatus Nicolaus ex illustri prosapia ortus, ciuis fuit Pataræ vrbis, quæ vna ex nobilissimis Liciæ prouinciæ ciuitatibus quondam famosissima rutilabat. Parentes eius inter cateruas potẽtum quantò honorificentia celebrantur, tanto supernæ patriæ desyderio magis cælestis, quam terrenæ dignitatis gloriã appetebant. Nam cum essent nimium locupletati, nullius honoris insignia quæsiere, sed omni studio continentiũ se lege vincientes cælibem vitam actitare satagebant. Nam cum in principio & iuuẽtutis flore hunc solũ genuissent filium, cunctis se voluptatibus abdicarunt, & inter suas preces, quas frequenter in domini templo fundebant, huc solum superstitem, non tantum diuitiarum, quantum morum flagitabant heredem. Quorum vota Deus ex alto prospectans, petitioni eorum non defuit. Nimirum qualis futurus esset puer, in ipso iam natiuitatis primordio monstrare dignatus est. Enimuero cum adhuc matris lactè aleretur, cępit in hebdomadæ diebus quarta, & sexta feria semel bibere mammas, & hac vice contentus tota die permanebat sic. Ecce non modo ab adolescentia, sed à primeuæ ætatis infantia iugum domini amplexatus est, & prius dominum opere quam voce, quam nondum formare poterat, est professus. Perfectus imitator Christi cepit prius facere, hinc docere. Nam & ipse futurus doctor ad continentiam, quam laudaturus erat in episcopio, & ad eam à voluptatibus abstractum populum magnopere prædicatione saluberrima reuocaturus, suo exemplo, & memorabili facto, cępit vniuersos iuuenes, & pueros inuitare. Nec incassum quoniam in plerisq; prouinciis vsq; hodie mos commendabilis inoleuit, vt prima sua ieiunia pueruli bonorum parẽtum studio docti in profesto beati Nicolai inchoantes, auxilio, & protectioni viri sanctissimi se commendant. Placeat hinc aduertere charissimi quanta gratia diuina in illo libero cooperante arbitrio, parsimoniæ ac cęterarum virtutum opera tanquam holocaustomata Deo acceptissima obtulit, quæ sola in ætate infantili rationis vsu carente inaudita hactenus ieiunia consecrauit. Hinc canit ecclesia: Infantia teneriore decursa corpus ieiuniis macerabat. O quanto stupore parentes, omnesq; vicinos, & audientes perculit miraculi nouitas. Nonne & sibi dixisse putandi sunt illud Luc. primo. Quis putas puer iste erit, nam & manus Dei cum illo est? Puerilibus ergo annis vt patriarcha Iacob simpliciter domi transactis cępit bonæ indolis adolescens esse, & non sicut illa ætas assolet, lasciuiam complexus est mundi. Sed nunc parentum comitatus vestigiis, nunc so-

lus

lus ecclesiarum terebat limina. Et quod ibi de scripturis patulo aduertebat auditu, non immemor armariolo condebat pectoris. Ecce puer sanctus tanquam animæ suæ optimus colonus semina diuini verbi diligenter collecta in memoria tanquam agro fœcundissimo cautè abscondit, de quo postea pullulabant in pingues bonorum operum segetes, & tandem quē nunc possidet fructum non modo tricesimū, aut sexagesimum, sed centesimum in gloria attulere. His enim seminibus ad perfectionem creuit. Nam vtroque parente orbatus, perfectus euangelicæ institutionis discipulus esse cupiens, sæpius illud, quod ex euangelio memoriæ commendauerat, ante mentis suæ oculos versans. Nisi quis renunciauerit omnibus, quę possidet non potest meus esse discipulus. Et cum anhelaret ad id perficiendum, hoc solum timuit, & cautè cauit ne fauoris aura raperet, quod pro Christo solo facere disponebat, sciens qđ ē parabola euāgelica Matt. 13. de thesauro inuento, & abscondito, quod studium cœlestis desyderii à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti enim vita quasi in via sumus, qua ad patriā pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desyderat, qui thesaurum publicè in via portat, vt dicit Grego. homi. 11. Idcirco sagax adolescens Deum deprecabatur quotidie, vt qui habet omnium scientiam, inspirare dignaretur vt muta laude humana conspectui placeret diuino. Sic tandem occasione nacta, in pietatis opera paternas distraxit opes. Et quoniam duobus dominis placere non posse nouerat, vni quem dudum elegerat, cuius onus leue, & iugum suaue tota deuotione colla submittens, ponderosam mundi sarcinam cum oblectatione sua proiecit, & soli Deo, cuius dispensationi assiduè se committebat, corde paratissimo adhærebat. Sic sic homo Dei domini iugum in adolescentia portabat, vt nunquam illud abiiceret, sed perseueranter sub hoc onere domino militaret, certissima doctus experientia, quia bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia. Et tantum de primo.

Tempus est vt considerantes, quæ apposita sunt ex eis, in nostros mores traiiciamus, ne ad mensam diuitis sancti scilicet Nicolai sedentes hodie famelici habeamus, quia scriptum est: Ad mensam magnam sedisti, diligenter considera, quæ apponuntur tibi, sciens quoniam talia oportet præparare. Sumite hinc doctrinæ fercula parentes a parentibus, ab adolescente iuuenes. Discite inquam parentes in vestris coniugiis, non tam voluptates, quantum prolis fructum quærere, istoque adepto libidinis opera tēperare. Alioquin dum solis voluptatibus vacatur, nescio si magis meretricia, quā legitima connubia sint dicenda. Vnde in sententiolis Sixti Pythagorici dicitur distinctione 31. libr. quarto. sententiarum. Omnis ardentior amator propr꜕ vxoris est adulter. Et Hieron. Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu lasciuie. Nihil enim fœdius est, quam vxorem amare quasi adulteram. Vxorem amat quasi adulteram, qui solam in ea quærit voluptatem paratus id agere si vxor non esset, qui etiam ardentior vxoris amator intelligitur. De his etiam Raphael Tobiæ loquitur: His inquit prçualere potest dæmon Asmodeus, qui ita vxores accipiunt vt a se dominum excludunt, & suæ libidini ita vacent sicut æquus, & mulus, quibus non est intellectus. Tob. 6. Sed ad quid fructus prolis est quærendus? Certe non vt hæredes habeant bona relicta possidentes. Non vt nomen suum & genus perpetuent. Non vt de filiis genitis solatia sustentationem, vel honorem consequantur, sed vt genitas proles religiosè educant, Deo ministrant, ac supernæ Hierusalem ciues augmentent. Quoniam non spes prolis simpliciter, sed prolis amanter suscipiendæ & religiosè educandæ vnū

est de tribus bonis matrimonii, actum matrimonialem excusantibus à peccato, vt ostendit magister distinctione 31. libri. quarti. sententiarum. O vtinam sanctos beati pueri parentes imitaremini, saltem dum ad prolificandum inidonei fueritis, & continentia vestra matrimonium sanctificaretis. Quia si non capitis hunc sermonem, & seruata fide coniugii incontinentiæ seruitis, veniam dat matrimonii honestas, proles tamen ipsas Deo educare satagite, ac virtutibus adornare. Nam parentes filiis sunt non tantum causa essendi, sed etiam esse debent causa nutriendi, & disciplinæ. octauo. Eth. Longe quoque magis sollicitari deberis quemadmodum filiis vestris relinquatis hæreditatem virtutum quam terrenarum diuitiarum, sicut Tullius lib. 1. de officiis docet: Optima inquit hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior gloria virtutis. Discite primum à beati infantis nostri progenitoribus dominum iugiter orare, vt fructum concedat, concessum sibi gratis sanctificet, virtutibus orret, meritis ditet, regni sui compotem faciat, & hæredem. Ad quæ & vosipsi diligentissimè cooperamini, cauentes summopere paruulos vestros scandalizare verbis, gestibus, & factis. Facile enim in malo parentem sequitur sua proles. Denique eos in omnibus bonis instruite, docentes eos diuinam legem seruare; dominum colere, iustitiam ac virtutes amare, vitia, & omnem lasciuiam in verbis, & factis odire. Verba præcepti narrabis filiis tuis inquit Moyses Deutero. sexto. & Eccle. septimo. Filii tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia. Et Prouerbio. vigesimotertio. Noli subtrahere à puero disciplinam, si percusseris eum virga, non morietur, tu virga percuties eum & animam eius ab inferno liberabis. Quia si fortè minus idonei estis ad tradendum diuinæ legis notitiam, vobiscum ad sermones in ecclesiis adducite, & quod minus valetis ab aliis quærite, & à Deo precibus impetrate. Fiduciam orationi præstat exauditio parentum Nicolai a patre cęlesti, qui pia eorum vota excedens, gratiam beato infanti ad miraculum vsque tribuit, eamque in vitæ eius finem adauxit. Nam de meritis parentum fuit, & nondū seipsum intelligens puer per dies duos in hebdomada ieiunauit. Sicut vult Scotus dictin. 4. lib. 4. quæst. 7. [illegible]

Discite & vos pueri, ac iuuenes ab adolescente nostro beatissimo, prima ætatis vestræ tempora domino consecrare, & in agro innocentiæ nondum vitiorum sentibus deprauato, vitæ æternæ semina iacere. Nam scriptum est. Quecunque homo seminauerit, hæc & metet ad Galat. 6. Quę enim in iuuentute non congregasti quomodo inuenies in senectute tua? ait Iesus Sirach. Eccle. 25. Neque iuuentutis tempora negligenda sunt, quia fit plerumque (ait Ioannes Cancellarius Parisien.) Dei iusto iudicio, vt qui gratiam Dei neglexerit, aut repulerit in iuuentute, abutens donis Dei, & talentis summi patrisfamilias in primo ętatis vigorem dum fas erat, postmodum ad eam nequaquam recursus habeatur Et sequitur Si tu in pueritia dum eum nondum offendisti, nec premeris fasce peccatorum, nequis (vt dicis) ascendere ad virtutes, quid fiet dum hostis fueris, dum grandis criminum sarcina senectutis ceruicem curuabit, & premet? Hinc dicit Salomon Eccle. vl. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dices non mihi placent.

Adolescentes primam suæ ętatis partē Deo consecrare quomodo debēt

Deniq; quia tanta est virtus consuetudinis, vt ab Arist. altera natura vocetur, manifestum est quoniam non parum refert iuuenes sic, vel sic assuescere. Blasphemum proinde & diabolicum est prouerbium: Angelicus iuuenis senilibus sathanizat sannis. Quid enim de sathanizante iuuene sperandum est in senectute, quando peruersis inclinationibus accesserit peruersior

sior consuetudo. Si angelizans iuuenis, & vitiis obuitens in senio sathanizat? quoniam sibi aliquando in agro bono semine seminato zizania oritur. Mat. 7. Quis tamen vnquam de spinis vuas, aut de tribulis legit ficus? Hinc propheta. Nouate vobis noua le, & nolite serere inter spinas. Idcirco dum vasa noua sunt iuuenes, ea vino sancti spiritus aptate. Luc. 5. Nemo enim mittit vinum nouum in vtres veteres. Aptate autem exemplo nostri patroni primum vos maiorum obsequiis, & subiectioni, quia vt dicit beatus Cyprianus in de 12. abusionibus. Sicut in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur, ita in adolescentibus obsequium, subiectio, & obedientia rite debetur. Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit. Sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitationibus non laborauit. Hæc Cyprianus. Deinde eiusdem typo siue in ecclesijs, siue plateis, siue domibus, verba sapientiæ à senioribus audire diligite, & audita memoriæ armariolo sagaciter condere studete. Nam vt dicit Flaccus. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Et beatus Anselmus in de simili. Mollis cera inquit recepit imaginem sigilli & retinet eandem cum fuerit indurata. Sic de ætate infantili.

Nicola' protector iuuenũ. Habent qui sic agunt paratum auxiliatorem beatissimum Nicolaum, quoniam etsi omnes eum inuocantes beneficiis eius potiuntur, ita vt merito iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen eius, vt dicit Bernard. in sermo. singulari tamen pietate, & cura quadam iuuenes respicit, prout virginum iam prostituendarum diues auri, dotator iuuenum morti ad iudicatorum liberatio. Pueri à rege Babylonię capti Adeodati nomine filii Cedronis, & Eufrosinæ miraculosa reductio, & alterius adolescentis à maris fluctibus absorpti prædicanda conseruatio, quæ ex legenda pro parte sermonis tertii latius deduci possunt. Vt ergo eius patrociniis semper foueamur, mores eius adolescentiæ imitemur, vt cum eo experiamur in beatitudine æterna, quia bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia. Præstante hoc eius intercessione domino nostro Iesu Christo, cui serui uit corpore, & spiritu in via, & assistit perpetuò in patria. Amen.

## *De eodem. Sermo II. in ordine. III I.*

ECCE sacerdos magnus. Ex Epi. Eccle. 44. & infra sparsim scripta.

Magni sacerdotis domini, beatissimi confessoris Nicolai Mirreæ ciuitatis episcopi, ac huius capellæ patroni festa per agentes, dignum est deuotis hunc laudibus præuenire, quem dudũ nouimus, teste beato Bernard. in ser. de eodem, iuuenum gloriam, senum reuerentiam, sacerdotum honorem, pontificumque splendorem. Siquidem culpabile nimis iudicatur, eum qui apud Deum magna gloria sublimatur in cęlis, crebrescentibus miraculis honoratur in terris, à nobis negligi, cuius beneficiis, & auxilio confouemur, ad ipsius quoque præsidia omnes, qui in tribulatione, & angustia sunt conclusi concurrunt, eumque inuocant clamorosis vocibus confidenter. Hinc ait Bernard. Nonne post memoriam virginis singularis, tam dulcis pietas, & pia dulcedo in cordibus fidelium obseruatur, vt in die tribulationis nomen Nicolai teneatur in ore, requiescat in corde, cum omnis mundus beneficia sentiat confessoris, nec sit qui ab amore eius se abscondat. Hinc sancta mater ecclesia sacerdotis magnitudinem commendare volens, dictionem. Ecce, ad mirandum excitatiuam præmisit, quoniam non nisi in stupendis, & admiratione dignissimis, designandis præmittere, assolet

Nicolai beneficia sentit totus mundus

assolet, dum in epistolari officio, quod ad eius laudem legi constituit, ab eodem verbulo orditur apertius. Ecce (inquit) sacerdos magnus. De quibus pro gratia Aue Maria.

Nicolaus sacerdos magnus diuina electione.

Volentibus nobis magna magni sacerdotis gesta post illa, quæ priori sermone de eius ingressu in hunc mundũ infantia, ac iuuentute laudabilibus breuiter commemorata recolitis, quæ in vitæ suæ progressu (maximè in pontificali sacerdotio egerit speculari) congruentem nobis dicendi ordinem præmissi thematis verba præfigunt, quibus triplicem patroni nostri magnitudinẽ sacerdotii contemplamur. Est enim sacerdos magnus diuina electione, magnus virtuosa conuersatione, magnus officiosa sollicitudine. Per primum, magnus fuit quo ad Deum, per secundum, magnus quo ad seipsum, per tertium magnus quo ad proximum. Pro quorũ clariori expressione subditur, in diebus suis placuit Deo, quo ad sui electionem quia non ex nobis, sed diuina electione domino complaceamus, dicente Apostol o ad Hebre. 12. Habemus gratiam .s. electionis, per quam seruientes placeamus Deo. Et ad Rom. 8. Quos prædestinauit, hos iustificauit, & inuentus est iustus, quo ad virtuosam conuersationem. Est nanque iustitia prout Aristo. dicit 5. Eth. non pars virtutis, sed tota virtus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, quo ad officiosã sollicitudinem, qua secundum pontificis officium ad Heb. 5. & 8. descriptum munera, & placationis hostiãs pro peccato populi offerre patri altissimo non cessauit. Prosequamur hæc breuius pro temporis qualitate. Magnus itaq; fuit beatissimus pater Nicolaus diuina electione, nam ad summum sacerdotii gradum metuit diuinitus reuelari.

Pontificium est magnũ

Magnum nanque, immo verò maximum est sacerdotale pontificium, cui vt beatus Ambro. in serm. pastorali testatur) nulla in terris dignitas poterit adæquari. Si inquit regum fulgori, & principum compares diademati, longè erit inferius, quasi plumbi metallum, aut auri fulgorem compares. Verum hunc tantum dignificat, qui ad id non sua præsumptione, sed diuina electione, & vocatione accedit, sicut sacerdos ille ve. test. de quo epistola secundum aliquos sui partes ad litteram loquitur sola domini vocatione accessit. Cuius ad Hebre. 5. Apostolus meminit, cum ait.

Nec quisquam sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aarõ. Sic & Christus non seipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quemadmodum & alio loco dicit. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem melchisedech. Væ vẽ humanę præsumptioni, quæ ad id officii temere se ingerit, immo violenter præoccupat, ad quod dominus ipse sanctorum sanctus, qui nouit omnia, & potest non nisi paterna vocatione instituit, atque gessit. Sed reuera qui huiuscemodi sunt, non his honoribus dignificantur, sed sordidantur magis parem ab officio recipientes vicem, nam sicut ipsi dignitatem, quam occupant, suo vitio polluunt, ita versa vice eos præcepta dignitas maculat, dum prius latentes eorum nequitias in publicum ducit, quippe non fugare, sed potius illustrare nequitiam solent, ait Boetius prosa. 4. lib. tertii. Et Bias philosophus. Principatus inquit, virum ostendit. allegat pro Arist. 5. Eth. cap. 2. Quid ergo dicis. Forsitan; si spernat omnes altos in ecclesia status, peribit ecclesiastica Hierarchia? Audi tibi respondentem vnum ex magnis sacerdotibus, & pastorum principem, beatum loquor Greg. qui in pastorali regula cap. 9. ita dicit. Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat. Vacuus, nec coactus accedat. Percipiendę itaque, atque inquirendæ vacandum est veritati secundum beatum Aug. 19 de ciu. dei & sarcina hæc curæ pastoralis assumenda non est, nisi imponatur, quia ocium sanctum quærit charitas, negocium iustum surripit necessitas charitatis. Nouit hec beatus Nicolaus, ideò ad nihil minus, quam ad digni

gnitatem pastoralem aspirabat, nec vllo assumpsisset pacto nisi diuina vocatione electus,& patrum præceptis coactus. Nanq; dum Mirreæ ciuitatis metropolis suo orbaretur antistite &c. Historia reuelationis,& electionis breuiter hic recitetur.

Beneficiorũ collatores quõ se habeant in electiõe.

Attendite nunc charissimi prudentiam, & fidelitatem eligentium imitamini electi humilitatem. Isti nanque cum totius Lyciç metropoli pastorem prçficere conuenissent, multos inter se commendabiles,& secundum seculi dignitatem nobiles, & altos verisimiliter habuerunt, non seipsos, nec quæ sua sunt,sed solam domini gloriam,ac populi salutem,nihil in se confidentes instantissimis precibus,& ieiuniis quæsierunt. Et cum tandem Nicolaus pauperculus (licet nobilissimis ortus natalibus, tamen omnem mundanam gloriã vilipendens, & patrimonium abundãs in pauperes distribuens, cum pauperibus pauper despectus, & ignotus esse concupiuit) vni ex eis reuelatur, cum cordis lætitia grati recipiunt, nihil de eius temporali dignitate, progenie, amicis,diuitiis,cæterisq; talibus cunctãtur. Sed quia diuinæ maiestati placere cognoscunt,nihil aliud in eo quærunt. à quo prouisionis modo in prælatorum electionibus, & beneficiorum collationibus nunc temporis nimium aberratur. Rarò, vel nunquam modo quæritur, si perficiendus in se habeat, quę in apostolica regula attendere Paulus docet, vtrum sit irrepræhensibilis, ornatus,sobrius,non vinolentus,pudicus prudens,doctor modestus, non percussor, non litigiosus, non cupidus,hospitalis,domui suæ bene præpositus, non neophitus, habens testimonium bonũ, etiam ab his,qui foris sunt &c.1.ad Timo.3.scripta. Sed magis si potens,si nobilis, si magnam habet parentelam, si mundo gratus,si consanguineus,si amicus,si demũ talis vnde dona, omnimoda,& temporalia beneficia sperari possint. Quis hodie beneficioli cuiuslibet collator non potius quærit filium, con sanguineum, famulum, aut vtcunque temporaliter beneficum, etiam si minus idoneus sit,quàm aduenam pauperem, humilem, mundo quidem indignum, sed Deo placentem? Non sic dux veritatis Christus opere docuit, qui præfecturus ecclesię suę prælatum, non nobilem Bartholomæum, non ex cognatis (quorum quinq; in apostolica congregatione habuit) aliquem, sed pauperẽ, humileq; piscatorẽ Petrum, se tamen plus cæteris diligentem pascendis ouibus prælocauit. Hinc certè totius deformitatis,quæ in ecclesia est, radix noscitur pullulare.

Prælatorum mala vita vnde proueniat.

Causamini frequenter plus detracti uo,quàm compassiuo animo,de episcoporum,prælatorum,sacerdotum,& cęterorum ecclesiasticorum pompa ocio, dissolutione,incontinentia, crapula,auaritia, ac diuinorum negligentia &c. Quia si aliqui tales inueniuntur, si bene attenditis, vos estis in culpa. Si enĩ ex filiis vestris aliquem Deo offerre, & statui ecclesiastico statuitis, qui corpore,& ingenio perfectior est mundo,qui verò corpore deformis, distortus animo, donatis Deo contra illud Malachiæ 1. Si offeratis cecum, nonne malum est? Si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo,si placuerit ei. Sequitur Maledictus dolosus, qui habens in grege suo masculum,immolauit debile domino,quia rex magnus ego sum,& nomen meum honorabile in gentibus. Sed & si beneficiorum collatores estis, indignis confertis, ac pro indignis apud alios preces armatas importunè porrigitis, & ita in idoneos,& tales, quos ipsi culpatis, vobis præfici procuratis. Sed quæso attendite stultitiam vestram.

Officia prælati & sacerdotis in uoc.


Duo nostis quantum nunc satis est, officia prælati, & sacerdotis, vnum est verbo, & exemplo viam salutis ostendere,& ab ea ne deuient populum regere, & tenere. Hinc ter dixit Petro dominus, pasce oues meas. Pasce verbo doctrinæ,pasce exemplo vitæ,pasce censura penę. Alterum est populi delicta orationibus,& sacrificiis delere, & iratum dominum delinquenti populo placare, do-

ſeque murum interponere. De quo ad Hebreos 5. Omnis pontifex &c. Et Ezechielis. 22. Nemo autem ad placandum iratum iudicem quærit placentem, & notum ſibi ignotum & diſplicentem iudici, ſciens illud Gregorii, (Cum is, qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur) in paſtoralis ca. 10. Nemo adeo ſtolidus eſt, vt nauigaturus pelagū pro gubernanda naui, aut filium nobilem, vel amicum præficiat, ſed magis quærit nautam expertum, & nauigantibus nobis per mare magnum huius mūdi plenum periculis, non temporalibus, ſed ęternis nautam inſtituitis amicum, ſed ignarum regendi pęnitus, & ineptum, neque ſperandum, quod qui in ſtatu humili defecit, proficiat ſublimatus. Nunquam enim ſolet dignitas perficere imperfectos, ſed non nunquam deiicere perfectiſſimos. Interrogetur de hoc beatus Martinus, beatus Gregorius, & cæteri, audientur lamentari ſe perfectionis, ac mentalis quietis per aſſumptam dignitatis occupationem paſſos iacturam.

Correctores morum cauet ne præſent aliis. Sed quod adhuc his peius, immo peſſimum eſt. Cauetur hodie callidiſſimè, ne idonei, qui vitia corrigere, mores reformare, veritatis viam verbo, & exemplo docere, poſſint, regendis populis præficiantur, aut perfectis aſſiſtant, ne fortè auditis ſuis correptionibus corā mundo confundantur iam confuſi coram Deo, ne territi propriorum periculorum oſtenſione, minus ſuæ libidini vacare contingant. Hi cum Deum habeāt offenſum, diſplicentes mediatores inſtituunt, qui non reconcilient, ſed ad deteriora iudicis animum prouocent. Ceci eis ſimilem eligunt ducem, & multum, ne aliquando rectè videant & audiant & conuertantur, ſed cum duce ſuo pereant in eternum. De quibus olim per Eſaiam dominus ait. Exceca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur & ſanentur. eiuſdem 6. Scitote autem, quod ſicut certum ſignum eſt deſtructionis patriæ, ciuitatum, & cōmunitatum, cū ſapientes (quorum multitudo ſanitas eſt orbis terrarum. Sap. 6.) de loco regiminis auferuntur. Ita certiſſimum indicium ſempiterni interitus, cum omiſſis idoneis vicioſi ad gubernacula ſpiritualia aſſumuntur. Conuertimini ad cor chariſſimi, attendite qualem diuina pietas rogantibus ſanctis, & populis magnum deſignauerit ſacerdotem.

Fuit magnus ſacerdos beatiſſimus Nicolaus virtuoſa conuerſatione, quoniam teſte patriarcha Methodio, pontificali cathedra ſublimatus, eandem morum grauitatem quam prius, eandemque ſectabatur humilitatem. Creber in oratione peruigilabat, corpus attenuabat ieiuniis, mulierum conſortia licet ab ipſo pueritie ſue tempore exhorruerit, tamen ex hoc quaſi quandā peſtem fugiebat. Alacer erat in exhortando, ſeuerus in corrigendo. Quanta deniq; fide pollebat, quę flagrabat Dei, proximique charitate, qua ſpei fiducia ſemper erectum ad Deum geſtauerit animum, potentia à domino per ipſum acta, opera, & miracula probant, quæ neceſſe eſt vna cum tertio membro alteri reſeruare ſermoni.

## DE SANCTO THOMA Apoſtolo. Sermo V.



SECVNDVM gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuper ędificat. 1. Corin. 3.

Thomas vt architectus fūdamentū poſuit quale. Et ſi verba hæc originaliter ad litteram beatus Paulus eccleſiæ lumen, & gentium doctor de ſe protulerit, poſſunt tamē nō ineptè ad ſanctū Thomā Apoſtolum & ipſa transferri, qui ſecundum gratiam ſibi cęlitus collatam, vt ſapiens architectus nō in ſapientia mūdana, quæ mors eſt, & ſtultitia, ſed in ſapien-

pientia diuinæ fundamentum posuit. In hac enim arte ipsum peritum esse respondit dominus pro eo, cum eum cuidam iuueni (Albano.s. præposito Gūdofori regis Indorū, quærenti hominē architectoria arte peritum, qui domino suo romano more palatiū construere posset) assignauit, asserens eum in hac arte plurimum peritum fore. Siqui dē secundū diuinū testimoniū fundamenta collocauit, quæ nunquā veterascunt, parietes extruxit, qui nunq; ruunt, exedras, siue fenestras excidit, quę nunquā obtenebrascunt. Altitudinem effert, siue extulit quæ in cęlum vsq; ꝑtingit. Hoc & de se Apostolus prędicauit nō inaniter, nec iactanter, dū in vsus pauperum dispensata regis substātia, pro palatio extruendo sibi tradita à rege peregrinante, carceri mancipatur veluti dissipator regię substantię. Hoc & facto edocuit, & in effectu ꝓbauit dū Partis, Medis, Persis, Hircanis, & Brachmanis, secundū Isidorū in de vita & obitu sanctorū, prędicauit. Et deinde in trās orientalē plagā, & interna gentiū penetrās, ibi prædicationē suā ad titulū suæ passionis perduxit, sicq; suis vita, doctrina, & miraculis, mentibus quas ab infidelitatis vetusto error e absoluit, fidem Christi, quæ omnium sperandorū est substantia, & fundamentū (Heb. 11) implātauit, dū quatuor cardinales virtutes, sobrietatē, prudentiā, iustitiā, fortitudinē, quibus nihil in vita vtilius est Sap. 8. quæ & à ruina sustinent, & ab impugnatione defendūt, veluti parietes quatuor erectissimos, fidei fundamēto cōnectēs erexit, dū lucernas ardētes bonorū operū veluti fenestras indeficiētē lucem administrantes manibus fidelium conuersorū adhibuit. Dū denique super eminentis fabricā charitatis, super celos ad summum verticem eleuatis in humilibus fidelium cordibus extendit. Hæc fecit cum. 12. gradus virtutū in inferiori India prædicando trinitatis fidem edocuit, & exemplis ostendit, ac baptismi ablutionem persuasit, quo ad primū. Cū à certis vitiis eos abstraxit. s. à fornicatione, gula, & auaritia &c. & à regione ad virtutes prępa-rauit, sic quod virtuosū exercitiū erexit, quo ad secundū, & tertiū. Dū quoq; ad charitatis eminentiā Deo, & proximo impendendā animauit. Vnde non hæc à se, sed à magistro suo, à quo in Indiā missus fuit, habuit. Ideò ait, secūdū grām dei, q̄ data est mihi, vt sa. &c. Aue

Redarguet me fortassis aliquis quasi minus sobriè illud thema in persona sancti Thomæ ꝓtulerim, quia contrariatur dicto ꝓphetico Hie. 9. Non glorietur sapiēs in sapientia sua, & nō glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorieē diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur, q gloriatur, scire, & nosse me. Sed pariformiter etiā notaretur in hoc Apostolus Paulus, qui de se hęc protulit verba originaliter. Respondetur, q̄ neuter culpandus est in hoc. Nō Apostolus, q nō ex iactātia, sed ꝑ Dei gloria, & populi salute., quatenus auditis magnalib⁹, quæ p eū fecit dñs, suaq; cōparata idoneitate, ad no. te. ministeriū exequendū ex hoc maiorē fidē in populo cōquirat, hæc ꝓtulit, vt sic De⁹ p eū glorificetur. Sic & idē Apostolus epistola 2. Co. 11. & 12. se ꝑ Corinthiorū salute plurimū zelare ostēdit, ne populi pl⁹ pseudo fidē darēt (q eos decipere volebāt) q̄ sibi nō intēdenti lucrū, aut quęstum, sed sitienti eorū salutē. Ideò suā magnificentiā ostēdere voluit. Sic Mat. 5. de prælatis, & perfectis dominus ait. Sic luceat lux vestra &c. Applica ad propositum ad sanctum Tho.

Thomas quo pōt dicere se ne iactātia vt architect⁹.

Venit autem Apostolus noster cōmēdandus ex quatuor, quę in themate breuiter tanguntur. Primò ex vitæ sanctitate, qa grām habuit, vnde inq̄t secūdū grām. Secundò ex sciētię claritate, quia sapiēs architectus. Est aūt architectus principalis operās, alios in opere dirigens. Tertiò ex doctrinę soliditate, & firmitate, quia fundamētum posuit, nō super arenam velut stultus. Matth. 7. Quartò ex doctrinæ efficaci vtilitate, quia alius super ędificat. De primo, Vitę sanctitas consistit in dilectione, & in habendo charitatē, ꝑ q̄ quis adoptatur in filiū Dei. Io. 1. Dedit eis pote

sta-

statem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius. Probatio autem dilectionis exhibitio est operis. Sed inter cęteros discipulos domini alijs trepidantibus,cum in Iudæam reuerti vellet dominus altera die,qua pridie eum lapidare conabantur, intrepidè dixit, Eamus,& nos moriamur cum illo.Ecce charitatem maximam. Maiorem enim hac dilectione nemo habet, vt animam suam ponat &c. Ioan. 15. In hoc enim perpenditur charitatis & dilectionis magnitudo, quod quis pro amore alterius rem plus amatam relinquet,& sūmè odibilem amplectitur.Sed nemo vnquam carnem suam odio habuit. Eph. 5.Et omnium terribilium mors est terribilissimum, quam pro Christo amplecti voluit.Item licet ad Indos plurimū ire renuisset,promptè tamen,& alacriter domino eum mittenti paruit, non formidando penę atrocitatem,nec mortis horrorem,quam sibi dominus intimauit,cum inquit. Cum Indos conuerteris, ad me cum palma victoriæ redibis.Et quis dubitaret eum nō magno charitatis feruore succensum fuisse, cum manus, & digitos in latus, & vulnera domini mittere iussus fuit? Cor enim sedes est amoris, ad quod manum,idest operationē applicare curauit,post realem eius contactum, & infidelitatis siue dubitationis sublationem. hanc nobis innotuit,cum inquit,Dominus me⁹ & Deus meus. Deus meus per creationem,dominus meus per reparationem. Dominus meus, cui fidelem me seruum profiteor. Deus meus, cui summū honorem,ac dilectionem,& latriæ cultum exhibeo.

Thomas sapiens. Secundò scientię claritatem habuit quia sapiens architectus, se & alios in opere dirigens. Sed quomodo scientiæ claritatem habuit, qui incredulus fuit & in fide dubitauit ?vt patet Ioan. 20. vbi ad eum inquit,dominus. Noli esse incredulus,sed fidelis.Item, Mitte manum tuam in latus meum &c Ante resurrectionem in fide nutauit, & tardus fuit ad credendum articulum resurrectionis,quem tamen postea edidisse fertur,sed hoc non sine diuina dispositione factum creditur, secundum Gregorium in homil. Vt discipulus dubitaret nec tamen in infidelitate permaneret. dubitans palparet, palpando omnes in fidelitatis tenebras à nobis propelleret. Sic enim plus nobis profuit infidelitas Thomę, quàm aliorum discipulorum prompta credulitas, que plus ex eius tactu, quam de ipsorum credulitate fortificamur in fide. Non quasi minus cautè egerint,cęteri statim credendo, ipse verò prudentius experimentum quærendo, cum fides sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sed melius egerunt, & plus commendantur ex hoc,quam Thomas. Nobis autem ex eius malo bonum prouenit, quia fortificatio in fide. Vidit enim hominem,& tangebat,sed credebat Deum, quem nec tangebat,nec videbat, secundum Augus. super Ioan. cap.20.Hominem tetigit, sed hunc eundem esse Deum credidit. Sed contra. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, ergo videtur, quod Thomę incredulitas, quam tactus vulnerum secutus est, in nobis fidei meritum diminuat, & non augeat. Responsio breuis. Humana ratio se potest habere ad credenda antecedenter, vel concomitanter.Si antecedenter,vt scilicet intellectus non crederet, nisi ratio conuinceret, sic ratio diminuit, & quandoque omnino tollit meritum fidei, quia nihil est meritorium nisi voluntarium,sed intellectus,vt sic necessariò credit,& non sponte propter rerelationem, vel diuinam auctoritatem. Alio modo concomitanter siue consequenter, dum quis paratus est credere & credit tamen pro maiori credendorum intellectu quærit,& inuestigat latius,non vt firmius credat,quia sic crederet humanæ rationi plus quàm reuelationi.Sed vt clarius intelligat, vt possit petenti rationem reddere de fide, vel vt particularius intelligat credenda,& cognoscat. Et talis ratio fidei meritum auget, non diminuit, quia talis inquisitio ex maiori charitate procedit

dit, quamuis quandoque etiam ortum habere possit ex curiositate, vt supra patuit ser.5.de assumptione.de humilitate, quam quandoque parit veritas, quandoque charitas. Et cum tale credere est merè voluntarium,& ex charitate causatum,est actus meritorius, si sic fuerit ex charitate Imperatus. Et sic Thomas nobis profuit dubitando,quia veritatem fidei plus manifestauit, quā credimus, non quia ipse præcisè hoc dixit,sed quia euangelium hoc asserit.Et sic nec ipse fuit priuatus merito fidei, cum credere voluit,&si nullum habuisset humanitatis experimentum. Aliud denique credidit, aliud vidit. Habuit itaque scientiæ claritatem,quàm à magistro Christo didicit, dum omnibus tacentibus dominus dixit. Quo vado, scitis, & viam scitis. Et mox Thomas inquit.Domine nescimus,quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Vnde meruit hanc salutarem audire sententiam salutis nostræ comprehensiuam, Ego sum via,veritas, & vita. Via inquā dirigens Veritas deducens, vita beatificans. Huic viæ vsque ad mortem inflexibiliter adhęsit, & veritatem,quam didicit,populis prædicauit.


Thomas comēdatur ex scientiæ firmitate.

Ex cuius doctrinæ firmitate, ac soliditate tertio commendatur, quia supra fundamentum solidum, & firmum se fundauit, cum inquit, Fundamentum posui.i.euangelizaui, fundamentum ecclesiæ secundum traditionem saluatoris, non à nouo finxi, quia fundamentū aliud nemo ponere potest pręter id, qđ positum est.Ex sequitur quod fundamētum accipitur tripliciter .s. Primo pro fundamento principali, & primario sustentante omnia in se, & à nullo sustētatum. Et sic Christus Iesus est fundamentum secundum Apostolum vbi supra.sine quo nemo potest aliquid facere.Ioan.15.Sine me nihil potestis facere. Secundò accipitur pro fundamento secundario, siue minus principali, quod immediatè innititur fundamento primo iam posito, & sic fundamentū dici possunt Apostoli, inter quos caput est sanctus Petrus, dicente Christo Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam. Sic ait August. contra epistolam Donati, loquēs de ca Petro, cum in illo tanquam in petra fundata sic ecclesia. Et in sermone de cathedra petri.Petrum itaq; fundamentum ecclesiæ nominauit,haud dubium, quin Christus dicēs, Tu es Petrus, & super hanc &c. Tertiò fundamentum fides dicitur per Christum reuelata, & per Apostolos prædicata.Et sic sanctus Thomas rectè dicere potuit,Secundum gratiam Dei,quæ data est mihi secundum disciplinam, quam mihi tradidit Christus, non secundum meam adinuentionem,vt sapiens architectus.i.noui testamenti idoneus minister, posui .i.prædicaui, fundamentum.i.veritatē catholicā à Christo mihi reuelatam. Quæ veritas non ineptè ob sui firmitatem, & soliditatem fundamentum dici potest, talis modi enim veritatem, quam à Christo, qui eum in Indiam misit,didicit(& non aliam)populis prædicauit, vt supra in thematis deductione amplius patuit.

Thomas commendatur ex doctrinę vtilitate.

Quartò & vltimò Apostolus Thomas venit commendandus ex doctrinę catholicæ efficaci vtilitate,quia super istam veritatem, quam populus ab eo didicit, diuersi diuersimodè ædificarunt, qui per Apostolum in multo numero conuersi, diuersimodè Christum coluerunt, pręceptis diuinis indesinēter obtemperando, vt ex eius legenda amplius deduci potest. Huic itaq; fundamento primario,& principali, quod est Christus & nos adhęrere curemus. Doctrinę deniq; apostolicę, quam sanctus Thom.verbo,& facto docuit, quatenus secūdum datam nobis gratiam, & fidei illustrationem quam in ecclesia hausimus,superędificare possimus ædificium virtuosarum actionum &c.

## DE SANCTO STEPHA no Sermo I. in ordine VI.



TEPHANVS autem plenus gratia,& fortitudine faciebat prodigia &signa magna in populo &c. Act. 1. Hesterna die celebrauimus natalem domini saluatoris, hodie venerari habemus passionem Stephani protomartyris. Hesterna festiuitate per Cristi sanctissimam natiuitatem redimimur ad brauium ęternæ beatitudinis percipiendum. Hodierna sancti protomartyris passione prouocamur ad exemplum, vt sicut ipse Christum secutus est in terris, ita & nos illi cohærere studeamus. Si enim compatimur,& conregnabimus. Natus est heri dominus in mundum, vt hodie nasceretur. Stephanus in cęlum, quàmuis non hodie, sed tertiò Augusti quo eius celebratur inuentio, eodem anno post domini ascensionem lapidatus fuisse legatur. Natus est heri dominus pro seruo in terris, vt eum passionis exemplo, & doctrinæ magisterio præcederet saluberrimo. Natus est hodie in cœlum seruus, quia secutus est suum magistrum bibendo passionis poculum, & lapidum perferendo ictus. Heri filius Dei factus est filius hominis, vt hodie filius hominis, filius fieret Dei. Heri Dei filius mortalitatis veste coronatus processit in mundum. Hodie protomartyr Stephanus immortalitatis palma laureandus scandit in cęlum. Heri Cristus natus est in ciuitate Bethleemitica, hodie Stephanus lapidatus est in vrbe hierosolymitana ad intellectum prçmissum. Ibi enim diaconus ministrauit,& in ipso iuuentutis flore decorem suæ ętatis sanguine purpurauit. Bene ergo hesternæ festiuitati hodierna colligitur, vt illa credentes eueheret ad vitam, hæc confitentes duceret ad coronam. Et vt gratiarum plenitudo, quam Christus mortalitatis sacco in passione conscidendo attulit, in martyrum primicerio modo quodam singulari resideret. Hinc dicitur vbi supra Stephanus plenus gratia, & fortitudine non à se, sed à Christo nobis nato, & nobis dato, faciebat prodigia &c. Positus in terris,&in plebe constitutus virtute eminebat, humilis erat, sed celsus fide, & robustus fortitudine. Rectè ergo de eo dicitur, Stephanus plenus gratia &c. Aue Maria.

Stephanus quõ est natus in martyrio.

Etsi verba præmissa sanctum protomartyrem Stephanum plurimum commendandum ostendant, placuit nihilo minus totam hodiernæ diei epistolarem recitare lectionem, quæ ex actuũ sumitur historia cap. 6. & 7. Vide ibi. Vt salua pace omnium sanctorum, immo Apostolorum dixerim, videtur hic gloriosius martyr quendam inter cæteros tenere principatum, eo quod primus in nouo testamẽto factus est Christi martyr, & testis. Dum enim adhuc Laicus esset, meruit diaconi electionẽ, vt loquitur Augustinus, immo prçelectionem. Et leuita obtinuit martyriũ principatum, ordinatus quidem fuit ab Apostolis diaconus, & ipsorum minister, ac discipulus, Sed qui fuit Apostolorum discipulus gradu, & ministerio, cępit esse ipsorum magister,& primicerius (quod pro Christo sustinuit) maryrio. Sicque cum esset ordine inferior, factus est primus, & præcipuus passione, & lapidum se prçmentium concussione.

Stephanus qũo tenet principatũ inter sanctos.

Sed fortè mouet quem, Quare præ cæteris plenus gratia dicitur,& fortitudine, cum id quò ad primum soli Christo, & virgini gloriosę, Angelo nunciante, modo quodam priuilegiato reseruatum videatur? Quomodo etiam vidisse dicitur Iesum stantem à dexteris virtutis Dei? Quare non potius se dixit vidisse filium Dei, quod fuit præcellentius, quàm filium hominis, quod erat humilius? Ad primum responde, vt patuit Annunciationis Mariæ sermone quarto. Et applica ad propositũ.

Ad

Ad aliud dicitur post Augustinum in sermone quinto de sancto Stephano. ex quo secundum Apostolum scandalum erat iudęis Christum, qui homo erat secundum carnem, esse & dici filium Dei vnde prædicamus Christum crucifixum iudęis scandalum. Ad confutandum ergo eorum incredulitatem, sanctus ille martyr Stephanus vidit in cęlo, quod ipsi negabant in mundo. Et veritas cęlestis testimonium dedit, cui fidem terrena iudęorum impietas denegauit.

De miraculis beati Stephani quemadmodum. fecit prodigia, & signa magna in populo, vide beatum Augu. lib. 22. de ciui. Dei. cap. 8. per totum. Est capitulum satis profusum, g sta recitans, quæ etiam habentur in ser. 7. beati Au. de sancto Stephano. Hæc omnia collector breuiter annotauit, quia solitus fuit materiam incarnationis his dieb⁹ cõtinuare, & parũ de sanctis dicere.

## *DE SANCTO IOANNE euangelista Sermo I. in ordine. VII.*

Ioannis commendatio.



RECUBUIT in cena super pectus eius. Io. vit.

Agimus hodie solemnitatem discipuli, quem diligebat dominus, qui & in cęna super pectus eius recubuit, ac euangelii fluenta de ipso sacro dominici pectoris fonte potauit, per quod totum mũdũ de euangelicę veritatis doctrina illuminauit. Qui Christo decedenti de hoc mundo successit, & virginem domini sui matrem in suam recepit. Hic dũ euangelium prædicaret in Asia, à Domiciano Cęsare missus est in Pathmos insulam, vbi diuina illustratione edoctus Apocalypsim scripsit, & futurum ecclesiæ statum præuidit. Interfecto autem à senatu Domiciano, ab exilio reductus, in Ephesum venit, ibiq; ab ecclesię episcopis efflagitatus, ob confutandas hęreticorum versutias, euangelium scripsit nouissimus. Anno quoque 47. post Christi passionem longo fessus senio, cum terminum vitæ suæ imminere intelligeret, fertur iussisse sibi fieri sepulchrum, & in ipsum viuus introiuit, vnde & quidam eum adhuc viuere dicunt, vt refert Augu. homil. vl. super Ioann. illudque non à leuibus hominibus dici iureiurando firmat ibidem. Hic inter omnes alios euangelistas altius volauit, vt vix sua dicta intelligere, vel aliqualiter saltem valeat creatus appręhẽdere intellectus Hinc apud Ezech. 1. animal quadruplex cõmemoratur, habens quatuor personas secundum Augustinum super Ioann. ho. 36 hominis, vituli, leonis, aquilę. Per quæ alia quattuor, secundum communem doctorum expositionem quattuor euuangelistæ designantur Et sicut aquila cæteris animalibus præfertur, eaq; volatu transcendit, sic Ioannes sub limitate mysterii, & verbi diuini reuelatione cęteros euangelistas transgrẽditur. Per leonem, qui est animal potẽs, terribile, & robustum, Marcus significatur, qui præ cæteris Christum de regia stirpe Dauid descendisse palam ostendit. Lucas verò vitulo deputatus est, quia suum Euangelium a sacerdotio Zachariæ patris Ioannis incepit. In sacrificio verò virtutum magna victima erat vitulus. Matthæus verò, qui ab homine Christo exorsus est (omissa regia stirpe, & sacerdotali oblatione) homini assimilatur. Hi omnes in terris manentes ea, q̃ Christ⁹ in carne gessit, fideliter annotarunt, de diuinitate pauca locuti sunt, quia in terrenis ambulantes, cælestia dimiserunt quæ Ioannes irreuerberatis oculis velut aquila nubes transcendens superascendit. Aquila verò sic secundum Augustinum, suos probat fętus, si adulterini sint, vel non experiri volens, patris suspendit vngulis, & soli opponit, seu radiis solis, etsi sic permanent, veri iudicantur filii. Si autem acie palpitauerint, ab vnguibus proiiciunt

Euangelium vbi scripserit Io.

Ioannes cur sub figura aquilę.

Ita & beatus Ioannes ad pectus Christi veluti aquilę omnia transcendentis requieuit, & per hoc Christum ipsum verum Dei filium comprobauit, secūdū thematis verbum. Recubuit &c.

Christ' an magis dilexit Petrū vel Ioan.

Magna, & singularis prærogatiua fuit quod Ioannes in cęna super pectus domini recubuit præceteris omnibus, cum ipse Christus iam transiturus erat de mundo ad patrem, & eam quam semper exibuit dilectionem, in finem vsque ostendere voluit. Sed fortè mouet quem, cur hoc factum fuerit. An ex eo quia Christus plus dilexit Ioannem quàm Petrum, quod tamen videtur esse contra illud, Simon diligis me plus his? quod siue quęsitiuè legatur, siue assertiuè, verum est, vt patet ex responsione domini trina subsequente, cum iam secundò agnos, & tertiò oues pascendas commisit. Frustra enim & simulatè quæreret dominus, nisi ita esset, vt quæstio sonuit, sed Deus è regione plus diligit eos, qui se plus diligunt, alias videretur esse personarum acceptor, stante lege. Ad hoc cum summissione responderi potest, tametsi Petrus & Ioannes (de quibus sonat euangelium) bene consonent in celo, & singuli suis promissis sint contenti, attamen prę nostra excitanda deuotione ad Deum, & ad sanctos, quos quærimus intercessores, Primò dici potest post beatum Augustinum homil. vltima super Ioan. quod per Petrum, & Ioanné duplex vita nobis significata est. Actiua scilicet, quæ est in operatione. Et contemplatiua, quæ est in iugi contemplatione, prout & hæ duæ vitę appropriantur Marthę ministranti domino, & Marię Magdalenæ sedéti ad pedes eius, & audienti verba oris eius. Actiua significatur per Petrum, Contemplatiua verò per Ioannem. Modo constat ex scriptura quandoq; rem magis appreciabilem per minorem significari, & minus appreciabilem per maiorem, quia maior est cura designato, quàm de signo. Actiua transit, quia in æterna patria non erit locus misericordię impendente propter sublationem omnis miseriæ. Contemplatiua manet, & in patria cōsummatur. Ideò dictum est Petro, tu me sequere, Ioanni verò, sic eum volo manere, donec veniam, sine exclusione, sed cum inclusione, & vt & in psalm Donec ponam inimicos &c. Vtraque vita placita fuit Christo. Ad designandum ergo pręcellentiam vitæ contemplatiuę, respectu actiuæ (quia contemplatiua est Deo familiarior, & purior, tametsi alia sit sępe numero intensior, & fructuosior) exhibuit maiorem familiaritatem Ioanni, quàm Petro, licet plus dilexerit Petrum, quam Ioannem. Sicut est videre quandoq; in ambasiatis principum. vbi maioris principis ambasiatores (etsi viliores sint) quandoque humanius, & familiarius tractantur, quàm maioresminoris principis, quia non ipsi ambasiatores principaliter honorãtur, sed principes, à quibus missi sunt. Ita & in Ioanne contemplatiua vita tanquam familiarior, & iucundior, in Petro verè actiua quæ occupatur circa plurima, à Cristo dilecta est. In huius signum Petro ecclesiam, Ioanni verò matrem virginem commendauit. Hinc Augustinus. dicit Ioannem fuisse fœliciorem, Petrū verò meliorem, quod sano indiget intellectu, quia vtique is est melior, qui est fęlicior, eo quod habet maius bonū, siue magis bonum. Sed in via nullus eorum erat fęlix i. beatus, & confirmatus. Ioannes tamen fęlicior dictus, quia familiarior Christo. Is autem melior, quia maiori dilectionis gratia præditus fuit, secundum modum loquendi vulgarem, qui fęlicem dicunt habenté, quæ vult.

Vita actiua & cōtemp. continét se vt excedēs & excelsū.

Et licet vita contemplatiua simpliciter sit melior, & nobilior vita actiua, videntur tamen se habere sępenumero, vt excedens & excessum, & actiuum plus esse gratum Deo aliquo contemplatiuo. Sæpe enim contingit, quod hi qui maiorem habent Dei dilectionem intensiuè, & extensiuè, minus sentiūt se affici ad Deum, & minus experiuntur dulcorem dulcedinis ad Deum, quàm alii, qui sunt minoris in dilectio

ctione. Sed talis dulcedo non est semper per actus potentiæ intellectiuæ, sed sæpe passio appetitus sensitiui impellentis ad diligendum, ad quod cooperantur hominis naturalia sic, vel sic qualificata. Hinc aliqui mox flent, plorant, lachrymantur, agitati vel complexione naturali, vel quadam passione sensitiua vna cum intellectiua volitione. Alii verò neutrum illorum possunt, licet maiori conatu, & studio feruentiori repellant à se omne oppositum charitati, quàm illi qui dicunt se paratos exponere, & corpus, & animam pro Deo &c. Sed necesse est, vt infirmi quandoque visitentur, & nutriantur à Deo quodam sentimento dulcedinis, ne desperent, vel deficiant, licet sæpenumero per hoc homo decipiatur, & in via Dei penitus tepescat &c.


Petrus dilexit feruentius Io. dulcius

Aliter posset dici secundum beatum Bern. vt recitat sanctus Bonau. in 3. di. 32. scilicet quod Petrus dilexit feruentius, & diligebatur fortius. Ioannes verò dilexit dulcius, & diligebatur familiarius. Et sic se haberent vt excedens, & excessum in dilectione Dei actiuę, & passiuè. Sed constat ex hoc dilectionem Petri actiuè, & passiuè meliorem fuisse dilectione Ioannis, & ita similiter eum fore præferendum Ioanni propter maiorem charitatem, licet Ioannes habuerit maiora familiaritatis signa à Christo, quàm Petrus. Tum propter significationem, vt patuit. Tũ propter qualitatem personæ, & hoc propter ingenitam Ioannis mansuetudinem, propter virginalem puritatem, propter iuuentutem, quorum quodlibet facit regulariter hominem magis dulciter & tenere diligi. Hæc autem omnia fuerunt in Ioanne. Declara paulisper.

Petrus dilexit feruentius Io appetitu velitiuo.

Dicitur ergo finaliter, quod Petrus fortius dilexit, & feruentius appetitu volitiuo rationali, quantum ad effectum gratię interioris, quantum ad effectum Ioannes verò familiarius, quantum ad signa exterioris conuersationis. Isto itaque supposito salua pace istorum sanctorum, de quorum dilectione concertamus pro nostra deuotione, Dei & ipsorum laude, & gloria, quod in Petro maior fuerit dilectio charitatis, quàm in Ioanne Dicitur breuiter quod Christus plus dilexit Petrum, quam Ioannem licet hunc familiarius, & tenerius dilexerit, vt ita loquar. Primum patet, quia Deum diligere creaturam, est ei bonum velle, sed magis diligere maius bonum velle, sed quia maximum bonum vię est charitas, & maximum bonum patriæ gloria consummata, ergo illum simpliciter magis diligit, cui vult maiorem gratiam, & gloriam. Et secũdum B. Bonau. vbi supra ille simpliciter maior est in cęlis, qui maiorem habuit charitatem in terris. Manifestum ergo est, quod Petrum plus dilexit, quia maiorem charitatem contulit. Secundum similiter patet, quia supra pectus eius recubuit, Matrem deniq; sibi cõmendauit &c. & hoc propter eius puritatem virginalem, mansuetudinem, & dulcedinem naturalem &c. quæ faciunt hominem familiarius diligi. Sed nũc in cęlis constituti, is maior est simpliciter, qui maiorem in terris habuit charitatẽ, cui debetur proportionabiliter præmium substantiale, tam etsi fortè Ioannes gaudeat aureola virginum, qua Petrus caret, & in hoc sibi præferatur, sed longè præcellit præmium substantiale pręmium accidentale, vt posset extendi &c. Breuiter hæc collegit sermonum auctor quia in materiam diei festi de incarnatione verbi continuare solebat per triduum & vltra, vt patuit in sermonibus de festis Christi.

## DE SANCTO ANTONIO *Sermo I. in ordine. VIII.*



DEDIT illi cor ad præcepta Ecc. 45. Adest nobis dilectissimi dies festiua beatissimi Antonii confessoris, domini anachoritarum patris, mo- Antonii commẽdatio qa monaco rũ pater

nachorum institutoris cultoris eremi: debellatoris inimici, & reformatoris mundi. Rectè dixerim reformatoris mundi, quia omnis rectitudinis normã prætulit. Siquidẽ fuit iuuenũ forma, senum regula, exemplar virginum, totius virtutis speculum, in quo speculari est omnibus eum fideliter contuenti bus quicquid in eis rectum est, & tortuosum, quicquid mundum, aut maculosum, nec tantũ speculari sed etiã distorta quæ fuerant eius patrociniis cõtingit reformare. Hinc de eo scribit beatus Athanasius episcopus. Bonum, inquit, Ægypto medicum Christus indulserat, quis non tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium? quis nõ irã vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad eius temperauit aspectum? quis non mœrore paupertatis abiecto, qui premebatur, statim & diuitium despexit opulentias, & in sua lętatus est paupertate? Quis post lassitudinem monachus non eius hortatu vegetatus est? Quis adolescens ætatis succensus ardoribus non eius admonitu pudicitię amator fuit? Quis vexatus à diabolo sine medela rediit? quis iniquis cogitationibus distractus, non cęca tempestate sopita, sereno regressus est animo? Hæc ille. Et quamquam omnium sit pater, huius tamen loci specialiter habitator est, patronus, & defensor. Magnus reuera patronus non hoc modo, sed per totum mundum nominatus. Quid mirum si magnus est apud homines, quem magnum confiteri compulsi sunt & demones? Nec immeritò quod apud creaturam etiam reprobam magnus probatus est, quẽ creator omniũ magnificauit. Magnus aũt apud dñm, quia dominus possessio eius, & ipse possessio est domini. Cor etenim suum mũdum dño præparauit habitaculũ, ideò summũ omnium meruit habitatorem. Qũo præparauit? Syncera dilectione, quã in legis Dei iugi meditatione, & operum conformitate ostẽdit. Talibus .n. dñs suã promisit præsentiã. Qui, inquit, diligit me sermonẽ meũ seruabit, & pr meus diliget eũ, & ad eũ veniem⁹ & mansionẽ apud eũ faciemus. Io. 14. Sed nunquid sua virtute hęc egit? Nequaquã, qm̃ scriptũ est. Charitas Dei diffusa est in cordib⁹ vestris per spiritũ sanctũ, qui datus est vobis, ad Rom. 8. Inuenit enim eũ dominus vas aptũ, à mundi nexibus solutum, nec auersũm, nec pollutum per vitia, ideò dedit ei cor ad præcepta. De quo pro gr̃a Aue.

De magno huius domus Dei patrono quid dignum referre potero miser peccator, à tãti vita viri nimiũ distans. Nam virtutũ eius gloria nõ sermonib⁹ exponenda est, sed operibus cõprobãda. Verũtamẽ nec peccatoribus ab eius laudibus silendũ, quoniã & dęmones, dum eum sui victorem clamant, tacere ab eius laudibus non valebant. Quinimo pro eo quod ei vita dissimiles sumus, magis eum pulsare, magis eum conuenit implorare, quatenus eius obtemptu eum imitantes iam non voce tantum, sed & opere collaudemus. Et sicut ipse cor perfectum in domini mandatis habuit, ita & nos habere mereamur. Videamus itaq; prius, quemadmodũ ille in domini mandatis ambulauit perfecto corde. Secundò quemadmodũ illum debeamus imitari. Omnis itaq; gloria viri Dei, qui in hoc exilio enituit, in eo includitur, quod dicitur, dedit illi cor ad præcepta. Per cor enim nihil rectius quàm voluntas intelligitur, quoniam sicut in corde vita corporis, ita in voluntate vita consistit animę. Hinc dicitur Eccl. 37. Ex corde quatuor oriũtur bonum, & malum, vita & mors. Et Prouerb. 4. Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Per voluntatem anima viuit, per voluntatem moritur, & ipsa, sicut scriptum est: Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuã ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quodcunque placuerit, dabitur illi. Eccl. 15. Cor itaque ad præcepta quid aliud est, quàm voluntas ad diuini beneplaciti executionẽ ardens, & deuota? Et in hoc consistit omnis gloria viri Dei. Quia enim miraculis plurimis claruit, perfectionis sui cordis

Antoni⁹ qũo ambulauit in mandatis domini corde perfecto.

dis in lege iugiter meditantis testimonium fuit. Quia autem in legis obseruantia homini sit gloria, testis est scriptura. 1. Mach. 2. ita dicens. Confortamini, & viriliter agite in lege quia cum feceritis, quæ vobis præcepta sunt à domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis.

Antoni° duo præcepta dilectionis obseruauit.

Videamus nunc quanto ardore cor viri sancti ad præcepta flagrabat. Et vt summatim aliquid audiamus, rememoremur in duobus illis primis, ac maximis præceptis idest amore Dei & proximi (secundum saluatoris sententiã) legem totam pendere & prophetas. Matth. 22. Et breuiter consyderemus quantum vtriusq; præcepti cautissim° obseruator fuit Amauit quidem Deũ, cuius toto tempore vitæ suæ mandatis institui atq; subiici satagebat, omnia fugiens, abiiciens etiam teneris in annis quæ ab eorum custodia retrahebant, cui etiam contulit prouida suorum cura parentum. Nam nobilibus religiosisq; parentibus Ægypti oriundus fuit tanta eorum nutritus cura, vt nihil præter parentes, domumq; cognosceret. Innocenter domi habitabat, ad ecclesiam cum parentibus sępe conueniens, nec infantium lasciuias, nec puerorum negligentias sectabatur. Parentibus obediens, subiectus, & humilis, non eis molestus, nec aliquid vnquam præter illud, quod dabatr in cibis aliis ue requisiuit. Discite hinc parentes liberos vestros à lasciuia & vagationibus coercere, semper cogitantes id Gen. 8. Sensus, & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua, non parcentes virgæ, si à malo perpetuo eos placuerit liberare sicut Prouerb. 23. Salomon docuit. Noli, inquit, subtrahere puero disciplinam. Si percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Nam inobedientia filiorum frequenter ex culpa, & negligentia oritur parentum. Discite & vos pueri lares paternos diligere, parentibus sine molestia prompto animo obedire, quia filius, qui affligit patrem, & matrem fugit, ignominiosus est, & infęlix. Prou. 14. Et iterum Verba patris custodiens filius, extra perditionem erit, eiusdem. 29.

Antoni° peccatorum occasiones studuit diligé-ter vitare.

Ne autem in aliquo occasionem daret impuritati, & omnes rimas obstrueret, quo ingredi solet immundus amor mundi, dum adhuc puer esset, non se literis erudiri secularibus non ineptis infantium iungi passus est fabulis, sed tm ea, quæ in ecclesia legebantur, auscultans, vtilitatem præceptorũ, vitæq; institutionẽ seruabat. Auditioni quoq; scripturarum ita studiũ commendabat vt nihil ex eius animo laberetur, sed vniuersa domini præcepta custodiens memoriam pro libris habebat. Decursis autem puerilibus annis, mortuisque parentibus, annorum. 18. aut 20. cum sorore admodũ paruula relictus, dom° & sororis domesticam curã prudenter gerebat. Sed animo versabat quemadmodum apostoli omnibus spretis, secuti sunt saluatorem. Et multi (sicut in Actibus apostolorum legitur) venditis omnibus, precia ad pedes apostolorum contulere, pauperibus impartienda. Et quanta illis spes reposita esset in cœlis, nondum sex menses effluxerant, & ecce ad ecclesiam, vt solebat, accurrens, audiuit ex lectione euangelii: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlis. Matth. decimonono. Et quasi propter se recitata fuissent, ad se traxit dominicum imperium. Et in vsus pios pauperum omnia distraxit paucis propter sororem reseruatis. Quæ & ipse in simile opus consumpsit. Paucos post dies audiens, iterum in ecclesia verbum domini Matthæi sexto. Nolite de crastino cogitare. O verè studiosum verbi Dei auditorem, qui quæ audierat ad se ipsum retulit. Nec micam cœlestis, edulii in terram cadere permisit sciens quod cibus nisi in viscera traiectus, nutrire non poterit. Quo contra miseri nos, qui cum ad

audiendum verbum conuenimus, non ea, quibus vita nostra tangitur, animaduertimus, sed correptionibus aliorum libentius inanes pascimus aures. Hinc nedum irrefecti, & inanes recedimus, sed infirmi, & detractionis veneno pleni, verbum salutis in occasionem vertimus perditionis. Et dum nihil ad propriam vitæ emendationem conferentes memoriter tenemus, quæ ad aliorum detractionem inflectere possumus per longa annorum spacia memoramur. De quibus dominus loquitur Matth. decimotertio, incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Doctrina vtilis omnib⁹ volentibus proficere.

Suscipite charissimi vnicam hanc doctrinam volentes proficere in melius perutilem. Omnia verba ad salutem pertinentia, siue consolatoria, siue commonitoria, siue etiam increpatoria, quę in sermonibus publicis, aut priuatis collocutionibus, aut internis monitionibus audire contingit, suscipiantur a te tanquam verbum non hominis, sed Dei ad te, & propter te solum prolatū, etiamsi cum decem millibus audire cōtingat: nō aliter suscipe, quā si solus audisses, quam si propter te hoc verbum diuina dispensatione sonuisset, quam si ad te solum Deus tuus verbum salutis transmisisset, sic deniq; susceptum, teipsum diiudica, & quid sibi velit, quid in te exigat, sollicitius pensa, vt secundū ipsam vitam, & mores componere valeas, & emendare. Scitote, quod verbum Dei (sicut beatus Bern. serm. 5. de aduētu domini ait) cibus mentis est. Et sicut cibus corporis nisi comedatur, atque traiciatur in viscera, ad corporis nutritionem est inutilis, nec si mille comedant, tibi aliquid conferunt, nisi ipse in te cibum sumpseris. Ita & verbum Dei vt prosit, ac mentem nutriat, traiiciatur in viscera quædam animæ tuæ, trāseat in affectiōes tuas, & in mores tuos, comede bonum, & delectabitur incrassitudine anima tua, ne obliuiscaris comedere panem tuum, ne arescat cor tuum, sed adipe & pinguedine repleatur anima tua.

Auditio verbi Dei fuit initium perfectionis Antonio.

Ecce totius sanctitatis viri Dei principium fuit, & fomentum huiuscemodi auditio verbi Dei. Hinc enim cępit omnia peritura bona spernere, hominū societates fugere, & vt non modo nihil plus, aut ęqualiter Deo diligeret, sed ne omnino aliquid præter Deum, i. nō propter Deum amaret, sciens illud Aug. in suis confes. Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat, amorem quoq; suum soli Deo conseruaret, totus Deo viueret, solitudinem cępit incolere. Hinc primū incipiens in locis paululum à villa remotioribus, deinde à patribus, quos nō nisi informationis causa visitauerat, moribus, & doctrinis institutus, se in quadam spelunca includi iussit, à suo quoq; cognato statutis diebus panis alimoniam sibi deferri. Hinc denique ad vastiorem eremum ingressus in monte quodam, vbi inuenerat castellum desertum, plenum ob temporis solitudinem venenatis animalibus, effugatis bestiis, ipsum nouus hospes inhabitare cępit, & obstructo lapidibus introitu, solitarius 20. annis perdurabat, nunquam inde recedens, nunquam aliquem suscipiens intantum, vt cum bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloqnium. Sic sic acceptis pennis velut columbæ à domino volauit, & requieuit, elongatus, à Mundo fugiens, in solitudine manens, sicut olim propheta optauit psal. 54. Deinde fratres instituens, & monachos, iterum sese in abdita recepit solitudinis. Inquietatus quoque à turbis sępe locum animo stabili, ac immutato amore solitudinibus mutauit vnde cauendum est dilectissimi, ne propter loci mutationem facile serui Dei mutabiles, & inconstantes iudicentur. Requirit enim nonnunquam stabilitas mentis, & immutabile proficiendi propositum loci mutationem. Alioquin quis mutabilior Apostolis, totum mundum circum giranti bus

bus, immo volenti peregrinari Hierusalem adeò necessaria est continua loci mutatio, vt nisi mutetur locus, proficiscendi mutetur animus, non difformiter pergẽtibus ad eam, quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater nostra, non nunquam mutandus est terrenæ habitationis locus, ne mutetur cęlestis sanimus. Cõtert ad idem Abrahę, Isaac, & Iacob, ac filiorum Israel in constanti animo mansionum multiplex mutatio. Solus ergo sedens secundum prophetæ dictum leuauit se supra se, animo charitate pleno semper suspensus in Deo; lassato etiam corpore animũ non relaxabat, semper seipso fortior factus secundum Apostoli sententiam ad Phil. 3 præterita obliuiscens, in anteriora se extendit. Non temporum longitudine, non merita pensabat, sed amore, & famulatu spontaneo, semper tamen in principiis constituto, ad perfectum diuini meris desyderium concitabat, nouis semper præterita cupiens adaugere.

Antonii mores vita qualis

Meminerat Helię prophetæ dicentis 3. Regum 17. Viuit dominus, cui assisto hodie ante ipsum. Differebat cur hodie esset appositum, quia non computabat Helias præteritum tempus, sed tanquam hodie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem se sciebat dignum Dei esse conspectibus, puro corde, & paratum obedire voluntati eius. Quis denique virtutes eius, quis abstinentias sermo referat, quibus in solitudine pollebat. Pernoctabat in oratione sępissime. Edebat semel in die post solis occasum. Nonnunquam biduo, triduoq; sic permanens, vt vix quarta die cibum vellet accipere. Sumebat autem panem, & sal, potumque aquę per paululum. Quieti verò membra concedens, iuncò contexto, atque cilicio vtebatur, Aliquotiens etiam super nuda humo iacebat Et vt de cęteris fileam (quia dies desereret volentem referre omnia) Tanta fuit in eo pudicitiæ virtus, vt nonquã aliquis corpus suum nudum priusquã moreretur, videret. Humilitas etiam tãta, vt cum beatum Paulum eremitam visitasset, ad fratres rediens, Vę mihi peccatori, inquit, quia falsum nomen monachi fero. Sciens autem, quod non ei qui ïceperit, sed qui pseuerauerit in finem, palma debetur victoriæ. Matt. 10 diaboli insidias, qui toto in eo furore grassabatur, constantissima pugna deuicit, nec in finem vitæ aliquatenus cessit. Et licet in cũctis virtutibus vir Dei merito prædicatur mirabilis, in victoria tamẽ horribiliũ, multiplicumque diabolicarum impugnationũ aliũ sibi parem non legimus, vt hoc respectu rectè de eo canamus Eccl. 44. Non est inuentus similis illi qui conseruaret legẽ excelsi. Sic vir ille cor ad pręcepta in vanum non acceperat, qui ardentissimo amore infatigabiliter semper Deo seruiebat. Ad proximorum autẽ salutẽ quantum verbo, & exemplo laborabat, alii sermoni reseruandum erit. Nam licet litteras vt præmissum est, non didicit, tamen diuina irradiatione sapientissimus fuit, ita vt philosophum, ac mundi sapientium argutam loquacitatem sermonis sui simplicitate sed veritate pleni, facile compesceret. Quamuis deniq; vir ille nullam in omnibus foris quæsiuit gloriam, quam nedum in vita, sed ne etiam aliqua defuncto corpori impenderetur, diligentissimè cauit, sed conscientię suę testimonium in abscondito, secundũ Apostolicam sententiam suam reputauit gloriam. Non tamen hunc dominus in cõspectu plebis, & orbis sine gloria esse voluit. Et qui mundo incognitus esse toto annisu voluit, innumeris eum dominus miraculis toto mundo declarauit. Nam dęmones ab obsessis corporibus potenter in fide Christi præsens, & absens expulit. Imperauit bestiis, & elementis, ita vt in loco arenti solo orationis verbo fontem manare faceret. Oculorum, & aurium fluxum restrinxit. Membra paralytica glutinauit, à dolore lateris, & stomachi sola oratione absentes sanauit, cęterasq; infirmitates abegit. Futura velut præsciẽtia nouit, & propheticè prędixit. Quę tamẽ

omnia non tantum miranda quantum miraculosa eius vita, qua cor quod ad præcepta sua dominus ei dederat, infatigabiliter his inhærere coegit. Vnde completo pugnæ suæ cursu, nunc in gloria dño conregnat fęliciter sine fine.

Ad Antonii imitationē in dilectiōe dei hortatio

Eua sit in longum sermo magis, quā sperabam, ideò secundam eius partem paucissimis verbis concludere necesse est. Audita ergo patroni nostri admirabili conuersatione, & vita, hunc imitari; posse tenus laboremus. Cor nostrum ad diuinorum obedientiam præceptorum præparemus, firmiter sine fictione proponentes nostram in omnibus domino subiicere voluntatē. Hæc est bona voluntas, cui pacem nascente domino Angeli nunciarunt. Nam sicut nulla res est, nisi quantum participat diuinum esse, & nihil bonum iudicatur, nisi per conformitatem ad primum bonum. Ita nec voluntas nostra recta esse potest, & bona, nisi conformādo se rectissimę ac optimę voluntati. Et rogo perpendite, quammultum est à nobis id fieri. Quis enim pater non velit suum sibi filium in omnibus obedire? Quis dominus non illud exigit à mancipio? Quis paterfamilias non id requirat à conducto operario? Et ecce tales sumus ad Deum, ipse noster pater est, ipse dominus, ipse paterfamilias. Pater qui nos creauit, dominus, qui sanguine proprio nos emit, paterfamilias, qui nos mercede perpetua cōduxit. De primo dicitur Deut. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? De secundo 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed precioso sanguine agni immaculati. De tertio Matt. 19. Omnis, qui reliquerit domum, fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meū, centuplum accipiet, & vitam ęternam possidebit. Indecens ergo valde est negare Deo, quod sequimus à conseruo.

Hanc voluntatem habere poterimus si Deum toto corde diligere festinemus quia amicorum est idem velle, & nolle. Amorem hunc diligens meditatio diuinorum beneficiorum generabit, sicut propheta ait, In meditatione mea exardescet ignis. Et quod minus præualet meditatio, suppleat deuota oratio, atque intercessio, meritaque sanctorum. Si dicis, Habeo voluntatem obediendi Deo, vbi mihi incipiendum erit? Dirigat nos pater noster beatus Antonius. Moriendum primò nobis viuamus Deo. Neganda est voluntas nostra vt fiat diuina. Audistis, quomodo omnia, quæ mundi sunt, spreuit, omnibus etiam licitis se negauit, vt Deo se conseruaret. Et nos saltem illicita vitare incipiamus. Tentaris die dominico sub diuinis ebrietati, vel negocio seculari deseruire, hic nega voluntatem tuam. Sedes in multitudine, audis detrahentes, incitaris ad simile, tu nega te, morere huic passioni, non detrahas, magis autem detrahentes compesce si potes, si non, habe compassionem cum fratre. Quomodo autem dederit cor ad præcepta dilectionis proximi, sequens sermo declarabit.

## DE SANCTO ANTONIO Sermo II. in ordine. IX.

DEDIT illi cor ad pręcepta. Ecclesiast. 45.

Antonii festiuitate gaudia in cęlis quæ.

Reduxit nobis annua dierum reuolutio hodiernam beatissimi Antonii festiuitatem, huius ecclesiæ patroni. Quæ non solum nobis, sed toti mundo venerabilis habetur. Quid in hōibus venerabilis, & gaudiosus esset huius triumphalis excessus, qui se eius adiuuari meritis, & patrociniis defendi non dubitant, cum etiam sanctis angelis, qui nullius horum indigent, creditur lætabundus? Quis nanque ęstimare poterit, quanta hodie de beati Antonii festiuitate sint in cælis gaudia? Si nanque teste veritate gaudium est in cęlo super vno peccatore pęnitentiam agente Luc. 15. Quid erit super viro innocente de vitiis, & autore eorum diabolo mirabiliter trium-

phante, & ideò pęnitentia non indigente, qualem sanctissimum nostrum patronum esse credimus? Nam quomodo pęnitentia indiguit, qui à puero cor ad præcepta Dei habuit, cui etiam Angeli innocentiæ testimonium perhibuere? Prohibentibus nanque dęmonibus sublevationem Antonii in aera in spiritu iam rapti, angeli dixerunt, cur retinere conarentur, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis vero ab exordio nativitatis replicare nitentibus, calumniosa ora Angeli clauserũt dicentes, non debere à nativitate eius delicta narrare, quæ Christi iam essent bonitate sopita, sed si qua scirent ex eo tempore, quo factus esset monachus, & Deo se consecrasset, licere proferre. At illis contra eum nihil probantibus, liber Antonio conscensus aperitur. Neque enim conversionis gratiam, velut domini sui acceptam pecuniam neglexit, non in sudario abscondit, nec in terram fodit, sed ad spiritualem usuram, bonorum.s. operum, ac perinde virtutum profectum impigriter expendit, quia mandata istius cautissimè custodiuit pariter, & consilia, qui dedit illi cor ad præcepta. De quo pro gratia dicatur Ave Maria.

Præceptum duplex dilectionis. Dedit illi cor ad præcepta. Duo esse præcepta, in quibus tota lex pendet, & prophetę Mat. 22. domini testimonio frequenter auditis, de dilectione.s. Dei, & proximi, quorum altero sine modo, & mensura Deum super omnia diligere iubemur, non enim excessum timere oportet in amore boni infiniti omnia superexcellentis. Hinc scribitur Ecc. 43. Glorificantes dominum, quantuncunque potueritis, supervalebit adhuc mirabilis magnificentia eius. Benedicentes dominum exaltate illum, quantum potestis, maior est enim omni laude. Et Beatus Bern. in de diligendo Deo. Causa inquit, diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere. Idcirco beatus pater noster seipsum, & omnia, quæ habere potuit, Deo impendit. Illi omnem suam ætatem consecrauit, actiones, desyderia, labores, substantiã, corpus, & animam pleno corde obtulit. Ethęc faciés nihil dignũ ei q hęc posse & omnia dedit, quiq; prior dilexit, rependisse arbitratus est. De quo pauca transacto anno me dixisse recolo. Altero mãdato proximum diligere, sed cum mõ, ac mensura pręcipitur. Ait enim dñs, diliges proximũ tuũ sicut teipsũ. Quo ex pcepto, & nosipsos, & pximos diligere iubemur, prius tamen & magis seipsum, ac deinde proximũ. Mensurans nanq; dilectioné proximi per dilectioné suiipsius diligentis dicens proximũ sicut teipsum, præfert dilectioné suiipsius dilectioni proximorũ, sicutmé suram mẽsurato. Est nãq; mensura perfectior mensurato, dicente philosopho. Primũ in unoquoq; genere est mẽsura posteriorũ. Unde nunq̃ verè diligit proximum, qui nõ diligit seipsum. Ordinatã.n. oportet esse caritaté, sicut in Cãticis sponsa ait c. 2. Ordinauit in me charitatem. Quę auté ordinata est à seipsa incipit. Neq; ignis nisi prius in seipso accensus fuerit, atque calidus, cætera calefaciendo accendit. Unde manifestum est eos errare, qui se neglecto aliis prodesse festinãt. Peccat, dicit magister di. 29. li. 3. qui prępostere diligit.

Nunc videamus, quomodo beatus Antonius prius se, ac deinde proximos dilexit, & in hoc eũ tanquã patronum vestrũ studetis sollicitius imitari. Primũ ergo diligebat se nõ falso amore, & seculari, quo qui animam suam dilexerit secundũ verbũ domini Io. 12. perdet eam, sed amore vero, & spirituali. Cum enim diligere aliquid sit illi bene velle secundum philosophũ in retho. verè diligit se, qui sibi vera bona vult inesse, & ut insint, conatur, quoad põt. Qui aũt sibi ea inesse desyderat, quę verè bona nõ sunt, sed mala non se diligit, sed magis odit, unde cõsequẽs est, quod is, qui corporis voluptatibus frui desyderat, ambitq; honores vanos, ac divitias per euntes spretis bonis æternis, suamque in hoc seculo fęlicitaté constituit, cui contra diuina præcepta iniquè seruit, seipsum odit, secundum illud psal. Qui auté diligit iniquitaté, odit animã suã.

Neq; enim illa vera bona sunt, sed verorum bonorum impeditiua. Idcirco beatus Antonius omnia huiusmodi trāsitoria in primo gradu spreuit. Ad vera autem bona acquirenda, summam scilicet, & infinibilem beatitudinem, iustitiam quoq; & virtutes, quibus hanc adipiscimur, summo labore se extendit. Quas vt certius sibi thesaurizaret tanquam prudens negociator apud viros probatos variarum virtutum margaritas quæsiuit, inuentasq; in scrinio pectoris sui cautissimè reconditas custodiuit. Postquam nanq; seculo iam renūciauerat, hæc prima eius opera fuerat, vt siquidem vigilantem in hoc studio compararet, procedens quærebat, vt apis prudentissima, nec ad habitaculū suum ante remeabat; nisi eius, quem cupiebat, frueretur aspectu, & doctrina & sic tanquam munere mellis percepto redibat ad sua. Hinc mirum in modum proficiebat, quonia n omnibus, ad quos studio pergebat obediens proprias singulorum gratias hauriebat, illius continentiam, illius iucunditatem sectabatur, istius lenitatem, illius vigilias, alterius continentiæ æmulabatur industriam. Istum ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur, alterius patientiam, alterius mansuetudinem considerabat. Sic vniuersis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur ibi vniuersa secū per tractans, omnium in se bona exprimere nitebatur. Sicq; sicut de Apollonio philosopho scribit Hiero. ad Paulinum cap. 2. Inuenit vir ille vbiq; quod disceret, & semper proficiens semper se melior fieret.

Discite & vos charissimi, qui in christiana religione crescere desyderatis, fugere malos, bonos studiosissimè æmulari, sicut scriptum est: Noli imitari malum, sed quod bonum est. 3. Io. 1. Attendite bonos, siue extra seculū siue adhuc in seculi negociis viuentes, & bonum quod in vobis minus habetis, in illis inuentum amate. Et cum illos seculum, carnem & diabolum fortiter vincere, spiritualibus armis, ieiuniis, orationibus, elemosynis aspicitis, qui homines sunt, vobis similes in natura, ad imitandum animamini, eisque in gratuitis studeatis similari. Hoc prudens sponsa egit, vt scribitur in canticis. cap. 3. Dum enim apud se quesitū dominum non inuenerat. Surgam inquit, & circumibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Quæ exponens Greg. homil. 25. ait: Qui dilectum suum non inuenit, resipiscens surgat, ciuitatē circūeat .i. sanctam electorum ecclesiam mente, & inquisitione percurrat, per vicos, & plateas quærat ... per angusta, & lata gradientes aspiciat & siqua in eis inuenire eius vestigia requirat. Nec frustra, quia secundum Rich. sermone. 3. super cantica, ex agnitione bonorum, & eorum virtutum non parum accenditur iustitiæ desyderum. Accedit enim ad ardentes hoc igne, quem dominus Iesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Ad quos dum accedit obtenebratus, illuminatur, tepidus incalescit, & feruid⁹ amplius ignescit. Nolite quæso assimilari reprobis, qui bonos prætereunt, malos non tam ad imitandum, quam se in peccatis excusandum requirunt. Apud quos potentior est vnius malitia ad alliciendum quam plurimorum bonorum virtutes. Exemplum accipite ab eis, qui mundo dediti lucratiuas artes, aut vanam seculi sapientiam quærentes, mundum circūeunt, vt inueniant, quæ discant, non indoctos attendunt, & ab artis perfectione deficientes, sed illis spretis, probatis se subiiciunt magistris. Et quicquid ab eis perfectum, & ad lucrum cognouerint accommodum memoriæ commendant, & suas secundum hæc operas satagunt exemplare.

Dilectio quo ad se quomodo pficitur.

Cum autem vir Dei vbiq; virtutum germina collegerat, vt illa in agro animę plantata tenacius figerent radices, non continuò ad fructificandum in aliis se extendit ne dum virtutum adhuc infirmę radices in ramis foris pullulauerat, à propriis sedibus euulsę arescerent.

Antonii ingress⁹ ad religionem.

fcerent. Sed 20. annis apud se manens in quodam deserto eremi castello, venenatorum animalium pleno, his fugatis cępit nouus hospes habitare, & obstructo lapidibus introitu, solitarius perdurabat, nunquam inde procedens neminem recipiens, nemini loquens, neq; ei, qui bis in anno per tectum insuper panes porrigebat. Et contra dæmones bona virtutum semina tollere cupientes, viriliter impugnabatur, & accidentibus profectuum augmentis continuis ipsa cęlestis vitæ semina roborabat. Hinc & nobis exẽplum dedit ne, & nos dum incipimus, dum adhuc tenera est radix sancti propositi, & infirma, statim effluamus ad aliorum informationem, prius volentes esse magistri, quam discipuli, quod rectę conuersationis obuiat ordini, vt vult Greg. lib. 1. dial. ca. 1. Occulta est hæc diaboli deceptio, qui sub spe lucri spiritualis tenerum adhuc conuersionis propositum effluere ad proximi acquisitionem suggerit ne solidas immanens mittat radices. Quo contra transplantatis arboribus rami præscinduntur, donec bene fixas profundauerint radices.

Anto-ni⁹ quõ fraternã caritatẽ dęmonstrauit.

Se itaq; in domino stabilito, & apud se longis virtutum exercitiis ordinato securus iam fraternam charitatem monstrabat in opere, qua secũ habitãs semper ardebat corde. Cępit itaq; omnium necessitatibus subuenire, omnibus benefacere, cunctos ditare, & thesauris pręciosissimis onustare. Non quidem corruptibilibus auro, & argento, ac cęteris perituris mundi donis, quæ velut stercora arbitrari suadebat, sicut & ipse auri, & argenti pondera in eremo sæpe sibi obiecta quasi quoddam incendium fugit. Quamquam etiam indigentibus, & miseris quicquid manuũ operibus conquisiuit, excepto panis prætio largitus est, sed ditare festinabat virtutibus, gratia, & charitate summi patris, eiusq; hæreditati in cęlestibus restituere. Hinc tot eremi cultores instituit, vt breui in tempore multa in eremo monasteria fierent, & quasi infinitam regionem quandam, & oppidum, monachorum agmen à mundana conuersatione seiunctum, summa concordia, pietate, & iustitia videbatur incolere, in quo nullus nocens, nulla detractio, sed multitudo abstinẽtium, & certamen officiorum erat. Laborabat quoq; omnes eripere à diabolo, ac reddere Iesu Christo. Et licet diuina virtute corporaliter obsessos liberauit, magis tamen animas diabolica fraude deceptas, & peccatis irretitas studuit absoluere, absolutasq; in bono confirmare. Hinc quos semper exemplo, etiam fideliter docuerat verbo, & quibus Christi fidem inseruit, ad incepti boni perseuerantiam erudiuit. Cõtra accidiæ torporem monuit attẽdere præmiorum incomparabilem excessum, laborum paruitatem simul, & breuitatem, vilitatem deniq; eius, ꝙ dimittimus à quo etiã inuiti lege mortis diuellimur. Cuius mortis incertitudo sero, maneq; cogitata, contra omnem desidiam ac vitia præstat arma. Animauit ad virtutes acquirendas nõ tanquam nobis impossibiles, aut peregrinas, sed eas, quæ ex nostro Dei gratia præcedente pendent arbitrio. Virtus enim in nobis non nisi nostram expectat voluntatem, dicente saluatore: Regnum Dei intra vos est. Muniuit contra dęmonum tentamenta sibi expertissima, eosq; non timendos docuit, nec aliquatenus consentiendum, etiam si vera, aut bona appareant, quæ suggerunt. Superbiam declinare, & ad sui ipsius diiudicationem, & mentis puritatem hortabatur, prout hæc & alia Athanasius recitat in solemni eius, quam describit collatione. Consolabatur deniq; & constantes reddidit, quos tyrannicus furor martyrio consecrauit, neq; hanc eius dilectionem proximorum, minæ tyrannorum, nec mortis extinguere poterant, sed intrepidus martyres ad tormenta secutus confortabatur, cum ipsis pro domino cupiens esse martyr.

Omnibus deniq; compassus est miseris, sed maxime peccatorum ponde


re

re oneratis, nam corporalibus infirmitatibus variis laborantibus ad se catervatim irruentibus misertus eos immutato conspexit vultu, ac oratione sola pristinę restituit sanitati. Sed dum futuram tyrannidem, ac arianorum insaniam contra fidem orthodoxam sę uituram in visione prænouisset, tantū scęlus, & piaculum non sine luctuosis singultibus, lachrymis,& gemitibus potuit fratribus prænarrare. Sic sic à vanis voluptatibus carnis, & perplexis mundi inquinamentis quousq; potuit abstraxit, & ad Dei amorem diligenter instituit, quo se ad fraternæ dilectionis præceptum cor habere apertius demonstrauit. In quo magnopere nobis imitandus est, vt & nos fratres diligamus non lingua, sed opere,& veritate Qui enim (ait Ioan.) non diligit manet in morte 1.Ioan.3.

Proximum ex charitate diligere quid sit.

Sed ne erremus, videamus, quid sit proximum diligere ex charitate, de qua dilectione datur præceptum. De hoc autem breuiter secundum Scotū in suo tertio dicendum,ꝙ diligere proximum est proximo velle dilectionem Dei inesse hoc est velle, vt proximus Deum super omnia diligat toto corde & ad hoc possetenus conari. Hoc enim volendo volumus proximum habere summum bonum, & summam perfectionem sibi possibilem scilicet Deum sibi per charitatem vnitum. Sicut Deꝰ summum est in entibus, ita & charitas excellentior est in creatis donis, secundum apostolum 1. Cor. 12. Ex quo patet ꝙ dum volumus aliquod bonū proximo non in ordine ad Dei dilectionem, sic volendo non diligimus ex charitate. Patet iterum. Licet diligendo proximum multa bona ei velle possumus tam spiritualia,quam corporalia, sine quibus scilicet charitas vel non potest haberi,aut difficultius conseruari, tamen magis ei volumus ea, quæ sunt spiritualia, quam corporalia, quia magis generaliter ea, quæ charitati sunt propinquiora. Vnde primò ei volumus gratiam, quæ est vita animæ sine qua nemo Deum intelligere potest merito riè deinde gratias gratis datas, virtutes acquisitas, doctrinas, admonitiones,directiones in via præceptorū Dei. Hinc bona naturalia, vita .s. corporalis,& cętera, sine quibus transfigi non potest donaq; fortunæ vtriusq;, prospe rè,& aduersè quia non semper proficiunt,sed quandoq; officiunt velle nō possumus nisi pro quanto hæc Dei dilectioni accommoda dinoscuntur. Vnde summariè quicquid rerum secundarū nobis, vel proximis volumus ex charitate, pro tantò volumus, pro quantò ad habendum dilectionem Dei sperantur profutura. Quod si quippiam harum ob aliam dilexerimus causam,non est illa dilectio desursum à charitatis fonte defluens, sed quandoq; naturalis vel moralis. Nonnunquam est terrena diabolica aut carnalis. Ex illo rogo attendite quam pauci hodie sunt proximos verè diligentes, immo raro filios parentes, aut sese germani diligunt hoc amore. Nam qui sic diligit, sicut gaudet de profectu eius, quem amat in eo, ꝙ diligit idest amore Dei, ita dolet de opposito. Sed quam pauci sint, qui hodie de peccatis proximorum doleant, quæ manifestæ dilectioni Dei cōtrariantur,plangit Chry. homi 39.quęre ibi. Experientia enim factum docet. Studeamus ergo imitari sanctum illum, qui dedit cor ad pręcepta gemi næ dilectionis &c.

## *SEBASTIANI MARtyris vbi habetur fraternitas Sermo. I. in ordine. X.*



Fraternitatis nomé quid secundū cōmunē locutionē propositi.

Raternitatem diligite. 1. Pet.2. Agimus hodie natalem beati Sebastiani martyris fraternæ charitatis zelātissimi cultoris, qui ad hoc specialiter vigilabat, vt fratres Christo per fidem genitos nutriret, sustentaret

taret, & roboraret, vnde & specialis patronus est fraternitatem diligentiũ. Et quoniam noua in hoc loco eiusdem sancti fraternitas erigitur ideò primo videndum, quid nomine fraternitatis communis populi vsus accipiat. Secundò si huiusmodi fraternitates institue re liceat. Tertiò quis per has fraternitates fructus succrescat. Quo ad primum. Cum fratres sint, qui ex eodem parente geniti sunt, duplexq; generatio sit, spiritualis .s. & corporalis, siue carnalis. Carnalis manifesta est. De spirituali loquitur dominus Io. 3. Nisi quis renatus fue. &c. Patet q duplices sunt fratres .s. carnales, & spirituales. Spirituales sunt omnes christiani renati fonte baptismatis ex spiritu sancto, & matre ecclesia. Verũ sicut fratres naturales cõmunicant natura, & paterna hæreditate, sic etiã spirituales communicant gratia, & expectant beatitudinis hęreditatem in patria. Et licet illo mõ omnibus christifidelibus cõmunis est fraternitas, eo q fide cõmunicãt, & sacramẽtis nec solũ fratres inter se sed & Chri fratres, pp q apostolus dicit primogenitus in multis fratribus Ro. 8. Et ibidẽ ca. eodẽ. Spiritussanctus reddit testimoniũ spiritui nostro, q sum^9 filii Dei. Si autẽ filii, & hæredes, hęredes quidẽ Dei, cohæredes aũt Chri. Accipitur tñ frequenter speciali^b pro certis fidelibus, particularẽ adinuicẽ communionẽ habentibus, & sic ad propositum. Et põt sic describi. Fraternitas est specialis fideliũ vnio, in spiritualib^9 bonorũ cõione fundata. Dicit specialis vnio, ad differẽtiã gñalis omniũ christianorum fraternitatis (Sicut .n. duplex est ecclesia .s. particularis, & vniuersalis, sic est duplex fraternitas) qua in bonis spiritualibus communicant omnes fideles tãquã eiusdẽ mystici corporis mẽbra. De qua Ro. 12. admonet apostolus fideles ad hanc sanctam donorũ participationẽ, & in aliis epistolarum suarum locis. Vnde ad Heb. 13. Beneficentiæ inquit, & communionis nolite obliuisci, talibus .n. hostiis promeretur Deus. Et beatus Petrus. Vnusquisq; sicut accepit gratiã in alterutrum administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1. Pe. 4. Præter hanc autem generalem communionem, quam communis christiana charitas efficit, est communio specialior, qua sua voluntate quidam per mutuã conuentionẽ sua spiritualia cõmunicant, & ad spiritualia obsequia se sponte vicissim obligant. Et hi cõstituunt fraternitatẽ particularem. Dicit bonorũ spiritualiũ propter societates mercatorũ, qui non spiritualis, sed temporalis lucri gratia quãdam cõmunionẽ habẽt in suis negociis, atq; lucris.

*Generatio duplex.*

De secundo quia q instituere hmôi fraternitates nõ solũ licet, sed etiã multipliciter in scriptura commendatur. Hæc .n. figuraliter in visione Ezechielis notata est dũ sancta animalia pennas rectas, & alterius ad alterum extentas desuper, atq; iunctas habere visa sunt. Quã exponens Grego. homil. in Ezech. ait. Tunc pennæ virtutũ rectæ sunt, quando bonũ, q alter habet alteri impendit. Vicissim pẽnas nostras tẽdimus, cũ nos affectu, & ope vicaria ex bono, q accepimus, tangimus. Pẽnæ .n. iam rectæ non sunt si ad vtilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectæ fiunt cũ inutilitatẽ proximi dirigimus, q habemus. Quia enim bona nostra nõ à nobis sunt, sed ab eo accipimus, à quo factum est vt essemus, tanto nobis non debemus retinere priuata, quantò ea nobis conspicimus ab autore nostro ad cõmunẽ vtilitatẽ data. Hæc Greg. Sicut ergo vno communi creatore Deo, qui est omnia in omnibus, regimur, vno sole æqualiter illustramur, eodẽ aere viuimus, sustentamur communi solo, ęquè pluuia irrigat vniuersa, sed & eiusdẽ corporis mẽbra eadẽ anima vegetantur, sibiq; mutuò, ac toti corpori seruiunt singulorum actiones. Sic & nos, qui mẽbra eiusdẽ corporis Chri sum^9 p inuicẽ solliciti sim^9. De hoc ad Eph. 4. Solliciti seruare vnitatẽ spũs in vinculo pacis, vnũ corpus, vn^9 spũs, vna spes vocationis, vnus dominus, vna fides

*Fraternitates an liceat instituere.*

des, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium Nam vnicuiq; mandauit Deus de proximo. Eccle. 17. & pro inuicem orare nos monet Iacobus, addens ꝙ multum valet deprecatio iusti assidua. Iaco. 5. Nam frater, qui adiuuat fratrem, é quasi ciuitas firma. Denique tales fratrum congregationes Gragense concilium approbat, eiusq; despectores anathematizat, vt habetur 42. di. 100. Siquis.

Fraternitatû triplex vtilitas.

De tertio dicitur, ꝙ triplex est huius fraternitatis vtilitas, atq; fructus scilicet viuorum consolatio, fraternæ charitatis conseruatio, & salubris prouisio animarum. Consolatio scilicet spiritus ex dignissimorum patronorû electione gloriosæ scilicet virginis, & beati Sebastiani, qui ad se cõfugientes minime derelinquunt, ex speciali bonorum meritorum ipsorum fratrû communione, quibus gratia etiam prima impetratur, habita conseruatur, pęna soluitur, & gloria accidentalis per huiusmodi communionem augmentatur. Charitas etiam fraterna augetur, & conseruatur. Non enim possunt se non magis diligere, qui maiora sibi vicissim beneficia conferunt, quod si est in transitoriis temporalibus, quanto magis in spiritualibus ad æterna ordinatis? Denique salubriter prouidetur suffragiis defunctorum animabus in anniuersariis, exequijs, & perpetuis commemorationibus &cet. Extende si placet. Sed dicis fortè. Quomodo pietatis opera specialiter fratribus sunt communia plus, quam cęteris Christi fidelibus, cum per charitatem omnia ecclesiæ bona sint vniuersali ecclesiæ, & omnibus membris communia? Hinc in symbolo profitemur sanctorum cõmunionem? Solutionem quare in sermone. 2. inferius posito litera D.E.

Fraternitas S. Sebastiani cõmendatur.

Nunc specialiter de hac fraternitate, quæ nominatur fraternitas beatæ virginis, & beati Sebastiani. Vbi nota, ꝙ hæc fraternitas non solum innititur operibus pietatis fratrum, sed etiam protectioni spiritualium patronorum, quos singulariter elegit, & specialiter colit, vt ad superiora tendat, & à superioribus auxilia speret. Sicut enim in naturalibus inferiora a superioribus reguntur, & influxum accipiunt vitæ, & esse. Ita in spiritualibus infima per media reducuntur ordinate ad summa, secundum beatum Dion. Ordinate quidem vt singulis singuli mediatores deputentur. Hinc cuilibet homini specialis angelus custos delegatur, sic ciuitatibus, & prouinciis, hinc singulis ecclesijs patroni speciales assignantur. Hinc etiam religiosus multorum mos habet, vt sibi ex apostolis, & martyribus &c. speciales patronos eligant, quos sicut specialiter venerantur, ita etiam specialia ab eis auxilia consequuntur. Idcirco & hæc fraternitas gloriosam Virginem, & beatissimum martyrem Sebastianum elegit, non alios sanctos repudiando, sed illos specialiter implorando. Gloriosam virginem tanquam generalem, & pijssimã misericordiæ matrem. Beatum Sebastianum tanquam efficacem in corporalibus, & spiritualibus periculis protectorem De generalitate maternæ pietatis gloriosæ Virginis loquitur bea. Ber. in ser. de natiuitate Virginis qui incipit: Signum magnum. Omnia inquit, omnibus facta, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lętitiam, denique tota trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. De beatissimo verò Sebastiano non impiè credimus in tentationum iaculis ipsum fore vtriusque hominis efficacem defensorem. Quoniam sancti, qui singularibus donis, & victoriis in terris à Deo sublimati sunt, etiam in gloria specialibus priuilegiis obtinẽda similia, suis cultoribus sunt donati. Vnde licet omnes sancti pro singulis necessitatibus catholicè inuocari possunt, non min⁹

pro

pro specialibus impetrandis auxiliis ad speciales recursus haberi potest, vt probant auxilia,& reuelationes in probatissimis historiis à sanctis patribus descriptis.

Beatissimus ergo Sebastianus quia specialis victor fuit sagittarum spiritualium & corporalium, pro eorundẽ periculo, & submotione securè inuocatur. Spirituales sunt diaboli astutissimi doli, quibus tanquam venenatis,& ignitis telis percutit incautos,quæ nos scuto fidei extinguere apostolus admonet ad Eph. 6. Ait enim: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Has vicit beatus Sebastianus,ne dũ in se,sed & in aliis à diabolo tentatis. Vnde vt in legenda habetur,ad hoc tãtum chlamydem militarem ferebatur, vt christianorum animas, quas in tormentis videbat deficere, confortaret. Sicut patuit in Marcelliano,& Marco, quos jam penè diaboli iaculis,per parentum, & coniugum verba missis per custos nedum roborauit, sed etiam parentes eorum, & multos alios ad martyrii coronam prouocauit. Corporalia tela non tantum illa intelligamus, quæ artificum manibus fabricata balistis,& arcu iaciuntur,sed omnia pericula corporis ad mortem impellentia,inter quæ epidimia principatum tenet. Vnde & in beati Gregorii legenda habetur, ꝙ grassante sæuissima peste inguinaria in vrbe,visa sunt tela de cęlis missa singulos percutere. Vtiorũque telorum victor gloriosus extitit, quoniam licet à sagittantibus velut hericius telis impleretur, tamen nequaquam tortori cessit. Sed à domino confortatus imperatorem acriter increpauit. Sic graui vulnere inualescente epidimia, diuina reuelatione ostensus est patronus huic pesti præualens,vt habetur in historia Lõgobardorum tempore Gumdeberti regis. Cuidã reuelatum est diuinitus ꝙ tam grauis pestis (quæ totam ferè Italiam extinxit, ita vt vix viui mortuos sufficerent sepelire) non cessaret nisi altare beato Sebastiano, Papiæ construeretur, quod vt factum est cessauit horrida quassatio. Sicque cum contra vtraq; tela patronum, ac defensorem fore, victoria materialium telorum, & diuina reuelatio declarauit.

Ex quibus hoc primo aduertendum ꝙ non pro sagittariis tantum hæc fraternitas constituitur,vt in iaciendis telis prosperentur (vt quidam pueriliter putant) sed pro illis communibus vtriusq; sexus hominibus, qui ne telis diaboli iræ Dei, aut telis hominum extinguantur, beatissimum Sebastianum quærunt,& desyderant intercessorem, vt sicut ipse Dei adiutorio omnium victor fuit, ita & nos eius adiuti meritis victores esse mereamur ne scilicet diaboli astutiis decipiamur, ne pestilẽtia, & morte subita præueniamur, ne etiam telis,& armis nos odietium inimicorum lędamur. Non dico vt non percutiamur, nam & ipse velut heritius telis percussus est, sed non lęsus. Optamus ergo eum protectorem, vt non lędamur Lęduntur autem telis nõ solum percussi, sed multò magis percutientes. Sagittarij nanq; armis abutentes, licet percutiant corpora innocentum,tamen multo crudelius proprias interimunt animas. Contra omnes has animi corporisq; lęsiones tanquam specialem,& efficacem patronum beatissimum Sebastianum cum misericordissima virgine matre hodie hæc fraternitas patronos elegit, seq; ad certa venerationis officia astringens, suarum protectionum auxiliis humiliter recommendar. Verum vt efficax sit nostra commendatio, eorum mores imitemur, sicq; ad ipsos humiliter recurrentes patrocinio imploremus, quatenus eorum fidelissima intercessione ab omnibus mentis, & corporis erepti periculis eis mereamur in gloria sociari.

Fraternitas S. Sebastiani quomodo pro sagittariis instituta

*IN COMMEMORAtione fraternitatis. Sermo II. in ordine. XI.*

Fraternitates institutæ causa qua.

CONVENTIO hæc solemnis tam cleri, quam vtriusq; sexus populi ex ordinatione fraternitatis. N. instituta est, cuius institutionis causam, modum, finem atq; fructum iussus sum sermone breui lego explanare, quatenus incorporati fratres ad eius conseruationem deuotius inflămentur,& qui foris sunt ad eius inuisceratione auidius excitentur. Institutionis itaq; causa hæc est,& origo, cultus diuini augmentatio, & spiritualiũ impensio, auxiliorum mutua fratribus in vita pariter & in morte, per cõmunionem,& participatione meritorũ, ac bonorũ operum alterutrũ acquisitorũ. Ad hanc siquidẽ apostolus ad Heb.13. hortatur. Beneficientiæ inquit,& communionis nolite obliuisci: talibus hostiis enim promeretur Deus, & Prouer. 18. Frater qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma. Nostis charissimi ꝙ firma ciuitas, quæ incolas suos ab hostiũ timore defendens,& secura, ac trăquilla facit pace gaudere, non ex vno tantum, vtputa non ex murorum tantum ambitu, non portarum firmitate,& vectium, non ex arcis eminentia, non armaturæ & paramentorum bellicorum copia, non ex principis dumtaxat industria, non ex singularibus ciuiũ personis, sed omnium horũ concursu, ac communione, qua ex vno alterius supplet defectus, suam cõtrahit firmitatem Ita & nos infirmi, & imperfecti (quia secundum poetæ verbũ: Non omnia possumus omnes,& secũdũ apostolum: Stella differt à stella in claritate. Et iterum. Diuisiones gratiarũ sunt) si singulorũ bona, sancta, charitatiuaq; communione participentur singulis, peruenire possumus in ciuitatem illă iucundissimă, de qua apostol⁹ ad Heb. 13. dicit. Non habemus hic manentẽ ciuitatem, sed futură inquirimus, ciuitatem reuera firmissimam, cuius seras, vt in psal. propheta ait, dominus cõfortauit filiis in ea habitătibus benedixit & pacem posuit fines eius. Et hoc quidem figuratum est in mirabili visione Ezechieli ostensa, dum sancta ista animalia pennas rectas habere visa sunt, & alterius ad alterũ extentas desuper atq; iunctas. Tunc .n. inquit Greg. homil 7. in eundem, vt & præcedenti ser. tactũ est, pennæ virtutum rectæ sunt, quando bonũ, ꝙ alter habet alteri impendit. Vicissim pennas nostras tendimus, cũ nos affectu, & ope vicaria ex bono, ꝙ accepimus, tangimus Hinc Petrus ait. Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum administrantes, sicut boni dispẽsatores multiformis gratiæ Dei. Pennæ .n. iam rectæ non sunt si ad vtilitatẽ nostram solummodo reflectuntur, sed tunc rectę fiunt, cum in vtilitatem proximi dirigimus, ꝙ habemus. Quia .n. bona nostra non à nobis sunt, sed ab eo accepimus, à quo facti sumus, vt essemus. Tanto.n. nobis nõ debemus retinere priuata, quanto ea nobis conspicimus ab autore nostro ad communẽ vtilitatẽ data. Sicut ergo vno cõmuni Deo creatore, qui omnia est in omnibus. regimur, vno solæ æqualiter illustramur, eodem aere viuimus, sustentamur cõmuni solo, æquè pluuia irrigat vniuersa, sed & eiusdem corporis mẽbra eadem anima vegetantur, sibiq; mutuo, ac corpori toto seruiunt singulorum actiones Ita & nos qui mẽbra eiusdem corporis Christi sumus, ꝑ inuicem in ipsum solliciti sumus, bona mutuo quasi cõmunia partientes, sicut. 1. Cor. 12. apostolus exhortatur.

Verum licet ista sancta communio mẽbrorum corporis Christi nedum in spiritualibus, sed & corporalib⁹ à principio humanæ conditionis perfectæ viguit,& solo iure humano per iniquitatẽ populi hoc dictũ est meũ, illud tuũ, dist. 8. Quo iure,& 12.q.1. dilectissimi. Et in principio nascentis ecclesiæ quătum ad fideles restituta fuerit, quibus erat cor vnum,& anima vna, nec quisquam aliquid suum dicebat, sed omnia

illa

illis erant communia, vt habetur Act. 4. tamen mundo senescente, & tepescente charitate (quæ huius communionis fundatrix est, siquidem non requirit quæ sunt) tepuit & pene extincta est. Nã quæ primo in omnibus christianis, postea in solis clericis colebatur, nunc vix in religiosis fratribus inuenit. Sed & spiritualia bona, q̃ cõmuniora sunt ex natura, eo q̃ distributa pluribus in se non minuantur, ex quæ dã spũali auaritia (verius in curia) ad proprietatẽ cõtra naturã propriam retorquentur. Ita .n. amor ꝓprius, q̃ apud Aug. cupiditas nominat, fraternę charitatis inimica inualuit, vt nunquã, vel raro de aliis sit nobis cura salutis, raro ex intentione pro vniuersali ecclesia, raro pro spiritualibus necessitatibus proximorũ ꝑces effũdãtur. Cõtra illud Eccl. 17. Vnicuiq; mandauit dominus de proximo. Ordinauit patrum prudẽs industria speciales quasdam vniones, ac personarũ spontaneas colligationes sibi mutuò in bonis cõmunicantes, ꝑ quam lapsa iã fraterna charitas renouaretur, & saltẽ spiritualiũ operum sancta cõmunio in his, qui sponte ad hęc se offerũt, siue respectu tẽporaliũ remoueretur. Laudabilis planè fraterna hæc societas, & socialis fraternitas, quã nõ numerus, aut caro, & sanguis, sed amor salutis, & gratia copulauit, quam nõ rei corporalis vtilitas non præsentia corporũ, nõ subdola, & palpans adulatio, sed Christi gloria, & Dei timor cõciliauit. Verba sunt Hiero ad Paulinũ. Tales fratrũ cõuentiones Gragense cõciliũ approbat, eiusq; despectores anathematizat, vt dicit Ray. titu. decimo. allegans cap. Siquis 42. di. Et tantum de primo.

Modus communicandi in spiritualibus bonis.

Mod⁹ autẽ, quo fratres sibi in bonis spũalibus cõmunicãt, & suffragiis mutuis alter alterius onera portant, ac ꝓ se inuicem vt saluentur, orant, sicut tãgit apostolus, cum ait: Bonũ operamini ad omnes, maximæ autẽ ad domesticos fidei bifaricatus dinoscitur. Vnus quidẽ generalis. Alius specialis. Generalis est consensus fratrũ mutuus, quo quolibet fratrẽ quemlibet suorum bonorũ vult esse participẽ. Hunc consensum, quo ad se exprimit, & actualiter habere tenetur in incorporatione sua, siue receptione, & postea in omnibus suis operibus habitualiter. Ipsi quoq; rectores fraternitatũ idipsũ ex tũc cõsentiũt noĩe toti⁹ fraternitatis .i. q̃ sic receptus particeps sit in vita pariter, & in morte omniũ, q̃ fratres singuli in ieiuniis, abstinentiis, vigiliis, meditationibus, missis, orationibus, elemosynis, ceterisq; salutaribus exercitiis merebuntur. Specialis verò in his est, quæ pro bono statu, & virtutum incremento viuorum, ac liberatione animarum fratrum specialiter sunt ordinata, sicut cultus ille celebris, qui per annos singulos hoc die peragitur, ac vigiliæ, & missæ quæ singulis morientibus dum id innotescit a fratribus singulis impẽdãtur, statutũ est enim &c. Sicut & salubres illæ ordinationes, quibus à diffinitoribus, & superioribus defectus fratrũ charitatiuè emendantur, dissẽtiẽtes conciliantur, oppressi subleuantur, vt sic non solũ in bonis auxilia, & in malis remedia, fratres se gaudeãt inuenisse, sicut vtrunq; ad salutem necessarium propheta psal. 33. testatur. A malo. s. declinare facere quoq; bonũ. Et ille modus solet multipliciter variari secundum diuersas fraternitatum institutiones pro loco, & tempore, ac fratrum beneplacito.

Sed dicis fortasse: Quõ poterũt orationes, elemosyne, ieiunia, & cetera virtutũ exercitia, specialiter fratribus (vt dictũ ẽ) subueuire, plus quã aliis Christi fidelibus: cũ ꝑ charitatem omnia bona vniuersali ecclesiæ sint cõmunia? Nam cõunionẽ sanctorũ i symbolo ꝓfitemur. Et psal. 118. ꝓpheta se participẽ oĩm timẽtiũ, eiusq; mandata custodientiũ gloriatur. Sed & dñs ipse docẽs suos discipulos orare, neminẽ excludere, sed oẽs includere ꝑcepit, hãc (Matt. 6.) oratõis formã dando: Pater noster, qui es in celis &c. Et Ioan. 17. non solum pro discipulis, sed pro omnibus per eos credituris, patrem instantissi-

Bona spiritualia quõ fraternitate colligatis.

 C mè

mè exorauit. Sic & pro omnibus sanctis generaliter orandum fore apostolus Ephesijs cap. 6. scripsit. Ad huius solutionem quæstionis aduertêdum, q̄ charitas, quæ nexus est huius fraternæ vnionis, & radix huius participatæ cõmunionis, licet secundũ apostolum. 1. Cor. 13. non quærit, quæ sua sunt, sed diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonũ. Roma. 8. omnesq; suo sinu amplissimo colligit, nemini beneficentiæ gremiũ claudit, non tamen confusa est sed discretione ordinata. Ordinauit inquit sponsa, in me charitatẽ Cant. 2. Sicq; omnibus singulorũ merita distribuit, non cõformiter, sed regulari quadam, & ordinata difformitate, secundũ operum obiectorũ applicationisq; differentiam eius qui operatur.

Oratio qua quis impetra re aliq̄d nititũ triplici respectu fit

Ad cuius euidentiã notat singularis ille doctor Ioa. de Gerso. parisiensis cã cell. tract de oratione triplicẽ esse orationis faciẽ, secundũ quã orans nititur impetrare. Aut enim hoc fit per modũ liberalis, & gratuitæ donationis, hoc ẽ quasi expectans remunerationẽ ex sola benignitate dantis, omnibus aliis seclusis, aut per modũ meritoriæ actionis, aut per modũ satisfactiuę recõpensationis. Primũ respicit liberalissimã donãtis misericordiam, absq; respectu ad merita quecunq; ipsius orantis, vel eius, pro quo fit oratio. Extendimus autem nomen orationis ad omne opus virtutis relatæ in Deũ. Et quoniã sicut misericordiarum Dei non est numer*, pondus, vel mensura, sic non cadit sub nostra consyderatione, vel mensura: quid, aut quantum, & quibus det, qui nos diligit pura, & gratuita voluntate, cuius voluntatis ratio quærenda non est, quoniam frequenter, vbi superabũdauit delictũ, facit gratiã superabũdare. Reliqua duo respiciunt cum misericordia iustitiam distributiuã Dei quæ merito præmium, & satisfactioni indulgentiã consueuit proportionare. Et quantum ad hanc duplicem orationis faciem, orationis valor sub nostra qualicunq; consyderatione cadere potest. Et secũdũ hoc vt docet doctor subtilis in quodlibet. q. 20. potest intelligi oratio, aut aliud opus virtutis alicui valere in triplici gradu. s. specialissimè, specialiter, & generalissimè. Specialissimè valet oranti, dum est in gratia, per modũ meriti præmii essentialis. Ipse .n. habet motum bonum animi, quo elicit hoc bonũ opus orationis ex charitate, cui propter hoc debetur præmiũ essentiale in beatitudine, quod nulli alteri mereri potest immediatè, quia non datur beatitudo nisi secundũ propriam gratiam, & merita, sicut scriptũ est: Gratia Dei vita æterna. Io 6. & 1. Cor. 3. vnusquisq; propriam mercedem recipiet secũdum suum laborem. Et ad Roma 2. Reddet vnicuique secundum suum laborẽ. Et quantum ad hoc præmium tanto efficacior est oratio pro seipso orante, quo charitatis feruor, & conatus fuerit maior. Generalissimè verò valet oratio, & quodlibet opus bonũ toti ecclesiæ. Et nec potest, nec debet orans aliquem de ecclesia excludere, sed intentione habituali omnes includere. Specialiter autẽ & medio modo valet oratio ad multa. s. primã gratiã impetrandam, saltem de congruo gratiæ augmentũ, solutionẽ penæ, & præmiũ accidentalis gloriæ, & hoc sibiipsi oranti, ei vel eis, cui vel quibus voluerit applicare, magis tamen cuilibet si paucioribus, & bene dispositis, minus si pluribus aut indispositis applicauerit, magis etiam & minus secundum diuersitatẽ orationum priuatarum, vel publicarũ, simpliciũ, vel priuilegiatarũ quia priuilegiatæ & quę in persona ecclesiæ offeruntur, efficaciores sunt cęteris paribus illis, quibus applicantur, quã orationes simplices, & priuatæ, tales enim fiunt in persona ecclesiæ semper gratę & acceptę, licet minister nõ semper sit gratus Deo. De quo vide latius in canonis expositione. Ex his patet solutio replicæ. Vlteriorem huius rei (licet perutilem immo necessariã) declarationẽ, temporis, sermonisq; breuitas nõ admittit. Et tantũ de secũdo.

Finis verò, atq; fructus huius fraternæ vnionis triplex attendi potest, videlicet


Fraternitatis finis & fructus triplex.

licet viuorum consolatio, charitatis fraternę conseruatio,& salubris prouisio animarum. Viuorũ fratrum consolatio tã spiritualis, quã tẽporalis, in orationum, ac spiritualiũ bonorũ communione, qua fit vt bonũ facientes nõ deficiamus, quatenus tẽpore suo metamus non deficientes, vt dicit apostolus Gal. 6. Neq; .n. vnius eiusdemq; hominis é semper actualiter Dei obsequijs intendere. A bono autem (nostra ex parte) deficimus, quoties vel corporis necessitati intenti, aut rebus exterioribus plus debito impliciti quicquam agimus, quod nec actu, nec habitu in Deum ordinamus, quo casu etiam sic à bono non penitus deficiamus, dum per fraternitatis huius communionem nostrum est quicquid per singulos fratrũ diuino impenditur honori, quorum semper aliquos bonis vacare exercitiis præsumendum est. Nam id facimus quod per amicos facimus. Hoc tamen de his intellige, in quibus crimina mortalia charitatem (huius communionis radicem) minime excluserunt. Item in discordantium pacificatione, fraterna admonitione, leni charitatiua q; correctione, dum secundum apostoli verba, qui spirituales sunt .i. perfectiores ceterisq; officio prelati (Superiores fraternitatis loquor, ac diffinitores) fratrem in delicto præ occupatum, vel quomodolibet turbatum, instruunt in spiritu lenitatis. In temporalibus quoq; consiliis, subuentionibus & auxilijs, quo fit vt alter alterius onera portet,& dum causæ & necessitates singulorum secundum statuta communitati imponuntur, quod soli importabile est humeris multorum suppositis, fiat non modo portabile, sed & leue. Secundus fructus est conseruatio, & augmentatio mutuę charitatis, quæ totius legis impletio, apostolica sententia iudicatur. Post quam .n. vt alterius onera alter portaret, admonuit, statim adiunxit. Sic adimplebitis legẽ Christi. Et ad Rom. 13. Qui proximũ diligit, legem adimpleuit: quia plenitudo legis dilectio. Sicut nanq; charitas non querens quæ sua sunt, propria communicat,& inimica cupiditas, quæ communia sunt, sibi appropriat. Ita nihil intantum illæsam conseruat charitatẽ quantum communio, immo sola proprietas est, qua lęditur charitas, proprietas, proprietas vel voluntatis, vel possessionis. Quemadmodum enim quibus est idem, & commune velle, & nolle, dissentire possent. Ecce charitatis,& totius boni communio sancta, radix esse certissimè probatur. Tertius fructus prouisio salubris animarum ait apostolus. Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Quod & si verum est de viuentibus, verissimum tamen & quantum ad defunctos, quia quo ad merendi facultatem nihil sunt. Siquidem statum meriti, & demeriti excesserunt, ita vt seipsos iuuare non valent. Ideo vtile nimis est, quatenus nunc, dum tempus est merendi, bonum operemur ad omnes, maximè autẽ ad domesticos fidei,& fratres nostros, eisq; charitatiua vnione iungi, quatenus tempore suo bona rependant, dum videlicet amoti a villicatione per mortẽ temporalem, mendicare nobis verecundum erit, simul,& inutile. Fodere verò & meritoriè laborare impossibile, ipsi tunc nos sacrificio altaris, ac orationibus ad dominum fusis recipiant, hoc est, recipi impetrent in ęterna tabernacula. Solent qui animæ suæ, ac suorũ curam habent, instituere anniuersarias commemorationes, exequias funerum solemnes. Ecce modus quo id fieri congruit, & expedit, vt multos habeant apud Deum intercessores, qui in fraternitate ipsa continuò sibi succedũt, vbi & fraternitatis debitum minus negligitur, vno enim segniter agente, ceteri non dormiunt.

Ex his facile est cõsyderare, quis sit fructus huius fraternitatis Siquidem vt colligi potest ex euangelio Matt. 9. de paralytico, vnus homo potest alteri mereri gratiam primã, quia videns Iesus fidem illorũ, qui paralyticum offerebant, dixit illi. Confide &c. vbi glo. Pensate quantum valet apud Deum fides

des propria,cum tantum valet aliena, vt hominem saluat in corpore,& anima.Non autem sanatur quis a peccato in anima, nisi gratię collatione. Sic Paulus creditur conuersus oratione Stephani. Augustinus orationibus matris suę & beati Amb. Et sicut quis in fraternitate potest alteri mereri gratiā primā,ita & gratię augmentum.Si.n. potest maius mereri, potest & minus. Hinc Iaco Orate pro inuicem. vt saluemini ca.5. Facile ergo est consydera re quis fructus huius fraternitatis, quia peccatores facile assequuntur conuersionem impetrata eis gratia prima.Iusti perseuerantiam per gratię augmentum, virtutum profectum per exempli exhibitionem,vitę emendationem per fraternam correctionem. Pęnitentes remissionem pęnæ per multorum satisfactionem, siné gratiæ sibi per multorum intercessionem hic in via,a purgatorio liberationé per viuorum superstitum suffragia, & sacrificii oblationem. Quantæ verò impenduntur cuilibet, dictū est, ꝙ paruipendendum nō est. Collationé maioris gloriæ accidé talis per omniū bonorū communioné. Ad hæc omnia quantum valeant fratrum orationes, & obsequia quis satis dicat? Si iusti deprecatio assidua multum valet, quantum orationes multorum iustorū,maxime publicæ? Pręterea quia quę à Deo sunt,ordinata sūt. Ideò deriuatur gratiæ augmentum à capite, ordine quodam per barbam Aaron vsq; in fimbrias. Et quis nouit, cuius orationibus sit saluandus? Stat deniq; quod orans pro alio exauditur, quamuis pro se nō exaudiatur,vel quia non ipse, sed pro quo orat est in gratia, vel quia pietatem orantis de congruo non de condigno dominus attendit. Deniq; quis dubitet specialius eos intercedere in beatitudine pro suis fratribus in beatitudine nunc existentes,quibus iuncti fuerunt in terris quorum fraterna charitas non est minuta sed perfecta. Idcirco propter fructum alterutrum diligite fraternitatem,misericordiam, & miserationem faciat vnusquisq; cum fratre proximo suo. Zach. 7. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 1. Corinth. 10. Ad hoc monet nos sanctus Petrus cum inquit. Fraternitatem diligite: vbi supra.

## CONVERSIONIS *Pauli Sermo vnus in ordine. XII.*



OLEMNIZAT hodie gentium ecclesia conuersionem sacratissimam, & singularem sui doctoris & magistri Pauli apostoli. Singularem,quia de nullo sancto conuersionis dies in ecclesia peragitur, nisi de gentium doctore. Et hoc non sine ratione. Primò propter spei conuersionis excitationem. Ne desperemus, peccatis quantumcunq: enormibus grauati,sed ad dominum conuerti curemus, exemplo Pauli qui cū magnus fuerit in culpa maior factus é in gratia. De Saulo superbissimo factus est Paulus humillimus. De spirante minas,& cedes in discipulos Christi, factus est gentium apostolus, & vas electionis vt portet nomen suum &c. Sic enim Act. refert histo.ꝗ. Stephano lapidato ( in cuius necem Saulus consensit ) facta est magna persecutio in ecclesia : Saulo intrante domos, & ecclesiam persequente, ac in custodiam tradente, & capit. nono. Saulus adhuc spirans minarum vsque in Hierusalem. Hanc rationem tangit Augu in sermone de conuersione sancti Pauli, cum inquit. Vtilitas rei gestæ hęc est. Decet enim Paulus ad hoc sibi veniam datam peccatorum suorum vt nemo de se desperet qui fuerit magnis peccatis inuolutus, & in magnis sceleribus irretitus quasi veniam non sit accepturus, si conuersus fuerit ad eum, qui pendens in cruce, pro persecutoribus exorauit dicens

Pauli cōuersionis festū cur ecclesia celebrat.

dicens. Pater ignosce illis &c. Factus est ille de persecutore prędicator, & doctor gentium 1.Timot.1. Qui prius (inquit) blasphemus fui &c. Quis enim deinceps dicet, Assurgere non valeo ad conuersionem, & cætera, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto corpore, virus effluebat, persecutor crudelissimus subito mutatus est in prædicatorem optimum? Nec excusationé prętendere potuit, quia iam in manibus crudelis legationis, literas tenebat autoritatis iniquę potestatis exercendæ, cum vocé audiuit. Quid me persequeris Saule? Secundo propter exemplum imitationis perfectæ obedientiæ. Mox etenim audita voce domini inquit. Domine, quid me vis facere? Non disputando concertauit cum eo de legis obseruantia, sed obaudiuit voci domini. testatur Actuum historia, cum inquit. Et cum iter faceret &c. vsq; quid te oporteat facere. Gal.1. Cum placuit ei, qui me segregauit &c. Et bene textus inquit, circumfulsit eum lux &c. Claritas enim erat illi, non infusa sed circũfusa, ideò inquit. Quis es domine? ignotum enim persequebatur, & ideò consecutus est misericordiam, ignorans.n. fecit in incredulitate sua 1. Timoth.1. Qui prius fui blasphemus, & contumeliosus &c. vsq; ad informationem illorum, qui credituri sunt illi in vitam ęternam. O quam pauci in hac repeжитuntur obedientia, quàm pauci sic suã pro Christo resignant voluntatem vt quærant non suam, sed domini voluntatem, dicentes sine intermissione cum Apostolo, Domine quid me vis facere? Et cum Samuele, Loquere domine qa audit seruus tuus. Hodie non discipuli superiorum, sed superiores inferiorum ne offendant, quærunt voluntaté, imitantes secum, de quo in euangelio futuro. Ad quem dominus. Quid vis, vt faciam tibi? Non est hoc, domine qd me vis facere? Ceci sunt huiusmodi in obedientiæ filii, & duces cęcorũ &c Nõ est hæc obedientia pfecta, sed heu heu præualuit, & inualuit, tũ ex malitia tũ subditorũ ex pusillanimitate, & stulto timore maiorũ qui ne offendãt seruulũ, offendere malunt Deum. Similes illis sunt, qui discernunt, & disputant de mandato, quærentes excusationem in peccatis. Non est hoc, dñe quid me &c.

Tertiò propter ecclesię gaudium ineffabile, vt sicut olim ecclesia tota eius timuit persecutionem, ita hodie recipiat consolationem, & saluberrimam in fide Christi eruditionem. Tanta siquidem fuit, & præcesserat secundum Aug. fama lupi raptoris, vt eius nomine audito, timeret ouis, etiam sub manu pastoris. Ananias ouis interprętatur ad quem Paulus adductus fuit. Ecce inqt, idẽ Au. lupus rapax adducitur ad ouẽ sequendã, non rapiendam. Et ne rapienté ouis expauesceret lupum, ipse pastor de cęlo, qui omnia faciebat, nunciauit lupum aduenturũ oui, se nõ seuiturũ, & tamen tam immanis fama lupũ illum præcesserat, vt non possit ouis audito eius nomine non conturbari. Vnde ait Ananias. Domine audiui à multis de viro hoc, quod mala multa in sanctis tuis operatus est, & nunc literas accepit à principibus sacerdotum, vt vbicunque inuenerit tui nominis sectatores, pertrahat &c. Pauli cõuersio celebratur propter gaudiũ ecclesię.

Quarto, quia inter omniũ sanctorũ conuersiones fuit miraculosa. Et hoc multiplici ratione.s. ratione conuertentis, ratione disponentis, & ratione patientis, seu conuersi. Ratione conuertentis tripliciter miraculosa, Voluit enim per hanc mirificam conuersioné dominus sibi ostendere suam potentiã, cui durum immo impossibile est recalcitrare. Hinc ait ad eum dominus. Durum est tibi contra stimulum recalcitrare. Vnde 1.Timo.1. Sed misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem potentiam ad infirmationem illorũ, qui credituri sunt illi in vitam ęternã. Potens enim est de lapidibus suscitare filios Abrahę. Matth.3. Regnum denique non est currentis, sed Dei miserentis. Roman. nono. Et quem vult indurat, quem vult iustificat. Roman. primo, Pauli cõuersio miraculosa

Cui subest, cum voluerit, posse. Secundo ad ostensionem suę sapientię. Non enim congruentius eius superbia, quã humilitate, & sapientia erat superanda. Magna erat in eo præsumptio & superbia cum accessit principes sacerdotum quatenus expugnaret Christũ. Hinc ad obuiandum suæ superbiæ, & & præsumptioni, dominus humilitatis dedit responsum dicens. Ego sum Iesus, quod est nomen humilitatis non inquit: Ego sum Deus, quod est nomen potentiæ. Hinc postea ab humilitate denominatus est Paulus, qui dicebatur prius ex supeibia Saulus. Vnde ait Roma. 1. Paulus seruus Iesu Christi. Et 1. Corinthio. 2. Cum essem liber, omnibus seruum me fecit. Et 1. Corint. 15. Ego sum minimus apostolorum. Si denique nominat abortiuum. 1. Corinth. 11. Sic & humilitatem prætendit in vitæ suæ conuersatione, in scientia &c. Tertiò ad ostensionem bonitatis suæ, vnde ea cognita ait, vt supra. 1. Timot. 1. Et alibi Gal. 1. vocauit per gratiam suã. Gratia Dei sum id, quod sum &c. Item omnis sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corinthiorum. 3.

Secundò fuit miraculosa ratione disponentis idest lucis, quæ ipsum ad conuersionem disposuit. Quæ fuit primo subita Act. 9. vt audacem terreret, & præsumptuosum humiliaret. Ipse enim secundum Aug. ser. 17. quinquage. homil. ibat seuire in membra Christi, ibat sanguinem fundere. Et sequitur: Cum sic ambulabat, cogitabat, anhelabat cedes, pedes eius ira cõ ducit, mouet membra odium dum pergit &c Secundò fuit immensa, vt eum tanquam superbum prorsus prosterneret. Vnde dicitur: Minarum ex verbis superbiæ exasperatarum &cet. Tertiò fuit cęlica, vt carnalem, & literalem intelligentiam eneruaret secundum August. Et ita tripliciter fuit miraculosa eius conuersio, ratione lucis eum prosternentis, quæ fuit subita, immensa & cęlica.

Tertiò fuit miraculosa, ratione conuersi Pauli. Primò enim fuit prostratus, nedum corpore, sed affectu, & ita prorsus humiliatus. Secundò fuit excecatus. Obcecatio illa ad intellectum pertinet. Vnde Aug. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, vt interior redderetur prædicatori, vt quoq; (secundũ Bern.) oculi male quidem illuminati in persecutione, salubriter cecarentur in conuersione Non autem semper mansit obcecatus, sed per triduum, in quo triduo raptus creditur fuisse in tertium cęlum. De quo raptu loquitur. 2. Cor. 12. Vbi Lyra declarat, q̃ illud tempus cum dicit: Scio hominem ante annos. 14. fuit iuxta principium suæ conuersionis. Vide ibi In isto raptu excellentissimam consecutus est visionem, quam hic dicit auditionem. Sępe enim auditio visus dicitur. Exod. 20. Vidit populus voces. Vnde ait Aug. ser. de conuersione sancti Pauli. In eo tempore, quo cętera non videbat, Iesum videbat. Et huic consonat expositio Bedæ lib. 2. super Actus dicentis: Apparet quia per triduum illud, quo cecatus fuerat, lucis futuræ gratiam expectabat, nequaquam ociosus torpebat, sed diuina potius illustratione sublimatus, arcana cęlestia rimabatur. Estq; (ni fallar) credibile, q̃ eo tempore mysterium dispensationis euangelicæ edoctus fuerit, de quo ipse gloriatur ad Gal. 1. dicens: Neq; enim accepi ab homine neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi Et Paulo post: Cum autẽ placuit ei, qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarẽ illũ &c. Vnde omnino pꝛobabile in hoc triduo Paulũ fuisse raptũ, eo modo quo describit. 2. Cor. 12. Quid verò dicatur tertium cęlum, an sola visio intellectualis mysterii trinitatis, an paradisus &c docto. diuersificantur, ideò hic rescinditur.

Conuersio miraculosa ratione conuersi

Tertiò fuit miraculosa ratione patientis, propter triduanam ieiunationem, vt sic corpus redigeretur in seruitutem spiritus. Vnde postea ait. Castigo

Pauli cõuersio miraculosa rõe patiẽtis.

go corpus meũ, & in seruitutẽ redigo. Ecce miraculosam, singularem, & sacratissimam sancti Pauli conuersionẽ quam solam ecclesia solemnizat &c. nobis in exẽplũ eruditionis, vt ad pœnitentiæ formã, ad peccati cognitionẽ ad dignã vitæ cõuersationẽ, moti Pauli exẽplo festinemus &c. Facilè poterit hic sermo extendi, prosequendo eius conuersionem ad literam, habita postill atione epistolæ de die festo.

## *DE SANCTO MATTHIA Sermo vnus. In ordine. XIII.*

Matthię laus & commẽdatio ex multis.



RECITETVR primum epistola ex Actib' apostolorum. Act. 1. Agimus festum sancti Matthiæ apostoli, qui ex numero discipulorum 72. electus fuit electione diuina (vt aliquibus placet) in numerum duodenarium apostolorum. Vel vt alij volunt, ex turba hominum credentium, quæ erat ferè centum. 20. vt in epistola patuit. Et potest vtrunq; saluari, includendo in hanc turbã. 72. domini discipulos Huius autẽ apostoli laus, & cõmendatio ex multis colligitur. Primũ ex continua, & perseueranti Christi sequela. Nam à baptismate Ioannis vsq; ad ascensionem domini cum eo fuit. Nec poterant esse imperfecti, qui perfectionis magistro vitæ, & sanctitatis magisterio adhęserũt mẽte, & corpore Nunquid. n. põt aliquis de eodẽ fonte haurire dulcẽ, & amaram aquã? Quia aũt tã perfectus fuerit, Petrus testatur cũ inquit. Oportet vt ex his viris, qui nobiscũ &c. vsq; fieri vnũ ex istis. Vir dicitur à virore virtutũ, & gratiæ. Illi autem, qui continuò fuerũt cũ Christo de visis, & auditis testari poterant. Secundò ex cõparatione eius ad Iõseph iustũ, qui & Barsabas (alias Barnabas) secundũ glo. Postea verò Act 4. videtur velle, quod ille, qui accepit sortes cũ Matthia, non fuerit ille Ioseph, qui ab apostolis cognominatus est Barnabas, quod est interpretatum filius consolationis. De quo & spiritussanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam in op', ad quod assumpsi eos. Act 13. quia iste Act. 4. dicitur Barnabas, ille verò cum Matthia Barsabas. Item iste Barsabas fuit filius Alphæi, & sic de Galilæa oriundus, ac cognatus Christi. Ille verò cum Matthia non sortianus. De quo Actu. 4. dicitur Cyprius idest de Cypro natus, & genere Leuites, de qua tribu non videtur fuisse Alpheus. Sed siue ille, siue alter sit, vterq; commendatur in scriptura. Si enim Barnabas dicitur vnus ex. 72. laus eius, & præconium ex actibus habetur. Iunctus. n. fuit Paulo, sed segregatus est electione superna in opus ministerij prædicationis euangelij Act. 13. Hic propter vitę manifestam sanctitatem appellatus est iustus antonomasicè. Eius enim iustitia multorum iustitiã præcellebat, de qua nõ tacet, ne ab apostolatu velut indignus repulsus videatur, sed vt ostendat dominus quod amici propter consanguinitatem non sunt ad officia ecclesiastica promouendi. Ex hui' laude manifesta la' Matthiæ colligitur, cui apostolorum electione parificatur Statuerunt inquit duos, Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam, vtrunq; dignum, & idoneum reputantes. Tertiò ex electione diuina, qua ipsi Ioseph (licet iusto) Matthias præfertur. Nam apostoli Dei voluntatẽ nescientes, & præcellentiam in vitæ sanctitate alterutrum ignorantes, dixerunt. Tu domine, qui corda nostri omniũ ostende &c. Et dederunt sortes ei, quę creduntur fuisse mundissimę preces, quibus orarunt à Deo eis signũ, vel reuelationem dari, quis duorum alteri præferendus sit. Et cecidit sors super Matthiam. Quæ secundum Dion. in de cele. hierar. fuit splẽdor quidam diuinus super Matthiam emissus, indicans hunc fore eligendum in locũ Iudæ. O quam sanctus fuit Matthias, qui

Mat-thias diuina electione prefer-tur.

tam iusto,& sancto viro prælatus, in numerum. 12. & apellatus dignitatem (qua maior non est) electione diuina recipi dignus fuit.

Mat-thias restaura-uit numerum duode-nariū, & vitę Iudę improbitatem.

Quarto ex eo q per ipsum& numeri duodenarii imperfectio, & similiter vitæ proditoris improbitas restauranda fuit. Elegit enim dominus 12. discipulos, qui numerus secundum Bedæ ex. 3. & 4. multiplicatis surgit, vt concordaret mysterio. Per 3. siquidem fides trinitatis, per 4. mundi climata designatur. In omnem enim terra Psal. Numerus ille casu Iudę proditoris diminutus est. Vndenarius enim transgressor est decalogi, quia transgreditur decem. Et ne apostoli veritati decalogi transgressores remanerent, hic per Matthiam restauratus est. Debuit etiã traditoris imperfectio, & malitia restaurari per Iudæ electionem. Necesse ergo fuit Iudæ malitiam Matthiæ sanctitatem superare. Maior ergo fuit Matthias in bonitate, quam Iudas in malitia.

Historię diuersæ de Santo Matthia

Quinto q dominum secutus est in mortis cõsummatione, & martirij per passione. Verum de mortis perpessione,& corporis requietione, diuersæ legendæ diuersa dicunt. Quædã simpliciter dicunt Postquam miraculis multis & verbi Dei feruida prędicatione in Iudæa claruit, in pace quieuit. Alia dicit eũ patibulo crucis affixum, ad cęlos migrasse. Alia, quæ Treueris Christi dicitur, quæ dicit ipsum fuisse ex ciuitate Bethleem de tribu Iuda, ex nobili prosapia, dicit, q post multa signa, & prodigia, quæ per Deum dominus operari dignatus est (vt patet in Lombardica) accusatus a falsis testibus coram pontifice, lapidatus est ab eisdẽ & eosdem lapides duos in signum accusationis secum sepelire fecit. Deinde more romano, securi capite truncatus in quiete quieuit. Cuius corpus primum de Iudæa in Romam, a Roma in Treuerim dicitur translatum. Ad hanc verò sui exaltationem,& in apostolatus dignitatis promotionem, ac tandem ad martyrii coronationem sola humilitate formata charitate profectus est. Dicitur .n. quasi paruus domini, vel paruus Deo Secutus est enim magistrum dicentem Matth. 11. Discite a me &c. Ideò, quia se humiliauit, exaltari dignus fuit. Sic Sauli dictum est. Dum esses paruulus in oculis tuis &c. 1. Reg. 15. Ideo in locum superbissimi Iudæ proditoris successit, cuius superbiam humilitate vicit,& eius episcopatum accepit.

Sed nunc ex his aliquas sumamus morales doctrinas. Prima. Nemo ex aliena sanctitate se sanctum præsumat sed quilibet apud se solicitus vigilet, vt emendatis defectibus proprias virtutes colligat,& iustitiæ operibus sedulo insistat. Patet de Iuda proditore, quem sanctissimum apostolorum collegium non sanctificauit. Attendite primum angelum, qui licet cũ cęteris in gratia secundũ aliquos, secundũ alios verò in naturalibus perfectus,& purus absq; peccato conditus fuerit, in veritate cũ eis non stetit. Adã, Saulẽ regẽ à Deo electũ, & proiectũ. Cain ex aduerso iniustum: Noe, Loth, Abraã, apostolos qui dispersi inter peccatores, innocentiã tenuerunt. Prodest quidẽ vał de bonis consociari, vt eorum moribus quis sese conformari studeat, ac bono dirigatur exemplo, sed non sufficit nisi & quisquis pro sua emendatione satagere curet.


Secunda doctrina Licet fugienda sit societas malorum, quia scandalosa, & noxia, vix tamen datur aliqua societas in præsenti vita quantũcũq; disciplinata, cui non sint admixti mali. Hanc tãgit Augu. in epistola. 137. scribens ad clerum,& plebem Hyoponen. & Greg. 2. moral. §. 93. dicit Augustinus. Quãtumlibet vigilet disciplina dom⁹ meę homo sum, & inter homines viuo. Nec mihi arrogare audeo, vt dom⁹ mea melior sit arca Noe, vbi inter octo homines vnus reprobus inuentus est. Gen. 9. Aut melior sit, quã domus Abraæ, cui dictũ est. Eijce ancillã &c. Gen 21. Aut melior, quã domus Isaac, de cuius gemine dicitur: Iacob dilexi &c. Aut do

mus Iacob, vbi lectũ patris filius incestauit. Gen. 49. Aut Dauid, cuius filius cũ sorore concubuit, & alter inobediẽtissimus patri rebellauit. 2. Reg. 13. Nec melior habitatione Pauli, qui dixit: Intus timores, foris pugnę. Et ad Timo. Nõ quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt quęrunt &c. Aut melior, quã habitatio Christi, qui Iudam habuit, aut cęlum vnde angeli cęciderũt. Boni .n. nusquã soli sunt, nisi in cęlo, nec mali, nisi in inferno. Locus noster sicut medius est inter cęlũ, & terrã, ita cęlestes, & terrestres, hoc est bonos, & malos cõplectitur Ideò ecclesia præsens, sagenę missę in mari comparatur.

Bonis mali cur in hac vita mixti.

Tertia doctrina. Bonis mali permixti sunt in vita præsenti, quæ militia nominatur, vt per eos purgentur, ac persecutionẽ patientes, ad virtutis augmẽtũ disponantur. Patientia non habetur, nisi inter aduersa. Nam in pace vires suas custodit. Qui ergo mala æquanimiter non tolerat (ait Greg. vbi sup.) ipse sibi per impatientiã testis est, quia patiens non est. Sic in Canticis dicitur: Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Si cũ triturantur blada, grana sub paleis quatiuntur. Sic aurũ cũ palea incineranda vt probetur, ardet. Coguntur .n. boni esse soliciti, & vigilare super se, & alios, pro malis ad Deũ præces fundere. Et ita vtrorumq; fructus &c. Extende. Quarta. Propter vnius mali contristantis præsentiã, bonorum societas non est relinquẽda, vel destruenda. Quod .n. hic fugitur, alibi inuenitur. Indigent & mali correptione. Possunt .n. conuerti, nec simpliciter sunt obdurati. Hinc Aug. vbi supra. Si contristamur de aliquibus purgamẽtis, consolamur tamẽ de pluribus ornamẽtis. Nolite igitur propter amurcã (qua oculi vestri offenduntur) torcularia detestari, vnde apothecæ dominicę, fructu olei luminosioris implentur. Et sicut cohabitatio malorũ cũ bonis, malos non sanctificat, ita bonorũ cum malis, bonos non contaminat, nisi accedat consensio factorum. Applica ad sanctum Matthiam, & reliquos apostolos.

## DE SANCTO MARCO *Euang. Sermo vnus, in ordine. XIIII.*



SICVT misit me pater, & ego mitto vos Ioan. 20. Tria hodierna die festa concurrere in præsentiarum cernitis, quorum neutrũ, vt dignum est laudibus extollere sufficio. Octauam .s. dominicę resurrectionis, quæ propter certissimam principalioris fidei nostræ articuli demonstrationem in ea apertissimę factã, nobis merito venerabilis est & festiua. Siquidem dominica resurrectio inter cęteras credenda principatum obtinet tanquam finis eorum, quę in finẽ ordinantur. Cętera .n. omnia ad resurrectionem respectum habent. Propter quod apostolus. 1. ad Corinth. 15. ait: Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Hæc autem resurrectio domini hodie ipsi Thomę plus cęteris dubitanti ad visum ostensa pariter, & ad tactum, quo etiam (vt Grego. ait) nostræ dubitationis vulnera plenissimè sunt sanata. Solemnissimam etiam beatissimi Marci euangelistæ patroni nostri festiuitatem, quæ etsi toti mundo venerabilis est, nobis tamen specialiter, qui eum à domino patronum meruim⁹, in cuius honore ecclesiam hanc consecratam gaudemus, est celebriori festiuitate colenda. Denique & letaniam siue Rogationem maiorem ex ordinatione magni Gregorii concurrere nouimus, licet ipsa ob reuerentiam dominicæ resurrectionis, cui dies dominica consecrata est, in crastinum transferatur Nam referentibus historiis, cum populus romanus, qui tempore quadragesimali continenter vixerat, ac in paschate corporis & domi

dominici perceptione, domino se vniuerat, cito oblitus benefactorum eius, ab eo recessit, mandata quoque eius transiliens, comessationibus, laudis, luxuriæ, cæterisque vitiis frena laxabat. Ea propter dominus sui non ferens iniuriam, secundum Pauli comminationem 1. Corinth. 11. tanta eum inguinariç pestis seueritate percussit, vt in via mensa, laudis, & colloquiis, sternutantes & oscitantes plurimi subito caderent extincti. Ideòq; tanquam prudens pastor beatus Greg. vt domino populum reduceret, ipsiu.que liberationem ab ira eius impetraret, processionem instituit, & per orationũ, confessionum, ac humiliationum instantiam, cupita impetrauit. Verum quia medium frequenter extrema participat, de secundo. i. beato Marco sermonem dedicabo. Ipsi nanque cum aliis, immo præ cæteris multis dictum est. Sicut misit me pater &c. Pro gratia Aue.

Marci vita, & doctrina cognoscenda siue ei° patrocinium.

Sicut misit me pater &c. Si beati patroni nostri vitam, & doctrinam, merita atq; passionem cognosceremus, resurrectionis dominicç testimonia, & rogationum nostrarum patrocinia sentiremus. Ideòque ista vtcunq; prosequentes, verbis thematis latius immoremur. Sicut inquit misit me pater, & ego mitto vos. Missus est a patre filius ad veritatem verbo prædicandum, ad viam salutis exemplo demonstrandum ad vitam perditam, morte turpissima recuperandum. De primo ait Ioan. 19. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeã veritati. De secundo ait. Mat. 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et iterum, Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me Marc. 8. & Ioan. 12. Exemplum dedi vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis. Et Petrus, vobis relinquẽs exemplum, vt sequamini vestigia eius 1. Pet. 2. De tertio. Venit filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis Math. 20. Quantum verò ad omnia simul, dixit Ioan. 18. Ego sum via, veritas, & vita. Sic (hoc est ad similia agenda) missus est beatus noster patronus Marcus. Nam euangelicam veritatem verbo prædicauit, & scripto, viam virtutum ostendit facto, & exemplo, ad salutem vitæ perennis recuperandum prece cooperatur, & merito.

Marc veritatẽ euãg. verbo & scripto prædicauit.

Euangelicam veritatem efficaciter prædicauit verbo, sed multo efficacius scripto. Verbo siquidem suç prædicationis Aquileã (quo ob fidei suæ cõstãtiã a B.P. missus fuerat) conuertit, & innumeras gentium multitudines fidei iugo subegit. Similiter & in Alexandria, cuius primus a beato Petro episcopus ordinatus est Christum annunciauit, & maximam multitudinem in fidei deuotione adunauit vt scripsit Philo disertissimus Iudæorum. Hiero. de illustri. Sed multo efficacius scripto, non modo vni prouinciç, vel populo, aut paucis, nec tantum tempore suæ præsentiæ, sed toti ecclesiç vbique dispersæ proficere desinit vsq; ad seculi consummationem. Ostenditur autem in eo scribendi dignitas ex officio, ex loco, ex scribendi ordine, materia, & modo. Officio. Ipse nanq; vnus est de quatuor paradisi fluminibus, vt scribit Hiero. in prologo super 4. quibus euangelica veritas eructans totum irrigauit mundum. Ipse vnus ex quatuor annulis, per quos quasi arca testamenti, & custos legis domini lignis mobilibus vehitur. Et quis hunc dignissimum dubitabit, aut eius dignitatem æstimare poterit, qui inter cæteros doctores ecclesiç ex his summis scriptoribus vnus esse meruit, quos ad euangelii sui narrationem dominus elegit, tot tantisq; figuris præsignauit, & ecclesia Christi sponsa supra petram domini voce fundata acceptauit? Plures nanque fuisse, qui euangelia scripserunt, Lucas testatur. Sed quatuor tantum suscipi ex figuris vtriusque testamenti, Hiero. apertè, & latè denunciat vbi supra. In quorum laudem ita ad Paulinum scribit, Matthæus Marcus, Lucas, Ioannes, quadriga domini, & verum cherubin, quod interpretatur scientiç multitudo,

per totum corpus oculati sunt, scintillę emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime rendentes, terga pennata,& vbique volantia, tenent se mutuò, sibiq; perplexi sunt, & quasi rota in rota voluuntur, & pergunt, quocunque eos flatus sanctispiritus perduxerit. Nulla autem scriptura euangelio dignior, sed nec scriptor aliquis dignior euangelista. Quorum etiam dignitatem Nicolaus de Lyra in suo prologo super Mar. ex diuersis quaternariis scripturę quibus significati sunt, magnificat, & declarat.

Ex loco similiter declaratur dignitas euangelistæ. Nam cum cæteri euangelistæ scripserunt sua euangelia in locis humilioribus vt Matth. in Iudęa, Lucas in Achaia i. Grecia, Ioannes in Asia, Marcus verò in Roma, quę fuerat caput, & totius mundi monarchia, vbi etiam tūc viguit studium, quod à Græcia fuit Romæ translatum. Nam vt testatur Hiero. de illustribus viris, beatus Marcus fuit sancti Petri Apostolorum principis in baptismo filius. Nam & ipse in prima epistola eius mentionem faciens, ait, Salutat vos ecclesia in Babylone collecta, & Mar. filius meus. Fuit etiam eius in diuino sermone discipulus, eiusque interpres. Rogatus itaque Romę a fratribus, breue scripserat euangelium, quod cum Petrus audisset, probauit, & ecclesiæ legendum sua autoritate tradidit. Allegat adhoc Hiero. Clementem, & Papiam episcopum Hieropolitanum. Idcirco igitur datum est sibi euangelium Romæ scribere, vt inde velut à capite vnctio sanctispiritus, quæ ex euangelio refudat: descenderet vsque ad oram vestimenti, hoc est in omnes ecclesiæ remotissimas extremitates. Vnde eximia laus euangelistæ nostri colligitur, quia in loco tam insigni, & translati studii scribere non solent nisi homines autentici, & illuminati. De studiositate tamen eius in lege diuina dicit Hiero. in prologo super Marcum. Cuius per singula opus scire .s. prophetias de Christo prænunciatas, & euangelii in se dicta disponere, & disciplinam legis in se agnoscere.

Marcus quo in loco prædicauerit.

Ex scribendi verò narratione materia, & modo dignitas nostri euangelistæ clarius elucescit. Nam in sua narratione breuis est, & sententiosus, vt breuitate lectorem delectetur, & sententiam pondere instruat, ita vitans prolixam recitationem eorum, quę prius Mattheus scripserat, vt quædam omitteret ab eodem sufficienter narrata, quædam ab eo dicta breuiter tangeret, quatenus prolixitatem vitaret, & verborum Matthei ostenderet firmitatem, quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. Et nihilominus aliquid verbis Matthęi adderet ad perfectiorem euangelii descriptionem, reliquit nihilominus aliqua posterioribus euangelistis elucidanda. Ita tamē breuis, & ita perfectus in sua narratione extitit, vt aliorum euangelistarum sententias clauderet compendiosè. Sicut Grego super Ezech. ait homil. 2. Si quæris, quid Marcus de incarnatione domini senserit? Hoc nimirum quod Matthęus, Lucas, & Ioannes. In materia ipsa, quam digessit, sublimis est, & affectuosus. Nam inter cætera specialius, & principalius versatur circa domini resurrectionem, & regnum Christi quod Christus assecutus est in sua benedicta resurrectione, secundum quod dixit apostolis suis post resurrectionē. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra. Matt. vlt. Ideòque in Ezechiele per faciem leonis, & in Apocalypsi per leonem designatur secundum Hiero. & Grego. Nam leo, quia rex animalium est secundum Isid. 12. etymo. aptè Christi regnum, & suis naturalibus proprietatibus resurrectionem eius significat, & figurat. De quo Nicolaus de Ly. in prologo super Mar. ita ait, Tria in resurrectione Christi reperiuntur, quæ proprietatibus leonis assimilantur. Primum resurrectionis efficiēs principium, quod in aliis hominibus est extrinsecum, in Christo autem fuit intrinsecum, secundum q. Ioan 10. dicit: Potestatem habeo ponendi animā

Marcus ex materia scribēdi laudatur.

meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nam propria virtute resurrexit. Et simile huius in leone reperitur. Dormit enim apertis oculis, secundum Isido. vbi supra. Licet autem caro Christi dormierit in sepulchro per veram mortem, animæ .s. separationem, tamen diuinitas vtriusque coniuncta vigilabat, secundum quod dicitur Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Et virtute huius deitatis sic vigilantis surrexit a somno mortis. Vnde potest exponi, quod dicitur Hiere. 4. Ascendit leo de cubili suo, quia Christus, qui est leo de tribu Iuda; de sepulchro ascendit virtute propria. Secundo assimilatur leoni propter tempus, & modum, quia resurrectio Christi facta est post triduum, quod tamen accipitur per synecdochen. Ita similiter leo natus, tribus diebus dicitur dormire, & postea fremitu, & rugitu patris excitatur. Sic Christus post triduum dormitionis in sepulchro, virtute Dei patris fuit excitatus à mortis somno, secundum quod dicitur Act. 3. Hunc Deus suscitauit a mortuis &c. Et Ber. sermone de Pascha. Suscitatus est paterna voce catulus. Et de hoc potest exponi illud Gen. 49. Catulus leonis Iuda. Et sequitur, requiescens accubuisti vt leo, leo .s. in sepulchro. Et subditur, Quis suscitabit eum .s. de somno mortis? Ad quod responderi potest, Deus pater, secūdum prædicta. Nec hoc prædictis obuiat .s. quod Christus surrexit virtute propria, quia vna, & eadem est simpliciter potestas patris, & filii, atq; virtus. Tertiò assimilatur resurrectio leoni propter assecutum Imperiū, quia licet Christus ante resurrectionem suā humilis, & subiectus apparuit in resurrectione dominium omnium obtinuit, secundum Apostolum ad Phil. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum &c. Quod quomodo intelligendum, exponit magister in 3. dist. 18. In leone autem inuenitur huiusmodi similitudo inquantum est rex animalium, vt dictum est, & ideò nomē leonis dicitur a leon grece, quod significat regem latine. Et quantum ad hoc dicitur Apoc. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda, quia per suam benedictam passionem, & resurrectionem subiecit sibi omnem creaturam. Hæc autem specialius, & clarius tractans euangelista noster sublimis est, quia nihil sublimius, nullum maius in humanis Christus ostendit miraculum, quam suiipsius à morte suscitationem. Et per hoc etiā meritò affectuosus dicitur, quoniam describens Christi resurrectionem, animos fidelium ad amorem cęlestium accendit, ad quæ saluator noster resurgens deuicta morte aditum reserauit, vt dicit incoll' paschali. Et propter ista in die solennissimo paschę euangelium Marci legitur. Ipse denique (vt infra dicetur) peractis in die paschæ mysteriis, meruit ad coronam martyrii vocari.

In modo demum scribendi magistralis i. doctrinalis est & fructuosus. Nam ad eandem resurrectionis gloriā consequendam doctrinaliter dirigit, & tam principium sui euangelii, quam finem eidem rei dedicauit. Nam ad per ueniendum vera fides Christi necessaria est, secundum illud, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. Et penitentia commissorum, secundum illud Luc. 13. Nisi pęnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Statim autem in euangelii principio perfectam fidem solidat, & pęnitentiam commendat. Nam exordio Iesum esse Christum Dei filiū demonstrat. In quo vtranque in Christo naturam, regnum quoque eius, & sacerdotium secundum quod saluator est seculi, breuiter complectitur, in quo vera, & perfecta fides solidatur. Ait. n. initium euangelii Iesu Cristi filii Dei, Et statim ad huius fidei robur duplicē veteris testamenti prophetiam adducit, vt sic verè euangelium suum sit rota in rota secundum Ezechielis visionem:

Marcus doctrinalis & fructuosus in modo scribendi.

nem: Similiter narrationis sui principio baptismum pœnitentiæ a Ioanne prædicatum ingerit, & vtrumq; fidem, & penitentiam tanquam viam ad regnũ necessariam, saluatoris verbo statim subijcit dicens: Pœnitemini, credite euangelio. quasi significare vellet, quod sine pœnitentia præteriti delicti, & fide Christi non habetur vita beata. Concludendo verò euangelium suum, fructum fidei, & pœnitentiæ inducit, qui est visio, & fruitio Dei in vita perenni, quam resurrectione sua nobis reparauit, ascensione viam parefecit, Apostolorum prædicatione, ac baptismo nos vocauit, & ad ingressum præparauit, & signorum spiritualium annotatione spem nostræ vocationis certam reddidit. Quę omnia in vltimo euangelii sui capitulo tractans, fidei, ac pœnitentiæ fructum declarauit. Et tantum de primo principali. Cætere partes ex aliis sermonibus colligi possunt.

*De sancto Philippo, & Iacobo Ser. vnus, in ordine. XV.*



NON turbetur cor vestrum neq; formidet, creditis in Deũ, & in me credite Ioan. 14.

Passio sãctorum Phili. & Iacobi.

Agimus diem festum beatorũ Philippi, & Iacobi Apostolorũ. Iacobi inquam minoris filii Alphæi fratris Domini, qui propter vitæ suæ excellentissimam sanctitatem iustus dictus est. Quorum alter postquam Scythiam (puta Philippus) ad fidem cõuertit, tandem in Ierapoli crucis martyrio. Alter. s. Iacobus in Iudæa, in Hierusalem, cuius erat episcopus, post multarum virtutum insignia anno septimo (vt uult Egisippus) sui episcopatus testimonium Christo ferens, præcipitio, & excerebratione vitam finierunt, & martyres consecrati fuerunt. Martyrium verò passi in corpore, nullam tamen sustinuerunt turbationis passionem in mente. Fides siquidem Christi, quę in eis plurimum enituit, atque perfecta fuit, sicut ante passionem formidinem, ita ea imminente omnem sustulit turbationem. Ibant enim gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati Act. 5. Ad huius fidei constantissimæ perfectionem dominus eos erudiuit, cum diceret, Non turbetur &c. Au.

Doctrina euangelii Nõ probetur

Primũ recitetur euangelium, & sicut placet, breuiter postilletur, quia notabile est, & magno sententiarum pondere pressum. Sinautem potest in genere euangelium tripartiti, Prima pars contra mentis turbationem medicinam affert, cum inquit dominus, Non turbetur &c. Secunda pars quo tendendum est, docet ibi, In domo patris mei &c. Tertia viam, qua ambulandum est, manifestat ibi, Ego sum via. Secundũ hæc pro secunda huius sermonis parte tres ex euangelio summi possunt regulæ doctrinales. Prima doctrina, Omnem mẽtis perturbationem pariter, & formidinem pellit perfecta Christi fides. Hęc summi potest ex euangelii principio, Nõ turbetur. Discat ergo perfectè Cristum credere, qui non vult præsentis mundi mala formidare. Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum fides nostra. Quis autem est, qui vincit mundũ nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei 1. Ioanne. 5 Credit autem perfectè in Christum, qui hunc credit verum Deum pro nobis incarnatum, eiq; charitate, & gratia copulatur, qua in Dei filios adoptamur. Ioan. 1. Qui hoc credit, sicq; charitate Christo adhæret, turbari non potest, neq; timere, quia credit fide certissima se habere auxiliatorem ab omni malo eripere potentem, scientem, atque volentem. Potens enim est, quia omnipotens, et denique cum voluerit, subest posse, immo omnipotentia, sine qua nulla potentia. Est deniq; sapientia, & veritas, in qua nulla fallacia. Est demũ bonitas, & misericordia, in qua nulla est inuidia. Potes adducere scripturam, hęc oĩa oñdit auxiliator-

ille

ille omnipotentissimus, sapientissimus & benignissimus. In creatione potentiam, in creatorum gubernatione sapientiam, in hominis lapsi redemptione bonitatem. Dedit enim in creatione homini cælum, in gubernatione terram, in redemptione seipsum in preciū daturus se tandem in prẹmium. Hinc canit ecclesia. Se nascēs dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in precium, se regnans dat in præmium.

Beatitudo eadē obiectiua in futura sanctorum vita.

Secunda doctrina, in futura sanctorum vita eadem erit beatitudo obiectiua, sed participatio diuersa, quæ solet dici beatitudo formalis, consistens in visione, fruitione, & tentione obiecti beatifici Sic ergo ex parte obiecti ẹqualiter omnes sunt filii Dei, vident enim, & diligunt vnum Deum, qui erit omnia in omnibus, & tamen in præmio, seu beatitudine formali erit distinctio magna. Hinc ait dominus, In domo patris mei mansiones multæ sunt, vnus tamen denarius tribuendæ mercedis. Acceperunt enim singulos denarios. Matt 20. qui mane & qui tarde in vineam domini vocati intrauerunt. Est ergo secundum beatum Aug. idem obiectum beatificum, pater. s. manens in filio, & filius in patre cum sancto spiritu nexu amoroso. i. vna trinitatis indiuidua essentia, sed eiusdem participatio (per visionem, & fruitionem) differens, quia alius alio clarius videt, & perfectius fruendo possidet, hinc sequitur gaudiorum disparitas. Si dicis, In beatitudine est perfecta charitas Dei, sui, & proximi, ergo etiam ibi erit ẹquale gaudium, vt puta de bonis omnium beatorum. Solutio, est ibi perfecta charitas cuiuslibet in genere suo. Intentissima respectu Dei, intensior respectu sui, minus intensa respectu proximi, secundum ordinem diligibilium, ergo ex contenti differentia gaudiorum, quæ vel est dilectio secundum aliquos, vel ex dilectione causatur. Cū ergo dilectio non est æqualis in omnibus, alter enim plus alio diligit Deum se, & proximum propter Deum, ergo licet quantum ad obiectum beatificum ab omnibus habitum ẹqualia sint gaudia omnium, quia omnes de omnium bonis gaudent propter charitatis vinculum, sed non quantum ad intensionem, hoc enim sequitur gradus dilectionis, quæ quia non fuit in omnibus eadem ex consequenti, nec gaudium erit æquale. Hanc doctrinam secundā innuit saluator, cum inquit, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus. i. si non ita esset, vt prædicaui vobis, dixissem vobis &c.

Nullus pōt peruenire ad beatitudinem nisi per humanitatē Cristi.


Tertia doctrina est (quam innuit cū subiungit in euang. Nemo venit ad patrem nisi per me) ad fruitionem diuinitatis Christi, quẹ vna est secundum essentiam cum patre, nemo peruenire poterit stante lege, nisi per humanitatem filii, beatitudinem nobis promerē tis. Ista est lex, quam condidit Deus, quod post lapsum neminem vult beatificare in æterna patria, quem hic nō inhabitat per gratiam in via, siue per charitatem, quod pro eodem habeo, docet hic Apostolus, cum inquit, Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens. Etsi habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem sciētiam. Etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Etsi distribuero in pauperes omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. Cor. 13. Hanc charitatem à nobis habere non possumus, sed eam per meritum Christi in assumpta humanitate recepimus, gratia enim per Iesum Christum facta est. Ioan. 1. De cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia ibidem. Cū ergo beatitudo est præmium, & præmium exigit meritum, mereri autem non possumus condignè gloriam sine charitate, & gratia Christi, quam nobis Christus meruit in assumpta carne, ergo doctrina vera.

Ex qua sequitur, nisi Christum imitemur, beatitudine non consequemur.

Ipse

Ipse enim est via, veritas & vita. Et ideo subiungit. Nemo venit ad patrem nisi per me. Et alibi, Si quis per me introierit saluabitur. Item, Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Mat. 16. Ad idem Luc. 10. & 14. & Mar. 8. & Ioann. 8. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambu. in tene. &c Crux verò Christi, i. vita Christi est nobis in exẽplum proposita, quo docuit mortificare voluptatem carnis & mundi & viuere iustitiæ. Applica ad propositum legendam sanctorum, quémadmodum ipsi in hoc Christum sunt secuti. Ecce quæ est sapientia christianorum, & quale debet esse studium nostrum. Certè imitari Christum hic nobis proponitur vt liber viuus in cuius capite scriptum est vt Dei faciamus voluntatem Hinc Paulus gentium doctor in lege doctissimus nil aliud inter Corinthios se scire iudicauit, nisi Christũ Iesum, & hunc crucifixum &c. Applica legendam ad propositum si placet, studeant mundi dilectores, quę mundi sunt, nobis scire sufficit Christum Iesum, & hunc crucifixum. Hęc est enim vita æterna. vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Cristum. Ioan. 17. &c.

### *Inuentioni s sanctæ crucis. Sermo vnus, in ordine.* XVI.



SICVT Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis Iohan. 3.

Crucis inuentionis festũ à quo institutum

Agimus hodie festum Inuentionis sanctę crucis autoritate Romanæ ecclesię, per totum vniuersum institutum Nam Eusebius Papa de consec. dist. 3. Crucis, ita mandauit. Crucis domini nostri Iesu Christi, quæ nuper (nobis gubernacula sanctę Romanę ecclesiæ tenentibus) quinto nonas Maii inuenta est, in prædicto Kalendarum die inuentionis festum vobis solemniter celebrari mandamus. Huic constitutioni obedientes, hac die celebramus lignũ dominicum christiana deuotione honorantes. Sed dicis fortè, Quale festũ de ligno agimus, nunquid lignum insensibile colimus aut honoramus? Dicendum, quod non dispar ratio est lignum dominicum honore debito colere, & sanctos Dei electos. In vtroque enim non creaturam principaliter, sed creatorem dominum veneramur. Sic enim ait propheta, Laudate dominum in sanctis eius, laudate eũ in virtutibus eius. Neque enim aliud, quàm bonum laudare conuenit, omne autem bonum Deus est, aut à Deo est, & intantum bonum inquantum est à Deo. Hinc dominus principi ait, Quid me dicis bonum, nemo bonus, nisi solus Deus. Lu. 18. Ipse nanque solus essentialiter bonus est, cætera eius participatione bona dicuntur. Neque bonum gratię, aut gloriæ idcirco laudibus celebrandum, quia à creatura receptum, sed quia à summo, & essentiali bono datum. vnde in sanctis quid aliud laudamus, nisi mirabilia opera domini, sicut scriptum est, Mirabilis Deus in sanctis eius. Deũ ergo in sanctis non sanctos propter se veneramur, & colimus. Sed fortè inquis Si ergo Deus in sanctis propter mirabilia sua opera colitur, quare non in omnibus creaturis, quia sanctus in omnibus operibus suis? Cum in catalogo creaturarum omnia opera domini ad benedicendum, & laudandum dominum aduocantur, hoc est secundum Cal. per se quo ad habentes intellectũ, quo placet eis Deus, vel per attendentes ea, & sic quodammodo laudant, qa de illis nascitur in nobis laus Dei. Si aut in omnibus, maximè in eis, quæ specialiter elegit tanquam nostrę salutis instrumenta. Inter quæ pcipuũ est salutis nostræ ara lignũ dominicum, in quo patri se obtulit, potestates tenebrarum triumphauit, & hominem longissima captiuitate detentum redemit. In cuius inuentione præclara sanctæ

Deus quomodo in sanctis laudatur.

orat

passionis suæ miracula suscitauit, vt orat ecclesia. Hæc arbor est salutifera in qua exaltatus saluator traxit omnia ad seipsum. Io. 12. Hoc lignum vitæ, cuius aspectu à morsu antiqui serpentis infecti sanantur, prout in facto Moysi Num. 21. figuratum est, quod dominus commemorat in verbis præmissis, Sicut Moyses &c Pro gratia Aue Maria.

Quia præterito tempore exposui, quemadmodum crux sancta à nobis colenda sit secundum multiplicem eius differentiam. Ideò illis transitis ad euangelii expositionem procedam., primo textum recitaturus, deinde regulas certas, & doctrinas ex eo breuius collecturus.

Euangelium, Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine &c. In hoc euangelio tria principaliter tanguntur, in quibus consistit totus decursus humanæ salutis, quantum ad principium, finem & medium. Principium est spiritualis hominis natiuitas ad finem immortalem. Finis est cælestis ascensionis sublimitas ad beatitudinis possessionem. Medium est passionis Christi efficax vtilitas ad gloriæ consecutionem.

Natiuitates hominis duæ. Vita hominis duplex.

Ex quibus elici possunt tres regulę doctrinales. Quarum prima natiuitas, secunda quæ est spiritualis, est principium vitæ immortalis. Ad cuius intellectum aduertendum, quod duplex est vita hominis. Vna carnalis siue naturalis, qua caro viuit per animam eam vegetãtem. Hæc secundum Aug. in gl. est ex Adam & Eua ad mortem. Alia est vita spiritualis, & supernaturalis, qua anima viuit p spiritum .s. eam gratificãtem De hoc beatus Augustinus homil. 6. de verbis euangelii. Vita corporis anima vita animæ Deus. anima amissa mors corporis, Deus amissus mors animæ, illa necessaria, hæc voluntaria. Et secundum hoc etiam duæ sunt natiuitates. Vna carnalis ex Adam, & Eua, qua nascimur ad mortem. Alia spiritualis ex Deo, & ecclesia ad vitam, vt dicit glo. Hæc est illa natiuitas, de qua dicit dominus, quod nisi quis hac natus fuerit denuo .i. post natiuitatẽ carnalem, non potest videre regnum Dei. Hac autem natiuitate in baptismo renascimur, sine quo nemo saluatur etiã credens Christo. Et licet triplex ponitur baptismus, fluminis, flaminis, & sanguis, vt docet Magister dist. 4. lib. 4. Ait enim est baptismus in aqua, in sanguine in pænitentia, tamen Dominus hic solum facit mentionem de baptismo fluminis, eo quod sine illo (dum haberi potest) nemo saluatur, & non sufficit baptismus sanguinis, nec pænitentiæ, siue flaminis. Vnde B. Cyprianus lib. 4. de Bap. Inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod baptismo deerat, supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Exemplificat de latrone in cruce, qui non per passionem, sed per fidem sine baptismo aquæ saluatus est. Et sequitur. Tunc impletur baptismus inuisibiliter, cum mysterium baptismi nõ contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit Et adducit magister rationem, quia cum non valentibus credere paruulis sufficit baptismus, multò magis sufficit fides adultis nõn valentibus baptizari. Vnde August Quæris, quid sit maius, fides? an aqua? Non dubito, quin respondeam, fides. Si ergo quod minus est, sanctificare potest, non ne quod maius est .i. fides? de qua Christus ait Qui crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet. Quæ tamen intelligenda sunt de credentibus, qui baptizari volunt, & non possunt, illis eñ non imputat Deus, qui suam potentiã sacramentis non alligauit. Hæc magister. Potest etiam sic intelligi verbum Christi, qđ dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritusancto &c. Nisi qs renatus fuerit ea .s. regeneratione quę fit per aquam, & spiritumsanctũ Hoc autem nihil aliud est, quàm infusio gratiæ per spiritum sanctum, qua spiritualiter viuit anima. Illa autem non fit tãtum per baptismum aquæ, sed etiam per baptismum sanguinis, & flaminis.

Baptismus triplex. Magist di. 4 lib. 4

Beatitudine per frui quo possimus.

Secunda regula. Beatitudine nemo perfrui poterit in cęlo nisi [illegible] tanquā membrum capiti adhęserit Christo, hoc est, quod dicit. Nemo ascendit &c. Si dicis quomodo filius hominis descē dit de cęlo? non secundum naturam hu manam, quia istam non adduxit de cę lo, vt mentitur heres. Valentiniana, sed assumpsit eam ex virgine. Nec secūdū diuinam, quia secundū illam sibi nō cō uenit descensus, vel ascensus, aut quæ cunq; mutatio, vel vicissitudinis obū bratio. Iac. 1. Ad hoc dicendum, ꝙ descē dit secundū diuinam naturam. Descen dit inquā, non tamen per motū localē, quia illocalis est, nec aliquē locū de no uo acquirit, aut deserit qui cęlū, & ter ram implet. Hiere. 24. Nec per aliam quālibet mutationē, quia ait Malach. 3. Ego Deus, & non mutor. Sed descen dit per incarnationem, quia descende re Christi nihil aliud est quam carnem assumere, quæ est natura longe [illegible] dei, [illegible], quam tamen assumpsit [illegible] sine sui mutatione, nā de nouo termi nauit suppositalem humanę naturæ v nionē, quæ terminatio [illegible] mu tationem [illegible] a deo [illegible] natu ra humana assumpta. Et [illegible] ean dem diuinam naturā est [illegible] Chri stus n. nomen suppositi [illegible] æterni, & immutabilis, semper vbiq; existentis, [illegible] licet de [illegible] o, sicut [illegible] ator, sal uator & [illegible] non [illegible] pit [illegible]. Hinc a[illegible]s ad Heb 13. ait. Iesus Christus heri, & hodie, [illegible] in [illegible]. Hic aūt filius ascendit in cęlū [illegible] humanam naturam, secundum [illegible] factus est [illegible] Dei, & ho [illegible] secundū [illegible] incorpora [illegible] tanquā sua [illegible] 15. Ego sū vitis vera, & vos palmites. Qui manet in me [illegible] si quis in me nō manserit, [illegible] sicut palmes, & arescet, [illegible] sicut palmes non potest facere fructum a se metipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Quæ ver ba tractans Aug. [illegible] dominus se cundum hoc dicit, quod est caput eccle siæ, [illegible] mēbra eius, mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. V[illegible] naturæ sunt vitis, & pal mites, propter quod cum esset Deus, cu ius naturæ nō sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cu ius & nos homines palmites esse posse mus. Huic ergo [illegible], & eius membra [illegible], in eo, & ex eo ascendo mus percepturi hęreditatem æternam, per eius gratiam, quam ipse habet per naturam. Hinc Roma. 8. Siquis spiritū Christi non habet, hic non est eius. Et sequitur. Accepistis spiritum adoptio nis filiorum Dei, in quo clamamus Ab ba pater. Ipse enim spiritus testimo nium reddit spiritui nostro, ꝙ sumus fi lii Dei. Si autem filii, & hæredes, hęre des quidem Dei, coheredes Christi. [illegible] Christi [illegible] non potest esse per gratiam, [illegible] Christus hæres [illegible] ralis admittere dignatur conoedis [illegible] hæreditatis æternæ participium. Sic ergo non solus Christus ascendit, sed totus cum omnibus suis membris, omnibus, scilicet suis cohæredibus.

Hæresis Valentiniana.

Tertia regula. Sola Christi passio in [illegible] consummata medium est, quo re generationis sacramento denuo nasci mur, & Christo capiti tanquam mem bra incorporamur. Primum patet per Apostolum Rom. 6. Quicunq; baptiza ti sumus in Christo Iesu, morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim su mus cum illo per baptismum in mor tem, vt quomodo [illegible] a mortuis per gloriam patris, ita & nos in [illegible] ambulemus. [illegible] sequitur, ꝙ [illegible] est, mortuus est peccato, [illegible] endo, quòd au tem viuit, viuit Deo, ita & vos existi mate vos mortuos esse peccato, viuen tes autem Deo in Christo Iesu Domi no nostro. Secundum patet Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero [illegible] omnia traham ad meipsum, omnia [illegible] hominem, propter quem creata [illegible] sicut dicit apostolus. 1. C[illegible] omnia vestra [illegible] c. Dilap[illegible] a Deo per peccatum, [illegible] ti sumus, & [illegible]

Passio Xpi est medium regenerationis nostræ in sacramētis.

[illegible]

porati, qui omnium inimi[illegible] caput est, secundum Greg. per cru[illegible] Christi reconciliati sumus, & pa[illegible]cu-ti. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, lapis angularis, qui facit vtraq; vnum, qui soluit inimicitias in carne [illegible]a, ad Eph. 2. Complacuit enim patri per ip[illegible] reconciliari [illegible] in ipso pacific[illegible] per [illegible] crucis eius Col. 1. vt sic veritas figuræ respon deret. Et sicut Moyses exaltauit serpen tem &c.

Ecce quam merito crucem domini (per quam [illegible]ra redemptio perfecta est) tanquam nostræ salutis instrumen tum honoramus. Q[illegible]; eam san ctam esse d[illegible]at, per [illegible] vniuersa no-scuntur sanctificat[illegible] Non tantum crux illa, quam do[illegible]orum [illegible]rum rigidissim[illegible] ex[illegible] in seipso fi-gurauit, sed etiam lignum illud saluti ferum Christi sanguine rubricat[illegible] Quod licet non sit sanctum per gratia[illegible] informantem, tamen sanctum est per sui specialem electionem, & summi ope ris diuini applicationem. Illius, in-quam, operis, quo mundus sanctifica-tus est pariter, & redemptus. [illegible] templum domini sanctum est, va[illegible] san ctę, vestes sanctæ, altare sanctum, arca sancta, & propitiatorium sanctum, im-mo locus hæc continens sanctussan[illegible]rum &c. quanto magis lignum [illegible] crucis altare [illegible], & sancta sancto [illegible]ifex seipsum patri [illegible] veteris testa-menti sacr[illegible] consummauit, & [illegible]er-nam redemp[illegible]em inuenit? [illegible] ligno canit eccl[illegible]a. O cru[illegible]a &c. Item. Ec[illegible] crucis, in quo salu[illegible] nostra pepen-dit, [illegible]a. Ve [illegible]re-[illegible] A-men.

*BONIFACII PRIMI Archiepiscopi Ecclesię Moguntinen. Ser. vnus in ordine XVII.*

HI sunt viri mise-ricordiæ. Eccl. 44 & in epistola.

Quamuis vniuer saliter [illegible] exempla ad [illegible]stram instructio-nem sunt vtilia, propter quod sacris litteris plurimum, sunt commend[illegible]ta, vt dum quamlibet virtutem subire appetimus, in eis a pa tribus iam impletam quasi nostra[illegible] [illegible] inueniamus, per quam [illegible]tra [illegible]ia bella [illegible]amur, vt vult Greg. [illegible]l. 15 [illegible]er Ezech. Illorum tamen magis mouent exempla, qui no bis [illegible] quodam vinculo coniun [illegible], & propin-quitat[illegible], ea propter & si omnium sanctorum me-moriæ [illegible]dæ, p[illegible] tamen nostr[illegible] ac patro[illegible]ior est recor[illegible] C[illegible]m ergo [illegible]mus pa-ter noster Bonifacius virtutum vestigia [illegible] special[illegible] Germaniæ exem plauit, maxime a nobis imitari d[illegible] Mog[illegible] pater, [illegible] pó [illegible]de cum o[illegible]hodier-na [illegible]ta[illegible] abi[illegible] tame[illegible] cũ [illegible]s spi[illegible]alibus est ex[illegible]en-[illegible], quos dum in [illegible]ac peregrinat[illegible]vi xit speciali[illegible]ele[illegible], ac n[illegible]m cathedralem [illegible]stituit. I[illegible] est [illegible] nos[illegible]s iterum pa[illegible]uit, [illegible] in eis [illegible]etur Christus, [illegible] post p[illegible]es a gentilitate [illegible] multis erroribu[illegible], euangelica prædicatione rede[illegible]it. Ipse est [illegible] multis grat[illegible] ac priuilegijs [illegible] loc[illegible] cumu[illegible] per omnes Ger man[illegible] loca, [illegible] metropolim c[illegible]tuit. [illegible] autem, ac vene-[illegible]r, si pr[illegible] virtutes [illegible] imi-temur,

Exempla sanctorũ ad no-stram in structio-nem vti-lia sunt

Bonifa-cius Mo-guntin.

temur, ac sanctam eius conuersationẽ memoriæ tanquam vitæ nostræ regulã imprimamus. Verũ quia de omnibus eius virtutibus nunc loqui non valemus, saltem de vna non sileamus, magna [illegible] misericordia, quam ita nobis impendit, vt vsq; in hodiernum diem in acceptis beneficiis perseueret. Siquidẽ de illorum numero est, de quibus scriptura ait. Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, & cũ semine eorum perseuerant bona. Iesus quoq; [illegible] cum v[illegible] gloriosos laudare conaretur, [illegible] principiũ exorsus est ab hac virtute, dicẽs: Hi sũt viri misericordiæ &c. Pro grã Aue Maria.

Hi sunt uiri misericordiæ. Beatus Leo Papa in quodam sermone tractãs illud Iacobi Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiã ait. Sine misericordia [illegible] prodest alia

Virtus vlla non prodest sine misericordia.

quæ virtus, quia licet quis ardeat charitate, licet quis polleat castitate, [illegible] quis fulgeat honestate, nisi misericors fuerit, misericordiam nõ meretur. Ideo dominus ipse in iudicio rationem po[illegible]turus [illegible]tum (omnibus reliquis tacitis) de misericordiæ operibus disceptabit. Dicturus enim est dominus. Esuriui, & dedisti mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi potum &c. Mat. 25. Fuit autem hæc virtus in beatissimo patre nostro nedum incipiens, aut proficiens, sed perfecta, propter quod ab hac virtute nomen accepit. Sus[illegible] vindefrid, primo dictus a proprietate suæ condi[illegible] quæ in misericordiæ operibus [illegible] omnibus benefecit. Bonifa[illegible] nomen a [illegible] pontifice Gre[illegible] [illegible]cundo [illegible] sua ordinatio[illegible] accepit, [illegible] cũ suis collegis non misericordes, sed viri misericordiæ [illegible]. Viri nomen est perfectioris [illegible] autem [illegible]ricordes secũdũ Aug. in li. de diffi. animi dolentis [illegible] ad compatiendũ proximo, & lar[illegible]u ei de proprio. Duo itaq; [illegible] dit misericordia, cõpassionẽ. s. miseriæ proximorũ, & elargitionẽ suorũ. Vtrũq; perfectè impleuit beatissimus pater noster Bonifacius, omnibus n. quibus cõpatiendũ erat, cõpassus est, & quæcunq; habuit, ad vtilitatẽ proximi erogauit, vt summariè præsenti declarabitur sermone. Perfectã siquidẽ proximorũ miseriæ habuit cõpassionẽ, verum qui rectè ordinateq; alienis condolet miseriæ, prius est, ut suæ [illegible] misereatur. Ait. n. scriptura Ma[illegible] primũ trabẽ de oculo tuo, & tunc [illegible] eiicere festucam de oculo fratris [illegible]. Eccl. 30. Miserere animæ tuæ placẽs Deo, & contine, & cõgrega cor tuum in sanctitate eius. Hinc Aug. in Enchirid. Qui vult ordinatè dare elemosynã, a se debet primũ incipere, & eam sibi dare elemosynã dicit, per quã anima intus mũdatur, & miseria culpæ [illegible]eratur. Sic vir sãctus [illegible] a peccatis m[illegible] con[illegible] hac proxim[illegible] miseriam su[illegible].

Bonifacius de Anglorũ gente.

[illegible]ferente siquidem historia beatus Bonifacius de Anglorum gẽte de nobili prosapia originem duxit, magna parentum sollicitudine nutritus, magnarũ et virtutũ per incrementa temporũ est factus. Nam [illegible] adhuc paruulus esset, quatuor aut septem annorum quicquid diuini verbi a clerico, vel laico audiret, mox quãtum ætatis suæ qualitas permisit, quid ad se ex his spectaret, diligenter tractauit. Cũq; diligenti meditationẽ securiorẽ viã assumere, ac mundo renunciare cogitaret. Hoc ipsum patri tandẽ notificans ad sui propositi executionẽ ci[illegible]silium rogabat. Sed econtra [illegible] puerulũ [illegible] p posito [illegible] ditijs, ac [illegible] [illegible]mniũ possessorũ suorum hærede[illegible]rũ pmittẽs, nunc tantæ pfessio[illegible] suæ ptẽctionẽ suæ ætatis incõpossibilẽ contestans. Sed puer sanctus virtute diuina plenus, quantò magis [illegible] secularia eũ pater reuocare studuit, tanto constantius in incepto durare, ac litteras sacras noscere anhelabat. Virtute miro diuinæ dispensationis iudicio factũ est, vt pater, qui solus ei erat impedimẽto, repentina infirmitate correptus, pristinã mentis pertinaciam deponeret, ac puerũ ipse per legatos idoneos venerabili Vuolffhardo abbati cõ

mēdaret, a[illegible]o vniuersa religionis munia bene cepit, meliusq; de die in diem cōpleuit. Postquam verò pueritiæ annos transcēderat, in studio sacræ lectionis, atq; monastico exercitio per singula penè momenta augebatur, ita q̃ verè de ipso illud Dauidicum dici poterat. Ibat de virtute in virtutē. Verú cú ad altiora litterarum studia pariter, & vitæ merita ascendere satageret, nec doctorū copiam habere posset, consentiente suo abbate, & fratribus in aliud monasterium se transtulit, cui Vombertus abbas præsedit, vbi tam grammaticè artis, metriceq; subtilitatis, quā spiritualis intelligentiæ adeo pollere cepit, vt ad eum etiam alii discendi causa confluerent, & quoniam nihil ex hoc eleuabatur animo, sed secundum sapientis consilium quantò maior in litterarū notitia, ac virtutum excellentia effectus est, tantò magis se in omnibus humiliauit. Et quia humilitate, ac omni virtute cæteros præuenit, cæteri eum fratres vt patrem venerabantur, atq; per singulos ecclesiastici ordinis gradus, ac tandem ad sacerdotalem dignitatem tricesimo ætatis suæ anno promouerunt, in quibus sicut gradibus dignitatis, ita excellentia ascendit virtutis. Nam ab eo tempore de cætero, nec vinum, nec siceram bibit, sicut de eo palam canitur in historia. Contigit autem eum & synodali consilio a rege Saxonum cōgregato pro quadam seditione extirpanda interesse. Vbi cognita tanti viri excellentia legatum ad Cantuariens. ecclesiæ archiepiscopum Bertuualdum mittē constituunt, vt omnia consilii acta ab eodē approbanda deferret, ac referret. Ex cuius commissionis prudenti executione, cū nomen eius tā apud seculares, quam religiosos celebre nimis haberetur, vt ab omni humano fauore, ac laudum præconiis remotè ageretur, cepit mente pertractare, quomodo parentum confiniumq; consortia, & natale solum relinquēs, ad loca remotiora pro Christi nomine posset transmigrare. Obtenta itaq; abbatis sui licentia, ac fratrum quorundā eiusdē propositi stipatus consortio, litteris commendatitiis ab episcopo Daniele acceptis, post multos peregrinationis labores, ad beatorum Petri, & Pauli Apostolorum limina Romā vsq; peruenit, vbi a beato Gregorio papa secūdo piè suscipitur, ad colloquiū frequenter vocatur, ac zelo tanti viri cōperto, ac litterarū copiosa notitia ad Germaniā prędicaturus mittitur, apostolicæ legationis auctoritate munitus.

Bonifacius sub [illegible]bus edoctus.

Bonifacius legatus ad Cātuariam.

Vir itaq; beatus cú iam ab infantia sui curā agens misereretur, postquā tot iam probatus annis, exēplo sanctæ conuersationis multos instruxerat recto charitatis ordine ad misericordiæ opera proximis impendenda toto se studio conferebat, non modo corporalia quæ exhiberi parū putabat, sed qui maioris sunt meriti spiritualia, quibus anima in perpetuū seruaretur. Vnde apostolica benedictione suscepta, arduum onus iniunctum strenuè, nec laboribus, nec corpori parcens aggreditur. Cōpertaq; morte Ratboldi Frisonū regis, quorū iacta prius Christianę religionis semina, suis persecutionibus oppressę, ad idolorū culturā, quā pridē reliquerant, iterū coegit. Coadiuuātē sancto Vuilbrordo Traiectēsis ecclesiæ episcopo, p tres continuos annos in Frisia laborauit in phanis destruendis, ecclesiis ædificādis, erroribus extirpandis, ac verè fidei seminibus prædicationis verbo aspergendis, vbi [illegible]o populo acquisito, cū in episcopū Traiectēsē a beato Vuilbrordo peteretur, nequaquā consentiēs, sed indignū se æstimans, ad cōuertēdas cæteras Germaniæ gētes perrexit: Hassones.s. quos a paganico errore conuertit, ac fonte baptismatis abluit. Intelligēs aūt Papa Gregorius verbū Dei in manibus sancti viri prosperari, ad se inuitauit, ac veniētē, vt maiori auctoritate pdicaret, corrigēda [illegible], epm ordinauit, nośe mutato [illegible] nouū qđ sibi cōgrueret operibus (Bonifacius impo[illegible] dictū est supra, atq; ad cō[illegible] [illegible]cepti ministerii maiore au[illegible]te [illegible], sed & apostolicis litteris glorioso duci Frācorū Karolo, cęterisq; germaniæ principibus, ac ecclesiasticis viris

Bonifacius a Gregorio eps ordinat⁹ & pdicator apostolicus.

ris diligentissimè commendatur, omnesq; repugnantes anathematis innodantur vinculo, ac damnationi perpetuæ ab eodem papa commendantur. Sed quẽ humana muniuit auctoritas, diuinā non dereliquit, quoniam signis, & prodigiis ampliꝰ declarauit. Siquidem allocutus Karolū francorū principẽ, ab eo benignè susceptꝰ, iterū Hassones aggreditur, in quibus cum idolatras, & superstitiosos plurimos repperisset prioris doctrinæ oblitos, corrigere laboraret, in loco quoq; qui geismar dicitur, cum arborem Iouis ingentis magnitudinis demoniorum cultui dedicatam, cum fratribus incidere tentaret, concurrit paganorum multitudo furore nimio in sanctum Dei tanquā deorū suorū inimicū irtuerunt, atq; interficere sunt conati, sed cum arbor eadem paululum inci deretur, mox quasi diuino nutu agitata, in quatuor dirupta est partes. Quo viso pagani miraculo, qui illuc mente peruersa conuenerant, omnes deposita barbarica feritate, Deum verum, quem Bonifacius prædicauit, benedicentes crediderunt. De arboris verò ingenti mole, præsul sanctus de fratrum consilio oratorium construxit, ac in sancti Petri apostoli honore consecrauit. Profectus deniq; in Thuringiā, vt ad christianæ religionis normā, a qua lapsi erāt reduceret, cū apud fluuiū, q̄ dicitur Oraha fixis tentoriis pnoctaret, per totā noctẽ lux magna de cælo sese protendens locū vbi manebat episcopus, circundedit. In ipsa luce sanctus Michael archangelꝰ adueniẽs, epō appàruit, & eū alloquẽs, in dño cōfortauit. Facto aūt mane cū gr̄as dño agens, ibi celebrasset, prandiū sibi à ministro præparari iussit, sed a ministro suo audiẽs, cibū, quo vescere tur, nō hr̄e, Respōdit. Nūquid q̄ multitudinẽ populi in deserto 40. annis māna in deserto pascere potuit, mihi indigno seruulo suo nō præualet ad vniꝰ diei refectionẽ escā impendere, Hoc dixit, mẽsamq; apponi præcepit. Interea quædā auis aduolās, piscẽ talẽ (qui ad illius diei refectionẽ sufficeret) attulit & ante mensam proiecit, quẽ piscẽ pręsul sctūs post debitas grarū actiōes p̄parari iussit, ac post refectionẽ reliqas in flumẽ proiici iussit. In eodẽ deniq; loco, elapsis quibusdā diebꝰ, monasteriū q̄ Ordoroff dicit, in honore sancti Michaelis construxit. Diuina itaq; auctoritate (in miraculis declarata) & apostolica fretꝰ, Thuringiā, Boemiam, oriẽtalẽ, Frāciā, totāq; Germaniā, atq; Bauariā circūit, miseriæ errātiū cōpassus, errātes reduxit, reductos confortauit, seductores, clericos, atque rebelles correxit, illos deposuit, hos excōicauit, istos vatiè vt saluti animarū congruere nouerat, ecclesiastica censura pcelluit nō cedẽs minis, nō territus insidiis soli Deo quẽ in cūctis adiutorẽ habuit, honorẽ pariter, & timorẽ impendit.

Bonifacius miraculis ornatus.

Bonifacius templorum ædificator.

Interim mortuo Gregorio secundo, successit tertius, qui auditis fructuosis b. Bonifacii fugitibus, palliū misit, archiepiscopū ordinauit, & vt alios ordinaret episcopos, potestatẽ dedit. Verū se in tāto cōmisso, beatorū apostolorū Petri, & Pauli recōmẽdare p̄sidiis desyderās, simul & Gregoriū tertiū personaliter alloqui, iā tertiò Romā cū non modica comitiua adiit, vbi honorificè susceptꝰ, ac multis sanctorū, quas desyderabat, dotatus reliquiis, ad cōmissa festinat implenda. Vñ remeans per Bauariā, post salutarẽ ibi seminatam doctrinam, ac pseudo episcoporū, ac sacerdotum expulsionem, ipsam in quatuor episcopales parochias diuisit, totidem sedes ordinauit, id est Saltetburgẽsem cui præfecit episcopū Ioannẽ nomine. Frinsingensem, cui Herimbertū pastorem consecrauit. Ratisponensem, cu Gouuiboldū pontificẽ ordinauit. Parauiensem, cui Vinalum episcopū à Papa cōsecratū patrẽ dedit. Instituit deniq; episcopatū Vuirtetburgẽsem Bābergẽsem, & Erfordẽsem, Vuilliboldū tandẽ in Eistat pontificẽ, in Vtricht Gregorium ordinauit. Singulisque ecclesijs prout cuiq; opus erat, prouidit, vt sic spirituales miserias omnium subleuaret. Celebrato deniq; cōcilio, ex cōmissione Zachariæ papæ in Frācorū pui

Bonifacio palliū missū à Gre. 3.

cia Karolomanno Karoli superius men tionati filio principe francorum præsente Anno domini.742.11.Kal. Maii. omnes non solum clericos, sed etiam episcopos heretica prauitate deceptos, ab ecclesie concione expulit. Eos autē, quos capitalis criminis diffamia macu lauerat episcopos, deposuit. Clementem quoque & Adalbertum heresiarcas hypocritas,qui totam pene Germaniā seduxerant, concurrente sedis apostolicę sententia damnauit, atque inter multa reformationis acta Gemiliob Moguntinæ ciuitatis episcopum deposuit,duas ei obiiciens causas, quoniam eum, qui patrem eius Geroldum eiusdem sedis episcopum, in belli tātum Saxonum, ac Thuringorum congressione interfecit,ipse in flumine Mesera manu sua occidit, cum Karolomānus prin ceps Thuringos à Saxonū obsidione liberans dictum Germiliob secum pergere præcepisset.

Bonifacius hæreticorū flagellū.

Aliam causam beatus Bonifacius ei dem obiecit, propriis .s. se conspexisse oculis,illum cum auibus, canibusq; latentem, quod episcopo nullatenus licet. Dicto autem Geruiliobe, quoniam iudicio tanti viri recalcitrare nō valuit,suæ despositioni consensit. Quo deposito,à Karolomanno fratreq; suo Pippino postea Frācorum rege, genitoreque Karoli magni Imperatoris,sanctus Bonifacius ecclesiæ Moguntinensi prę ficitur, quoniam licet dudum archiepiscopus fuerat, tamē propter verbi Dei prædicationem, & laboriosam Germanię reductionem, sedem sibi episcopalem vsque adhuc non vendicauit. Ob dignitatem quoq; sancti viri Zacharias Papa Moguntiam(quæ prius alteri subiecta erat ecclesiæ) totius Germanie metropolim constituit, subiiciens ei Tungrim, Coloniam,Vuormaciam, Spiraciam,quæ nunc Spira dicitur, & omnes Germanie gentes, quas Christi lumen per suam prædicationem cognoscere fecit, vt plenius in bulla Zachariæ Pape continetur. Quanta autē tanquam nouus archimandrita (idest pastor,ab archos princeps, & mandros ouis, qua princeps ouium,& conuenit magis propriè archiepiscopo) tunc di uina plantare cęperat, quanta diaboli ca extirpare,cęnobia, ecclesiasq; ędificare, inter quas etiam erant ecclesiæ. Frithiz.lariens. Amelbergens. ac Fuld. Quantam etiam omnium ecclesiæ filiorum, quos per euangelium ipse genuit, vnius sermonis breuitas declarare non potest Nam cum apostolo.1 Co rint.9.omnibus omnia factus, secundū quod cuiuslibet defectus requisiuit,debito medicamine occurrit, sanos confortauit, membra infirma sanauit,quæ verò putrida,arida, & penitus incurabilia,abscisionis ferro resecauit,vt saltem non maiorem incurrerent miseriam, si dum corrigi noluerunt, etiam alios ad incorrigibilitatem obducerent. Siquidem minus malum est pessimis sua maliti a damnari, quàm secum multos in damnationem trahere, & sic propriam damnationem augmentari, sicut de Arrio hæretico dicitur.Satis ergo patet ex his, quantum compatiens animarum succurrebat defectibus, ac quanta spiritualia nobis contulit bene ficia,propter quæ rectè Bonifacius dicitur, eisque connumeratur, de quibus dicitur in rhemate, Hi sunt viri misericordiæ Tantum de primo.

Hunc nostrum patronum fuisse virum misericordiæ, probat largissima suorum elargitio Neque enim vrgente amore Dei,ac fraterna charitate, qua totus flagrabat, aliquid sui iu aliorum vsus erogauit, sed quicquid habuit,seque totum communicauit, bona exteriora,corpus,& animam. Paternam siquidem hæreditatem(secundum Hieronymum consilium ad Paulinum)non tam dedit,quam totam proiecit Siquidem in primis omnia temporalia velut ster cora arbitratus cum Apostolo,vt Christum lucrifaceret, hęreditatem paternam,parentes,& amicos,natáleq; solū reliquit ac pro nihilo duxit.Nec corpori suo pepercit, sed ipsum etiam in laboribus nimiis, pro fratrum immo inimicorum salute exposuit,nam teste Zachariæ Papa. 25. annis ab episcopatu

Bonifacius in largiendo liberalis, & misericors.

suo, in secunda.s.missione vsq; dum Moguntinam sedem acciperet, in verbi Dei prædicatione laborauit. In prima autem missione prius quam episcopus consecraretur, prędicauit annis quatuor. Sedit autem in hac metropoli annis, 11. Habuit ergo annos suæ peregrinationis 40 episcopatus autem 36. mẽses sex. In quibus quantum laborauit, conuersorum numerus satis declarat. Nam scribit in quadam epistolarum suarum Gregorius Papa tertius, quod 16. episcopatus sui anno de Germanię gentibus (exceptis Bauari.) ad centum milia hominum animas de paganissimo ad catholicam fidem ac sanctę matris ecclesiæ sinum conuertit. Quot ergo in Bauaria, quot in sequentibus viginti annis conuerterit, quis numerabit? Dedit denique quicquid in anima habuit, & exempla viuendi efficacissima, catholicam.s.doctrinam pueris, iuuenilibus, & senibus, simplicibus prælatis, prædicatoribus, & episcopis, quæ declarare licet vtile foret, temporis tum angustia non permittit.

Bonifacius quot ad fidem conuerterit.

Posuit ad vltimum etiam tanquam pastor bonus (summum imitatus pastorem Christum dominum nostrum) animam pro ouibus suis, in testimonium prædicatę veritatis. Nam cum iam sibi corporis sui dissolutionem imminere prænosceret, populos autem Frisonum, quos prius ad catholicam veritatem cõuerterat iam fallente diabolo iterum relapsos didicisset, pro recuperandis eis, nec senio fesso corpore pepercit, neque aduersa tormentis vsque ad mortem pertimuit. Sed constituto prius beato Lullo suæ sedis archiepiscopo, sibiq; toto commendato populo, ecclesiis, monasteriis, suiq; corporis sepultura, intrepidus viam arripuit, assumptis secum tribus præsbyteris, totidem diaconibus, ac quatuor monachis, ac aliis pueris clientulis. In Frisiam veniens circumquaque perrexit, ac verbum domini cum fiducia prędicauit, ecclesias ingenti studio construxit. Tantam autem ei dominus gratiam contulit, vt post paucos dies multa milia virorum,

Bonifacius ad martiriũ pro fide vadit.

ac mulierum baptizaret. Cumq; in loco quodam tentoria figi iussisset, diemque statutum, quo ad eum, qui nuper baptizati fuerant, confirmationis gratia confluere debuerant, expectaret, ipso die, qui quasi filii à patre expectabantur, in digni ad accipiendum spiritussancti gratiam, versa vice pro amicis inimici, pro nouitiis fidei lictores noui cum ingenti armorum strepitu in castra sanctorum proruperunt. Quo viso pueri e castris prosilientes, armis seseq; accingentes sanctos contra furentis populi multitudinem defendere gestiebant. Sed sanctus Bonifacius audito tumultuantis populi impetu, vocatis ad se clericis, e tentorio processit, puerosque ad defendendum præparatos compescuit, dicens. Nolite, quæso pueri mei pugnare, nolite aduersariis bellum inferre, quia sacræ scripturæ verbis docemur non solum non malum pro malo, sed etiam retribuere bonum pro malo, iam diu optatus aduenit dies, iam tempus illud aduenit, quo de laboriosa seculi huius ęrumna ad æternæ beatitudinis gaudia inuitamur. Cur tantam gratiam, tantam gloriam à nobis secernere vultis? quin potius confortamini in domino, & oblatę gratiæ diuinæ dona nos gratanter suscipere permittite. Sperate in domino & ipse liberabit nos ab omnibus periculis. Hæc, & his similia dicens, virorum animos ab omni bellorum tumultu compescuit. Deinde clericos suos prima voce admonens ait. O fratres charissimi, siqua diuini amoris cura, si qua admonitionis memoria manet in vobis, in hora ostendite præ enti, recolentes illa dominica verba. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Spem itaque vestram in Deo figite, quia post breue huius vitæ spacium perpetuę remunerationis recompensans brauium, consortes faciet ciuium supernorum. Nolite precor diuturna inuictissimę mentis bella in hac paruissima perdere hora. Nolite peruersis gentilium adulationibus implicari, sed subitaneum, quod vobis iam immi

net periculum, pro illius amore, quæ pro nobis passus est constanter & viriliter sustinete, vt cũ illo perenniter possitis permanere. Nec verba hæc finierat, & ecce furens paganorum multitudo armis irruit, ac sanctorum corpora fęlici cede cruentauit. Sic sanctus pater Bonifacius vna cum sociis suis martyrii corona laureati, animas fęlices cęlis inserendas, anno dominicę incarnationis.755. domino obtulerunt vltimum, & maximum opus misericordiæ consummantes. Quantis autem miraculis viri Dei merita in lictorum isto rum alterna cede, librorum dispersorũ conseruatione, & specialiter vnius incisione &c. in gloriosa sepultura, primo in Traiecta in Fulda, ac multiplici visione, quibus beato Lullo successori suo, ac cuidam Osperto venerabili diacono se manifestauit, cæterisq; beneficiis fuerint declarata, nunc reticere oportet. Dumtaxat admonitos nos esse oportet, ne tanti patris impensæ pietatis, & misericordiæ, qua verbo pdicationis nos primo Christo genuit, salutaribus exemplis fouit, ac tandem etiam sanguine suo quæcunq; docuit confirmauit, obliuiscamur, ne quod peius est, moribus contradicamus, sed eũ omni veneratione, vt patrem amplectamur, laudemus, gratias referentes, eius doctrinas quæ sua institutione vsq; in hodiernũ diem auribus nostris in hac sancta ecclesia inculcantur, cordi imprimamus, vitã imitemur, quatenus quẽ in terris habuimus spiritualem in fide Christi genitorem, ad eum toto corde in omnibus necessitatibus nostris confugientes, habere mereamur patronũ, & fidelissimum defensorem, & qui misericors fuerit in terris, sua misericordia defensos non cessat promouere ad contubernium beatorum. Quod eius præcibus concedere dignetur Christus dominus cum patre, & spiritusancto in sæcula benedictus: Amen.

## DE SANCTO IOANNE Baptista Serm. I. in ordine. XVIII.



QVIS PVTAS puer iste erit? Luc. I. Congregauit nos hodiernę diei pręclara natiuitas, qua natum sanctum Ioannem Christi Domini præcursorem catholicę ecclesiæ veridica testatur auctoritas In aliis sanctis, & electis Dei illa dies colitur, quo illos per consummationẽ laborum, & deuictum triumphatumq; mundum, in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturiuit. In aliis consummata vltimi diei merita celebrantur. In hoc etiam ipsa hominis initia festiuantur. Cuius rationem beatus Aug. assignat di. Quare natiuitatẽ Ioannis ex vtero potius celebramus, quã cuiuslibet Apostoli, martyris, prophetę vel patriarchę? Hæc causa est. Discipuli domini nati, & per ætatis accessum ad annos capaciores perducti, in discipulatum assumpti sunt, illorum postea fides domino adhæsit, sed nullius eorũ natiuitas domino militauit. Recordemur prophetas. Recolamus patriarchas, nati sunt omnes, ætatis accessu impleti spiritusancto, prophetarunt Christum, nati sunt vt prophetarent. Ioannes autem dominum ipsa natiuitate prophetauit, quem conceptum in vtero salutauit. Hæc ille. Idcirco enim eius natiuitas multa miraculorum sub limitate refulget, quatenus mirabilem virginis partum, mirabiliter natus ostẽderet, vt dicit Maximus in ser. Et sicut in Helisabet sterilitas vincitur, ita in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Nam Ioannem sterilis peperit, Christum verò virgo concepit. Hæc & multa alia miracula, quibus beatissimi præcursoris sanctificabatur natiuitas, vicinus perpendens populus, magnum puerum illum futurum cognouerunt.

Ioannis natiuitas.

Cur celebratur, aliorum mors.

rũt. Sicut & huius natiuitatis Gabriel Angelus nuncius testatus erat, dicens. Erit magnus coram domino Vnde insolitæ rei magna admiratione stupefactus (referente Luca) factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudeæ diuulgabantur omnia verba hęc. Et posuerũt omnes, qui audierant in corde suo, in vocemq; admirantis quæstionis proruperunt singuli dicẽtes. Quisputas puer iste erit? De quibus vt aliqd digne dicatur &c. Aue Ma.

Verba ista in sacratissima præcursoris domini natiuitate, a mirantibus turbis prolata, tria in beatissimo paruulo excellenter commendabilia in se claudunt, scilicet.

Admirandę rei nouitatem.
Nati præcursoris puritatem.
Excellentiæ singularitatem.

Ioannis natiuitas tripliciter cõmẽdatur.

Primum tangitur in verbo quęsitiuo. Quisputas, quod cum quæstione importat admirationẽ, sicut ibi. Quisputas est fidelis seruus? Luc. 12. Secundũ in verbo puer. Hinc de Iosia dicitur: Cum adhuc puer esset, cepit quęrere dominum. 1. Paral. 34. Nã & Nabuchdonosor introduci iussit pueros sine macula. Dan. 1. Tertium in verbo iste, quo in demonstratione rei singulariter excellentis vtimur, sicut ibi: Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suę, dicitur de Christo Esa. 63. Commendatur primò beatissimi paruuli natiuitas ex miraculosæ rei nouitate. Apparuerũt enim diuinæ virtutis miracula in patre, matre, ac paruulo.

In Ioannis patre miraculũ de angelica allocutione.

In patre quidem apparuit miraculũ angelica allocutio, quoniam angelica allocutione cum in sacratiore loco incensum poneret, populo foris orante promissionem accepit de accipiendo filio, quem dudum orationibus postulabat, neq; modicæ dignitatis fuerat miraculum (vt vult Aug.) quia ab eodem angelo nunciatus erat Ioannes, qui & Christus. Gabrielem namq; scimus ad virginem missum, & hic idem Zachariæ apparuit. Ego inquit sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euãgelizare. Lu. 1. Fuit secundò miraculum patris increduli castigatio. Audito namq; iocundissimo Gabrielis promisso, pater Zacharias cogitare primitus cepit emersum, seu emensum suæ tempus ętatis, ut August. in ser. ait. Deinde Helisabet infęcundæ comparis suæ, iam in senium dierum procliuitatem vergentis, geminaq; dubitatione ꝑmotus, ait Archangelo. Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. q. d. mihi impossibile videtur tuæ pollicitationis assertio. Quomodo ex marito sene decrepita anus, & sterilis potest concipere? Ea propter, quia sermoni ex ore angeli procedenti non credidit, pater vocis voce priuatur, & tamdiu vltionis sentẽtia durauit in patre, quamdiu vox verbi nasceretur ex matre. Pater vocis Zacharias, vox verbi Ioãnes, verbum, Christus. Et hoc est, quod per angelũ sibi dicitur. Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsq; in diẽ, quo hęc fiant, eo ꝙ non credidisti verbis meis.

Erat & miraculum tertio in patre, gratiosa compeditæ linguę solutio, filio iam nato. Cum enim octauo natiuitatis die de nominis impositione alter caretet, muto patri innuebant, quomodo vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit dicens. Ioannes est nomen eius. Apertum est autem ilico os Zachariæ, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum, vbi thema. De quo beatus Maximus in sermone ita ait. Os quod angelus clausit, promissus ab angelo filius reserauit, vt agnosceret anxius senex per eum se sibi redditum, quem de se non crediderat nasciturum nec dubitaret vltra celitus illũ, vel promissum vel natũ, cuius causa & amisisse probatur, & recepisse sermonem.

In Ioannis matre tria miracula.

In matre similiter tria fuere miracula. Primum sterilitatis obbrobrij ablatio. Secundum senio marcescentis fęcundatio, & tertium prophetica vtriusque parentis illustratio. De primis duobus ait Luc. &

non

non erat illis filius, eo q Helisabet esset sterilis, quo ad primum, & ambo processissent in diebus suis, processissent transgrediendo tempus naturali conceptioni congruum. De quo Beda in hom. de vigi. huius festi ait. Diuinitus est procuratum, vt sterili matre,& vtroq; parente prouectioris ætatis Ioãnes nasceretur quatenus etiam ipso ortus eius miraculo patesceret, virũ magnæ virtutis futurum esse, qui nascebatur vbi desinente omni lasciuia concupiscentiæ carnalis constaret,quia nulla in conceptione voluptas sed sola cogitata sit spiritualis gratia prolis. Steriles quidem corpore Baptista,sed fecundos semper mente habuit parentes. De quibus euangelista dicit. Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine quærela. De prophetica verò vtriusq; illustratione parentis apertè euangelista loquitur. Nam de patre dicit q impletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens. Benedictus dominus &c. Et mater Helisabet adueniente matre Virgine, quomodo in hanc vocem prorupisset exclamando: Vnde mihi hoc vt veniat mater domini mei ad me? Et iterum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui, nisi de secretissimo incarnationis mysterio, quod adhuc homines, & angelos latuit, à spiritu sancto fuisset edocta. Hinc Lucas ait. Repleta est sancto spiritu Helisabet, & exclamauit voce magna dicens Benedicta tu &c. Prophetauit deniq; Helisabet, cum de nomine nati paruuli sciscitata respondit. Ioannes est nomen eius. Vbi Amb. super Lu. Mater per prophetiam didicit, quod non didicerat à marito &c.

In paruulo demum tortuplex cognoscimus miraculum, purgatus nanque fuit adhuc manens in vtero, & infusa gratia sanctificatus. Sicut prædixit angelus: Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et in eius figura Hiere. 1. dicitur. Antequam exires de ventre sanctificaui te De quo etiam Beda in Homil. vigil. huius festi. Etsi vt homo in iniquitatibus conceptus & contra morem tamen humanæ conditionis, non in delictis præuaricationis sed in gratia remissionis mater sua peperit Neq; enim dubitandum est, quin spiritussanctus, qui eum repleuit etiam à peccatis omnibus absoluit. Constat quippe veridica patrum sentẽtia, quin lege non astringitur spiritussancti donum, & propterea qui Cornelium, ac domum eius ante baptismi perceptionem sua gratia consecrauit, ipse vtiq; Ioannem non solum ante circuncisionem, sed ante natiuitatem eiusdem gratiæ munere perfudit. Hæc ille.

Grande quoq; fuit secũdò miraculũ vt contra naturæ iura adhuc in vtero positus, sui saluatoris præsentiam cognouit, & quem non poterat loquendo prophetauit gratulando. Exultauit, inquit Helisabet, infans in vtero, neq; exultasset de eius presentia, nisi eum cognouisset, cum amari nequeat incognitum, secundum Aug. 10. de Trini. Hinc beatus Maximus in ser. exclamat; Verè hic, inquit, omnium beatissimus paruulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse saluatorem mundi, quem necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelabat. Nemo ignorat omnem paruulorum materno ab vtero prodeuntem, inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus, solus Baptista Domini vltra legem nascentium, natiuitatem suam letitię exultatione præuenit. Nec minus gratiosum, admirandumq; extitit tertiò, q imponendum præcursori nomen, non ab homine, sed a Deo per angelũ intimatur. Inquit enim Gabriel: Vocabis nomen eius Ioannem. Vnde venerabilis Beda in Hom. vigi. Magnę laudis est, & virtutis indicium, quoties in scripturis hominibus a Deo nomen imponitur, vel mutatur. Bene autem præcursor redemptoris nostri Ioannes vocari iubetur. Ioannes quippe Domini gratia, siue in quo est gratia, dicitur, quia & ipse speciale præ cęteris sanctis eiusdem præcursoris gratiam accepit, & inauditam catenus mundo cælestis

lestis ingressus gratiam prędicare aduenit. Qui ergo & gratia plenus extitit,& cæteris gratiam Dei euangelizauit, rectè præconium gratiæ ipso etiā suo nomine præsignauit. Hæc itaq; mira in præcursoris initio exhibita, magnitudinem eius futuram pariter, & timorem cunctis cognoscentibus incusserunt. Vnde non sine causa admiratione affecti quæsierunt: Quis putas puer iste erit?

Ioannis puritas.

Secundò principali tangitur in verbis thematis, nati præcursoris puritas, quia puer. Sunt namq; (ait metrista) pueri puri, parui, paruisq; cibantur. Puri idest innocentes contra malitiā. Hinc Apostolus ait. 1.Cor. 4. Malitia paruuli estote. Paruuli.i. humiles contra superbiam. Mat. 18. Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior erit in regno cœlorum. Paruis cibantur, contra voluptuosos. Hinc 1.Cor. 3. dicit apostolus: Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Hæc autem excellentissimè fuere in Baptista.

Ioannes conseruator maxim' innocentiæ.

Fuit inquam maximus conseruator innocentiæ, quoniam per gratiam in vtero acceptam innocentiæ amator fuit, ꝙ toto tempore vitæ nunquam mortale commisit, & ne leue saltem maculare vitam famine posset, petiit antra deserti, teneris sub annis fugiens ciuium turmas. Vnde Luc. 1. dicitur. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu,& erat in desertis locis vsq; in diem ostensionis suæ ad Israel. Puer de pontificali progenie editus, cui prę latio hæreditario iure debebatur. De huius innocentia Aug. in ser. de decollatione eius dicit. Quis nostrum dicere audeat Ioannem actu, dicto, habitu, vel victu peccasse? Cuius austeritatem indumenti, cuius parsimoniam alimenti euangelica intonat historia, cuius omne, quod loquitur, aut veritati testimonium reddit, aut eos, qui contradicunt, redarguit, cuius iusticiæ opera etiam qui non amabant, venerationi habebant. Quis in eius præcordiis peccatorum poterat esse locus, quem ante eius natiuitatem spiritussancti consecrauerat aduentus, qui ab ineunte pueritia vitam solitariam per egit? Fuit quoque eximia humilitate puerulus, quoniam cum tanta vitæ sanctitate floreret, vt a populo Christus putaretur, nedum se minorem, & valde minorem superiore, quod est necessitatis, & primus humilitatis grad' sed etiam paribus se minorem, quod perfectius est, & longè se inferioribus asserebat, quod totius humilitatis est perfectius. Ideo enim se negabat Christum. Ioan. 1. immo se indignum dixit vt solueret corrigiam vestimenti eius. Negauit se esse Heliam, hoc est sibi parem, in cuius tamen spiritu, & virtute præbuit, domino teste. & si vultis scire helias venit, & cognouerunt discipuli quia loqueretur de Ioanne Baptista. Matt. 17. immo negauit se esse prophetam, qui tamen omnes eo minores fuerunt. Requisitus enim, propheta es tu? Respondit, non. Et quoniam voce nihil vilius (quoniam res est successiua, nullius permanentiæ) ideò ait: Ego vox clamantis in deserto Io. 1. Et quia se sub omnibus humiliauit, meruit super omnes exaltari. Fuit etiam paruulus victu, & amictu, quoniam tanta victus tenuitate, & vestitus asperitate se castigauit, vt vitæ eius rigor humanam videretur excessisse conditionē. Nec aliquis aliorum sanctorū ve. te. aut no. legitur tanta austeritate se Deo ab ineunte ætate victimasse. Habitatio inquam eius desertum erat: vestitus cilicium de pilis camelorum graue,& asperum,& zona pellicea, qua se præcinxit. Mar. 1. quibus magis corpus conteritur quam fouetur. Cibus fuit locustæ, & mel Syluestre. Locustæ secundum Raba. animalia sunt parua per modum saltus volantia, & ideò facile in herbis capiuntur, quę frixa in oleo, pauperum præbent victum. Mel Syluestre secundum eundem folia sunt lata,& rotunda lactei coloris, quæ cō fricata melleum habent saporem. Vel vt alii dicunt, est mel verum, quod in truncis arborum in syluis reperitur.

Ioannes humillimus.

Locustæ quibus Ioannes pascebātur.

Potus

Potus verò nec vinum nec sycera, siue quodcunq; inebriatiuum. Sic viuebat vt viam domini (viam vtiq; pęnitentiæ) non modo clamando, sed priusagẽdo, ac ope demonstrando præparauit in æremo. Totum quod erat in eo pęnitentiam prædicabat, locus, quia æremum, habitus, quia cilicium, cibus, quia locustæ, & mel syluestre, potus, quia aqua, sermo, quoniam prædicationem suam sic inchoabat. Pęnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorum. De his tribus saluator ipse puerum nostrũ commendat. Matt. 11. causa ait: Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam? quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis plus, quam prophetam. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui molli. vest. in do. regum sunt. Non enim fuit Ioannes arundo quolibet inconstantiæ vento agitata, sed innocentiæ immobilis conseruator, quo ad primum. Fuit plꝰ quam propheta, propter nimiam suã humilitatem. Prophetarum propria ẽ humilitas, quia nihil a se, sed totum lumen propheticum à Deo sciunt se accepisse, idcirco non gloriantur, quasi non acceperint. Fugit mollia, asperrimis se afflixit, quo ad tertium. Ecce quantis laboribus vitæ puritatem conseruauit. Quod videns populus, non immerito admiratiuè interrogauit. Quis putas puer iste erit?

Ioannes a Christo comẽdatus.

Tertiò principaliter notatur in verbis thematis, præcursoris domini excellentia singularis in pronomine iste. Ipse enim est propheta in vtero sanctificatus, de mulieribus natorum maximus, verbo patri propinquissimus, quia vox verbi. Et vt Ber. in hodierna hom. ait, tanta est vitæ eius sublimitas, vt quicquid illo sublimius est, hoc etiam hominis naturam transcendere dubiũ non sit. Horum autem deductionem rescindo gratia breuitatis.

Ioannis excellentia in ꝓnomine iste.

Sed est charissimi in prædictis quod attentè consyderatum ad nostram cedit emendationem. Audiuimus enim parentes Ioannis steriles fuisse corpore, sed fęcundos mente, ideò meruisse prolem à Deo Ioannem. Nos itaq; eos imitemur vt Ioannem idest gratiã Dei in nobis, non ex nobis, sed diuino, munere accipiamus. Habemus quidem in nobis Zachariam, habemus & Helisabeth Zacharias ratio. Helisabet voluntas. Et bene Zacharias memoria dicitur, quia eius officium est exquirere, & excogitare vnde voluntas satiat suum desiderium. Item rationis est cognoscere, voluntatis desyderare. Vel sic Zacharias memorans dominum interpretatur, quod ad intellectum pertinet. Helisabet Dei saturitas dicitur, & hoc propriè est affectus. Satiare est satis agere desideriis. Et rectè Helisabet mulier, Zacharias vir, siue maritus est, quoniam voluntas in nullum actũ potest nisi fęcundetur ab intellectu, neque enim aliquid amatur, nisi cognitũ Similiter nec oditur incognitum. Hæc mulier sterilis est ex se, quoniam nullum vitale opus idest meritorium ex suis naturalibus parturire potest. Non enim sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis. 2. Cor. 3. Et licet frequenter coniungantur intellectus, & voluntas, non tamen sequitur fructus, quoniam intellectus curiosis, ista voluptuosis intendit, ex quibus nullus fructus vitæ, sed corruptionis nascitur, quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem Gal. 6. Quæ licet sic in diebus suis sine fructu processerunt, nonnunquam tamen mittitur angelus Zachariæ, ꝙ vtiq; fit quoties animus diuini verbi auditione, lectione, aut alicuius boni instinctus immissione, ad diuina, & salutaria rememoranda mouetur, ac fructus vitæ promittitur. Sed quia nonnunquam vt Aug. ait præuolat intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus. Scibus bonum, nec delectat agere peccatores quoq; verbis diuinis increduli, de emendatione suæ vitæ desperant, dum inolitam consuetudinem, & iam in naturam versam mutare se timent non posse, muti efficiuntur quia neq; ad laudes Dei, neq; ad peccatorum

Ioannis parẽtes nobis ad emendationem Christũ

rum

rum suorum confessionem ora aperiũt. Si tamen suum imperfectum consyderant, ad Deum suspirant, & intellectus cogitationes de vitæ emendatione, ac diuinorum mandatorum obseruatione voluntati præsentat, ipsam ad vitæ spiritualis perfectionem tendere debere dictat, voluntasq; idipsum posse desyderat, optans cum propheta: Concupiui desyderare iustificationes tuas. Iam Zacharias cum Helisabet pro spiritualis prolis conceptione copulatur, hunc tamen ex se habere (vt dictum est) nequeunt, sed munere Dei Ioannem idest gratiam Dei, per quam fructus innumeros edere possunt, accipiunt saluare nanque apud homines impossibile est, omnia autem possibilia sunt apud Deum. Matth. 19. Conceptæ prolis signum est, dum vt prægnantibus accidit, quæ prius sapida fuere, puta carnalia, iam fiunt insipida generatur autem, & quasi in publicam lucem funditur, cum iam etiam opere exteriori bonum conceptum propositum per gratiam adimpletur. Tunc quoque os Zachariæ aperitur, & lingua soluitur ad benedicendum dominum, & beneficia magnificandum, peccata sua confitendum, & cetera, quæ salutis sunt proferendum, hac autem prole ipsi innouamur, & nouo homine qui secundum Christum formatus est, induimur, secundum apostolum. Itaque quasi modo geniti infantes, sine omni dolo puerum Ioannem imitemur. Imitemur eius Innocentiam, humilitatem, & pęnitentiæ viam, mollia refutantes, aspera amplexantes, vt sic corpus castigatum in seruitutem spiritus redigatur, scientes quia quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis &c.

## IN NATIVITATE Ioann. Bapt. Sermo II. in ordine. XIX.

ILLE erat lucerna ardens, & lucens: Ioan 5

Magnitudinem singularis hodiernæ festiuitatis sacra euangelii autoritas multipliciter recõmẽdat, in qua Baptista Christi Ioan. paruulorũ beatissim⁹, sterili ab vtero natus, cęlestia mundo gaudia euexit secũdũ angelicã promissionẽ In natiuitate ei⁹ multi gaudebũt Lu. 1 Et merito in natiuitate eius gaudẽt fideles, in quo luct⁹ in gaudiũ veterani in exultationẽ lamentũ noscitur fore versum. Hinc in ser. Maximus ait: Nullus ignorat charissimi omnẽ paruulum materno ab vtero prodeuntem inter ipsa lucis exordia męstis concrepare [illegible]us, solus Baptista domini vltra legem n[illegible] centium natiuitatem suã lęticiæ exultatione præuenit. Merito iterũ gaudẽt fideles, quoniam hodie singularis ille Lucifer, solis iustitiæ pcursor, vox ve[illegible], lucerna veræ lucis, mundo ignorantiæ, ac peccatorũ caligine obcęcato, diem redẽptionis, & grę sicut prius prędic[illegible], ita natiuitate mirabili n[illegible] Siquidem va[illegible] decuit, vt sa[illegible] de matre st[illegible] nasceretur qui fęcu[illegible]tem Virginis reuelabat, quaten[illegible]us mi[illegible]abilẽ partũ mirabiliter [illegible] ostenderet. Et verè mirabiliter nat⁹, q̃a non secundũ carnem de Ancilla, sed p repromissionẽ de steri[illegible] Helisabet sicut olim sanctus ille Isaac de Sara est co[illegible]us, sed in vtero sanctificat⁹, sed ga[illegible]io, & exultatione psonali saluatoris psentia pfusus, & nõ sine miraculorũ multitudine hodierna die in lucẽ mũdi editus. Quorũ mirabilium magnitudinẽ parentes, & va[illegible] consyderantes pariter & oẽs, q audierũt, in corde suo dicebãt. Quis putas puer iste erit? etenim man⁹ dñi erat cũ illo. Iã .n. nouerunt impleri in illo, q̃ prædictũ erat prius ab angelo, hic erit magn⁹ corã dño. Magn⁹ erat in ortu, magn⁹ in exercitio, magn⁹ in pdicationis verbo. Quæ omnia breui

sermo.

sermone dominus comprehendens ait: Ille erat lucer. ar.& lu. De quibus &c. pro gratia Aue Ma.

Ioannis Baptistę laudes a domino edicunt. Illo erat lucerna ardens, & lucens. Laudes dominici præcursoris beatissimi Ioannis Baptistæ [illegible] quis hominum edicere præsumat? cũ prius, quam ille conciperetur, non homo, sed spiritus angelicus idest qui Christi Conceptionem [illegible], præconizare missus est. Nec hæc satis fuisse visum ẽ, nisi etiam ipsa veritas hũc eximiis laudibus repetitis vicibus commendaret. Nunc eum fluctuantibus in mundo populis, nunc patribus præferens,& prophetis ait, etiam plus quã propheta. Et nunc cunctis [illegible] natis contestans præeminentiam. Amen inquit dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne bapt. Nunc autem transcendens hominibus, etiam inter angelos ponere demõstrat enim ait: Hic est, de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit viã tu. ante te. Dicens meum, quasi non haberet aliũ angelum, eminentiam huius insinuat sicut de filio, quem magis diligit mater, dicit, hic est meus filius. Verum qui patris [illegible], atq; ad [illegible] dandum [illegible] ntiam simul ad prophe[illegible] aperuit, potens est, & nobis dare, vnde [illegible] aliquid de magnis, p[illegible] multis loquamur. Admirabilem ergo huius beatissimi paruuli ingressum pariter, & progressum in vita, ac doctrina in his verbis [illegible] dominus designauit.

Ioannes quomodo dicatur lucerna. Erat nanq; lucerna in eius mirabili natiuitate ardens in singulari conuersatione, lucens in strenua prædicatione Lucerna quippe [illegible] lumen non habet, sed lucem in se [illegible] det, & lucet, [illegible] Ioannes non [illegible] vera, quæ [illegible] omnem hominem venientem in hunc mundum, [illegible] lucerna ab eadem luce mirifice illuminata, & hoc prius [illegible] nasceretur, sicut testatur archangelus Gabriel: Spiritusancto replebitur ex vtero matris suæ, propter quod etiam præfulgida eius natiuitas multis præcedentibus, sequentibusq; claruit miraculis, de quibus præcedenti anno aliquid dictũ recolo, ideò nunc de isto supersedeo, De secundo paululum locuturus.

Ioannes vtriusq; vitæ apicem tenuit. In progressu siquidem vitæ suæ ardens fuit,& lucens. Testantur vtriusq; testamenti figuræ atq; patrum sententiæ, duas esse vitas in quibus humana conuersatio viatorum actitatur. Contemplatiua s. & Actiua. Ad contemplatiuam secundum Greg hom. 14. in Ezech. pertinet charitatem Dei, & proximi mente tenere, sed ab exteriori actione quiescere soli desyderio conditoris inhærere; vt nil iam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndum faciem conditoris inardescere &c. Ad actiuam autem, panem esurienti tribuere, verbo sapientię nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximũ reuocare infirmitatis curã gerere, quæ singulis quibusq; expediant dispensare Vtriusq; vitæ apicem tenuit, per contemplatiuam meditando, [illegible] per actiuam prædicando [illegible] Primum contemplatiuæ i[illegible]. Neq; enim opus habebat per vitam actiuam paulatim à peccatis recedere, & sic tandẽ per longum exercitium actionis tendere ad contemplationem In vtero siquidem illuminatus est prius quam natus, neque peccatorum in eius præcordiis poterat esse locus, quem [illegible] natiuitatem spiritus[illegible] aduentus, vt ait [illegible] & ita prius renatus quam natus: secundum Greg. 3. moral. Sicut enim ceteris secundum legem communem in baptismo, sic Ioãni ex speciali priuilegio dimissum est originale in matris [illegible] charitas infusa, q[illegible] me d[illegible] ante ita Deo [illegible] vt nunquã mortalem culpã [illegible] ret, vt vult Aug. [illegible] de decol [illegible]. & Bonau in 3. Quinimmo vt purius Deo contemplãdo inhęreret, omnem populi tumultu, frequentiamq; venialium vitaret, mundum nedum mente, sed & corpore reliquit.

liquit. Nam teneris adhuc sub annis, a[illegible] petiit deserti, ciuium turmas, fug[i]ens, ne ledi saltem famine vitam posset maculare. Sic enim scribitur, Luc. 1. Puer erat in desertis locis vsq; ad tempus ostensionis suæ ad Israel, vbi humano solatio caruit. Atque ne vel in modico caro spiritui rebellare assueta titillaret, hanc durissimis castigationib[us], & ab[sti]ne[nti]is perdomuit, [illegible] sámq; mortificando [spiritui servire] compellebat. Nam Matt. 3. vestis eius erat de pilis camelorum dura, & aspera, corpus virgineum magis conterens quam fouens, cingulus zona erat pellicea, de cute scilicet cruda mortui ani malis, [es]ca eius Locustæ, & [mel sylue]stre. [Potus] vero nec vinum, nec sycera, sed a[qu]a [illegible]rmix[ta] [illegible]. Quantò autem magis [illegible] [la]cerabat, tanto amplius [spirit]u confortabatur, quia crescebat puer, & confortabatur spiritu. Luc. 1. Sic c[arne] mortificata, mundo [illegible]crato, [illegible] De[illegible] ad tem pu[illegible] in suæ [illegible] dimenti[illegible] [illegible]t. Cuius om[illegible] [illegible]ta [illegible] [illegible], sed etiam exterior tanta san[ctitate] pollebat, omnesq; suos p[r]æce[ssore]s amicos Dei, Patriarchas, & Prophetas excellebat, ita, vt propter singularem vitæ suæ austeritatem existimaret popul[us], & omnes cogitarent, ne fortè ipse esset Christus. Luc. 3. Nam austeritatis vitam in exterioribus [du]xit quam dominus ipse, sicut Iudæ[is] improperat d[om]inus Mar. 11. Ven[it] (inquit) Ioa[nnes] non manducans, n[eque] bibens, & dicunt demonium habet. V[eni]t filius hominis manducans, & bi[bens] & dicunt ecce [homo vor]ax, potator [vi]ni, publican[orum] & peccatorum [am]icus.

[illegible] hic quæstio non inutilis. [illegible] Ioan. a[n]te faci[em] do- *Ioannes cur vitã tam austeram duxerit.* mini præire venerat, & parare [viam] eius, cur tam austeram [vitam] dux[erit] nec saluator noster eum in hoc [se]q[uutus est]? Siquidem contraria via videtur sa[lu]ator incess[i]sse, in [ci]uitatibus, & villis habitauit [cum] homin[ibus c]onuersatus, manduca[uit], & bibit, n[on] publica-

norum mensam spreuit. Verum ne in hoc sanctus Ioannes etiam Christum sanctitate vici[sse] [illegible] quæstioni indubitanter respon[de]ndum est, Christum d[ominum] nostrum nedum secun[dum] [illegible]a m naturam, cui omnino nihil [illegible]m comparari pot[e]st sed etiã secundum humanam incomparabiliter in omni vitæ s[a]nctitate, & perfectione non solum b[eati]ssimum Ioannem, Virginé glor[iosissimam], & o[mne]s electos Dei sed etiam angel[i]cos spiritus in terra existens, præcessisse. Nam Christus in terris ambulans, non modo viator, sed verus fuit comprehensor. Omnes perfectiones non viæ, sed patriæ habuit, easd[em] [illegible] animam quas hodie h[abe]t in [illegible] Matth. 11. Qui [illegible] e[st] in regno cælorum, maior est ille, [illegible] secundum actum, non secundũ h[abit]um gratiæ vel charitatis, quia in[illegible] t[illegible] [vi]det in patria, & fruitur intensius [illegible], quam viator non videns. Habuit enim ab instanti Conceptio[ni]s summa[illegible] [illegible] beatificam v[illegible], & fruitionem, summam sapientiam, in omnibus [illegible]rationibus s[e]mper [p]unctual[illegible] te[illegible]t virt[illegible], nunquam de[illegible]ans ad defectum, [ve]l excessum, sicut colligitur ex Magi[str]o in 3. [illegible] enim [illegible] accepit non ad[illegible]. Ideo & ipse Ioannes te[illegible] Christo perhibens, c[on]fiten[do] [se n]on esse Christum addidi[t] [illegible]um dignus [illegible] [illegible] [illegible]ame[n]ti eius. Ioa[n] 1. Verumtamen Chri[illegible] laxioris, non in [illegible]ctionis [vit]æ fuit. I[o]annes vero [illegible]. Sed vtrunq; ita o[r]di natum est [illegible] a di[sp]ensatione ad magnum p[illegible] hominum, & salutem.

Vtile enim nobis fuit valde, vt præcurs[or] domini tam excellentis sanctitatis foris appa[re]ret quatenus hominibus vehementer credibil[i]s appareret, & magnæ autoritatis esset super omnés suos præcessores; qui ad hoc missus fuit vt per suam prædicationem populum congregar[e]t populo congr[egat]o, Christi aduentum [illegible] ca[r]nem [illegible]

clare[t]

ciaret, ipsumq; iam venisse digito demonstraret: Viam baptizandi inchoaret, quatenus sic homines assuefaceret ad baptisma Christi, vt dicit magister lib. 4. dist. 2. Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem prophetarunt. Matt. 11. quia secundum Nico. de Ly. in lege, & pro phetis veritas de Christo erat sub figuris, & ænigmatibus tradita, sed à Ioãne manifestè onsa, dicente: Ecce agnus &c. Ioan. 10. Fuit etiam hæc vitæ austeritas beati Ioannis vtilis sibi. Nam cum purus viator esset per hoc meruit gratiæ, & charitatis augmentum, et iã gloriæ pro præmio recipiendæ, atq; facilius quibuscunq; tẽtatoris suggestionibus resistebat. Neq; putandum beatum Ioannem in deserto nũquam fuisse tentatum, cum etiam tentator ca[illegible] dus Christum accedere ausus est, vt habetur Matt. 4. Dominus vero, & saluator noster, qui venit in hunc mundum peccatores saluos facere 1. Timo. 1. seipsum dedit nobis. Eph. 5. nedum in incarnatione, & passione, sed in omni sua actione ita q; nihil egit in humana natura, quod non in nostram salutem ordi[illegible]auit, quemadmodum sępe audistis neque enim sibi augment[illegible]m grat[illegible]æ aut gloriæ per opera sua [illegible]ruit, sed omnem fructum operum suorum nobis contulit, [illegible]ic ergo vixit quomodo maxime nobis c[illegible] nouerat.

Congruebat au[illegible] laxior conuersatio Christi nob[illegible] [illegible]pter [illegible] qua[illegible] hæc sufficit. Primo vt [illegible]o, qui via est, ve[illegible] & vita Ioan. 14. doce[illegible] [illegible]les, quia licitum est talibus vti s. vestiri pa[illegible]s, morari [illegible]b tectis, vesci cibis licit[illegible] & perm[illegible] [illegible]mmodo ta[illegible] temperate, & c[illegible] benedictione vteremur, sicut apostolus ait. 1. ad Tim. 4. Omnis creatura bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarũ act[illegible]ne recipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Nouit dominus q; venturi erant hæreti[illegible], sicut apostolus vbi supra ait: Prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, q; dicentes etiam fi-

Christi vita laxior pp tria nobis congruebat.

deles tenuissimo cibo panis, & aquæ cõtenti esse deberent nec lautius se reficere possent sine peccato, quorum peruersum dogma vt suo exemplo confutaret (cuius omnis actio nostra est instructio) vsus est lautioribus cibis, quã Baptista.

Secundo propter fortiores, ne eum in vitæ illius a[illegible]itudine, qua Ioannes vixit imitante[illegible], seipsos destruerent, ac Deo inutiles redderent, atq; ne infirmi hoc non valentes, de sua salute desperarent. Hinc ipse ait, quo ad primos: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Matt. 11. Suo modo ad secundum ait Esa. 42. Calamum quassatum non confringet, & linum fum[illegible] [illegible] ex tinguet. Nunc a[illegible]em qui[illegible] ex terioribus v[illegible] p[illegible]ætulit, quæ [illegible]itabilis est, omnes a[illegible] [illegible]e allexit.

Tertiò ideò dominus duxit vitam laxiorem, sed excellentissimam interiorẽ vt per hoc doceret fideles suos, quia non est standum in [illegible]lis exterioribus, sed per ea t[illegible]ndere debemu[illegible] a[illegible] [illegible]erio ra, mag[illegible] [illegible]randum e[illegible] [illegible]bet fideli de a[illegible] [illegible]irtutibus, & bonis actibus interioribus, quam de exterioribus cerimon[illegible]s.

Exercitia enim exteriora, vt ieiunia vigilia, genuflexiones, vocales orationes, & cęterę corporis castigationes, instrumenta quædam sunt peruenien di ad illa interiora, neque de se bona sunt nisi ord[illegible]entur ad hunc finem, aut à bonis a[illegible]bus interioribus impe[illegible]entur. Sed interiores virtutes eti[illegible] fine illis, du[illegible]modo illæ sub præcepto nõ cadunt, [illegible]per sunt laudabiles. De hoc Bern super illud Ioan. Ego sum vitis vera, die[illegible]. Dilectissimi [illegible] [illegible]ora mus q; qua[illegible] die dominu[illegible] [illegible]iens, vidit iuxta [illegible] ficulneam [illegible] lata[illegible] & pa[illegible]am hab[illegible] & [illegible]orum [illegible]riditatem, & non inue[illegible] in ea fructum, maledixit ei, & sta[illegible] arefacta est. Matt. 21. Sic est [illegible]nis hypocrita, qui speciem sancti[illegible] habet, qui pollet sanctitate in ve[illegible], quam [illegible] habet in me[illegible]. Non enim alba, aut nigra cuculla, [illegible] a[illegible]ta tonsu-

Exercitia exteriora quo [illegible]na.

ra,

ra nec ampla corona, sed conscientia pura,& mentis munditia,abscectio voluntatis propriæ & charitas perfecta, monachum facit. Qui in mundo est, fugiat in claustrum, sed caueat ne ibi dormitet præ acedia tanquam piger,& nequam seruus,vita enim confert meritum,locus non facit sanctum,neq; in cœlo,neque in paradiso, & multo minus in mundo. In cęlo cecidit angelus sub præsentia deitatis. Adam in paradiso voluptatis. Iudas in mundo de schola saluatoris. Hæc ideò dixerim ne quisquis sibi de loco blandiatur, quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. & Grego. in homi. 9. Ezech. Si desit spiritus,non adiuuat locus. Nam Loth. in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Sic suo modo frustra quis sibi blanditur de sola corporis afflictione. Quid enim prodest affligere carnem, & non emendare mentem? Tale enim est secundum beatum Cesarien. ac si quis statuam faciat à foris auream, intus luteam, vel quomodo domus magnifica arte consecrata,a foris pulcherrimis coloribus depicta videatur, & ab intus serpentibus, & scorpionibus plena sit. Subdit, ieiunare, vigilare, & cętera exteriora exercere,& mores non corrigere, sic est,acsi aliquis extra vineam circũquaque nociua extirpet,vineam autem desertam,& incultam derelinquat,quæ insistente cultore fructus iucundissimos ferre potuisset. Clarissimè hoc docuit apostolus 1. Tim. quarto. Exercitatio inquit corporalis ad modicum vtilis est. Pietas autem vtilis est, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Per pietatem interiorem intelligit Dei cultum. Ideò neque dominus ait: Discite a me ieiunare vigilare, sed quia mitis sum, & humilis corde, non veste tantum nec verbo tantum, nec conuersatione tantum, sed corde Matth. 11 & Matt. 23.Vę vobis inquit scribæ,& pharisei,& hipocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & ciminum, & relinquitis, quæ grauiora sunt legis, Iudicium, Misericordiam, & Fidem. Super quo Orige. mentha, anethum,& ciminum ciborum condituræ sunt, non principales cibi. Sic in conuersatione nostra quædam necessaria sunt ad iustificationem, vt iudicium rectum, misericordia, & fides,ac ceteræ virtutes. Alia sunt quasi condientia actus nostros, & suauiores eos facientes, vt ieiunium, genuflexio, silentium & huiusmodi. Subdit: Quomodo autem non æstimantur ceci, qui non vident? quia nihil prodest esse obseruatorẽ in rebus minimis,cum principalia negligantur. Hos ergo præsens sermo Christi confudit,non quidem leuia,& illa exteriora prohibens seruare, sed principalia præcipiens cautius custodire. Suo modo confunduntur, qui neglectis præceptis, consilijs student obtemperare. Multa, & alia de hac materia dicenda proficerent, nisi prolixitas prohiberet. Curemus itaq; cum domino conscientiæ puritati intus inuigilare, ne vitiorum fęditatibus polluamur, & tunc vtile est cum beatissimo Ioanne exterius corpus macerare,quatenus sic esse mereamur lucerna intus per charitatem,& ceteras virtutes ardentes,& foris exterioribus exercitiis clarè lucentes. Quod eiusdem meritis nobis concedere dignetur Christus dominus noster cum patre, & filio in secula benedictus Amen. Tertia pars relinquitur.

## *DE SANCTO IOANNE Baptista. Sermo. III. in ordine. XX.*

MVLTOS filiorum Israel conuertet ad dominum Deum ipsorum. Luc. 1.

Natalem hodie beatissimi præcursoris aduentus Domini (qui de sterili matris vtero in quo spiritusancto repletus,dñi quã prophetauit, agnouit pręsentiã in lucẽ huius mundi, ipsum magis illuminaturus, processit) sancta ma- Ioannis Natiuitas lętifi cas ecclesiam.

ter ecclesia cum gaudio repræsentat. Et rectè cum gaudio, quia & hoc Zachariæ patri archangelus Gabriel,(dũ sanctissimi pueri conceptionem nunciauerat) præsignauit. Et multi (inquit) in natiuitate eius gaudebunt. Non omnes, sed multi, nam & multos, non omnes filiorum Israel conuersurus erat puer sanctus ad dominum Deum suũ. Nec sine causa in eius, & de eius natiuitate gaudent, qui per eius operam conuersi sunt ad summum bonum, fęlicitatem perfectam, finem omniũ dominum Deum suum. Vnde conuersi à tenebris ignorantiæ, ab vmbra mortis, a deuio erroris, a confusione perturbationis. Nam & de ipso verè dici potest verbum patris sui Zachariæ. Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. An non & ipse oriens ex alto? qui etsi de imo massę perditionis formatus opere naturæ, prodiit tamen ex alto diuinæ sapientię, ipsum prius quam fieret, eligentis (Priusquam te formarem in vtero noui te. Hierem. 1.) diuinæ potentiæ, sterilium naturam parentum adiuuantis, sanatis, & diuinæ bonitatis, ipsum in vtero priusquam nasceretur, sanctificantis, ac in prophetam dedicantis. Antequam exires de vulua sanctificaui te, inquit dominus, & prophetam in gentibus dedi te. Et angelus ad Zachariam, spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Ea propter dies ortus eius præter morem aliorum sanctorum festiuè celebratur, & quia non sicut ceteri natus est peccator, & quia sua natiuitate Christo seruiebat, & nobis, Christo, dum sua natiuitate mirabili ex sterili ventre testimonium perhibuit fęcunditati virginis mirabiliori, vt vult Maximus in sermone. Præcessit enim Christi natiuitatem tanquam matutinum sydus solem (ait Bern.) aut tanquam aurora diem, ne lux insperata, & in imo micans miraculo, mortalium oculos reuerberaret magis quam illustraret. Nobis autem quia per hanc pluribus decoratam miraculis factus est timor super omnes vicinos, & super omnia montana Iudeæ, & posuerunt omnes, qui audierunt in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? etenim manus domini erat cum illo, sicq; iam sua natiuitate non solum posteriori baptismo, & prędicatione multos filiorum Israel conuertit ad dominum Deum ipsorum. Pro gratia Aue ma.

Multos filiorum Israel beatissimus præcursor Ioannes conuertit ad dominum Deum triplici opere, natiuitate sua, conuersatione, & prædicatione. Nam per hęc in cordibus filiorũ Israel secundum carnem tunc existentium, & filiorum Israel secundum spiritum nunc præsentium, & futurorum, natiuitatem eius, conuersationem & prędicationem attendentium, relucere fecit diuinã bonitatem, sapientiã, & potentiã, quibus cognitis, & diligenter consyderatis conuersi sunt, conuertuntur, & cõuertentur ad dñm Deũ suum. Ex horũ nanq; consyderatione oriũtur oẽs ptes verę conuersionis, ac cultus diuini, vt visum est ser. proximo de sancta trini. Et licet hæ diuinę perfectiones coniunctim relucent in quolibet dictorũ triũ .s. natiuitate, conuersatione, & prædicatione, tamen per quãdam appropriationem in tanti prophetæ natiuitate singularius consyderatur diuina bonitas in conuersatione, sapiētia, & omnipotentia, in eius prędicatione, & in hotum declaratione stabit sermo presens. *Ioannes quot modis conuertit filios Israel.*

In natiuitate sanctissimi præcursoris domini diuina bonitas declaratur, qua saluti perditi generis humani recuperãdæ, post longã irã pater celestis appropinquauit mittendo præcursorẽ redemptoris nostri quasi angelum ante faciem eius, qui præpararet viam ante eum, vt longe ante promissum est per Malachiam prophetã eiusdem. 3. ca. & allegat saluator Matth. 11. Hinc nato Ioanne pater prophetico afflatus spiritu dominum benedicens ait: Benedictus dominus Deus Israel quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Fecit inquam *In Ioannis natiuitate quõ diuina bonitas declaratur.*

inquam dicit, quod de propinquo erat facturus,& iam facere cęperat. Sicut princeps aliquãdo dicitur venisse, qñ præcursores mittit,quos ex tẽplo sequitur: Et erexit cornu salutis nobis idest virtutem consequendi salutem æternã in domo Dauid pueri sui &c.Sequitur Et tu puer propheta altis. voca. præibis enim ante faciem domini pa. vias eius.Ad dandam scientiam sa.ple.eius. Per vis. mise.De. no. in quibus vi.nos ori. ex alto. Ecce quomodo opus hoc ascribit propheta intimæ, & occultæ misericordiæ Dei quæ est ipsa bonitas vel quasi effectus proximus bonitatis. Neq; hoc opus nostræ redemptionis (cuius initium fuit missio præcursoris) ascribi poterat veritati,& iustitię sicut bonitati, & misericordiæ, quia nullis nostris meritis, sed sola sua bonitate, & misericordia actum est sicut dicit apostolus ad Titum. 2. Apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei,non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit. Venit enim quando iam pęnè omnis caro corruperat viam suam vix inueniens fidem super terram,dum peccatorũ nox in cursu suo erat, dum cessauit visio, & prophetia. Ideò rectè multi gaudebant in natiuitate pręcursoris,vnde de Dei bonitate nunc clarius radiante,qua certissimum non modo nuncium,sed pręcursorem,& introductorem salutis nostræ Christi susceperant.Siquidem de nullo gaudetur nisi sub ratione boni. Hinc multa beneficiosa miracula in præcursoris sua natiuitate dominus ostendit: In patre, matre & puero. In patre,cui sui incarnationis initium Gabrielem archangelum misit, ligatam linguam soluit, atq; prophetam constituit. In matre,cuius opprobrium sterilitatis senilibus in annis supra naturam auferens prole beatissima fęcundauit:prophetico spiritu sicut & Zachariam illustrauit, vnigeniti sui verbi incarnati gestatricis Mariæ Virginis obsequiis longi temporis honorauit.

*In Ioannis natiuitate multa miracula.*

Filium verò beatissimum Ioannem in vtero sua præsentia, ac visitatione sanctificauit ac spiritu sancto repleuit. Nomen Ioannes quod sonat, in quo est gratia Dei,secundum suam dignitatem imposuit,vt supra sermone primo patuit, & sanctitatis eius famam per omnes Iudeæ fines declarauit, dicentibus cunctis cum admiratione:Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo.His itaq; aliisq; miraculosis beneficiis diuinæ bonitatis effectibus in sua natiuitate apparentibus beatissimus puer Ioannes multos filiorum Israel conuertit ad dominum Deum suum, cuius misericordem bonitatem tot miris indicijs agnouerunt.

In conuersatione vero sua & vita perfecta, sapientiam diuinam cunctis eam intuentibus puer sanctissimus (immo vir perfectus) demonstrauit, nam dum gubernatrici omnia reliquit, soli diuinæ prouidentiæ se commisit, iã ad omnia se extendere Dei (præscius sententiæ apostolicæ omnem sollicitudinem in eũ proijciẽtes,quoniã ipsi cura est de vobis. 1. Pet. 5. conformiter ad verba Christi Matt. 6. Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? scit enim pater vester,quia his omnibus indigentis) sapientiam facto publicè proclamauit. Dum deniq; nõ sine meritis proprijs vana quadam præsumptione futuram beatitudinem expectauit,media certa à diuina sapientia ad beatifici finis consecutionem ordinata, quibus ipse ambulauerat, demonstrauit. Hoc .n. diuinę est sapientiæ quæ (vt sapiens Philo ait Sap 8.)attingit a fine ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter secundum propriam.s. inclinatione media efficacia ad finẽ præfigendo. Quæ quia hominem arbitrii libertate super omnes corporeas creaturas nobilitauit hanc ei non abstulit, sed suæ optioni finem duplicem obtulit, sicut in Ecclesiastico scriptum est. c. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu cõsilij sui,apposuit tibi aquam,& ignẽ, ad quod volueris,

*Ioannes in conuersatione sanctissim*.*

porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi, quoniam multa sapientia Dei, videns omnes sine intermissione. Dabitur illi inquit, sed non sine sua cooperatione, qua per certa media ad hoc, quod elegerit, collaborat. Huic permiserat, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata seruare, cōseruabunt te. Hæc enim vna cum consiliis quasi media præfixit patris sapientia ad vitam consequendā. Quæ autem sint illa tam mandata, q̄ consilia, & quasi conatu obseruanda: Ioannis vita, qua viam non solū osten dit ad vitam, sed præparauit ante dn̄m nobis loquatur. Quomodo vixit? quid egit? reliquit certè mundum, transijt in desertum locū, de delitijs ad austeritatem, de diuitijs ad paupertatem, de sericis ad ciliciū, de epulis ad ieiunium, de soporibus ad vigilias, de gaudio ad lachrymas, de fabulis ad silentium, de iocis ad serium, de totius mundi consolatione ad pœnitentiæ lamentū. Sic sic pœnitentiam, quam prædicauit, prius vita sua exemplauit solitudinis loco, labore, pastu, vestitu. Nam deserti vastitatem, laboris austeritatem, asperitatem indumenti, parsimoniam alimenti, euangelica intonat historia. De quibus etiam beatus Bern. in sermone ita ait Consydera hominem angelico pro missum oráculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorē. Victum, & vestitum habentes (ait apostolus. 1. Tim. 6.) his contenti sumus. Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes etiam hoc contempsit. Deniq; audi dominum in euang. Matth. 11. Venit, inquit, Ioannes Baptista, nec manducans, nec bibens, plane nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus (nisi fortè aliquorum irrationalium animaliū) sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Quis audeat murmurare de cætero in laboribus suis, & dicere: Satis est, quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut quæ flagitia sic puniebat Ioannes in

*Deus homini duplicem finem proponit.*

*Ioannis vita qualis fuerit*

seipso? Ioannes sanctus homo missus à Deo, immo angelus Dei, sicut ait pater: Ecce mitto angelum meum ante te Ioannes quo nullus maior in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit. Hanc viam ad patriam sua conuersatione præcursor demonstrat, quam Dei sapientia definiuit. Vbi sunt nunc amatores mundi, carnis suæ concupiscentiis toti absorpti, qui non nisi carnem sapiunt, & sanguinem, cui soli omni diuino timore postposito seruiunt, & nihilominus stolidissimè, immo stultissimè præsumere audent de æterna, ac beata vita surdi ad verbum Dei apostoli primo. Corint decimoquinto. Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et ad Roma. octauo. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt; immo ceci ad cælestem præcursoris conuersationem. Aut ille errauit, aut isti. Sed attendant quod hic est præco iudicis, præcursor saluatoris præparator viæ domini dirigentis vtique ad vitam, vox veritatis verbi paterni clamantis in deserto: Parate viam domini &c. Non solum pronunciator vocis, sed vox ipsa. Igitur ipse vita sua, & actibus clamat, non solum oris flatu.

Hic est denique (veritate teste) plus quam propheta, lucerna quoque ardens, & lucens. Ioann. quinto ardens sibi, lucens nobis. Quapropter longè ab eo omnes tenebræ erroris, & deuia falsitatis. Reuocemur ergo dilectissimi a nostro errore ad viræ viam, semitam rectam, quam hic præparauit ante faciem domini, nos præcedendo, ne in imo carnalium desyderiorum conclusi ab æternis epulis aberremus. Hanc agnoscamus viam ab æterna sapientia præfinitam, & ideò aliam congruentiorem magisque expedientem nec esse nec inueniri posse.

Quis nempe inuenire præsumit, quod æterna sapientia ignorauit? tantoque excitati, exemplo tanquam boni filii Israel idest videntes Deum per fidem, per veram pœ-


nitentiæ viam, quam in seipso Ioannes demonstrauit, conuertamur ad dominum Deum nostrũ, & sic patet secũdũ.

Ioannes in pdicatiōe Dei potētiā ostdit.

In prædicatione quoq; sua, qua peccatores potenter arguit, Dei potentiã ad saluandum, cõuertendum, ac puniẽdum cũctis patenter insinuauit. Potẽtiam ad saluandum docuit, cũ ait. Parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri, omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua indirecta, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Lu.3. Itẽ Ioã.1. Ecce Agnus Dei ec. qui tol pec. m. Testimonium perhibuit, quia hic est filius Dei, qui & desursum est, & de cœlo venit, sup omnes est: & sequitur. Non.n. ad mensuram dat Deus spiritum, pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Ioã. 3. Et iterum. Non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius, ipse nos baptizat in spiritusancto & igne. Mat. & Lu.3. Ecce potentiam ad saluandum. Potentiam Christi ad conuertẽdum peccatores nunciauit cum ait. Dico vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Mat. & Lu.3 Item Ioan.1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiã pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesũ Christum facta est, per quam solam peccatores iustificantur. Potentiam ad puniendum diuinæ gratiæ rebelles exclamauit, cum terribiliter intonuit: Iam securis ad radicem arboris posita est, omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. A quo? Ab eo haud dubium, qui habet ventilabrum in manu sua, & permundabit aream.i. ecclesiam suam, & congregabit triticũ suum in horreũ celestis palatii, paleas autem comburet igni inextinguibili. Mat. & Luc.3. Quampotenter verò ipse in virtute eius, quẽ annunciauit, peccatores arguit, tam Mat. quam Lu. scribunt. Ait enim Pharisęis, ac Saducęis cæterisq; turbis ad baptismum eius venientibus: Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a futura ira; Facite ergo dignos fructus pęnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraam, dico vobis &c. Vtinam hæc attenderent, qui sola fide informi, & mortua putant se saluandos.

Sed & Herodem constanter, & intrepidè in faciem arguit, nec in carcere vinctus veritati cessit, vt habetur Mat. 6. Nec frustra clamauit vox verbi potentiam, sapientiam, bonitatem prædicando, quoniam ad eius prædicationẽ, quam suis natiuitate, conuersatione, & verbis exhibuit, multos filiorum Israel conuertit ad dominum deum suum. Nam & eius ministerio, iam Christi potentia de duris lapidibus, lapideis, scilicet peccatorũ cordibus filios Abrahæ, idest promptæ obedientiæ suscitauit. Nihil enim ita peccatores ad Deum conuertit, & iustificatos amplius prouehit, sicut firmafides, & iugis meditatio diuinæ potentiæ, scilicet, & bonitatis, vt supra visum est, nec hoc solum, sed & conuersos ad dominum multipliciter lætificat, & consolatur, ac prę gustare facit immensa illa gaudia sempiterna, post pręsentem miseriam in patria sine termino possidenda, auxiliãtibus nobis ad hęc beatissimo Ioanne apud eum, quem prædixit, ac digito demonstrauit, dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre viuit, & regnat in vnitate spiritussancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## DE SANCTO PETRO et Paulo Sermo. 1. in ordine XXI.



II fortes terræ vehementer eleuati sunt, ps. 46. Gloriosissimos Christianæ fidei principes annuis solẽnitatibus honorantes, ait Maximus in ser. ipsum dominum, ac Deũ nostrum, qui autor est fidei, debita re-

religione veneramur. Apostoli nanque latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missos, manifestum est eos honorare mittentem, quoniam dignitas, quæ defertur ministris, illi sine dubio, cui^9 ministri sunt exhibetur. Hinc discipulis suis saluator ait. Matt. 10. Qui vos audit, audit me, & qui vos recipit, me recipit. Verè beata apostolorum merita, in quibus se Christus recipi prędicat, & audiri. Propheta denique regius nos Deum in sanctis suis laudare hortatur, quod vtiq; facimus, dum de martyrum triumpho exultamus. Nam qui de martyrum morte lętatur, (ait Maximus vbi supra) martyres non dubitet cum Christo regnare post mortem. Nos itaq; ecclesiarum omnium reuerendissimos patres Petrum dico, & Paulum piissimis studiis honoremus, quibus hodierno vitæ finis viuendi initium dedit, sicut Paulus ad Phili. 1. ait. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Erat vtique Christus eis viuere, quia totum Christi proficiebat ecclesiis, quod viuebãt. Erat eis & mori lucrum, quia temporali hac morte vitam sibi merebantur æternam. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna præsentium temporum lucra perpetua sequebantur. Et quas spirituales hic adquisierunt diuitias, non ablatæ sunt, sed auctæ. Vnde q̃ hic nuncupatiuæ dii terre dicebantur, longe honoratius sua exaltatione vehementi nunc dii cęlorum appellantur, quod propheta innuit cum dixit. Dij fortes terræ vehementer &c.

Mors q̃uo lucrũ apostolis.

Petrus, & Paul^9 q̃uo dii fortes terrę.

Dij fortes terræ &c. In omni laude sanctorum (vt Chrys. ait,) nil gloriosius dici poterit quã vt dij a Deo suo nominentur. Non quin tamen vnus est Deus naturaliter, sed participatione nihil prohibet esse multos, ait Boetius. 3. de consola. prosa. 9. Si enim participatione primę iustitię iusti, & bonitatis boni, sapientiæ sapientes dicuntur, iustitia autem, bonitas, & sapientia per essentiam Deus est, cur non participatione diuinitatis, diuini, ac deitatis, dii nuncupentur. Hinc Greg. exponens illud apostoli. Qui est bene dictus in secula. Sciendum, ait quod sancti, dii sunt vocati, sicut Deus dixit Moysi. Ponam te in Deum Pharaoni. Sed aliud nuncupatiuè, aliud naturaliter dicitur Deus. Neq; tamen statim quicunque Deum per initialem gratiam participat, Deus congrue nuncupatur. Excellentibus enim hoc attribuitur, ac summæ perfectionis viris. Nam qui non homines, sed dii vocantur, videntur humanum statum sublimiter excessisse. Sic etiam philosophi, morales homines excellentissimæ virtutis, qui communem hominum statum excedunt, vt qui magis mortem corporis, quam vitiosam eligerẽt actionem: Heroicos (aliter heroiços siue diuinos) vocitabant. Hinc 7. Eth ca. 1. dicit philosophus. Ex hominibus fiunt diuini propter excellentiam virtutis, non natura, sed quadam admiratione, vt statim subdit de latronibus, quando admirantur valde aliquem, diuinus vir, aiunt. Huic concordat dictum prophetæ in psalmo. Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Excelsi dicit vt non quicunq; iustus Deus vocetur, sed qui quadam virtutum excellẽtia cęteros antecellit. Et licet apostoli omnes (quia cęteris electis in vitæ ęminentia precellerunt) diuini dicantur, propter quod de omnibus thematis vera exponuntur per Cassiod. in glo. magistrali. Congruissimè tamen, & rectius apostolorum principibus Petro, & Paulo adaptantur. Vnde Augu. sermone. 3. de festiuitate presenti, qui incipit Cum omnes, ait. Cum omnes beati apostoli parem gratiam sanctitatis apud Deum obtineant, nescio, quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cęteris peculiari quadam fidei virtute præcellere, quod quidem ex ipsius domini iudicio possumus comprobare. Nam Petro sicut bono dispensatori claues regni cęlorum dedit. Paulo tanquam idoneo doctori, magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit, vt quos iste erudiret ad salutem, corda

Deus dicitur dupliciter

iste susciperet ad quietem, & quorum corda Paulus patefacit doctrina verborum, eorum animabus, Petrus aperiat regna cęlorum. Hæc ille. Cum itaque nedum quoslibet electos, ac communi modo virtutes cumulantes, sed etiam ipsos electorum patres, & principes, apostolos loquor, supergrā diuntur, hi nostri apostoli Petrus, & Paulus non ineptè dii dicuntur, & tanquam dii fortes terræ vehementer ele uati, quod fuit thema.

Petrus, & Paul' intelle-ctu p fidem eleuato fuerunt dii terræ.

In quibus verbis tria pro apostolorum nostrorum qualicunque recommendatione tanguntur. Fuerunt nanque dii terræ intellectu, fortes eleuati affectu. Intellectus eleuatio per fidem Deum facit, nimirum quia Dei filium, dicente. Ioanne. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in eum. Affectus inflammatio per dilectionem fortem facit. Fortis est vt mors dilectio, ait Salomon Canticorum primo. Effectus consecutio per constantiam finalem beatifican do vehementer eleuat. Siquidem ait saluator, qui perseuerauerit in finem saluus erit Matt.10. & Iac. 1. Qui permanserit, nó auditor obliuiosus factus, sed factor opis, hic in facto bea:us erit.

Nemo vtique sanctorum æquiualen ti intellectu Christi fidem confessus est nostris, quibus hodie festinamus, apostolis. Quid enim insignius Petro, qui in carne positus, mensuram carnis egressus Christum Iesum viui Dei filium verè confitetur? & quod omnium adhuc mortalium pectora latebat, prima Petri lingua, nouo est sermone confessa. Nam recitatis opinionibus populi de Christo confusis, quærenti domino à discipulis: Vos autem quem me esse dicitis? Petrus pro omnibus respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Matth. decimosexto. qua confessione (ait Maximus in sermo qui incipit Gloriosissimos) validissima, inuictaque nobis credendi fundamenta constituit, vtranque in christo naturam expressit, dicens: Tu es Christus filius Dei viui, idest secundum Maximum: Tu domine de carne Virginis factus es Christus, qui viui Dei filius es sempiternus. Tu domine hominibus natus es homo, qui incogitabili maiestate Deus es apud Deum. Tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanens apud patrem. Hæc fides Petri, atque confessio, veritatem continens diuinitatis, & humanitatis Christi filii Dei viui, Petra est supra quam Christus ædificauit ecclesiam suam, ait August. in sermone de præsenti festiuitate. Beda in homilia huius diei. Ecce dominus quærens, quem dicunt homines esse filium hominis. Humilitatem assumptæ humanitatis profitetur. Discipulus respondens. Tu es filius Dei viui. Excellentiam diuinæ æternitatis ostendit, dominus de se quod minus est, discipulus quod ma ius intimat. Dominus de se quod factus est pro nobis, discipulus declarat de domino, quia ipse est, qui fecit nos. Crebrius enim se dominus filium hominis, quam Dei in euangelio nominat, vt nos (ait Beda in homil.) admoneat dispensationis, quam pro nobis suscepit. Sed nos necesse est tantò humilius diuinitatis eius alta venerari, quantò illum meminimus pro nostra exaltatione ad humanitatis infima descendisse. Hæc fide confessio, quia humanam transcendit intelligentiam, dominus ipse ostendit cum dixit Petro: Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Hæc denique Petri confessio nunquid Petrum Deum participatiuè fecit, quoniam ei dominus dixit: Beatus es Simon Bariona? Bariona Syriacè filius Columbæ dicitur latinæ, ait Beda in homilia. Cuius Columbæ? Illius certè, quæ visa super caput domini idest spiritussancti, qui eum ad tantam fidei confessionem illustrauit, spiritum sanctum Deū esse nemo fidelis dubitat, eo itaque modo Petrus Deus, quo a domino Dei filius nuncupatur. Si autem tantum beatum Petrum ænigmatica co-

Petrus in Xpo vtranq; natur à expressit.

gnitio, atque confessio extulit vt eum filium Dei faceret, quid de beatissimo Paulo sentiendum est? Nunquid non Deus dicendus est, qui adhuc in carne positus, & inter mortales vitam agens vsque ad tertium cœlum raptus, raptus in paradisum, audiuit arcana, quæ non licet homini loqui. secundo Corinth. decimosecundo. Cum enim tantæ sint sublimitatis illa, quæ docuit, vt comprehendere ea mens humana non possit, quantæ illud putandum est gloriæ, quod prodere sibi asserit non licere? Vidit inquam ibi deitatis nudæ essentiam, qua visione rationalis creatura beatificabitur, vt vult August. ad Orosium quæst. vlti. qua & ipse tunc deificatus, & beatus tunc fuisse, licet non permanenter à pluribus doctoribus putatur, sed de hoc alibi. Si itaque aliquos per fidem Deus adoptauit in filios, quantò magis Petrum, & Paulum in diuina cognitione præcipuos, vt verum sit, quod verba thematis dicunt: Dii fortes terræ væhementer eleuati sunt? Et tantum de primo.

Petrus, & Paulus fortes affectu.

Fortes proinde fuere apostolorum principes affectu, & hoc per dilectionem, quæ vt mors fortis prohibetur, & æmulatio dura vt infernus. Et pulchre affectui fortitudo adiungitur, quoniam nihil fortius, quam proprias domare passiones virtutis affectiuæ. Nam & crudelissimus Nero, qui totum mundum perdomuit, propriam rabiem vertere non valuit, vt dicit Boetius metro 6. libr. secundo de cónsolat. Quanta itaque fortitudine in diuino amore beatissimus Petrus constabat, bea. Leo Petri successor officij, & morum imitator in sermo. 1. eum alloquens manifestat. Ad hanc ergo tu vrbem beatissime Petre apostole venire non metuis, vbi colluctantes philosophiæ opiniones, & terrenæ sapientiæ vanitates dissoluendæ erant, vbi confutandus dęmonum cultus, vbi omnium sacrificiorum impietas destruenda, vbi diligentissima habebatur superstitione collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quam super mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis Ancillam. Nunquid aut iudicio Pilati, aut seuitia iudæorum minor est, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris. Nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. Hæc ille. De amoris deniq; magnitudine, quæ Paulum fortissimum pugilem fecit idem Leo in alio sermo. de sancto Paulo ita ait. Nemo ita dilexit inimicos, nemo insidiatoribus suis ita beneficus fuit, nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est mala. Non enim illa, quæ patiebatur secundum naturæ copulam, cogitabat. Quantò amplius offerebantur inimici tantò magis eorum miserebatur insaniam, sicut indulgentissimus pater afficitur erga filium frenesi compræhensum, cuius quantò magis ictibus, conuitijsque pulsatur, tantò eum potius miseretur, & deflet. Audi quam mansuete, quamq; compatienter nobis pro illis loquatur, qui eum quinquies verberarunt, qui vinculis sępe constrinxerant, qui catenis onerauerant qui ipsum eius sitiebant cruorem, quiq; illum quotidie discepere cupiebant. Testimonium inquit, perhibeo illis q̃ ęmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, ad Rom. 10. Si tanta erga inimicos, quanta audebat pro amicis? quanta item ad Deum? quoniam cupiebat dissolui, & esse cum Christo? Demum eleuabantur principes ecclesiæ affectu mirabilium operum per constantiam finalem. Quis mirabilia quæ per eos dominus operari dignatus est, enumerare sufficiet? In Petro vtriq; impleta est Christi pręmissio facta discipulis, vt maiora Christo miracula operaturi essent. Ioan. 14. Nam in lectis infirmos posuerunt in plateis, vt veniente Petro saltem vmbra eius obũbraret quépiam illorum, & liberarétur omnes ab

infir-

infirmitate sua. Act. 5. quod de Christo actum nondum legitur. Tota quoq; Pauli vita miraculum continuum fuit, qui sicut mirabiliter cõuersus fuit miraculosè in cęlo illuminatus, ita admirandis laboribus, & prodigiis quæ in cęlo didicit, cunctis gentibus prædicauit. Hi deniq; beatissimus Petr', & Paulus, vt Maximus ait, sacramenta cęlestis regni vno spiritu prædicantes, sub vnius passiõe diei doctrinã suã pio sanguine & fortissima morte consecrarũt Quam Dionysius in epistola ad Timotheum flebiliter describit, vt habet Leo in sermone. Deuicto nanque Simone Mago, crudelissimus Nero, qui primus nomini christiano atrocitatem gñalis persecutionis intulit, quasi p sanctorũ neces gratia posset extingui, principes ecclesiæ trucidari præcepit. Petrũ qdẽ tanquam aduenã crucifigi, Paulũ tanquam Romanũ ciuẽ capite plecti. Qui cum ad crudele ducerentur spectaculũ cũ separarentur ab inuicẽ (quia non in eodẽ loco occisi sunt, ligauerũt colũnas mundi, vt dicit Dionisius ad Timotheum) Tunc inquit Paul' Petro: Pax tecũ fundamentum ecclesiarum, & pastor ouium, & agnorũ Christi. Petrus autem ad Paulũ. Vade ait in pace prædicator bonorum, mediator, & dux salutis iustorum.

Petrus, & Paul' eleuati fuere mirabiliũ operum effectu.

Petrus ergo ad supplicii locum tractus repulso timore mortis, moriendi ordinem (vt Maximus ait) tam acerba in passione quæsiuit, ex nimia humilitate æqualitatem crucis dominicæ declinauit, poscens se verso corpore crucifigi. At beatissimus Paulus alio in loco percussus lingua sua (iam truncato capite) dulce nomen domini Iesus Christus (quod tricenties, vt dicitur, in suis epistolis expresserat) hæbræo idiomate clara voce expressit. Sicq; secundum Aug sermone.3. dominus qui orientis regionem propria illustrauerat passione, occidentis plagam nequid minus esset, vice sua apostolorum sanguine illuminare dignatus est.

Hac autẽ passione sublimiter apostoli Dei eleuati sunt, nõ solum in cęlo verum etiam in terris. Nã nullus imperator talem honorẽ etiam terrenorũ inuenire potuit, qualẽ noster piscator. Ecce imperatorum, qui orbem armis domuerũt, sepulchra nec despectissimi reuerenter visitãt. Sed imperatores deposito diademate pronos in terra ad sua sepulchra suscipiũt piscator, & prædicator. Horum itaq; ecclesiæ principum vestigia prout infirmitas nostra permittit, sequamur, quoniam hi sunt dii terræ, cęlestem in terra vitam ducẽtes, diuino amore fortes, & in finem cõstantes, ideoq; eleuati, nobilq; in exemplum prælati. Quos si nos imitabimur & nos in terris, diuinitatem cum eis participabimus in cęlis. Hi sunt duæ tabulæ diuinorum præceptorum noui testamenti, non mortuę vt olim tabulę Moysi, quas zelo Dei accensus proiecit & fregit. Exo. 32. sed viuæ, perpetuæ, nunquam corrumpendæ in monte virtutum omnium eleuatę. In his legamus, & nosipsos diligenter speculemur Consyderet quilibet si heroicus sit, aut bestialis, diuinus, aut diabolicus. Hæc enim opponuntur. Et qui non viuit secundum Deum, similis est Diabolo, dicit Augustin. decimo quarto de ciui. cap. 4.

Habent pastores populi Petrũ, habent prędicatores Paulũ, habet vtrosq; multitudo christianorũ. Isti primi fuerunt ecclesiæ prælati post Christũ accipientes actiones, non temporales possessiones, sed homines, non pecunias, sed animas. Vnde Petro dicitur Lucæ. 5. Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et de se Paulus. 2. Cor. 13 ait. Non ero vobis grauis, non enim quero quæ vestra sunt, sed vos. Sed prohdolor (vt hodie est cernere) ecclesiarum plati, licet illis succedant officio, non tamen virtutibus, & facto, adeo vt re- uera non imitatores indicet vita, conuersatio & amictus Petri piscatoris, & Pauli prædicatoris, sed magis Constantini imperatoris, cuius denariis sustentantur, sed iniuncta officia minime exequuntur. Petro dictum est à domino: Pasce oues meas, isti sibi dicunt

Petr' & Paulus quõ in sua passione, & quantũ, eleuati.

cunt,pasce oues tuas.Paulum dominus elegit,vt nomen suum portaret publicè coram regibus,& principibus,isti se ingerunt, & verbum Dei nec prædicāt simplicibus , immo spirituales actus exercere aut ignorant, aut sibi pudori esse putant. Non hi Simonem bariona,sed Simonem sequuntur magum. Ille volatu seipsum exaltauit, sed Petri oratio prius ascendens ad dominum, quam volatus hunc prostrauit , vt qui pennas superbè assumpserat, plantas, quas habebat , amitteret. Sic isti non vocati ad sublimia volāt officia sibi indebita,vt dum sublimius ascendunt altius,cadant, quis nunquam oratio Petri superbos humiliat,quos humiliatio, exaltare debuisset. Diligit vtiq; & nūc Petrus oues sibi commissas,quorum miseretur voces,dum ad se contra lupum in pelle pastorum latentem lamentabiliter clamant, magisq; vult lupum nomen pastoris vsurpantem corripi , quā oues innocentes laniari. Petrus deniq; & Paulus fidem Christi , quam verbo prædicarunt,viuendo docuerunt,patiēdo firmauerunt.In quo eos omnes merito Christiani debent sequi, quoniam etsi non omnium est fidem Christi verbo publicè prædicare,est tamen singulorum fidem,quam tenent mente, profiteri ore, vitæ exemplo ostendere,& vsq; ad sanguinem defensare. Sed hāc corde maculant quocunq; in his,quæ sunt fidei,dubitant. Ore, quotiens Deū blasphemant, & opere cum contra diuina mandata laborant. Fidem deniq; deserunt,& non defendunt,quando modica passione, aut infirmitate tentati Deum relinquūt,superstitionibus credūt, ac damnabilibus obseruantiis temporalem salutem quærunt.

Qui sicut olim de terra mortalium exterminari iussi sunt , Leuit. 29. ita procuIdubio si ita inuenti fuerint , proiicientur de terra viuentium in tenebras exteriores , quo mittendus est diabolus , & angeli eius. Nos ergo charissimi tantis exemplis docti, quicquid impiū in nobis est, corrigamus , patres ecclesiæ, quos hodie ecclesia recolit , pro modulo nostro imitari studeamus,per deificam fidem, fortè charitatem,& finalem perseuerantiam, vt ibi eorum suffragiis tādem eleuari mereamur , quo eos in æternis credimus gaudiis fœlicitari. Sicq; de nobis verū fiat thematis verbum : Dii fortes terræ vehementer eleuati sunt. Quod nobis concedat Iesus Christus in sæcula benedictus : Amen.

## IN NATIVITATE *beatorum Petri, et Pauli Apostolorum Ser. II. in ordine XXII.*

HI sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia in conspectu domini terræ stantes &c. Et sequitur. Hi habent potestatem claudendi cęlum &c. Apocal. 11.

Beatorū apostolorum Petri,& Pauli inseparabilem fidem, passionemq; germanam omni nos deuotione necesse est celebrare,quia & laudabilis eos vita ad gloriosum perduxit occasum, & mirificus obitus perpetuam transmisit ad vitam. Vnde vt Maximus ait : Letior per vniuersum mundum Christi exultat ecclesia , quæ licet omnium se sanctorum martyrio certa sit adornari,horum tamen victoria gloriosius illustratur,quando quidem videt de hoc seculo fidei patres,& magistros triumphasse. Rectè,inquam,patres hos dixerim, qui paterna sollicitudine ecclesiæ filios , quos in fide euangelij genuerant verbo pariter, & scripto dulciter fauebant,infirmos lactè, fortiores cibo magis solido nutrientes . Magistros deniq; quia præ omnibus eis tradita est euangelicæ dispensatio doctrinæ. Petro siquidem dictum est . Et tu conuersus aliquando confirma fratres tuos Et iterum : Pasce oues meas. Ioan.vlt. De Paulo autem : Vas electionis mihi est iste,vt portet nomen meum coram gentibus,& regibus,& filiis Israel. Act. 9. Et quia ille lucernam , fidei inflexibiliter exaltauit in circumcisione, iste in

Petr⁹ & Paulus dati sūt nobis in patres & magistros.

preputio (ficut idē ait ad Gal.2. Creditum eſt mihi euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis. Qui enim operatus, eſt Petro in apoſtolatu circumciſionis,operatus eſt & mihi inter gentes præ omnibus cęteris apoſtolis, & prædicatoribus eccleſiam illuminantibus) Duo iſti dicuntur lucentia candelabra,quia non parti, ſed toti luxerunt orbi ſecundum thematis verba. Hi ſunt duo candelabra lucentia. Pro gratia.Aue gratia.

Petr⁹ & Paulus quare dicuntur candelabra lucētia.

Hi ſunt duo &c. Quia teſte propheta verbum Dei lucerna, & lumen eſt ſemitis fidelium rectiſſimè apoſtolorum principes Petrus,& Paulus duo ſunt cādelabra, ſuper quæ lucerna fidei ſub modio non abſcondenda,exaltata eſt, vt luceat,& qui ingrediuntur lumen videant,quorum doctrina vniuerſa illuminata eſt eccleſia. Qui quamuis ipſi lumina ſint,ac lāpades (dicente Greg. Homil.5. in Ezech. Qui exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam, & verbum itinerantibus demonſtrant, iure lampades appellantur,quia & per ardorem deſyderii, & flammam verbi a peccatorū cordibus erroris tenebras repellunt) maius tamen aliquid ſignificatur,cum etiam cādelabra prędicantur. Candelabrum etenim inflexibiliter lumen ſuſtentat, defendit,& exaltat, ita fidei lumen ab altero ſuſtentatum eſt; ſuper cuius confeſſionem fides ipſa eccleſiæ ædificata eſt. Sicut Aug in Homil. ait Fides Petri,atq; confeſſio, veritatem continens diuinitatis,atq; humanitatis Chriſti filii Dei viui,petra eſt, ſupra quam Chriſtus ædificauit eccleſiam ſuam. Ab altero verò eſt fidei lumen defenſatum. De quo canit eccleſia. Armigerum Beniamin Chriſtus te ſcit ſuum,vaſq; electum. Doctiloquos philoſophos te Paule Chriſtus dat vincere ſua voce. Et Maximus in ſer. De perſecutore factus eſt defenſor. Ab vtroq; autem magnificè exaltatum miraculorum confirmatione. Fidem etiam eccleſiæ vterq; fundauit, in verbi ſeminatione, defendit in conformi operatione, exaltauit in paſſione. Ideo quoq; hæc duo candelabra erecta vniuerſo ſunt mundo,vt verbo, & exemplo intrantibus cunctis viam aſcendant rectitudinis. Fuerunt nanq; pęnitentibus ſpeculum, proficiētibus exemplum, & forma imitabilis perfectorum.

Petr⁹,& Paulus ſpeculū pęnitentibus.

Fuerunt ſpeculum pęnitere volentibus, quoniam vterq; in peccatum lapſus,de peccato leuatus docet, quomodo caueamus lapſum,atq; iā lapſi quomodo reſurgamus. Petrus magiſtrum ſuum, quem agnouit, negauit. Paulus redemptorem mundi perſequendo extinguere poſſe ſe putauit, ille ex infirmitate, iſte ex ignorātia lapſus, per gratiam Dei vterq; eſt erectus. Conſcius quidem Petrus ſibi feruentiſſimi amoris, quo Chriſto Dei adhærebat filio ſuæ infirmitatis parumper oblitus, in ſe confiſus coapoſtolis cæteris fortiorē ſe iudicauit,dum propheti zante domino: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, audaci voce, domino ſe valentiorem putans verbo, reſpondit: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in tē,ego nunquam ſcādalizabor. Et iterum. Et ſi oportuerit me mori tecum, te non negabo. Mat.26. Sed ecce dum ſe cæteris prætulit, plus omnibus cecidit,dum Chriſtum, quem Pauloante pro morte vitanda derelinquere nolle affirmauit,atq; a ferocium turba manibus gladii protectione eripere conatus, ancillæ territus voce tertiò negauit,,cumq; nouiſſe deierauit. De quo 17. mora. Greg. ait. Apoſtolorum primus dum mori timuit, vitam negauit, qui non pęnis,non afflictionibus, non terribili poteſtate cuiuſquam, ſcilicet vnius mancipii ſola interrogatione eſt proſtratus. Et quidem ne ſexus firmior terribile demōſtraret,ancilla eſt inquirente tentatus, rurſuſq; vt talis ſexus infirmitas,etiam officii ſui deiectione vileſceret,non ab ancilla tātummodo, ſed ab oſtiaria eſt ancilla requiſitus. Ecce quam vilis eſt ad tentandum perſona requiſita, vt aperitè proderetur,quāta eum timoris infirmitas poſſideret, qui nec ante vocē oſtiariæ ancillæ ſubſiſte-

fisteret. Hæc ille. Sed quem non malitia magis,aut infirmitas strauit,dominus misericordiæ suę oculo intus respexit,atq; foris gallicãtu ad sui cognitionem admonuit. Ille autem non durus ad visionem,non surdus ad galli vocem continuo resipiscens, memor verbi domini ad cor redijt, atq; internæ pænitudinis dolorem fletu amarissimo declarauit.

Tantam etiam a domino cõsecutus est gratiam,vt inter eos,qui dominica resurrectione consolandi fuerant, solus ipse ex nomine designaretur, dicẽtibus angelis mulieribus: Ite dicite discipulis eius, & Petro &c. Itaq; surrexit ex peccato cautior factus ex lapsu. Consyderauit cautè: vnde fuerat prostratus, nihil de cætero in se confisus nulli se prætulit in humilitatis radice fixus,immobilis permansit, nam sciscitante domino,an se plus aliis diligeret, non est ausus respondere,tu scis domine, quia amo te plus his,sed temperata,ac simplici voce,etiã inquit, domine tu scis, quia amo te. Quod est apertè dicere vt Beda ait: Scio quidem, quia ipse te (vt tu melius nosti) integro corde diligo,quantum verò alii te diligunt,mihi quidem ignotum, sed tibi sunt omnia nota. Instructus ergo periculo priori cautius loqui cum domino,quem bene didicerat humanæ conscientiæ statum melius nosse, quam ipsa se conscientia vllatenus nosceret,de fraterni quidem cordis occultis nil audet diffinire, de sui autem amoris integritate, nõ sui-met solius,sed & ipsius, qui interrogabat,domini pandit testimonium.Etiam inquit,domine tu scis,quia amo te. O quam fælix, & pura conscientia, quæ conditori suo (cuius nuda oculis, & aperta nouit omnia) dicere non metuit. Domine tu scis, quia amo te. O quam casta,& sancta anima,quæ & suam cogitationem domino patere non dubitat,& se non aliud quam ea,quæ dominus approbat cogitare,nõ ignorat.Hæc Beda.

Paulus pœniten

Beatissimus deniq; Paulus primum quidem Christum Iesum iam ad dexteram patris regnantem in cęlis, persequitur in sanctis suis in terris,dum ciuitates,& vicos,& regiones perquirit, vt omnes huius viæ viros, ac mulieres traderet in carceres,& in mortem Act. 9. Verum q̃ persequi videbatur ecclesiam (ait. Maximus in sermone) non impietatem irreligiosi animi sęquebat, sed sub nube ignorantię nouam non perspiciens gratiam, amore antiquæ deuotionis errabat. Non iniqui pectoris studio, sed simplicis ignorantiæ incauta deuotione certabat. Sicut ipse ait. 1.Thimot.1. Prius fui blasphemus, persecutor,& cõtumeliosus,sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in credulitate. Deniq; ait Maximus. Dum primum sensibus eius spiritus veritatis infusus est, ostendit continuo non se Christi sęquisse odio, sed amore paternæ legis innocenter errasse. Hinc sui ipse testis est ad Gal 1. dicens. Cum placuit ei, qui me segregauit de vtero matris meę, & vocauit per gratiã suam, continuo non acquieui carni,& sanguini. Causa verò huius ignorantiæ erat, quia suo confisus ingenio,legem (cui præ cæteris adhærebat se comprehendisse arbitratus) indiscretè pro lege est zelatus. Hanc ipse sui erroris causam assignare videtur, vbi supra cum dicit. Supra modum ecclesiam Dei persequebar, & expugnabam illam, & proficiebam in iudaismo supra multos coętaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.Sed quantum hanc in discretionem conuersus moderatus est,ex eo patet,quoniam nihil scire se arbitratus est nisi Iesum, & hunc crucifixum.1.Cor.2.

tibus Christi.

Ecce duas in his exemplaribus pęnitentię speculari doctrinas conuenit vt a peccatis præseruemur,quæ sunt Agnitio propriæ infirmitatis, & Discretio in agendis. Per primum libenter occasionem fugimus peccatorum. Qui enim debilem se cognouerit nõ pugnãdo,sed fugiendo periculum euadit. Sed aduersum vitia vix potio potior datur, quam occasionum fuga, vt vult Ala. in

Petrus, & Paulus duas doctrinas.

de

de planctu naturæ. Quantum autem discretio nobis necessaria sit in agendis, ex eo patet, quia vitia in virtutes, & angelus Sathanæ in angelum lucis se transfigurat. 2. Cor. 11. Quod quia Paulus non considerauit apostolus, dū iustitię se zelo agi putabat, sęuiebat, ac blasphemabat. Quod si incauti iam in vitijs lapsi iacemus, non desperemus, sed ad gallicantum, idest prædicatorū vocationem, ad visionem Dei, idest internam monitionem, aut ad prostrationem, idest Dei flagella citius expergiscamur, cum Petro pro peccatis lachrymantes, cum Paulo bonum propositum concipientes, ac dicentes: Domine qd me vis facere? Act. 9. Ob hoc enim hæc pęnitentiæ specula dominus nobis præposuit. Paulo de seipso testante 1. Tim. 1. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam consecutus sum, vt in me primum ostenderet Christus omnē patientiam, ad informationem illorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem immortali sæculorum soli Deo honor, & gloria in sęcula sæculorum. Amen. Tantum de primo.

Petr⁹, & Paul⁹ ꝓficientiū exempla

Fuerunt secundo lucentia hæc duo candelabra proficiētium exempla. Quomodo nanq; de virtute in virtutē progrediendum sit, quod est eorum, qui iam per pęnitentiam condignam peccata abluerunt, vbi clarius conspici poterit quam in his cæli luminaribus, quorum virtutes enumerare quis sufficit? Posuerūt quippe in humilitate fundamenta, de qua vsq; ad charitatis perfectionem excreuerunt. Quid enim humilius Petro dici, ne dicam, cogitari poterit, qui resurgente domino cum vberes suas lachrymas iam exauditas certè cognosceret, peccatūq; suum ternæ negationis dimissum, ac triplici cōfessione cōpensatū, non tamen se a fletu temperabat, sed se adhuc peccatorē reputans, se in lachrymis domino quotidie mactabat? Refertur.n. ꝙ semper sudariū portabat, quo crebro fluentes lachrymas tergebat, propter quas etiā facies sua adusta videbatur. Quotiens enim negatio eius vel per gallicantum, vel alias in memoriam venit, a lachrymis continere non potuit. Cuius etiā cibus (vt in li. Clemen. ipse testatur) panis erat cum oliuis, & caro cū oleribus. Huius autem eximium humilitatis exemplum beatus Greg. Homil. 18. in Exech. recitat. Nam cum ipse in Antiochia propter quorundam iudæorum aduentum se a gētilium communione, quibus prius conuixit, retrahebat: Paulus in faciem restitit reprehensibilem, atq; hypocritam. i. simulatorem, nedū verbo coram omnibus tunc præsentibus, sed in perpetuā rei memoriam in scripto ad Gal. 2. culpauit. Sed non solum patienter Petrus hoc sustulit, quinimo in hoc apostolum Paulum commendauit. Cum.n. a quibusdam detrahi Pauli scriptis agnouisset, ait. 2. Pet. 3 Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datā sibi sapientiā scripsit nobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis, de his sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ecce Paulus in epistolis suis scribit Petrū reprehēsibilem. Petrus verò Paulū asserit in his, quę scripserat, admirandum. Certè nisi legisset Petrus Pauli epistolas, non laudasset, si autē legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur, inuenit. Amicus autem veritatis laudat ēt, quod reprehensibile est, atq; ei hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quia aliter quam debuerat, sensit, seq; etiam minori fratri ad consensum dedit, atq; in eadem re factus est sequens minoris sui, vt etiam in hoc præiret: quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset, & primus in humilitate. Pensemus, quæ illa tanta mansuetudo esse potuit, quæ quies animi, quæ soliditas, atque imperturbatio cogitationis. Ecce a minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedigna-

Petrus a Paulo reprehensus quō patiens.

dignatur. Non ad memoriam reuocat, q primus in apostolatum vocatus est, non q claues regni accepit, non q peccata, quæcunq; solueret in terra, essent soluta & in cœlo. Non q in mari pedibus ambulauit. Non q paralyticos in Iesu nomine erexerat. Non q ægros corporis sui vmbra sanauerat. Non q mentientes verbo occiderat. Non q mortuos oratione suscitabat. Non q alia quoq; innumera miracula operatus est. Sed ne dedignationis verba dedignaretur audire, omnia dona, quæ acceperat, quasi a memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum retineret. Quis rogo nostrum, qui vel extremum signum a iquod fecisset, a minore fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nihil enim signi fecimus, & siquis nedum interior, sed par immo maior dignitate, dũ nobis prælatus non sit, nos reprehẽder it, statim intumescimus, magnos nos fore cogitamus, virtutes nobis ad animũ deducimus, etiam quas non habemus, etsi nihil in excusationem prætendere possimus, nos tamen suæ curæ subiectos non esse, neq; eum nobis præfectũ replicamus, nonnunquam quod peius est, etiam conuitia reddimus.

Pauli humilitas.

Quid autem de beatissimi Pauli humilitate referre, quæ magis admirari potuit, quam eloqui. Nam cum in tertium cœlum raptus beatificè viderit, quæ homini loqui non licuit, a Christo non ab homine euangelium didicerit, vas electionis a domino dicitur. Philosophos disputatione vicerit, ab Illirico vsq; ad Hierusalem euangelium repleuerit, miraculis pluribus claruit, plus omnibus apostolis laborauit, qui quanta pro Christo passus sit ipse. 2. Corinth. 11. & 12. humiliter recitauit, se tamen minimum apostolorum profitetur, atq; indignũ vocari apostolum. 1 Corinthiorum 12. Nihil esse 2. Cor. 11. & non sufficientem se aliquid cogitare a se 2. Cor. 3. ac primum peccatorum 1. Tim. 1. Haud dubium non simulatoriè, sed ex animo sic confitetur. Quicquid enim in se laudabile conspexit, in eum retulit, a quo accepit. Inquit enim. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id, quod sum. Quod vero in se culpabile vidit, sibi imputauit. Vnde rationem subiungens, quare minimum apostolorum se dixit, inquit, quia persecutus sum ecclesiam Dei. In aliis bona laudauit, & dum actus laudare non potuit, saltem intentionem excusauit. Sic enim de his, qui se multipliciter persecuti sunt, ait: Testimonium eis perhibeo, q emulationem Dei habeo, sed non secundum scientiam, ad Rom. 10. Sua verò mala iterum, atq; iterum verbo, & scripto est confessus. Ideoq; ab humilitate nomen accepit. Nam cum prius dictus ẽ Saulus, id est abq; cõsilio, in conuersione dictus est Paulus id est paruulus, siue modic⁹ a spũ humilitatis.

Hortatio ad Petri, & Pauli imitationem.

Discamus & nos charissimi humilitatem iã conuersi a peccatis ab his lucentibus candelabris, quoniam nisi humiles fuerimus, nihil virtutis in nobis integrum remanebit, quia teste Isido. 3. de summo bono. cap. 2. Qui virtutes mandatorum sine cordis humilitate sequuntur, quasi de excelso grauius corruunt, quia deterius per virtutem elationis deiiciuntur, quam per vitia prolabi potuerunt. Humiles verò erimus, si exemplo Petri peccatorum nostrorum memores, pro his flere non cessemus. Si libenter reprẽhensionem nostri etiam a minoribus suscipiamus. Si Pauli nos minimos ex animo reputamus. Si quicquid in nobis bonum est gratiæ, quicquid reprehensibile, nosipsis imputemus. Per hanc siquidem virtutem beatissimi apostoli, scilicet ad cæteras virtutes, ac tãdem charitatis culmen ascenderunt, quod in eo probarũt, quia hodie roseum sanguinem fundentes animas fęlices pro Christo posuerunt, dum vt vera mundi lumina posteris in sæculi finem lucentia, per crucem alter, alter ense triumphans ad vitæ se natum laureati possidendum gloriose sũt perducti. Quo nos eorum precibus sequi faciat ductor eorum Christus cũ patre, & spiritusancto Deus super omnia in sęcula benedictus. Amen.

DE

*DE SANCTO PETRO, et Paulo Ser. III. in ordine XXIII.*

NIMIS confortatus est principatus eorum, ps. 138.

Gloriosa nobis solennitas illuxit, quam (vt Bern ait) præclari martyres, martyrium duces, apostolorum principes morte clarissima consecrarunt. Petrum loquor, & Paulum, quos pro iustitiæ, pietatisq; plenitudine saluator mundi humano generi, & patres esse dedit, & iudices. Horum hodie solennis memoria celebratur, non quidé temporalis natiuitatis, quæ post domini matrem in solo Baptista solennis habetur, nec etiam conuersionis, cathedrationis, liberationis a vinculis, aliorũ ve miraculorum memoriam hodie recensemus. Sed mortem eorum specialius hodie veneratur ecclesia. Qua & si nihil inter homines humano iudicio plus horretur, sed nihil ab ecclesia, quæ sponsi sui spiritũ habet, in sanctis Dei amplius honoratur. Scit enim, quia pręciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Ps. 115. Et verè præciosa, quia in ea non finitur, sed cõfortatur nimis principatus eorum. Mortem itaq; apostolorum & gloriosum pręsentis ac trãseuntis vitæ occasum in eorum recolit festiuitate præcipua Hodie namq; crucifixus est Petrus. Hodie decollatus est Paulus. Hæc hodiernę causa festiuitatis, hæc præsentium materia gaudiorũ quoniam qui a domino constituti sunt principes populorum in terris, hodie (vt alio psal. dicit propheta) congregati sunt cum Deo Abraam, facti principes cęlorum, vbi quia persecutor nullus affligere, nullus tentator vincere, nemo inimicus turbare, sed omnino appropinquare non pręualet, quia confortauit seras portarum eius, & fines ipsius posuit pacem, ps. 147. Ideo nedũ minutus, sed nimis confortatus est eorum principatus. De quibus pro gratia impetranda dicamus Aue Maria &c.

Nimis confortatus est principatus eorum. Principatus electione confertur publicatione, ac populi subiectione confirmatur, sed inimicorum victoria nimis, idest valde confortatur. Cuius exemplum in principatu Saulis liquido apparet. Regia siquidem dignitas iam conferebatur, dum (vt regum pandit historia) Samuel lenticulam olei super caput eius fundens, ac deoscu lans eum, ait: Ecce vnxit te Deus super hæreditatem suam in principem. 1. Regum 10. Confirmabatur autem dum congregato omni populo in Maspha Samuel Saulem a domino in regem electum, ei publicabat, dicens: Videtis, quem elegit dominus, quia non est ei similis in omni populo. Populus quoq; acceptauit, clamans: Viuat rex Vnde & pars exercitus sequebatur eum in domum suam, licet aliqui peruersi eum despexerunt, & munera nulla obtulerunt, vt dicitur ibidem. Dum verò primam faciens pugnam, Naas Amoniten deuicit, iam nimis confortatum est, dicente Samuele ad populum: Venite eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum, & fecerunt ibi regem Saul corã domino 1. Reg. 11. Fecisse dicuntur ibi regem ipsum Saul, quem pridie, vt regé secuti sunt ad pugnam, quia ibi confortarunt eius regnum, in tantum, vt omnes qui dixerant, non regnabit Saul super nos, quærerent interficere, vt ibidé habetur.

Principatus quõ confert.

Ita & nostri principes primo a domino electi. Petrus quidem, cum ei dominus ascẽsurus ad patrem pascendas ouiculas suas, agnoiq; commendauit, vt quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret, dicens Ioan. vlti Petre amas me, pasce oues meas. Et iterum Luc. 22. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Paulus autem dum percussus in uia de persecutore electus est in fidei defensorem. Vnde de ipso ad Ananiam dominus ait: Vas electionis, mihi est iste, vt portet nomen meum coram gẽtibus, & regibus filiis Israel. Act. 9. De hoc beatus Maximus in sermone qui in-

Petr⁹, & Paulus quõ electi in principes.

incipit: Beatissimorum apostolorum, ita dicit: Beatissimos Petrum, & Paulum tanta cęlestis dignatio electionis visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, iste de persecutore defensor, in quo omnipotentis Dei attollenda est maiestas, qui inspiratione mirabili docendi gratiam tribuit imperio, & inimicum fecit amare, quod oderat, & fidem asserere, quam impugnabat. Magni ergo meriti apud dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius ecclesiæ gubernacula traderentur. Multum in apostolatus sui ministerio cōplacuisse Christo credimus Paulum, qui tantum placere potuit persecutor. Hæc ille. In hoc vtiq; scimus, quia valde placuit, vt qui de cęlestibus in apostolatū vocatus est, apostolatus eius cōsecraretur in cęlo, & ecclesiarum futurus doctor, raptus in tertium cęlum inter angelos disceret, qđ inter homines doceret.

Petri, & Pauli principatus confirmatus signis, & portētis. Confirmatus autem est vtriusq; principatus, dum principes non solo nomine, sed potentia admirabili signis, & portentis toti mundo sunt declarati, quando (ut Marcus ait) profecti prædicauerunt vbiq; ille circumcisioni, iste præputio, domino cooperante, & sermonem cōfirmante sequentibus signis

Quid enim Petro potentius, cuius mira potentiæ suę opera in inferno, terra, mari, aere declarata sunt, & in cœlo?

In inferno quidem mortuos ab inferis ad vitam reuocando, sicut de Tabita scriptura, & de quodā discipulo eius historiæ narrant, quarum alteram præsens funeri ad preces discipulorum, ac viduarum in Ioppe ibidem verbo suscitauit. Act.9. Alterum verò cum socio materno secūdum quosdam ad Galliam misso in uia defuncto quadragesima die mortis suæ absens ad suppositionem baculi sui ad vitam reuocauit. Nomen verò defuncti, quia non vniformiter inuenitur, tacendum.

In terra verò, & percutiendo terricolas, & sanando Ananiam quidem, & Saphiram eius vxorem mentientes spiritui sancto, dum arguit mendatij, subitanea morte strauit. Act.9.

Deniq; quantas virtutes in infirmorum multiplici curatione, ac claudorū erectione adhibuerit, Actuum refert historia. Actuum.3. Ita inter cætera dicens ca. 5. magis augebatur numerus credentium in domino multitudo virorum & mulierū, ita vt in plateis eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obūbraret quempiam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitate sua. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierusalem, afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Verè impletum est in Petro verbū domini Ioan. 14. promissum apostolis. Qui inquit, credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet. Nihil enim talium legimus dominum in humanis fecisse proprio in corpore, nec quadraginta dierum mortuum absens suscitasse, nec sui corporis vmbra languores curasse, quamuis hoc ipsum, quod Petrus egit, non sua virtute; sed per dominum scimus operatum. In mari quoq; potentia sua claruit, qua plantis eius se calcabilem tanquam solidum littus præbuit, vt habetur Matth.14. & Ioan.vlti. Non quidem eadem ambulatio supra mare, sed alia facta post resurrectionem domini. Quia verò in prima ambulatione super mare, surgente vento valido trepidasse legitur, & incipere mergi, distantiam inter dominum, & seruum dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculati nescit planta desidere, vt dicit Maximus in sermone: & maiorē inter fluctus Petri fidē insinuat, quā nec perurgentis periculi potuit turbare formido, dum crederet se domini sui virtute saluandum. Clamando enim dū mergitur, domine libera me, de se diffisus est, non de domino dubitauit. Hæc ille. Quod autem in secunda ambulatione dum se misit in mare non natando, vel peditando venit ad littus, sed ambulando probat, quia cum fuisset nudus in naui. i. parum indutus secundum

Nico.

Nico. de Ly. tunica succinxit se, vt di-
cit Ioan. quod nataturus nequaquam
fecisset.

In aere quoq; potens fuit, dum Simonem magum per aera volantem vocis imperio deiecit, aerisq; potestates immundos spiritus ab obsessis corporibus expulit repugnantes.

Sed quantę potentiæ in cęlis fuerit adhuc manens in terra, ex eo manifestum est, quoniam cęlestis regni claues accipere meruit, vt quodcunq; ligaret super terram, esset ligatum & in cęlis, & quodcunq; solueret super terram; esset solutum & in celis. Matt. 16. De his itaq; loquitur Bern. in ser. de hac festiuitate. Quid Petro potentius, cui & terra obedit, cum mortuos reddit, & mare sub pedibus eius calcabile se præbuit? Simonem magum spiritu oris sui in aere attigit, qui claues regni cęlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cœli.

Pauli principatus é cōfirmatus

Nec minus mirandus est Pauli potens principatus, aduersus quem portę inferi non pręualuerunt, eum in errore tenendo, vel eos, quos suscitare voluit in morte retinendo, sicut de adolescente de tertio cenaculo præcipitato mortuo, & resuscitato a Paulo legitur Act. 20. Nec terra poterat resistere quin potenter eam Christo subiugaret, sicut ipse ait Rom. 15. se in virtute signorum & prodigiorum ac spiritussancti terrā ab Hierusalem vsq; ad Illiricum (quod finis est Græciæ) replesse euāgelio Christi. Sed & mare, in quo die, ac nocte manens, atq; eius periculum potenter euadēs cum omnibus secum existentibus sibi donatis, dominari sibi non potuit. Quantos etiam labores sustinens, periculis varijs præualuit, epistola ad Cor. 2. clare docet. Ter naufragiū feci, nocte & die in profundo maris fui. 2. Cor. 11. cum historia Actuum. Spiritibus aerçis & ipse imperauit. Nam & Elimam magum excecauit. Act. 13. Spiritum phitonicū, idest diuinanté puellam quandam in philippis possidentem suo expulit imperio, dicens: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, exire ab ea. Act. 16. Et cap 19. dicitur: Virtutes non modicas faciebat Deus per manus Pauli, ita, vt etiam super languidos deferrētur a corpore eius sudaria, vel semicinctia, idest cinguli parui, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Quanta auté fuerit eius potentia in cęlis quis narrabit? cum (vt Maximus ait) speciali quadam deitatis gratia dū inter homines ageret, & paradisus illi penetrabilis, & cœlum paruum fuit. Et idem alibi: Quid hoc, inquit, apostolo magnificentius? cui in medio mortalium constituto, & supra cęlos ire datum est, & ad terras redire concessum, qui inter secreta paradisi ædiscere meruit, quód nec lingua hominū loqui posset, nec quisquam meretur audire. Et cum tantæ sint sublimitatis illa quæ docuit, vt compræhendere ea mens humana non possit, quantæ illud putamus esse gloriæ, quod prodere sibi asserit non licere?

De hoc quoq; beatus Bern. ait: Paulus fortior omni principatu, & potestate, sapientiam, & medullam sacrorum sensuum non a primo, vel secundo, sed a tertio cœlo largiter asportauit. Ecce quantum confirmatus est principatus eorum, signis, & virtutibus manētium adhuc in terris.

Hodierna veró die nimis confortatus est principatus eorum, quoniam per gloriosam mortis victoriam cęlo assumpti, perpetuum, & inauferibilem receperunt principatum, quoniam, vt Maximus ait: vita eos sanctissima venerabilem perduxit ad mortem, & gloriosus occasus fecit esse perpetuos. Et Beatus Bern. Si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo, quid non poterunt viuentes hodie in æterna fælicitate cum ipso? Mortales adhuc, & morituri imperium vitæ, & mortis videbantur habere: solo nimirum verbo mortificantes viuos, & mortuos suscitantes,

quanto magis nunc honorati sunt, nimis confortatus est principatus eorum.

Gloriosissima fuit hęc sanctorum apostolorum victoria, & talis, ac tanta, vt de cætero non modo vinci non possent, sed nec oppugnari.

Nam eo translati vbi nullus persecutor appropinquat, vt supra dictũ est. Quæ nisi gloriosa, non prius a Christo reuelata. Ad Petrum inquam, & mortem, & moriendi significans formam, ait, Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit dominus, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Ioan. vltim. Clarificauit Petrus morte sua Deum, vt dicit Beda in Homil. de vigil. quando hoc iudicio cunctis (quantum Deus diligendus esset, colendusq; monstrauit, dum ipse data optione, mallet crucis subire tormentum, quam a cœlestis verbi prædicatione cessare.

Clarificauerat Christum Petrus in vita, quia per omnia, quæ gessit, non suam propriam, sed conditoris sui voluntatem, laudemq; quærebat. Clarificauit, & hodierna passione Christum, dum pro paruulorum eius vita vsque ad mortem certando, vt illi possent corpore pariter, & mente saluari, tormenta corporis omnia, quæ aduersarium infligere libuit, forti mentis constantia tolerabat.

De Paulo denique ait Ananiæ dominus. Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati: Actuum 9. Hæc autem sibi ostensa fuisse, & mortem reuelatam, Paulus ipse insinuat, cum Timotheo suo, ait: Ego enim iam delibor, id est immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo posita est mihi corona iustitiæ, quam mihi dabit dominus in illa die iustus iudex. Super quo ait Beda. O quam præciosa in conspectu domini mors sancti illius qui apertissimè nouerat, qui libera voce prędixerat, se occidi pro domino nihil aliud esse, quam gratissimam Deo, & mundissimam hostiam offerri. Gloriosi itaq; principes terræ Petrus, & Paulus apostoli, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte nimis confortati, nõ sunt separati, sed hodierna vnaq; die, vno in loco, vnius tyranni mortis tolerauerunt sententiã. Sicq; vt in hymno canitur: Ianitor cęli, doctor orbis pariter iudices secoli, vera mundi lumina, per crucem alter, alter ense triumphans, vitæ principatum, laureati possident in æternum. Passionis tamen ordinem, ac propinquam occasionem, quamuis pium pariter, & flebile, sed & vtile nimis est mente pertractare propter plurimarum perfectionem virtutum ibi nobis exemplatam, tamen quia hora transiit, alteri reseruãdum, est sermoni.

Petr⁹, & Paulus nobis laborauerunt.

Sed nunc dilectissimi tantorum, ac summorum patrum labores, & dolores non frustremus, nobis laborauerunt, nobis vitæ vias, quas ab omnium magistro didicerunt, vita ostenderunt, & doctrina, voce, & scripto, quo nos docent vsq; in diem hodiernum. Ad cuius firmum testimonium etiam nobis, sanguinem suum fuderunt, nobis quoq; proficit, quia nimis confortatus est eorum principatus, quos adiutores tenemus aduocatos, ac intercessores efficacissimos in cęlis, an putatis, quia eorum obliuiscatur, quibus ait: Dabo operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis 2. Pet. 1? Nec suæ charitatis obliuiscetur Paulus, qui ait: Optabã & ego, ipse anathema esse pro fratribus meis. Rom. 9. volens in hac vita diutius manere, sicut etiam ad Phil. 1. tangit, & iterum. 1. Corint. 9. Omnibus omnia factus, vt omnes saluos facerem, cum (vt Bern. ait) charitas eorum non sit minuta, sed magis in cœlis aucta, quia consummata. Possumus enim & nos si eorum adiutoria non spreuerimus,


sicut

sicut ipsi in nostro principatu nimis confortati. Sumus enim omnes, quotquot fidem Christi confitemur, a domino principes electi, & constituti, ipso teste, de quo loquimur. Vos inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annũcietis eius, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen. Et Ioã. in Apoc. cap. 1. Iesus Christus princeps regum, qui dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo, fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo. Confirmauit & hunc principatum nostrum, cũ non solum ad fidem vocauit, sed & gratiam cõtulit, qua possumus omnia ista, quæ de apostolis recitata sunt miracula spiritualiter perficere, sicut ostendit Greg. Homil. 29. per quæ innotescimus tanquam veri principes, & reges Deo, angelis, & hominibus. Nihil restat, nisi vt ea vtamur viriliter contra omnes aduersarios, mundum, carnem, dæmonem pugnando, vt tandem exemplo apostolorum triumphantes, mereamur similem nostri principatus municibilem confortationem. Nec excusemus nos in peccatis dicentes: Nõ ego talem, qualem isti recepi gratiam, imitari non possum. Audi Chrys. li. 1. de cordis compunctione dicentem: Venit gratia Dei ad vnum quemq; sed apud eos, qui dignè explent ea, quæ in ipsis sunt permanet. Et sequitur; Non ergo nosmetipsos seducamus, dicentes: Impossibile est, ut sit aliquis sicut Paulus. Siquidem signorum, & mirabilium ac sapientiæ, & gratiæ eius contemplatione, nullus poterit esse Paulus, vitæ autẽ ratione, & conuersationis diligentia, præsto est volenti imitari eum. Imitemur ergo dilectissimi, nostro pro modulo tantos patres, & magistros, & vitæ nostræ ordinem ad eorum exempla dirigamus, quod facilius fit (vt Beda dicit in Homil. de vigilia huius festi) si redemptorem nostrum debito affectu complectamur, & erga proximorum salutẽ fraterna sollicitudine vigilemus, atq; in proposita vitæ rectitudine ad mortem vsq; persistamus. Sic enim socij conuersationis eorum existentes, erimus sine dubio, & retributionis, vt sicut eorum, ita & noster principatus nimis in domino confortetur, ipso præstante, qui hæc nos facere iubet, & facta remunerare pollicetur Iesu Christo domino nostro, cum patre, & spiritusancto in sæcula benedicto: Amen.

*Petri, & Pauli Xpo triũphabimus contra diabolũ.*

## *DE SANCTA MARIA Magdalena. Sermo. I. in ordine. XXIIII.*

*Maria Magdalenæ cõuersio ad nostram consolationem.*



AGIMVS festum beatissimæ Mariæ Magdalenę. In cuius cõuersione ad nostram consolationem relucet Larga Dei misericordia in venia faciliter concessa. Inflexibilis iustitia in longa corporis afflictione, & pœnitẽtia. Imitabile conuersionis exemplum in perfecta renunciatione sæculi. Magnum perseuerantiæ præmium, in multitudine priuilegii. Primo apparuit magna Dei misericordia in conuersione beatæ Mariæ Magdalenæ, quia facilis, & prompta in peccati remissione, quia plena, & perfecta in bonicollatione. Facilis, quia ad peccatorum remissionem semper parata. Neq; vincitur peccatorum multitudine, magnitudine, continuatione. Non vincitur multitudine. Nam mulier hæc veniam a domino consecuta est, quæ tamen omnibus viriis plena fuit, propter quod septem dæmonia ab ea exiisse describuntur Luc. 8. & Mar. vl. Quod de peccatorum vniuersitate exponit Greg. in Homil. Per septem enim vniuersitas designatur. Non vincitur magnitudine. Nam non solum cogitatione, & affectu, verbo, & affatu peccasse creditur, sed turpitudine, & effectu peccauit, in quo est consummatio iniquitatis. Vnde Chrys. Ante proditionis tempus meretrix vnguẽ

tum super caput domini fudit, grandē fidem, multam reuerentiam, mirandam correctionem ostendit, & quando prostituta lupanar exiuit, tunc discipulus gehennam intrauit. Quando illa mercedem sui corporis abdicauit, tunc ille precium magistri sanguinis postulauit. Satis concordat glo. Aug. & aliorum. Et licet quidam contendant eā corporis integritatem non perdidisse, frequenter tamen tenent doctores, q etiam opere geniali voluptati seruierit: vnde & Chrys. eam meretricem nominat.

Vnde referūt historiæ Mariam Magdalenam clarissimis ortam natalibus, scilicet ex semine regio, cum sorore Martha, & fratre Lazaro, quæ Magdalum castrum possedit, relicta Bethania Marthæ, & parte Hierusalem Lazaro. Verum Martha omnibus intenta sedula ministrabat, militibus, & famulis, ac pauperibus necessaria dispensabat, vacante Lazaro militiæ, & Maria delitiis intendente. Cum ergo Maria diuitiis abundabat, quas voluptas comes sequitur, quantò diuitiis, & pulchritudine splenduit, tantò vitijs se substrauit.

Nec vincitur peccatorum continuatione. Neq; enim modico, vel breui tempore putanda est sorduisse, quia dicta est peccatrix, quod secundum grammaticos significat actum conuersum in habitum. Sed quantumlibet maior est his diuina misericordia, quoniam infinita, vnde simpliciter impossibile est eam vinci a quantalibet multitudine, & magnitudine peccatorum, quia simpliciter impossibile est Deum non esse Deum, & infinitum, quod tamen sequeretur, si nostris peccatis vinceretur. Nec solum maior, sed & facilis, & placabilis super malitia, vt dicit Ioel. 2. Ecce ad dominicorum pedum contactum, ad vnum suspirium ad vnam lachrymarum effusionem, omnia peccata remittuntur, secundum illud Ezech. 33. In quacunq; hora &c. Accessit enim retro ad pedes Christi, dum medicus vitę doctrinam salutis seminaret peccatoribus, propter quos venit & c. Nihil postulasse dicitur, nec verba formasse, & ecce audiuit. Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te saluam fecit, vade in pace. Apparuit etiam misericordiæ plenitudo in hoc, quia non solum peccata dimittit, vt non puniat, sed nec improperat. Iaco. 1. Non enim recordatur peccatorum cōuersi. Ezech. 18. Omnium iniquitatum eius non recordabor. Nec minus tribuit, sed gratiam secundum subiecti capacitatē infundit, & dispositionem. Vnde ait dominus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & Ezech. 33. In iustitia sua, quam operatus est, viuet. Nihil enim refert pęnitus ad effectum diuinæ misericordię, qualis peccator fuerit, quantus, quam inueteratus, sed qualiter qua mentis ardore ad Deum conuersus. Exemplum de sole ęque illuminante domū diu clausam, aperta tardius fenestra &c. Vnde sint duo æquales feruore conuersi ad Deū, ab inęqualibus peccatis, in quibus etiā non æquali tempore steterunt, ęqualē tamen consequuntur iustificationis gratiam, & maiorem, qui feruentius conuertitur, licet maiori tempore steterit in peccatis grauioribus vitiis irretitus. Ecce Magdalena peccatrix, Marthæ virgini præfertur. Optimam (Christo teste) partem assequitur. De hac verificatum est illud Luc. 15. Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, id est speciali gaudio, & ex alia ratione gaudent de conuersione peccatoris, quo non gaudent de iusto, quia nunquam cecidit.

Misæ dñe vnę esse ctus non requirit qualis, vel quantus fuerit pctōr

Monstrata est nobis secundo diuina inflexibilis iustitia, in longa, & dura conuersæ dilectricis pęnitentia. Ecce dimissa sunt ei omnia peccata. In pace dimissa est, in pace conscientiæ cum Deo. Datum est donum super omne donum charitas feruentissima. Etiam vitæ cōtēplatiuę suauitas, quæ est pars optima. Nihilominus psecutionē passa, triginta ānis in Eremo abstinētia sup hominē castigata, & tāto tēpore perfectione glorię suspensa, quo nihil magis af-

Mariæ Magdalenæ dura pęnitentia.

fli-

fligere potuit secũdum illud Sap. Spes, quæ differtur, affligit animam. Sed probata est eius patientia, eius constantia, & fortis vt mors dilectio, vinci nescia. Quia enim vt dicit Grego. turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit, dicens intra se: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Item: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, Siquidem vt vult Scotus dist. decimoquarta. quæst. 1. quarti peccatum non remittitur sine pęna, vel aliquo æquiualenti in acceptione diuina.

Nam secundum philosophum. 1. metaph. sapientis est ordinare. Ideò nihil inordinatum in regno sapientiæ esse potest. Illius sapientiæ, quæ attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Sap. octauo. Siquidem pęna est culpæ ordinatiua, ita quod in vniuerso non potest relinqui culpa, cui non respondeat pęna ordinatiua, propter quod etiam simpliciter melius est peccatorem non correctum esse in pęna quam sine pena, vt vult Boetius. 4. de consol. prosa. 4. Et licet pęna inuoluntaria ordinet peccatum, non tamen delet, vt in damnatis. Pena autem voluntaria & delet, & ordinat peccatum. Exegit ergo ab ea ante peccati dimissionem pęnam voluntariam veram scilicet cordis contritionem, omnia sua peccata comminuentẽ. Dicitur enim contritio quasi rei in minimas partes contusio. Siquidem omnia sua peccata displicuerunt, nullum delectabat amplius, nec eius memoria voluntatem in sui complacentiam trahere potuit, omnia contritio deleuit, & abluit, vt neque reliquiæ maculent, neque memorata alliciant, sed magis contristent. Si quæris: Si peccata fuere dimissa, quomodo iterum pro peccatis afflicta? Sed siue pro peccatis dimissis, quo ad culpam, & pęnam æternam temporaliter sit afflicta, siue quod verius puto, non à peccatis, quæ plenissime à fonte misericordiæ, præuia contritione, & lachrymarum imbre dimissa fuere, sed pro augmento gratiæ, & plenitudine gloriæ, iustè præcedentibus meritis retribuendæ, afflicta sit: Iustitia tamen diuina in hoc nobis relucet, quæ etiam singularissimis, & dilectissimis amicis non parcit, sed tot castigationes præparat, quot ad singularem gloriam præ destinat. Exemplum de matre domini, Ioanne Baptista, Iob, apostolis. Nonne sic oportuit pati Christum & intrare in gloriam suam. Luc. vltim. Euigilate hic desides, & inertes, magna præmia sine labore concupiscentes, doceat vos Mariæ pęnitentia, & illud Gregorii, Ad magna præmia non nisi magno labore peruenitur.

Contritio quid.

Ostensum nobis est tertiò exemplum imitabile, perfectæ conuersionis exemplum, ostendit nanque prius facto, quod post apostolus prædicauit verbo, sic inquiens Roma. sexto. Sicut exhibuistis membra vestra &cet. Sunt enim membra, animæ, sunt & membra corporis. Omnia, quibus prius in ministerium peccatorum abusa fuerat, conuersa, verterat in obsequium Christi. Prius gloriabatur in mundo, verecundabatur de Christo. Nunc autem semoto pudore seculi audacter procidit ad pedes Christi. De quo Augustinus super psal. 140. ait: Illa mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix venit, & accessit ad pedes Iesu. Ilsa impudica quondam frontosa ad fornicationem, frontosior ad salutem irrupit in domum alienam. Amore impudico se prostituit mundo, amore casto adhæret Christo. Memoriam turpium delectationum abiicit; Christi verba deuotè suscipit. Et quæ toto cordis, affectu vanitatibus, inhiabat seculi, omnibus intus, & foris dimissis, se totam obtulit spirituale obsequium Christi.

Sic expulsio multiplicium vitiorum fauore diabolo, Christũ solũ suscipit ĩ cordis sui tẽplo. Et amorẽ Christi, do-

lorem peccati, quos intus gerebat, pedum lotione, fonte lachrymarum, tersione crinium, & vnguenti suauissimi linitione, foris demonstrauit. De quo beatus Grego. in Homil. Quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foras.

Dicis forte: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ps. Item: quis mihi dabit fontē lachrymarum, vt lauē per singulas noctes lectum meum in amaritudine animę meæ, sicut hęc pęnitens? Et item: Vellem quidem dolere, & conteri pro peccatis, sed non suffundor lachrymis, nec dolore sensibili compungor, aut mē tis tristitia concutior. Pro intellectu huius notandum, ꝙ in vindicante voluntariè peccatum suum, quatuor considerantur, scilicet Detestatio peccati siue nolle peccasse, quę est displicentia peccati siue nolle peccasse, quæ est displicentia peccati commissi, vel omissi. Secundum quod consyderatur, est tristitia in parte intellectiua, vel dolor in parte sensitiua. Siquidem secundum Aug. 14. de ciui. Dei, tristitia est dissensio animæ ab his, quæ nobis nolentibus accidunt Tertium acceptatio, quæ voluntas acceptat, & nolle peccasse, & tristitiam consequentē, idest vult se nolle peccatum, & vult tristari pro peccato. Quartum velle vindicare peccatum commissum, idest velle sibi infligere penam exteriorem. De tertio dicit August. & habetur in textu dist. 14. quarti. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat. Non tamen sunt actus illi sic essentialiter ordinati, qn quandoq; varientur secundum aliam, & aliam peccati apprehensionem, vnde quandoq; velle vindicare peccatum præcedit omnes alios actus, dum scilicet, peccatum, & eius malitia per intellectum appræhenditur, primò vt vindicandum, & detestandum, nnnc enim statim sequitur velle vindicare, & imperium voluntatis, vt peccatum detestetur, ex consequenti tristitia pro peccato commisso, vt Dei offensiuo. Attamen actus detestationis seu nolle essentialius se habet ad peccati deletionē, quam cęteri. Omnes hi actus sunt in hominis potestate. Ex consequenti imitari possumus Mariam peccatricem si volumus. Et quia actus illi regulariter coniuncti sunt, & ad peccati deletionem concurrunt: ut plurimum eõ iunctim, ideo quilibet eorum potest dici largo vocabulo peccati detestatio, seu etiam contritio, magis tamen propriè detestatio, siue displicētia pro peccato, quæ est nolle peccasse, contritio dicitur, quia hæc requiritur, & sufficit sine aliis ad peccati deletionem. Qua deletione peccatum metaphoricè conteritur, sicut res corporalis, dum pede teritur, deletur. Quia autem ex parte pęnitentis per hanc displicentiam peccatum deleatur, probatur. Sicut peccatum sola voluntate committitur, ita ille actus, qui prius, & essentialius est in potestate uoluntatis, principalius est inter cæteros actus supradictos, concurrit ad peccati deletionem, huiusmodi autem est velle non peccasse, siue nolle peccasse Ex illo sequitur, ꝙ contritio non est aliud, nisi nolle peccasse, ex quo tanquam ex radice cæteri supradicti actus oriuntur.

In pctīn uīdicāte quatuor considerantur.

Maria pęnitētē possimus oēs imitari, & quomõ.

Ex illo possunt nunc elici quatuor breues, sed vtiles doctrinæ ad replicas responsiuę. Prima: Nemo voluntatis suæ arbiter, ab habenda contritione tamquam a re impossibili, difficili, & extra suam potestatem constituta, se poterit excusare, patet, quia secundum Aug. libro. 1. retractatio. Nihil adeo est in potestate voluntatis, sicut voluntas ipsa. Alioquin quomodo dominus precepisset, pœnitentiam agite, cũ blasphemia sit dicere Deum aliquid impossibile præcepisse? Secunda doctrina: Dolor sensibilis, & lachrymarum corporalium effusio non sunt de substãtia, vel necessitate contritionis immo nec tristitia mentis Patet, quia contritio secundum totum illud, quod ex parte no-

Doctrinæ 4. breues de cõtritione.

Lachrymæ corporales nó sunt de essentia contritióis.

nostra requiritur ad peccati remissionem, est in facultate voluntatis. Alioquin quis inuitus teneretur in peccato? contra illud Ezech. 33. & 18. Sed nec tristitia, nec dolor nec lachrimæ sunt simpliciter in potestate voluntatis nostræ. Quia autem aliquando auctorirates loquuntur de lachrymis, intelligendum est de fletu cordis &c. Tertia doctrina stat: quandoq; cum contritione maiore, minor doloris sensus, & irruptio lachrymarum, & cum minore maior, propter complexionis varietatem, & varias alias causas concurrentes, stat enim, quem firmius nolle peccasse, quam nolle temporale damnum: Et tamen magis moueri ad lachrymas per præsentiā damni temporalis, quam per detestationem peccati, & tunc sic intelligitur dictum Augustini: Sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel amici, & dolorem peccati non ostendit in lachrymis scilicet interioribus, vel exterioribus, vel culpabiliter dicat defectum naturę non morum. Quarta doctrina, licet dolor in parte sensitiua posset esse nimius contritio tamen nō potest esse nimia, vel nimis intensa. Natura enim pœnitens saluari debet, non occidi, nedum hostis stringitur, cuius occidatur. Sequitur autem sępe ex nimio dolore offensa cerebri, aut capitis. Sed quo ad secundum tantum debet esse odium peccati, quantus ex aduerso amor Dei, secundum cuius magnitudinem erit mēsura odij peccati Deo contrarii. Sicut enim Deus est super omnia diligēdus, ita offensa Dei super omnia odienda.

Cōtritio non pōt esse nimia.

Ex illo nunc patet, ꝙ nullus potest prętendere excusationem de non posse sequi pęnitentem Mariam, aut non conteri pro peccatis, illa enim sunt in potestate nostra. Et si non est sentimentum cuiusdā amaritudinis pro peccato vel lachrymarum corporalium irruptio, non est cura, dum saltem assunt lachrymæ interiores, circumstantia finis vltimi circumstantionatæ. Illę enim requiruntur ad peccati deletionem, & detestationem, & sunt in nostra potestate. Secus de lachrymis exterioribus corporalibus. Maria verò Magdalena utrūq; habuisse creditur. Applica ad propositum. Et ostende, quam possibile sit nos eam imitari detestādo nostra peccata.

Monstratur demum nobis magnum perseuerantiæ præmium. Quantū autem sit præmium, quo nūc fruitur, quo nunquam priuatur cogitare non possumus, cum nec oculus vidit, nec &c. Sed ex priuilegiis hic consecutis coniicere possumus aliquantisper. Hanc singularis amoris igne hic spiritualiter accendit, huic se resurgens primum ostendit, hāc multipliciter excusando defendit, contra pharisæum murmurantem, accusantem sororem, apostolos increpantes, populum iudicantem; Ecce hic peccatores recipit. Hanc deniq; in æremo humana consortia fugientem, angelicō consortio sustentauit. Et tandem in pace cursu consummato data securitate suscepit, & postmodum crebris miraculis exaltauit, quam sic in terris coram terrenis præmiauit, quanta gloria in cęlis sublimauit? Sed nunc charissimi tanto pęnitentiæ exemplo excitati ad Dei misericordiam fidenter cōfugiamus, ipsamq; ne nobis in iustitiā conuertatur præoccupemus. Nullus nobis relictus est pusillanimitatis, nullus excusationis locus. Non nos impedit peccatorum grauitas, multitudo, vetustas. Infinita est misericordia, quæ expectat, sed nec minor iustitia, si misericordiam negligentes contemnamus, neq; solū pro peccatis nostris, sed pro neglecta misericordia sumus rationem reddituri. Recurramus ergo ad singularem Dei dilectricem, vt & ipsa gratiam impetret imitandi. Amen.

Perseuerātię magnū præmium.

Hortatio ad Mariæ Magd. incitationem.

*DE SANCTA MARIA Magdalena Sermo. II. in ordine XXV.*

DIMISSA sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lu. 7.

Magdalenæ festũ gaudiosum angelis, hominib⁹ iustis, ac pctõribus.

Festum beatissimæ Mariæ Magdalenæ gaudiosum est angelis, & hominibus iustis, sed magis peccaroribus nobis. Veneramur siquidem in illa diuinæ bonitatis clementiam, qua nullum peccatorem conuerti volentem contemnit, per quod a desperatione leuamur. Docemur & viam, quę ad misericordiæ fontem lauandum ducit, per quod ad pœnitentiam inflammamur. Quid.ni dulcius, quid benignius, quid & clemẽtius peccatoribus, sed pęnitentiam agẽtibus, intonari poterit hac misericordi redemptionis liberalitate? qua ita omnem redeuntis animæ condonat iniuriam, vt iam nec damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando, sed insuper (ut apostolus ait ad Rom. 5.) vbi superabũdat delictum etiam superabundantem gratiã largiẽdo, ita vtmaius gaudiũ sit angelis Dei super vnius peccatoris cõuersione, quam supra. 99. iustis. Luc. 13. Ecce Martham virginem iustam, Mariã peccatricem famosissimam. Sed tanta huic in eius cõuersione dilectionis multitudo concessa est, tanta gratia familiaritatis, vt pars quidem Marthæ bona, sed pars Mariæ optima domino iudice discernatur. Ait enim Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: Maria optimam partem elegit. Luc. 10. Quis deniq; accusauit Mariã? & pro se eam oportuit respondere: Si pharisæus murmurat iudicans immundam: Si Martha conqueritur asserens ociosam, si scandalizantur apostoli putantes prodigam, Maria tacet, Christus excusat etiam, & laudat tacentem, vt vult Bern. ser. 2. de septem panibus. Honorem deniq;, quẽ sexus fœmineus in prima muliere perdidit, dominus p hanc restituit, duum vitam immortalẽ, quam ista vniuerso generi humano ab innocentia cadens abstulit, hæc a peccato surgens prima omnium Christum resurgentẽ videre meruit, ipsumq; ecclesiæ magistris apostolis domini nunciauit, in quo sexus fœmineus prælatus noscitur masculino, ut tangit Grego. Homil. 25. Ecce immensam diuinæ bonitatis clementiam. Sed quid nobis hanc nosse proficit, si viam ad hanc veniendi, & peccatorum nostrorum maculas abluendi ignoremus? sed hanc nobis opere exemplariter Maria demonstrat, & dominus doctrinaliter manifestat per thematis verbulum: Dimissa sunt ei &c. Pro gratia Aue &c.

Magdalenæ lympida purgatio, & intensa dilectio.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Duo nobis in beatissima Magdalena proponũtur specalanda, immo verò magis imitanda: Pęnitentis, scilicet lympida purgatio, & intensa dilectio ad lauantem. Secundum est causa primi, sed primũ perfectio secundi. Siquidem dilectio operit multitudinem peccatorum. 1. Pe. 4. Peccatorum verò expulsio augmentat, & perficit charitatem: dum resurgentem a peccatis facit sapere cœlestia, non terrena, sicut apostolus ait. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super terram. Col. 3. Ad ostensionem primi Referunt historiæ Mariam Magdalenã clarissimis ortam natalibus, vt supra. ser. 1. patuit A. Cum ergo Magdalena abundabat diuitiis, quas voluptas comes sequitur, quãtò diuitiis, & pulchritudine corporis splenduit, tantò voluptatibus, ac vitiis se substrauit, non modo paucis, & occultè, sed vniuersis, & publicè, adeo vt ab oibus talis fama diceretur, vnde & nomine pprio, ac generis sui perditio, peccatrix consueuerat appellari per Antonomasiam, sicut Lu. ait. mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Hinc Marcus ab ea septem dæmonia per dominum fuisse eiecta testatur, quia vt Grego. exponit Homil. 33. septem dęmonia habuit, quæ vniuersis vitiis plena fuit. Licet quidam contendant corporis integritatem non

per

perdidisse, sed cogitationibus tantum ac interiori,& appetitu pollutam. Veste quoq;, apparatu exteriori, & incessu superbam, magis tamen consonū videtur doctoribus sanctis, etiam opere geniali deseruisse voluptati. Nam & Chrys. ea notat meretricem, neque ideo minus sancta, & veneranda, quia quo peccatis amplius fuit irretita,eo pœnitentia gratior, & Dei misericordia latior commendatur, sed quantò peccatis fędior, tantò ad pœnitentiam pronior, magisq; strenua domini aspirante gratia est inuenta,dū enim Christus doctrinam vitæ seminaret, peccatores, propter quorum salutem venit vocaret, purgaret, absolueret: Contigit (vt euang. refert) cum a pharisęo inuit. discū. ad mā. quod cum cognouit, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes domini, lachrymis eos rigare cepit, capillis capitis sui tergere, osculari,, & vnguento vngere.

Magdalena perfectè pęnitens. Audistis Mariam famosam peccatricem, consyderate eam perfectè pęnitentem, dignos pęnitentiæ fructus facientem. Et singulis vitiis satisfactiones singulas opponentem. Prius quidem non nisi multò pedissequarum,famulorumq; stipata numero, vani gloriosa incessit, in peccatis gloriari, de religione verecundari didicit. Nunc publicis peccatis pęnitentiam publicā superaddens,conuiuantes publicè quidem sed sola, non vocata, non iussa ingredi, atq; inter epulas non erubuit lachrymari,quia enim secundum Gre. in Homil. turpitudinis suæ maculas aspexit,lauandas ad fontem misericordiæ cucurrit,conuiuantes non erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intus,nihil esse credidit,quod verecundaretur foras. Prius cæteris despectis pro diuitiarum pompa, ac corporis specie superbiens,omnibus se prætulit. Nunc verò conspectui domini indignam se reputans, retro secus pedes domini stans, ad vltimas beati corporis partes procidit plena humilitate. Prius corporis voluptatibus, terrenis gaudiis, multiplicibus vitiis delectabatur. Nunc verò doloris acerbitatem, quo illicita commutauit gaudia, lachrymarum multiplicitas contestatur. Quibus largiter effusis, dum pedes domini rigat, sacratissima Christi vestigia imitatura, valefaciens peccatis, mentis,& corporis munditia se spopondit. Prius oculis illecebrosa cōcupierat, sed hos iam pro pęnitentia conterens flebat. Capillos ad vultus compositionem exhibuerat,sed iam humiliter lachrymas illis in pedibus domini tergebat.

Prius illicitis actibus intenta vnguētis pro odore suæ carnis sibi adhibuit, quod pauperibus negauit, sed hoc ipsum iam domino laudabiliter, & coplosè offerebat, ad caloris refrigerium, & doloris ex labore itineris mitigationem Ore superba dixerat,ac labiorum basiis libidinem prouocabat, sed pedes domini osculans, hæc in redemptoris sui vestigia figebat.

Ecce singulis vitiis singula apposuit virtutum medicamina. Et sicut Grego. ait Homil. 33. quot. in se habuit oblectamenta, tot obtulit de se holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum,vt totum seruiret domino in pęnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa. Iam opere docuit,quod prius apostolus prædicauit. Sicut n. exhibuerat membra sua seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: Ita nunc exhibuit membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem,quæ seruitia,quia ex vera fide processerunt,audire meruit. Fides tua saluā te fecit. Et qa hāc fidē charitas adornauit,audiuit. Dimittunt ei pctā multa qm dilexit multū. Et ita patet primū.

Magdalenæ perfecta dilectio. Audistis,quomodo mulier sancta pfectam agens pęnitentiam, meruit multorum remissionem peccatorum. Attendamus, & nunc dilectionis suæ perfectionem, quoniam domini testimonio dilexit multum. Et quidem omniū peccatorū remissio testis erat, quia magna fuit in ea charitatis pfectio. Charitas n. secūdū Greg. ignis est,culpa rubigo.


Tantò

Tantò autem amplius peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne crematur, vt dicit Grego. Verum hæc quomodo in dies aucta sit, ipsa eius vita, atq; conuersatio probat. Conuersa nanque ad dominum, incipientium, proficientiumque gradus statim transilijt, perfectorum statum tenuit, continuo enim omnia mente reliquit, vniuersa transitoria spreuit, soli domino intensissimo amore adhæsit. A pedibus illis sacrosanctis apud quos indulgentiam meruit, separari non potuit, transcurre euangeliũ vbiq; inuenies eam aut iuxta pedes domini sedentem Lu. 10. audire verbum eius, aut ad pedes cadentem. Ioan. 11. aut pedes vnguentis refrigerantẽ. Ioa. 11. aut pedes tenentem. Matt. 28. Ita inquam, domini amore absorptam, vt corporali ministerio deseruire dissimulabat, eorum etiam quæ ad Christum pertinebant, ne vel ad modicum ab eo separari contingat, ita vt Martha soror eius etiam aduersus dominum pia quadam permota sollicitudine causabatur: Domine inquit, non est tibi curę, q̃ soror mea reliquit me solam ministrare? dic illi vt me adiuuet. Lucæ. 11. Hinc sequitur prędicantem, patientẽ non dereliquit, sed nec à mortuo separatur, stat ad monumentum, plorat, recedentibusq; apostolis ipsa non recessit. Et quia præ cunctis constanter dilexit, prima omnium videre meruit viuum, quem quæsiuit mortuum. Ipsa cum apostolis vidit ascendentem, cum quibus & in conclaui spiritum sanctũ accepit. Diuisis deniq; discipulis domini, ipsa à beato Petro, beato Maximino commendatur, qui vna secum & beatis Lazaro, Martha conterinis ei⁹: Marcella pedissequa Marthæ: beato Cedonio ceco nato à Christo illuminato, alijsq; fidelib⁹ in naui sine gubernatione, fluctibus maris ab infidelibus exponuntur absorbendi. Sed nutu Dei ad Marsiliam deuenerunt &c. vt in historia. Lucrata Marsilia & Aquensi ciuitate, amor impatiens eam mundo cõuersari diutius non sinebat. Sed vt omnibus relictis suo soli dilecto intenderet, nulla ab eo transeuntium consolatio retraheret, asperrimam petiit eremum, ac locum in eo cauum, in quo nec aquarum fluenta, nec arborum, aut herbarum erant solatia, ibi triginta annis omnibus hominibus incognita habitauit. Sed ecce quæ vniuersam mundi consolationem pro domino, quem amauit (ne distractus amor minueretur) contempsit, à domino mirabiliter visitatur, nam per singulos dies septies ab angelis in ethera leuata &c. vt in historia. Ecce magnitudinem amoris testantur tam miranda beneficia saluatoris. Nos ergo dilectissimi non incassum hæc audiuisse patiamur. Imitemur ambulantem in via, vt perueni re ad eam mereamur regnantem cum Christo in patria.

Magdalenæ vita solitaria.

## *DE SANCTO IACOBO Sermo, vnus in ordine. XXVI.*

Recitetur primum loco thematis euangelium Dei.



INTER cęteras causas, ob quas sancta mater ecclesia sanctorum solemnia nobis proponit hęc nõ minima fore dignoscitur, vt sic viua exẽplaria nobis proposita, diligenter imitari curemus. Et cum illud verum sit de quolibet sancto, magis tamẽ illi nobis imitandi proponuntur, qui Christo sancto sanctorum magis iuncti fuerunt, & ita maiori perfectione claruerunt. Nostra enim perfectio ex accessu ad Deum metiri habet. Iunctus verò fuit Christo Iacobus maior, cuius solemnitatem hodie celebram⁹ vt propinquus propinquitate, carnali familiaritate, nominis significatione, & passione. Primum propinquitate carnali, qua erat nepos eius, & consobrinus.

Ecclesia cur festa sanctorũ celebret.

Anna

Anna enim tres viros habuit, ex quibus tres Marias genuit. Primus Ioachim vnde genuit Mariam matrem Christi. Secundus Cleophas vnde genuit Mariam matrem minoris Iacobi & iusti Ioseph, Simonis & Iudæ. Tertius Salome, vnde genuit Iacobum maiorem, & Ioannem euangelistam.

Prima Maria iuncta fuit Ioseph patri putatiuo Christi. Secunda iuncta fuit Alpheo patri Iacobi minoris, Ioseph Simonis & Iudæ, Tertia Zebedeo patri Iacobi Maioris, & Ioannis euangelistæ. Et ita Iacobus Maior, & Christus, filii fororum fuerunt, quia genitus ex Zebedæo patre, & Maria matre Salome, sorore Virginis matris Christi. Secundò propinquus fuit familiaritate, quia ad secreta eum Christus recepit, vt patet in puellę resuscitatione Lucæ. 8 Item in transfiguratione gloriosa. Lucæ ca. nono. Item in agone, dum tristitiam mortis exponeret. Matthæi. 26. In his omnibus secretis, Petrum Iacobum, & Ioannem secum habuit, ceteris dimissis. Tertiò nominis significatione interpretatur nãque Iacobus supplantans festinanter, siue supplantator. Sic Esau de Iacob Patriarcha, cum ipse Iacob patri cibum attulisset eum præueniendo, & Rebeccæ monita sequendo, ait Gen 27. Iuste vocatum est nomen eius Iacob. Supplantauit enim me en altera vice. Supplantauit siquidem diabolum omnis honestatis inimicum deiformi conuersatione, & omnium viciorum euulsione, vt patet de Hermogene, & Phileto suo discipulo, quos conuertit & diabolum religauit. Supplantauit carnem propriam eam domando, & in seruitutem spiritus redigendo, mundum ipsum contemnendo cum omnibus pompis suis. Quartò fuit propinquus domino mortis cõformitate, quoniam licet non sicut dominus crucifixus est, hoc est ligno exteriori corporaliter affixus, calicem tamen domini constanter bibit, dum sponte ex obedientia se morti obtulit pro Christo. Nec cum viuere potuisset, amore vitæ præsentis à Deo recessit, sed fortiter mortem sustinuit pro veritate fidei, quam Christus dominus docuit, & ipse prædicauit. Hunc itaq; si intercessorem, & patronum habere cupimus, in his prædictis oportet eum viriliter imitemur.

*Iacobi interpretatio.*

*Iacob' domino propinquus morte.*

Sed dicis: Quomodo calicem passionis cum sancto Iacobo bibere potero, cum ecclesia à tyrannide persecutionis nunc libera euadat, & non sit, qui mortem infligat? Ad hoc dicitur secundum mentem Bedæ in homil. festi pręsentis, q duobus modis calix domini bibitur. Vno modo cum à persecutore illata mors pro Christo patienter suscipitur prout fecisse leguntur sancti Martyres. Alio modo cum mens ad passionem (si tempus & loca hoc postulauerint) prompta habetur, seu cum vita martyrio digna geritur, tota .n. christiani hominis vita crux est, atq; martyrium, vt ait Maximus in sermone, vnde & crux domini non illa tantum dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutib' adaptatur. De qua saluator inquit: Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Manifestum enim est non omnes martyres, qui secuti sunt dominum ligno fuisse affixos, sed neq; Paulum, cũ ait. Mihi autem absit &c. Hoc autem Paulus inquit, vt intelligamus crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisq; propositum. Itaq; omnis christianus christianè, & secundum Deum viuens, martyr. idest Christi testis dici potest. Omnis verò ille, qui voluptate volutatur non secundum Deum, sed secundum carnem viuendo, crucem domini ferre recusat.

*Iacobi calicem quomodo bibere possimus.*

*Calix domini duobus modis bibitur.*

Docet hoc idem Beda in homil. diei huius: Cum inquit, fratres charissimi & si nihil tale perpetiamur, si non vincula, non verbera, nõ carceres, non supplicia corporis alia, non vllam hominum persecutionem, propter iustitiam toleremus, calicem tamen saluatoris accipere, & martyrii palmam obtinere vale-

valemus, si castigare corpus nostrum, & idipsum seruituti subijcere curam*, si in spiritu humilitatis, & animo contrito domino supplicare assuescimus, si illatas à proximo contumelias placita mente suscipere satagimus, si & eos, qui nos odio habent, qui iniurias nobis inferunt diligere, his benefacere, pro horum vita, & sospitate gaudemus exorare, si cum virtute patientiæ, bonorum quoq; operum fructibus adornari contendimus. Taliter enim conseruantibus nobis, & corpora nostra (iuxtà apostoli vocem) hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem exhibentibus domino largientem dabitur, vt communi cum eis, qui membra sua in mortẽ pro Christo dederunt, gloria remuneremur. Hæc ille.

Sed fortè aliquis adhuc contendit, dicens. Quomodo in exemplum imitationis proponitur, qui à Christo de sua indiscretione redarguitur? Ait.n. Christus in euangelio. Nescitis, quid petatis: Vbi filij Zebedæi de ignorantia repræhenduntur. Sed notandum q spiritussanctus auctor scripturæ, nedũ laudata, sed & errata sanctorum quandoq; nobis innotesci voluit, non vt malum sequamur, sed vt cognitum vitare curemus. Vt itaq; rectè viuendi ordinem nobis in euangelio dominus insinuaret cunctis fidelibus sequẽdum, ait. Calicem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam &c. Errabant enim in hoc, quia potius sublimitatem præmiorum à domino petebant, quam operum perfectionem, cum tamen adhuc constituti essent in via laboris, vnde ad viam laboris, qua ad præmium retributionis pertingere possent, magister eos reuocat, dicens: Nescitis, quid petatis. Calicem meum bibetis, id est mihi in mortis similitudine, in diutina carnis crucifixione, vitiorum supplantatione, mundi, & diaboli suppressione similes eritis, & sic brauium vitæ percipere poteritis: ipsi verò ordine præpostero postulauerunt præmium.s. ante laborem, & in loco laboris.

Vnde eorum petitio multiplici ratione erat indiscreta. Errauerunt enim in quatuor in sua petitione scilicet in materia, in ordine, & forma, in causa concedendi, in motiuo, & fine petendi. In materia, quia petierunt, quæ non sunt nec erunt. Nam in regno celorum non est sinistra, etenim in discretione vltimi examinis omnes electi stabunt à dextris, reprobi à sinistris. Matt. 25. Statuet oues à dextris & hedos à sinistris. In illo regno nihil sinistrum, nihil triste, nihil displicens, sed omnia sunt dextra, omnia prospera, omnia dulcedine, & delectatione plena, sed cum sinistra Christi in bono accipitur, præsentis ecclesiæ vita designatur, secundũ illud Prouer. 3. Longitudo dierum in dextera eius. In sinistra diuitiæ, & gloria. In dextra longitudo, quia æternitas pacis. In sinistra diuitiæ meritorum & gloriatio in spe filiorum Dei. Rom. 5. In ordine, & forma petendorum similiter errabant, nam præpostero ordine petebant, regnum scilicet sine meritis, terminum sine via. Nam vt ait Beda, sublimitatem præmiorum à domino potius, quam perfectionem operum quærebant. Cum autem vnica certa, & infallibilis est via ducens ad terminum, frustra petitur terminus dimissa via, quia sine via ad terminum non peruenitur, & ambulanti per deuia, terminus non negatur. Primò operum perfectio, quæ est via ad regnum petenda est, & terminus non negabitur. Errabãt etiam in causa concedendi, dum sperabant propter carnalem propinquitatẽ ad Christum se alijs præferendos in adeptione regni, quod non datur carnalibus propinquis, sed facientibus voluntatem patris, hi enim sunt spirituales propinqui. Hinc extendens manus in discipulos ait Matt 12. Quicunq; fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, ac mater est. Non enim est personarum acceptio apud Deum. Act 10. In omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Errabant in motiuo, intentione, & fine petendi, quia ex inordinato appetitu excellentiæ

Iacobi, & Ioannis petitio quo indiscreta.

qua

sua suis condiscipulis præferri affecta bant cum tamen via ad regnum sit hu militas, quia angusta porta. Hinc dominus ait: Principes gentium &c. Luc. 41. Et ita verum est, q̄ quicunq; in prę latione est constitutus, seruus est sub ditorum.

Doctrinę p̄ viatoribus

Quo contra hę pro viatoribus sumantur doctrinæ. Prima. Ad hoc sumus christiani viatores vt in Christum firmiter credamus, & eū super omnia charitatiuè diligamus, eo q̄ frui tāquā summa, & vltima beatitudine nostra fiducialiter, & efficaciter desyderem⁹, & speremus. Hæc doctrina nobis in via cō stitutis sit quasi signū ad metā, ad q̄ in omnibus actionib⁹ mentis nostræ oculos dirigamus, nec aliquādo ab eo deflectamus. Sicut.n. quilibet industrius artifex, aut operator non solū finē certum q̄rit, & amat, sed q̄ certa media eligit, ad quæ omnis p̄positi sui intētionē dirigit, & p̄ illa finē principaliter sui intē tū assequi cōtēdit, sic p̄ agriculturam agricola, p̄ mercantias negociator diuitias adipisci laborat. Nec tātū diuitiis quantū agriculturæ, & negociationi intēdit, nō dubitās his bn̄ actis diuitias, & frugē secuturas. Ita & nos cupientes regnare cū Christo ad hoc omnē operam, & sollicitudinē dirigere debemus, vt Christi mandata custodiamus: vt in Christū credamus, purè, & perfectè eū diligamus, in eū quoq; spē nostrā ex efficaci voluntatis suæ executione attollam⁹. Quantū .n. in hoc medio, & cursus nostri agone proficim⁹, tantò amplius ad beatitudinē appropinquamus, quā indubitanter secundū promissa in euangelio nobis retribuet Christus, qui via, veritas est, & vita.

Clementia diuina nullū beatificat.

Secunda doctrina. Diuina clemētia statuit non velle quēquā rationis vsum habētē in cœlo beatificare, qui recusat cū Christo calicē passionis in via bibere. Hæc propositio ex multis scripturæ passibus claret. Siquidē passionis calicē bibere (vt supra patuit) est Christo fide, spe, & charitate adhęrere, seu eius mandata seruare, ac consilia pro loco, & tēpore, ac secūdū animi præparationē. Necesse est ergo volētē saluari vt fidē quā corde tenet, & ore p̄fitetur, etiā ope per mandatorū obseruantiā diligē ter obseruet. Si vis ad vitā ingredi, serua mādata, inquit Christus Mat. 19. Et iā ascendens in cęlū, dixit: Eūtes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritussancti, docētes eos seruare omnia quæcūq; mandaui vobis. Mat. vlti. Nō .n. est seruus maior domino. Ioann. 13. Item Non omnis, qui dicit mihi domine dn̄e &c. sed qui facit volūtatē patris mei. Mat. 7. Et innumera talia habentur in scripturis testimonia. Ad hoc plura loquit̄ beatus Aug. in de vita christiana. quæ poteris ad propositū applicare, & scripturas latius adducere. Supposito ex præmissis quid sit crucē dn̄i portare, secundum Deū. s. viuere, non secundū carnē &c. Studeam⁹ ergo cū sancto Iacobo calicē dn̄i bibere, quaten⁹ cōplantati similitudini mortis eius simul, & resurrectionis possimus esse consortes &c. Tertia doctrina quæ est corollaria ad præcedentes. Nullus adultus nisi fuerit martyr hic in via, à Deo præmiabitur in patria, patet ex præmissis. Solus .n. christianus christianè viuens, saluabitur, & omnis talis fert crucē domini, & Christo sua vita testimonium perhibet, igitur.

Sic ergo epilogando prædicta patet quō Iacobus iunctus fuit domino, & ita nobis venit venerandus. Quia indiscretam habuit petitionem, contra quàm aliquot positę sunt doctrinæ morales. Studeamus itaq; rationalē habere petitionem in petendo Deum. Habemus enim petere necesse, quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. Petamus igitur non peritura bona, sed vera & permanentia, æterna, & non caduca. Petamus virtutes, & inducentia gratiam. Intendamus in omnibus Deum seruantes hanc Christi regulam Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adiicientur vobis.

## DE S. LAVRENTIO *Martyre Sermo. vnus in ordine. XXVII.*



QVI parce seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet. 2. Cor. nono.

Laurentius valde venerandus pp dilectionem. Leo papa in sermone de sancto Laurentio sic inquit. Cum omnium summa virtutum & totius plenitudo iusti tiæ de illo amore nascatur, quo Deus, proximusq; diligitur, in nullis profectò hic amor sublimius excellere, clariusq; fulgere quam in beatissimis martyribus inuenitur, qui domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo tam propinqui sunt imitatione charitatis, quam similitudine passionis. Quamuis enim illi dilectioni, qua dominus nos redemit nulla cuiusquã benignitas possit æquari, quia aliud est pro iusto mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro his occubere à debito mortis alienum. Multum tamen vniuersis hominibus etiam martyres contulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est dominus vt pęnam mortis, & atrocitatem crucis nulli suorum vellet esse terribilem sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus. Nec cuiusquam sapientis sibi tantum sapiẽtia est amica. Et hæc verarum natura virtutum est abstractum pro concreto, vt multos à tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine, ad erudiendum Dei populum nullorum est vtilior forma, quam martyrum. Sit eloquentia facilis ad exhortandum, sit ratio efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla, quam verba, & planius est opere docere, quam voce. Cũ ergo omnis vera virt⁹ nascatur ex amore Dei, & proximi, & amor talis magis relucet in sanctis martyribus, quã in cęteris sanctis. Nam maiorem charitatem (teste Ioanne ca. 15.) nemo habet, quam vt ponat animam suam pro amicis. Omnis quoque virtus hoc est virtuosus alium trahit, & allicit velut exemplar perfectionis ad virtutem quia nemo bonus sibi soli est bonus, ideò in nullis sanctis est vtilior, & perfectior forma virtutum quam in sanctis martyribus. In quo excellentissimo genere beatus martyr Laurentius, cuius passionis dies illustris est hodie, quam gloriosa polleat dignitate vix est conceptibile, non dico effabile. Hoc etiam eius persecutores sentire potuerunt cum illa mirabilis animi fortitudo de Christi principaliter amore concepta, non solum ipsis non cederet, sed etiam alios ad tolerantiæ exempla roboraret. Vnde non immerito Laurentius dicitur quasi lauream tenens. Laurea verò corona est victorum. Vicit nanque mundum, diuitias spernendo, omnia arbitrans vt stercora vt Christum lucrifaceret. Diabolum tyrannum Decium contemnendo. Seipsum, pęnas sibi immaniter illatas deridendo. Attentissimus fuit apostolicæ doctrinæ auditor. Non auditor obliuiosus, quoniam quæ aure audiuit, opere fideliter impleuit. Audiuit, qui parcè seminat &c. Et verè ita est vt dixit pręco veritatis teste Christo: Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis &c. Lucæ. 6. Non quidem æquali secundũ quantitatem, vbi enim remaneret illud Christi verbum? Mensuram bonã, & confertam &c. vbi supra. Et iterum. Qui reliquerit patrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matt. 9. Et non sunt condignę passiones huius temporis &c. Roma. 8. Nam quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis, supra modum sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, 2. Cor. 4. Est autem mensura æqualis secundum proportionem, ita vt qui minus seminat, minus metat, & qui magis, magis &c. omnes tamen vltra condignum, quia pro temporali æternum. Quod cautè

Laurentius vnde dicit.

Laurentij laudes.

eautè innuit apostolus cum non ait. Quantum quis seminat, tantum metet, sed, qui parce seminat &cet. Aue.

Videndū primo quæ semina & quis fructus messionis. Secūdò qualiter beatus Laurentius seminat,& de fi. Semen de quo apostolus loquitur per respectū dicitur ad semē materiale. Sicut enim semen materiale alicuius arboris, vel alterius rei terra productæ principium est fructus excrescentis, præ requirens terram bonam,& cultam,& stercorizatam, ac desuper cęli influentiam, vt surgat in fructum, ita semen spirituale est aliquid in terra rationali proiectum vnde fructus excrescit. Est autem semen tale spirituale in nostro proposito opera ex voluntatis libertate procedentia, ac per hoc ad laudem, vel vituperium imputabilia. Fructus verò intelligitur merces, quæ pro labore operis impenditur. Hoc autem semen simul & fructus pro operis,& mercedis diuersitate variatur, vnde est semen secundum carnem, & est semen secundū spiritum. Semen secundum carnem sunt opera carnalia,quę apostolus Paulus enumerat Gal. 5. dicens. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Semen secundū spiritum est opera virtutum. Ex quo aduertendum ꝙ opera carnis non dicūtur ea, quæ per carnis organa fiunt. Nam inter opera carnis enumerat seruitutem idolorum, inimicitias, inuidiā dissensiones, sectas, quæ non sunt corporis, sed animi. Sic inter fructus spiritus annumerat continentiam, castitatem, quæ ad corpus pertinent. Quæ ergo sunt opera carnis? certè sunt opera carnalis voluntatis legi rationis non subiectæ, elicita, vel imperata. Est enim voluntas carnalis voluntas legi Dei, siue legi spiritus & rationi non subiecta Sic e regione opera spiritus sunt opera spiritualis voluntatis. Voluntas spiritualis est voluntas cōsentanea legi Dei & rationi. Corollarium, omnia opera vitiosa sunt opera carnis. Et omnia opera virtuosa sunt opera spiritus.

Fructus autem carnis mors est, & interitus sempiternus. Stipendia peccati mors. Roma. 6. Fructus autem spiritus qui & finis est vita æterna, ibidem. De hoc pulchrè loquitur apostolus Gal. 6: Nolite inquit errare, Deus non irridetur, quoniam quæ seminat homo hæc & metet, qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, & qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. In nostro verò themate de bono semine loquitur apostolus, quod nihil aliud est, quam opus meritorium, hoc solum requirit terram bonam & cultam, hoc est voluntatem mandatorum Dei obedientia exercitatam,& gratiam Dei tanquam roridum imbrem,& influentiam cęlestem desuper incrementum dantem. Hæc enim duo necessaria sunt ad meritum, vt tradit Magister distin. 27. lib. 2. Nullum inquit meritum est in homine, quod non sit per liberum arbitrium ex partę Sed in bonis merendis causa principalis gratiæ attribuitur, & acceptioni diuinæ, quia principalis causa bonorum operum meritorum est ipsa gratia, qua liberum arbitrium excitatur, & inclinatur, ac iuuatur voluntas hominis vt sit bona. Hinc apostolus 1. Corint. 3. Ergo plantaui, Apollo rigauit, Deus autem, incrementum dedit. Sed quantum ad substantiam operis sunt ipsius voluntatis, quæ est potentia vtens habitu &c.

Opera omnia vitiosa sunt opa carnis et fructus carnis. mors est

Tale semen beatus Laurentius non parce, sed in benedictionibus seminauit, quia velociter, largiter, hilariter. Velociter, quia non distulit bona facere meritoriè, sed iuuenis cępit Nā beato Sixto, qui eum de Hispania Romam adduxit obedientissimè adhæsit, propter quod & eum suum archidiaconum cōstituit. Denique dum beatus Sixtus à Decio tentus in carcerem duceretur,

Laurentiꝰ quod semen seminauit.

beatus

beatus Laurentius non expectauit donec ad martyrium duceretur, sed vltro se iterum, atq; iterum obtulit, vnde ait. Quo progrederis sine filio pater, quo sacerdos sancte sine ministro properas? Nunquam sine ministro sacrificiũ offerre consueueras. Quid in me displicuit paternitati tuæ? Experire certè; Vide legendã. Et beatus Sixtus. Nõ ego te desero, neq; relinquo, sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum suscipimus, te quasi iuuenem gloriosior manet triumphus. Post triduum me sequeris sacerdotem leuita. Et iterum dum ad decollandum duceretur, post eum clamauit dicens. Noli me derelinquere pater sancte, quia thesauros tuos expendi. Ecce quanta velocitate omni semota mora, ad mortem propter Christum properauit.

Laurẽtiᵒ largiter seminauit.

Largiter seminauit, qui omnia dedit nihil sibi retinendo, dedit enim res exteriores pauperibus, corpus tortoribus, animam Dei famulatibus, miraculorum gratiam miseris indigentibus.

Primum dedit res exteriores, thesauros. s. ecclesiæ largiter pauperibus fidelibus dispergendo, vt de eo singulariter dicatur. Dispersit, dedit pauperibus. Hinc Leo in sermone ait. Cum furor gentilium potestatum in electissima queq; Christi sæuiret membra, ac præcipuè eos, qui ordinis erant sacerdotalis impeteret, in leuitam Laurentium, qui non solum in ministerio sacramentorum sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sui prædã de vnius viri comprehẽsione sibi promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaq; gemina face homo pecuniæ cupidus, & & veritatis inimicus. Auaritia, vt rapiat aurum. Impietate, vt auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarii præside opes ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat, cui leuita castissimus vbi eas repositas haberet ostẽdens, innumerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges. In quorum victu, atq; vestitu inamissibiles crediderat facultates, quę tanto interius erant saluæ, quantò sanctius probantur expẽsæ. Secundo dedit corpus tortoribus, non simplicibus, sed exquisitis tormentis tradendum prout in eius legenda latiᵒ habetur. De quo Leo vbi supra ait. Fremit prædo frustratus (supple quo ad res exteriores) & in modum religionis, qui talem diuitiarum vsum instituisset exardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, vt apud quẽ nullam denariorum substantiam reppe risset, illud depositum, quod sacratius erat diues auferret. Renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam leuitici animi formidinem diris parat vrgere suppliciis, quorum vbi prima nihil obtinent, væhementiora succedunt laceros artus, & multa verberum sectione conscissos, subito præcepit igni torreri, vt per cratem ferream quæ iam de feruore continuo vim de se haberet vrendi, conuersorum altera tione membrorum fieret cruciatus væhementior, & pena productior. Dedit tertiò animam Deo, & diuinis famulatibus.

Nam multo charitatis igne corpore, & anima feruens, sese obtulit Deo. vnde Leo vbi supra. Superare charitatem Christi flamma non potuit, & segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam q intus accendit. Hinc ait. Assatus te nõ negaui, interrogatus, te confessus sum, assatus gratias ago. Quartò dedit gratiam miraculorum miseris indigentibus, vt patet in illuminatione Lucilli, in cõuersiõe Hippoliti Romani militis ac subuentione multiplici miserorum. De quo latius in Legenda.

Laurentiᵒ seminauit hilariter.

Tertiò seminauit hilariter, & cum gaudio spiritus cuncta passus est, sciẽs quia hilarem datorem diligit Deus. Nã cum Decius singula suæ crudelitatis arma comportasset, ac ea in martyris pęnis expendere minatus esset, ait Laurentius Decio. Infęlix, has epulas semper optaui. & Valeriano: Disce miser quia carbones tui refrigerium mihi pręstant

stant, tibi autem æternum supplicium. Vnde Leo vbi supra. Nihil obtines, nihil proficis sæua crudelitas, sæuisti persecutor martyris, sæuisti, & auxisti palmam dum exaggeras pœnam. Deinde hilari vultu ait Decio: Miser assasti partem vnam, gira aliam, & manduca. Et orans pro astantibus in exultatione spiritus ait ad dominum. Gratias tibi ago domine quia ianuas tuas ingredi merui. Et hæc dicens, spiritum Deo reddens, laborem, & martyrium tanquam seminandi officium consummauit.

Sic sic sanctus ille in benedictione seminauit largiter, & amplè, sed longè abundantius messuit. Nam pro temporalibus æterna, pro terrenis cœlestia, pro corpore mortali corpus immortale, & gloriosum, pro anima sua Deum pro operibus gratiæ gaudium sempiternum. Coniunctus est illi in cœtu sanctorum suorum, pro quo tanta sustinuit in medio peccatorum. Glorificatus est in cœlo inter angelos, honoratus in terris inter sanctos, quia itaque dispersit, deditque pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Hic in memoria ad exemplum: In æterna verò patria ad præmium. Et qui nunc super cœteros martyres honoratur in ecclesia priuilegiata celebratione, in cœlo longè amplius coronatur gloria, & seraphica exaltatione. Quis enim in choro seraphin eum inter apostolos, collocatum dubitet, quem ignis interior, & exterior suppare apostolis constituit in terris, vt loquitur Maximus in serm. Gaudeamus ergo dilectissimi vt Leo gaudio spirituali, & de fœlicissimo incliti viri fine gloriemur in domino, qui est mirabilis in sanctis suis. In quibus nobis & præsidium constituit, & exemplum, atque ita per vniuersum mundum glorificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, leuitico numero, lumine coruscante fulgoris, quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Ad hunc ergo deuotis mentibus concurramus, orantes vt ignem, quo arsit, nobis impetret, quo eius vestigia sequentes, seminemus nunc in lachrymis pœnitentiæ, quatenus metere valeamus in cœlestibus cum exultationibus.

## IN FESTO S. BARtholomæi Apostoli Sermo vnus in ordine. XXVIII.



PELLEM pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua. Iob. 2. Verba hæc ad litteram dicta sunt à dæmone ad dominum de beato Iob, qui secundum mentem Sathan ideò hæc exteriora flagella tam æquanimiter passus fuit, quia timebat ne & ipse in corpore flagellaretur. Siquidem experientia teste, & referente beato Gregor. moral. libr. 2. Dum euenire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus vt ab ictu oculos defendamus, & corporis vulneri obiicimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Sathan ergo hæc ita consuete fieri sciens, dixit. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Possunt autem non ineptè dici de sancto Bartholomæo qui & ipse hodie pellem pro pelle dedit, & cuncta, quæ habuit pro anima sua. Dedit enim pellem morticiniam, & mortalem, qua excoriatus, spoliatus fuit, pro pelle immortali. Cuncta denique quæ habuit corporis membra in Dei seruitium expendit pro anima sua in vitam æternam conseruanda. Siquidem vt tradunt historiæ & beatus Ambrosius in præfatione tangit. Similiter & beatus Theodorus abbas & doctor præcipuè. Meminit quoq; ei⁹ diuinus Dionysi⁹ in mystica theologia

Bartholom æus dedit pellé pro pelle.

G cum

cum in India, quæ est in fine orbis, humani generis inimicum suum fecisset confringere & in nihilum redigere simulachrum: ibique constanter dominum post eius ascensionem, verbo, opere, & miraculis clarificasset. Regem denique Polimium cum Regina ac domo sua fugatis dæmonibus, curatis infirmis baptizasset, ac reginæ filiam diabolica contagione lunaticam, solutis nexibus, quibus eam diabolus ligauerat, repræsentasset sanam, pluribusque aliis corruscasset miraculis, sæuissimo martyrio vitam finiuit. Siquidem tam etsi de sua passione diuersa sit opinio, & quidam eum dicunt flagellatum, crucifixum, pelle nudatum, & demum decollatum vt verè de eo dici possit illud Canticorum quinto.

Bartholomæi vita.

Inuenerunt me vigiles templorum, scilicet pontifices, qui circumierunt ciuitatem percusserunt me, scilicet flagellando, & vulnerauerunt me, crucifigendo, tulerunt pallium meum, me excoriando. Attamen beatus Ambrosius dicit eum cęlum, atque excoriatum acerrimamque suscepisse mortem. Et beatus Theodorus inquit: Apostolus Dei Bartholomæus primum in Licaonia prædicauit, dehinc in India. Ad vltimum in Albana vrbe scilicet maioris Armeniæ. Vbi primò excoriatus, tandem capite plexus, ibidem sepultus est. Cum ergo pellem pro pelle dedit, velut alter Ionathas, qui Christum manufortem, & verum Dauid intimè diligens velut animam suam, expoliauit se tunica sua, quia erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, primo. Regum. decimo octauo Verè dcere potuit cum propheta. Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me leticia psalmo vigesimo nono. Saccum quidem mortalitatis infirmæ carnis. Et circundedisti, id est circundabis in die resurrectionis me lętitia, dum vestimento gloriæ, & incorruptionis adornabor. Ad vesperum enim mundi huius demoratus est fletus passionis, & excoriationis, sed ad matutinum resuscitationis, lętitia perseuerat. Sed neque solam pellem pro pelle dedit, quin etiam cuncta corporis sui membra seruituti spiritus subegit. Nam vt refert historia, centies flexis genibus per diem, & totidem vicibus per noctem Deum colere studuit, vt sic secundum apostolum ad Roma. decimo secundo exhiberet corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem &c. Ad sui itaque imitationem nos vocans ecclesia ait: Pellem pro pelle &c. Pro gratia Aue Ma. &c.

Quia verò sanctus hic martyr, & apostolus Christi nobis imitandus proponitur in his quæ gessit, pellem pro pelle, & cuncta, quæ habuit, dando pro anima sua vt in vitam æternam custodiret eam. Videndum est primo, quomodo Deum corpore nostro colere possimus & debemus ad imitationem beati Bartholomæi, qui crebris vicibus flectendo genua, Deum orauit.

De quo corpore possit coli tripliciter.

Secundo an aliquo casu exponere corpus martyrio sit de salutis necessitate. De primo consyderandum breuiter quod Deum colere possumus, & debemus corpore tripliciter, scilicet: Corpus ipsum propter Deum castigando: Aut laboribus fatigando: Aut tertiò corporalibus membris ipsi Deo reuerentiam exhibendo. Primò castigamus corpus ieiuniis, vigiliis, discretis disciplinis vel ad satisfaciendum Deo pro peccatis commissis, vel ad subiugandum, & aptandum corpus spiritui, vel ad exponendum illud pro gloria Dei, sicut in martyrio. Et de hoc loquitur apostolus Rom. decimo secundo. Exhibeatis corda vestra. hostiam viuentem san. Deo placentem.

Verum quia in corporalibus exercitiis excedi potest, statim subiungit apostolus: Rationabile sit obsequium vestrum. Castigatur enim corpus, vt subiciatur spiritui quod delicatum rebellare solet. Idcirco ita pastu, & castigatione regendum est quomodo magis

gis seruit spiritui, quia secundum apostolum primo. Timo. quarto. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est scilicet non relata ad pietatem, quæ (vt ibi subdit) ad omnia valet. Vnde beatus Hierony. & habetur de conse. distin. 6. non mediocriter, ait: Non mediocriter errat, qui magno bono præfert mediocre bonum scilicet qui ieiunium præfert charitati aut vigilias sensus integritati. Subdit: De rapina holocaustum offert, qui temporalium bonorum, siue ciborum nimia egestate vel somni penuria corpus suum immoderate affligit. Sed quæris: Quando teneor corporis exercitiis Deo seruire? Ad hoc breuiter dicitur, quandocunque quis ad hoc proprio, & rationabili voto se obligauit, aut quando ad hoc ecclesiæ præcepto formaliter, vel interpretatiuè astringitur. Interpretatiuè dico, vt cum quis præcepto ecclesiæ vel diuino astringitur, ad aliquem actum, quem sine certa corporis qualitate, vel exercitio implere non potest, sicut cum quis tenetur audire missam, tenetur vigilare, & sic de similibus.

Deo q̄n seruiendū corpore.

Colere debemus etiam Deum corpore, ipsum propter Deum fatigando peteginationibus, laboribus piis, ecclesijs ac eorum ministris, sed & pauperibus, infirmis & miseris personis famulando. Quoniam (teste veritate) quod vni ex mi. me. fecistis mihi fecistis. Matth. vigesimoquinto. Et de hoc hortatur apostolus Roma. sexto. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Itaque qui prius pauperibus vim intulit, aut ecclesijs, nunc corporalibus obsequijs recompenset. Qui pro carnis concupiscentia & immunditijs in corpus proprium peccauit, ac discursibus, choreis, carminibus, ac incommodis varijs se fatigauit, diuinis laudibus, psalmis, vigiliis, peregrinationibus, fletibus, suspiriis, pectoris tunsione, se Deo sanctificet. Et qui pro mundana gloria, cupiditate carnis, voluptatibus, corpus & vitam multis supposuit periculis, etiam ea ipsa pro domini gloria, & fęlicitate consequenda, non dubitet exponere martyrio. Hinc dominus duos Zebedæi filios petentes gloriam regni ad corporales labores, & passiones pro domino, ac pro ximorum salute sufferendas remisit dicens. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum &c. Matth. vigesimo.

Deū colere debemus piis laboribus.

Si quæris an aliquo casu corpus exponere martyrio sit de necessitate salutis. Hoc enim dubium sepe occurrit dum ad sanctorum imitationem, exhortamur, qui pro Christo passi sunt, ideò hic discurrere breuiter non inutile duxi. Ad dubium itaque motum Respondetur; cum martyrium sicut ipso patienter sustinenda numeretur inter consilia euangelica. Matth. 5.

Corpus exponere marty rio an sit de salutis necessitate.

Si quis te percusserit ad maxillam vnam, præbe ei & alteram. Potest dici de martyrio sicut generaliter de consiliis. Consilia autem cum sint persuasio boni melioris super addita præceptis, per quod expeditius finis consequi potest, vt dicit Thom. prima secundę. quæstio. 108. artic. quarto. Ideò simpliciter ad sui obseruantiam non obligant, habent enim seruata præmium, sed omissa nec peccatum inducunt, nec pęnam. Vnde Augustin. libr. de sancta virginitate. Præcepto inquit non obedire peccatum est. Consilio si vti nolueris minus domi adipisceris, non mali aliquid perpetrabis. Et primo Corinthio. septimo. Si acceperis vxorem non peccasti. Et infra. Qui matrimonio iungit Virginem suam, benefacit, & qui non iungit, melius facit. Applica. Verum tamen licet simpliciter quantum ad executionem non obligant, obligant tamen primò ad non contemnendum. Secundò obligant secundum animi, præparationem Obligant quoque tertiò ad exequendum in casu. Quisquis

Martyriū aliqñ est de ꝑcepto, aliqñ de consilio.

quando est de præcepto, aliquando de consilio, aliquādo nec sic nec sic, sed etiam fugiendum. Nam dum ex occisione prælati sequitur persecutio gregis, & dispersio & nulla vtilitas ecclesiæ, vel fidei, persecutio fugienda est. Et hoc maximè contingit, si sola persona prælati quæritur ad mortem, & non cęteri fideles. Et ita fugit Paulus submissus per sportam trans muros Damasci. Act. 9. Similiter si stante fuga, potest alibi nihilominus fieri vtilitas ecclesiæ, manendo autem nihil sequeretur, nisi occisio ministrorum ecclesiæ a canibus: hoc est obstinatis, & conculcatio Margaritarum, id est articulorum fidei a porcis: tunc fugiendum est, & alibi proficiscendum. Sic dicit dominus Apostolis Matth. 10. Cum persequentur vos in ista ciuitate, fugite in aliam. Et dominus ipse manus se lapidare uolentium, declinauit, abscondendo se, & recedendo ab eis. Ioann. 8. Dum autem ex occisione non sequitur fidelium iactura, aut fidei, sed magis declaratio gloriæ Dei, & confirmationis fidei, consilium est martyrium expectare, vel se ad id offerre, & hoc maximè perfectis. Sic enim legimus beatum Antonium, & quosdam alios perfectos, ex feruore incenso charitatis occasionem Martyrij subeundi quæsisse, sed imperfectis (nisi diuinitus moniti) incautum est nimis, & præsumptuosum tantæ tentationi se offerre, in qua plurimi reperiuntur cecidisse, & fidem negasse, vt recitat Eusebius libr. 6. ecclesiasticæ historiæ, cap. 3. Vnde Gregor. Homil. 11. Nisi quis prius intus moriatur desyderiis carnis, nunquam mori poterit pro domino foris. Et qui non dat pro domino substantiam suam, quando daturus est animam? Renunciare autem carnis concupiscentiis, & terrenæ substantiæ, perfectorum est. Cum autem ex declinatione martyrii sequeretur verisimiliter periculum fidei in fratribus, blasphemia Dei, aut depressio iustitiæ, præceptum est se exponere martyrio pro Deo, & proximo. Sic enim ait dominus Ioan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam.

Quæ exponens Augusti. Si (inquit) vis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo. Et Luc. 14. Qui non odit patrem, & & matrem, vxorem, filios, fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Martyriū in ꝑparatiōe animi sēper ē in ꝑcepto.

Vnde martyrium in præparatione animi, semper est in præcepto, hoc est, quilibet catholicus tenetur de necessitate salutis habere animum præparatum magis velle mori, quam iustitiam deserere, Christum negando fide cordis, oris, vel operis, hoc est, potius velle mori, quam mortaliter peccare. Quod sic breuiter patet. Nam quilibet tenetur magis velle pęnam quamcunq; pati, quam peccare mortaliter, cum peccare est agere contra Deum, pati pœnam, est aliquid contra seipsum. Et quia plus diligendus est Deus, quam ipsemet diligens, magis eligendum foret, si alterum oporteret) quod est contrarium sibiipsi, quam quod est contrarium Deo.

Hinc Ansel. lib. de similitudinibus. Magis eligere deberet aliquis esse in inferno sine culpa, quam esse in paradiso cum culpa, vbi infernū dicit dumtaxat locum infernalem, & non odium Dei &c. Vnde secundum Thomam in 4. quodlibet. quæst. 10. artic. 2. charitas hoc requirit, vt quamlibet pœnam contritus præeligat culpæ in genere, sed in speciali descendere ad hanc pœnam, vel istam non tenetur, immo secundum eundem & Cancella. in floribus, cap. de præceptis, stultè faceret, si quis se, vel alium sollicitaret ad considerandum particulares pœnas, vt sic eligeret illas magis subire, quam peccare. Est enim hoc inducere in tentationem, & præbere occasionem peccandi. Vnde ait Can-

G 3 cel-

cellarius: Posita alicui viatori illa quæstione & similibus: An citius pateretur esse in igne per vnum diem, quàm peccato mortali consentire? Non tenetur circa hoc deliberare absolutè de altera partium, sed teneat suspensum iudicium, consyderando fragilitatem suam, & fidendo in diuina misericordia, quæ vel non patietur eum in talem tentationem incidere, aut si patietur, Deus faciet cum tentatione prouentum, vt possit sustinere. Nam aliud est (proposita huiusmodi quæstione) optare & desyderare, immo & iudicare illud esse eligibilius, aut minus fugibile, aliud deliberare absolutè, quod ipse sic faceret, quoniam primum est piæ, & fidelis animæ. Secundum de præsumptione, & temeritate culpatur. Hæc Cancellarius. Ex his satis patet secundus modus colendi Deum corpore, ipsum propter Deum laboribus fatigando.

De tertio modo breuiter dicitur, quod etiam Deum corpore colimus, cum ad eius reuerentiam aliquos corporis gestus foris ostendimus, vt dum ad eius reuerentiam capita nudamus, genuflectimus, aut toto corpore nos solotenus prosternimus, manus plicamus extendimus, ad cælum leuamus, pectora tundimus, cruce signamus, veniam in terra facimus, ingemiscimus, cantamus voce, organis, & ita de multis exterioribus cerimoniis in ecclesia Dei solitis. Quarum aliquas apostolus tangit in suis epistolis, vt primo. Cor. decimoprimo. admonet virum orare non velato capite. Et ad Phili. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur. In euangelio quoque laudantur, qui procidentes in terra Christum adorauerunt. Cum autem talia exteriora signa sunt intentionis cordis, ex qua etiam vel laudantur, vel culpantur, rectificanda est circa illa intētio nostra. Et cum nonnunquam eadem exhibentur Deo, sanctis, & hominibus, non tamen eadem, sed diuersa intentione fiūt. Omnia enim ista Deo exhibenda sunt tanquam supremo, & vniuersali domino, & omnium principio creationis, conseruationis, redemptionis, & glorificationis, sanctis autem hominibus tanquam nobis superioribus, & in quibusdam iuuare potentibus, non autem tanquam summis, aut omnipotentibus.

De corpore colitur per actus exteriores.

Cum ergo humilitatis signa Deo exhibemus genuflectendo, inclinando, terræ nos applicando, significamus nos nihil esse ex nobis, sed solo eius beneficio de terra creatos, nostramq; infirmitatem, & imperfectionem propter quam nec esse, nec stare, nec operari ex nobis quicquam possumus, & nisi eius sustentatione manutenemur, continuò in terræ pulueres redigi oportere significamus. Cum verò illud sanctis, vel hominibus exhibemus, cognoscimus nos inferiores eis, & eorum auxilio in multis indigere, non simpliciter, vel vniuersaliter, sed ex ordinatione eius, qui omnia solus potest. Cum verò nos à terra ad cælum leuamus, significamus spei nostræ fiduciam ad eum extendi, cuius cælum sedes est, terra scabellum pedum eius. Dum gemimus, pectora tundimus eius offensam dolemus. Dum cantu, & organis laudamus, in ipso solo nos lætari, ac beatificari testamur. Verum cerimoniæ singulæ ecclesiæ, singulas habent significationes, quas nunc prosequi longum esset. Dignum tamen esset vt modus seruaretur, dum hæc creatori, & creaturæ exhibentur, vt in exterioribus aliqualiter appareat intentionis regulatæ diuersitas. Sicut aliqui Deo vtrunq; genu, homini alterum tantum in terram figūt. Nam secundum Aug. 10. de ciuita. Dei, capi 4. multa de cultu diuino vsurpata sunt ad honores hominum, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera.


Actus exteriores in cultu Dei qd significent.

Si quæris: Quid faciet simplicissimus colens Deum, multis exterioribus ritibus nesciens, quid significant, sola ecclesiæ & fidelium imitatione? Dicendum: Sufficit illi habere generalem intentionem ecclesiæ conformem scilicet faciendi id ea deuotione quam intendit ecclesia, & fidelium cœtus per

hunc

hunc ritum. Nec oportet figere intentionem ad aliquid particulare, sic docet Gerson in de cordis directione. Est etiam hic attendendum, quod talium gestuum illi solum in publico exhibere debent, qui communiter à fidelibus in publico fieri solent, sicut inclinationes, & genuflexiones. Isti verò qui insueti sunt in manifesto, sicut extensio manuum per modum crucis, & similes, licet sunt humilitatis prouocatiua, vel deuotionis, tamen non nisi in secreto exhiberi oportet, propter cauere in se vitium hypocrisis, & vanæ gloriæ, & in proximis scandalum, & temerarium iudicium. Applica nunc consequenter ad propositum de sancto Bartholomeo, quid intendit in sua eam frequenti genuflexione, ac vniuersaliter in corporis exhibitione, vt efficit hostia sancta &c. Facile illud fieri potest ex nunc dictis, & tediosum foret omnia ponere.

## IN FESTO EXALTAtionis sanctę Crucis Sermo I. in ordine. XXIX.



GO si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ioann. 12. & in euangelio hodiernę festiuitatis.

Exaltationem dominicæ crucis, sancta mater ecclesia hodie solemnizat. In qua olim dominus à terra exaltatus, nomen meruit super omne nomen, non modo in cęlis, terraque adorabile sed etiam apud inferos terribile principibus tenebrarum. Sicut ait apostolus ad Philip. secundo Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genuflectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum. Per passionem siquidem Christi in cruce, & resurrectionem in euidenti positum est ipsum esse Deū summum, & verum, ita vt scirent demones & homines, quibus ante hoc erat occultum. Res autem frequenter in scriptura fieri dicitur cum incipit apparere, vt dicit magister distin. 18. 3. Sic & lignum sanctę crucis, quod ab ęterno dominus sibi tanquam instrumentum nostræ redemptionis elegit: & in die suæ passionis sanctissimorum contactu membrorum tanquam præciosissimis margaritis ornauit, & sanguinis sui balsamo sanctificando, super omnes cedros libani hodie multis miraculis dignitatem eius, & gloriam toti mundo declarando exaltauit. Nam dum hodie de turri Cosdrę per Eraclium imperatorem debito cum honore reduceretur in Hierusalem, odor suauissimus cunctos refecit, qui & mortuos vitæ restituit, Paralyticos erexit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit, demoniacos liberauit, & à variis languoribus plurimos sanauit. Nos quoque si eam in nobis exaltauerimus, immo verius si ipsam amplexantes, in ea exaltati à terra fortiter ei adhærebimus, cum domino exaltabimur, tracti per eum, qui infallibili promisit veritate. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. De quibus pro gratia Aue Maria.

Declaratio primò breuiter quomodo ad se omnia traxerit exaltatus à terra in cruce dominus: Patebit quo ad secundum dignitas crucis sacratissimę. Cui congrue subiungendum erit quem admodum illi configurabimur in eruce exaltato, quatenus cum illo exaltari mereamur regnanti feliciter in cœlo.

Cum itaque saluator noster ait: Ego si exaltatus fuero à terra &c. De exaltatione sanctissimi corporis sui in crucis patibulo loquebatur, teste euangelista, qui subdit: Hoc autem dicebat significans, qua morte esse moriturus. Et licet dominum sic exaltatum in cru

Christus quomodo dicit in passione exaltatus.

Crucis miracula.

Crucis dignitas

nere ignominias, opprobria, irriones, multiplicesque contemptus, & confusiones, sociari latronibus, & con iniquis deputari, immo tanquam caput eorum in medio pati, voluit flagellis, spinea corona, & plagis innumerabilibus toto corpore dissecari, ita vt à vertice capitis vsque ad plantam pedis non esset in eo sanitas, & tandem morte amarissima simul, & turpissima qualem nemo prius, nec posterius expertus est consummari. Propter quod patibulum crucis elegit, eique affigi, ac in eo vsque ad omnium ossium dinumerationem extendi voluit, quod genus mortis & turpissimum fuit, & dolorosissimum, vt sic pro omnibus, quibus tenebamur, obnoxij satisfaciens, & peccata nostra in suo corpore super crucis lignum portans, ac chirographum decreti contra nos editi sanguine suo delens, nos ereptos ab omnibus supradictis, libertati priori, amissæ hæreditati, & vitæ restitueret sempiternæ. Dilectionem (qua maior cogitari nemo potest) hæc apertissimè declarant, qua tantis effectibus exhibita sufficienter ad se traxit omnia. Et de hoc tractu ait per prophetam Hierem. trigesimoprimo. Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans, attraxi inquam maximis effectibus charitatis. Hæc de primo.

Crucis efficacia & vtilitas cótra dęmonia & vitia.

Quia ergo ad nostræ salutis consummationem crucem elegit in qua nos redemit, & plenissimè liberauit, aduersariam potestatem, mortemque destruxit, atque in ea exaltatus à terra, omnia per eam ad se traxit, non est qui dignitatem eius, & laudes sufficienter possit explicare. Non enim Syluestris tantum arbor est, sed lignum vitæ appræhendentibus eam ait Bernard. sermone de sancto Andrea, & sequitur: Arbor salutifera est, alioquin quomodo dominicam occuparet terram? illam dico preciosissimam glebam, cui clauorum infixa est radicibus? Si non esset hæc præciosior vniuersis, nunquam illo plantaretur in horto nec illam permitteretur vineam occupare.

Et meritò præciosior vniuersis, quoniam ipsa in tentationibus ab vniuersis impugnantibus defendit, & bona cuncta nobis tribuit profutura.

Nullum cruce Christi contra diaboli insidias compendiosius, & efficacius antidotũ, quia nullum humilius, nullum insuper arrogantiæ diaboli magis aduersum, nullum quod ita impium prostrauerit. Hinc Chrysost. ait homil. decimosecunda. Sola crux Christi, quæ dissoluit tenebras, & regnum dæmonum dissipauit, & omnem terrorem malignantium abstulit. Hinc Hierony. Eustochio suadet, ad omnem gressum pingere crucis signum. Crucis verò artem ad victoriam vitiorum. Cancella. super magnificat describit, dicens: Accipiatur breuis ars crucis ad victoriam vitiorum, non ad perpetrationem, qualiter in militaribus insigniis gerunt aliqui non deuotione humili, sed sacrilega tyrannide dominandi.

Impelleris o anima Christiana superba sapere, crux opponatur protinus corde, voce, vel operis signatione. Quid enim magis est superbiæ inimicum?

Inuidia vult obrepere, vtriusque suum omnino spargere, crux tyriaca fiet efficacissima. Crux omnem iræ vel rancoris amaritudinem dulcorat. Crux reddit contra desidiam strenuũ, contra cupiditatem efficiet spiritu pauperem. Crux gulæ, & luxuriæ feras acutissimas temperabit. Vna omnium communis est ratio, quia pendens in eo crucifixit pestes istas omnes triumphans in corpore suo Christus. Dum autem crucem loquimur, aut videmus, crucifixum, qui per illam omnia hæc operatur, cogitemus. Quia verò bona cuncta tribuat: Leo in sermone. nono. de passione approbat, dicens. Crux tua omnium fons, benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de op

probrio

probrio, vita de morte. Et Chrys. Homil. 11. A. Nos festiuitatem crucis nimia lætitia celebramus, vt discamus crucem totius spiritalis gratulationis esse substantiam. Etenim ante ipsum vocabulum crucis pęna fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur. Ante condem nationis ferebat horrorem, nunc salutis indicium est. Crux enim nobis totius beatitudinis causa est &c. quæ sequuntur. Ecce breuiter, & dignitaté, & preciositatem crucis, in qua exaltatus a terra Christus omnia traxit ad seipsum.

Verum tamen hoc signum thau, signum scilicet crucis, quo signatos angelus exterminator percutere non sinitur. Tunc saluat, & protegit, si corde fideli cruci istæ consentiatur. Alioquin mendax angelus, & mendacii pater qđ suum est arripit. Illis ergo protectio est a malis, salus in bonis, qui ei configurantur, nam si compatimur, & con regnabimus, ait Apostolus. 2. Timo. 2. Qui possunt dicere cum apostolo eodem: Christo confixus sum cruci. Et quomodo ad Christum per crucem suã tradi potest per Christum, qui illi nõ adhæret, qui illi confixus non est? Cure mus ergo si ab illo trahi desyderamus, & nos cruci suæ affigi. Clauis quatuor non ferreis corpus perforantibus, sed clauis virtutum animã illi fortiter con iungentibus. Hi sunt: Clauus temperantiæ, clauus iustitiæ, clauus prudentiæ, clauus fortitudinis. Hi quatuor cardi nales snnt virtutes, quas crucifixa sapiétia docet maxime in ipsa cruce. Sap. 8. Sobrietatem, & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus in vita nihil vtilius est hominibus. Studeamus continere ab operibus carnis, quæ ille odit, & odire eam, quæ carnalis est ma culatam ciuitatem, sicut Iudas. c. 2. hortatur & sinistram manum clauo temperantiæ in illa cruce sublimi fiximus. Nam qui Christi, carnem suam supercrucifixerunt cum vitiis, & concupiscétiis. Iterum, laboremus diligenter in bonis reddere vnicuiq; quod suum est, quod ad iustitiam pertinet. Deo scilicet dilectionem super omnia, & gratitudinem, quorum primò omnibus eum præferas, altero nihil nisi ab illo te habere recognoscas. Superiori prælato reuerentiam, & obedientiam, quarum altera cordis, altera operis est. Non.n. sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis ait Bern. sermone tertio de aduentu. Fratribus nobis paribus inter quos viuimus, consilium, & auxilium quo ignorantia erudiatur, & infirmitas adiuuetur. Inferioribus custodiam, & disciplinam. Custodiam vt possint cauere peccatum: Disciplinam verò, vt quod minus cauit, minime maneat impunitum. Sic dexteram clauus iustitiæ cruci tenebit infixum

Meditemur deniq; iugiter in lege domini, & omnem cogitatum iactare in eum satagamus. Intelligamusq; per scripturas, quoniam florens hic mũdus tanquam spongia inanis est, & omnis eius concupiscentia aceto amarior, vt non tenebras lucem, nec lucem tenebras: Amarum dulce, nec dulce amarũ arbitremur. Sic dexterum pedem nostrum ligno vitæ clauus prudentiæ con clauabit. Demum ministram spiritibus nostri sensualitatem, ne eneruet laben tis vitæ infęlix fęlicitas sub recto rationis iudicio cautissimè religemus. Sic sinister pes noster clauo fortitudinis in cruce dominica cófirmatur. Sic deniq; affixi Christi exemplo, qui viuus descé dere recusauit, moriamur, memores ꝙ sola perseuerantia in finem nos saluabit. Sic namq; inseparabiliter affixi, dum illa apparebit sole splendidior, in die retributionis cum filio hominis in maiestate venientis per eam tracti, exaltari & nos cum eo in gloria merea mur. Per eundem dominum nostrum Iesum cum patre, & spiritusancto in sęcula benedictum: Amen.

Si placet prædicare de crucis adoratione, & veneratione &c. Vide late in expositióe canonis missę, quã edidimus lectione 49. & quinquagesima. Superfluum iudicauimus hic ea repetere.

## MATTHAEI APOSTOli, & euangelistæ. Sermo vnus in ordine. XXX.

Infirmi suã ęgritudinem ignorantes indigni sunt medico.



NON est opus valentibus medico, sed male habentibus Mar. 9. Verba sunt Christi ad pharisæos de iustitia sua & sanitate pręsumétes, ac dominum de misericordia peccatoribus impensa iudicantes. Quibus innuit dominus. Qui malè habentes digni sunt medico, & qui non. Sũt enim malè habentes, qui se malè habere ignorant, aut verius scire nolunt. Ac per hoc tãquam sani nec medicum, nec medicinam requirunt, immo contemnunt. Quapropter ope medici indigni sunt. Quales fuerunt pharisęi, quibus ait dominus: Nõ est opus valentibus. i. non egere se putantibus medico Christo, quia tales Christus declinat, qui ignorantes Dei iustitiam suam volunt astruere. Tales etiam fuerunt Laodicésses, quibus dictum est ab angelo. Dicis, quia diues sum, & nullius egeo, & nescis, quia pauper es, cecus, & nudus. Apoca. 3. Talis fuit pharisęus in oratione publicanum contemnens.

Sunt & alii malè habentes, qui suam infirmitatem agnoscunt, aut cognoscere desyderant, & ideo medicinam appetunt, & medicum requirunt. Taliũ de numero fuit Maria Magdalena. Ité apostolus noster Matthęus cuius hodie solennia agimus. Item publicanus orans in templo. Item Zachæus pariter & latro in cruce: Maria retro ad pedes domini tanquam peccatrix procũbit. Zachæus a se fraudatis quadruplũ restituere promittit. Latro se digna factis recipere proclamat. Publicanus nõ audet in cœlũ oculos leuare, sed percutit pectus suum, a Deo gratiã, & veniã desyderans Lu. 18. Matthæus se inter apostolos publicanum nominat. Hos verò infirmos cum medico corporis, & animæ superbi arguunt. Medicus verò excusat eosdem, hi medicum repellũt, sed medicus ipse, qui non venit vocare iustos in oculis suis, sed peccatores eosdem colligit eorum salutem sitiendo, conuiuia cum eis habendo. Apostolus noster Matthæus, qui fuit telonarius infirmitatem suam attendit, medicum petiit. Ad conuiuium vocauit, in domũ suam recepit, pharisęorum murmur respuit, ideo sanitatem consecutus est. Non enim erat de numero illorum de quibus dominus ait: Non est opus &c. Pro gratia Aue.

Matthæi cõuersio & cõuersatio.

Euangelium diei festi primum recitabitur, de hinc de Matthæi uocatione, & perfecta obauditione diuinæ vocationis. In hoc euangelio tria præcipuè nobis insinuantur, scilicet principium, medium, & terminus conuersionis, & conuersationis sancti Matthęi apostoli, & euangelistę, cuius hodie celebramus gloriosa solennia.

Principium fides inchoat, Medium spes continuat, & terminum charitas consummat. Nihil enim speratur, vel amatur nisi cognitum, hoc autem fit p fidem. Nec aliter virtutum viam ingredi possumus, nisi spe ducamur comite. Et perit omnis appetendi conatus con sequendi desperatione. Hiero. in epistola. 2. ad Demet. Hinc propheta: Credidi, propter quod locutus sum, qui arat, in spe arare debet 1. Cor. 9. Item: Charitas delectantem in opere conseruat, & amatum cum amante copulat. Primum in ea parte euangelij innuitur cum dicitur Iesum, idest saluatorem, hominem non virum; sed humanis lucris, & actibus inhiantem oculo miseri cordiæ vidisse, cum ait eum vocando ad se: Sequere me. Secundum verò in verbo. Et surgens confestim, & continuo audita domini vocatione, tertium, secutus est eum. Sequere me, inquit, quo ad primum, ab errore ad veritatem, a tenebris ad lucem, ab amore mundialiũ ad amorem diuinorum, in quibus verbis

bis eum ad se vocauit.

Vocatio num gr̄a tria ī scri pturis.

Tria autem in scripturis reperiūtur vocationum genera. Primum a Deo inspiratione diuina. Sic Abraam: vt cæteri quicunq; ad veritatem vocati, per Christum Dei sapientiam vocantur. Vnde inquit. Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit illum. Ioan. 6. Hæc autem tractio non est quædam voluntatis violentatio (nemo enim trahitur inuitus ad Deum, hilarem datorem diligit Deus) sed volūtatis excitatio secundum August. vbi supra, super Ioannem trac. 26. dum, scilicet voluntas per diuinam immissionem, & illuminationem, ac spiritus sancti specialem motionem hominem spretis inferioribus, quibus delectando inhæsit, nunc facit inhærere cœlestibus. Sic dicit poeta: Trahit sua quemq; voluptas. Et propheta regius: Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Trahit ergo ad Christum, & vocatur inspiratione diuina, qui iam gustare cepit spiritualia, qui delectatur æterna beatitudine, iustitia &c. Cur autem aliqui sic vocantur, & aliqui non, noli velle iudicare (inquit Aug.) si non vis errare, q̄ si non traheris, ora, vt traharis. Mali enim, & peccatores non trahuntur, qui si facerent, quod in se est, suam recognoscendo infirmitatem, & medici sanare potentis bonitatem, & omnipotentiam, & ipsi trahentur, sed & hoc donum Dei est. Siquidem in Apocal. c. 3. ait dominus. Ego sto ad ostiū, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illū, & cenabo cum illo. Apertio ianuæ fit per libertatem arbitrij remouendo obicem, & conando ad bonum. Auditio. verò per consensum ad illam &c. Taliter trahi non poterant (quia nolebant) pharisæi de sua iustitia præsumentes, & de diuina misericordia peccatoribus impensa, & quia manducabat cū illis iudicantes. Quibus ait: Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Tali tractione apostolus noster, quem de telonarii officio ad apostolatum vocauit, tractus est. Cui vocationi humiliter parēs, factus est apostolus, & euangelista Christi.

Secundum genus vocationis est ab homine per doctrinationem exemplū, exhortationem. Et tali vocatione constat plures per Christum esse vocatos, & suos Apostolos, quia in omnem terram exiuit sonus &c. Tertium est ex necessitate, siue infirmitate, & hoc gen' multipliciter fit. Sic dicitur de filiis Israel, & aliis peccatoribus. Multiplicatę sunt in esp. ac. ps. 15. Item clamauerunt ad d. c. t. ps. 106. Item. Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebā tur, diliculo veniebant ad eum psal. 77. Item. Confitebitur ti. c b. e. ps. 48.

Matthęus qūo vocatus, tribus vocationibus.

Singulis istis modis vocationis vocatus est apostolus noster, diuina, scilicet illustratione, vnde ait. Non vos me elegistis, sed ego eligi vos &c. In hoc secū dum Hiero. Iulianus & Porph. notant vel imperitiam historici mentiētis, vel stultitiā eorum, qui statim secuti sunt saluatorem quasi irrationabiliter quēlibet hominem mira facientem secuti sint, sed mentita est iniquitas sibi. Nam omnis apostata, inimicus sui ordinis. Nec mentitus est euangelista historicus, nec reputandus est Mattheus in sequendo Christum velut stultus, & fatuus. Si enim magnes de sui natura ferrum ad se trahere potest: Cur non virtus diuinitatis in Christo (cui subest cum voluerit posse Sap. 12.) ad se trahere potest, quem voluerit peccatorem, qui potens est de lapidibus facere filios Israel? Matt. 3. Vocatus est etiam per hominum exemplarem conuersationē & Christi prædicationem. Vnde secundum Chrys. quia ductus fuit ad conuersionem, & lucris temporalibus tenaci mente inhæsit, non cum cæteris, sed loco, & tempore congruis seorsum eū dominus ad apostolatum vocauit. Verū illud dictum non placet Augustino in de concordia euangelistarum, nec bene consonat litteræ, quia videtur, q̄ cum aliis vocatus fuerit ante Sermonem domini habitum in monte, quia Lucas in monte commemorat. 7. electos, quos & apostolos nominat ca. 6. Et sic Matthæus

ta suam conuersionem hic quasi reme morando prætermissa narrat. Sicut et scriptura aliquando per anticipatiōné narrat posterius acta. Indubitanter ét tenendum est, ꝙ Christi miracula crebra,& doctrinam sanctissimam audiuit ante suam conuersionem. Vocatus est tertiò ex necessitate, quia vidit suam infirmitatem, & nullitatem,& imbecillitatem,ideo confugit ad medicum curare,valentem, & volentem.

Matthę' vocatus paruit Matthei cōuersio qualis.

Sic ergo illuminatus per fidem,& vocatus a domino, mox paruit huiusmodi vocationi, quia surgens sursum.s.se erigendo a temporalibus ad cœlestia, illa linquendo,ista quærendo. Surrexit inquam,temporalia,& diuitias relinquédo,vitia pristina respuendo,métem ad cœlestia eleuando. Hæc potes extendere ex legenda eius,si placet. Ista autem sua conuersio fuit subita, humilis, gratitudine accepta,& perfecta. Ex quibus colligi potest conuersionis eius, & dignitas,& præcellentia. Subita, quia sine mora. Nam statim surgens, rationé vectigalium imperfectam relinqués, secutus est dominum, in quo perfectæ obedientiæ formam (quæ moram nescit,tradidit.Humiles,quia licet in apostolum,& euangelistam electus fuerit, non tamen in catalogo Apostolorū se publicanum dicere erubuit. Obiurgatus etiam a pharisæis veluti peccator, patienter tulit, nec iam iustificatus se aliqualiter excusauit. Gratitudine accepta. Nam conuersus mox domino grāde conuiuium præparauit,nedū magnitudine esculentorū,atq; lautę præparationis, pariter & imitatorum Christi, & discipulorū, sed etiam publicanorū, & peccatorum suo exemplo cōuersorū. Vnde Mar.2. Multi publicani,& peccatores discumbebant cū Iesu,& discipulis eius. Iam tamen secundum Bed. peccatores esse desierant,alias dominum secuti non fuissent, si in peccatis perseuerare proponerent. 3. Reg. 19. Helisęus volens sequi Heliam magistrum suum, dedit prius conuiuium sociis suis. Et quampulchro præstigio, qui erat futurus apostolus,& euāgelista, iam in principio suæ cōuersionis multitudine peccatorum traxit ad Christum,iamq; officium Apostolatus, & Euangelistæ incepit. Perfecta, quia ad perfectionem nedum generalem,sed singularem perduxit,scilicet apostolicam, euangelisticā, martyrii,quæ tria in nullo alio inuenta sunt. Nam Lucas euangelista fuit, sed nec martyr, nec Apostolus. Marcus euangelista,& martyr, sed non Apostolus. Ioannes euangelista & apostolus, sed non martyr, solus Matthęus simul Apostolus, euangelista, & martyr euasit.

Matthę' qūo ab aliis apostolis, & euāg. differat.

Claret itaq; ex euangelio perfecta conuersionis forma, quam dominus verbo docuit, & Apostoli exemplo nos instruxit. Est enim perfectum conuersionis initium, agnoscere infirmitatem, & desyderare medici opem. Nihil etenim ita conuersioni contrarium est, sicut falsò æstimare se sanum, & ita cōuersione non indigere, ex consequenti repellere medicum. Et hoc est, quod dominus innuit dicens. Nō est opus&c.

Matthæi cōuersio qūo dicit perfecta.

Sed diceret aliquis contra nunc dicta. Quomodo potest sancti Matthæi conuersio dici perfecta,cum nihil aliud dicat euangelium,nisi quod de eius vocatione dicitur. Et surgens secutus est eum. Nulla fit hic mentio de temporalium renunciatione, cum tamé dominus dicat: Facilius est camelum per foramen acus transire,quam diuitem intrare in regnum Dei. Matt.9. Luc.9.& Marc.10.Cum ergo prius diues fuerit, & difficile est pecunias habentes in regnum Dei introire. Mar. 10. & Lu. 14. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet,non potest Christi esse discipulus,ergo non potest eius conuersio magnipendi & perfecta dici. Ad hoc breuiter dicitur, ꝙ Matthæus perfectè secutus est Christum, tēporalia cótemnédo,& eis abrenunciando, ea deniq; relinquendo, primū est pręcepti, secundum consilii. Et licet quandoq; in scripturis fortè vnum ponitur pro reliquo, valde tamen refert temporalia contemnere, & temporibus abrenūciare. Relictio tēporaliū, seu vēditio

est omnimoda eorundem expropriatio, & dimissio, vt scilicet temporalia affectu pariter, & effectu prorsus dimittantur, & eorum dominium penitus abscindatur. Renunciare verò est vsum rei in proprio, vel communi sibi retinere pro communi necessitate, corporis indigentia, ita tamen vt diuitiæ nullatenus plus Deo appræcientur, nec dominentur animo possidentis, & ꝙ diuitiæ verius habeant possidentem, quam habeantur ab eo. Is enim secundum Aug. in sermone quodam (& est Homilia.3. li. quinquaginta homiliarum) habet aurum, vel argentum, qui eis bene vtitur. Habens ergo diuitias amore Christi, vel eas ritè, & legitimè quærens secundum doctrinam apostoli.1.Thimo.6. non ad abusum, vt inde superbiat, aut in incerto diuitiarū spē ponat, paratus potius eas pro loco, & tempore dimittere, quā ha bendo, Christum offendere, seu vitia nutrire, hic dicitur diuitias retinendo, eis prorsus abrenunciare, secundum August. epistola.89. in responsionibus ad Hilariū. Et ita renunciant omnibus, quæ possident, nedum consilii paupertatis sectatores, qui Christum pauperem pauperes in religione sequuntur, sed etiam in seculo manentes corpore, & diuitias multas habentes, qui non propter diuitias Christum, sed propter Christum parati sunt diuitias pro loco, & tempore dimittere, plus appræciantes Deū propter pecunias.

Hæc ergo hic hauriatur doctrina. Non requiritur necessariò ad salutem ꝙ quis facultates, & possessiones realiter vendat, & facto alienet, sed sufficit ꝙ Christum plus appræciando, eas secundum animi præparationem contēnat, nec in eis finaliter spem ponat, hæc est doctrina apostoli 1. Timo.6. vbi de diuitibus loquens, non eos damnat, sed modum viuendi tribuit, & assignat. Et tūc ad dictum saluatoris Mat.19. quod clarius explanatur Mar.10. dicitur, ꝙ dominus ibi loquitur non de facultatibus ipsis in se, sed de cupiditate diuitū, hoc ē de auaritia diuitū sperantiū in incerto pecuniarū, & nō in Deo suo, vt diffusè explanat Aug. sup ps.lib. Et ꝙ ille sit sēsus litteræ, claret ex textu Mar.10. Cum.n. Christus ostendisset viam ad vitam cuidam adolescenti petenti: Magister, quid faciam, vt vitam æternam possideam? & ille se omnia præcepta seruasse responderet. Auditoq; a domino esse relinquendas diuitias, contristatus in verbo abiit. Erat enim habens multas possessiones, tunc Christus ait discipulis; Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Quo audito, obstupefacti sunt discipuli in verbo hoc. At Iesus reuersus respondens ait illis: Filioli quam difficile est confidentes in pecuniis in regnū Dei introire. Et de tali diuite consequēter ait ibidem. Facilius est camelū &c. Et hoc voluit dicere ps. cum inquit. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. i. secundum Aug. super ps. 51. Nolite sperare in incerto diuitiarum, ad instar illius qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Potes adducere sanctos patres ve. & no. test. qui licet plurimas habuerint diuitias, eas tamen animo contempserunt &c. & saluati sunt, vt habetur Lucæ.13. de Abraam Isaac, Iacob. Item de Cornelio Act. 10. de Ioseph ab Arimathia. Non enim facultates, sed cupiditates, non pecuniam, sed auaritiam damnat dominus secundum Augustinum super ps.51.

Diuitiarū vēditio nō requiritur necessario ad salutem.

Beatus ergo Matthæus nēdum diuitiis renunciauit, quod præcepti est, sed eas prorsus reliquit, quod consilii est, pauper pauperem Christum sequens. Et hoc voluit euangelista, cum inquit: Et surgens, omnibus dimissis, secutus est eum. Ad idem loquitur Aug. epistola.121. quæ est ad Probam.

Adhuc fortè quis diceret. Vellem ergo informari cum beatus Matthæus commēdatur, ut perfectus Christi imitator ex diuitiarum contēptu, & abrenunciatione. Nec fit expressa mentio de dilectione Dei, & proximi, prout habet primum, & maximum mandatum. Vtrum

Matthæus quo cōmendat, vt perfect. Xpi imitator.

Vtrum in hoc præcisè consistit perfectio christiana, an in dimissione, vel abrenunciatione omnium. Manifestum.n. est, & claret ex serie textus, q; non fit hic mentio in euangelio præsentis diei de sancto Matthæo de diligendo Deū, nec etiam in vocatione aliorum discipulorum, puta Petri, & Andreæ, sed dicitur. Relictis retibus, & naui secuti sunt dominum. Ita de sancto Matthęo in laudem hic dicitur, q; relicta ratione vectigalium, & substantia rerum mundialium, secutus est dominum, pauper pauperem. Ergo videtur, q; perfectio Christiana, & apostolica in paupertate, & aliorum consiliorum obseruantia, & non in charitate consistat.

Ad hoc dicitur breuiter vnica doctrinali propositione, licet consilia ad perfectionem vitæ Christianæ multum conducant, non tamen essentialiter eā in perfectione constituunt, secundum sanctum Thom. 2.2.q.184.art. 3. Et Cācella parisiensis in de perfectione cordis, & alibi. Nam licet vitæ Christianæ multum amminiculentur, & subseruiat quam optimè consiliorum obseruatio ministerialiter, siue vt instrumenta quædam aut qualitatiuæ dispositiones, pro formæ introductione, non tamen intrinsecè, & essentialiter constituūt hominem in perfectione Christiana, sed hoc solum facit charitas, & præceptorum obseruantia. Vnde semper subiungitur de discipulis omnia relinquentibus pro Christo, & secuti sunt dominum gressibus charitatis, & affectibus amorosis. Illud enim præcipuè perficit, quod hominem vltimo fini coniungit immediatius, & in Dei filium adoptat. Ioan. 1. Sed hoc facit sola charitas, vnde, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4. & Colos. 4. Super omnia inquit, charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis. Et 2. Cor 13. Si charitatem nō habeo, nihil sum &c.

Præterea id perficit hominem, quod est finis, & terminus legis, sed illud est charitas. Vnde Roma. 13. Plenitudo legis est dilectio. Et 1. Timo. 1. Finis præcepti charitas. Præterea vt ex verbis apostoli Roma. 13. sumi potest, quicquid in lege, vel præceptis habetur, totum ad hoc tendit, vt diligatur Deus, & proximus. Hinc saluator volens Petrum pastorem constituere sui gregis, & corporis mystici, cæteris tacitis, si se diligeret, quæsiuit. Item. Constat plerosq; sanctos patres perfectos fuisse sine cōsiliorum obseruantia. Vnde Gen. 17. Ambula corā me, & esto perfectus, dixit dominus ad Abraam. Item ipsi Iob non est similis inuentus in terra, capitulo primo, qui tñ fuit diues. Simile est de cæteris. Item in statu innocētiæ fuisset status perfectionis, & tamē non consiliorum obseruatio, puta castitatis, obedientiæ, paupertatis.

Ex quo sequitur: q; consilia amminiculatiuè, & ministerialiter conferunt ad perfectionem remouendo prohibēs, sola verò charitas essentialiter perficit, nec sine ea consiliorum obseruatio est meritoria vitæ æternæ. Hinc Ioannes Cassianus in colla. patrum, colla. 1. scribit, q; ieiunium, vigiliæ, nuditas &c. ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed instrumenta sunt perfectionis, quia non est in eis finis, sed per ea peruenitur ad finem. Et sanctus Tho. in de perfectione cordis, quærens de perfectione Abrahæ ditissimi: ostendit abdicationem temporalium esse viam ad perfectionem. Patet respicienti verba Christi. Et Hiero. super illo loco. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, inquit. Parum erat omnia relinquere, qđ & Socrates fecit, & alii philosophi, ideo subiungit, quod perfectū est. Et secuti sumus te, non corporis gressibus, sed amorosis affectibus. Sic & Origenes super illo: Si vis perfectus esse &c. ostendit abdicationem temporalium esse depositionem gibbi, & proiectionem oneris diuitiarum, vt sic speculatio Dei incipiat. Non q; illo die, dū hæc pronunciuntur perfectio inſit.

Sic ergo cum amplissima possessione diuitiarum stat perfectio christiana. Si enim abdicatio temporalium essentialiter perficeret hominem, sequitur, q; nullus

nullus diues posset esse perfectus: quod est contra illud Ecc.31. de diuite, in cuius commendationem dicitur: Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & post aurum non abiit, nec sperauit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, & laudabimus eum?

Ex illo sumitur hoc corollarium siue doctrina. Prima. Licet consilia multum valde conferant ad perfectum, non tamen essentialiter perficiunt, & intrinsecè hominem christianum, patet vt supra. Secunda doctrina. Omnis existens in gratia gratumfaciẽte est in statu perfectionis religionis christianæ. Idem enim est totum, & perfectum secundum philosophum. Perfectum autem dicitur, cui nihil deest eorum quæ sibi competere debent iuxta hanc, vel illam conditionem suæ speciei, vel naturæ, vel gratiæ superadditę. Qui autem habet gratiam, diligit Deum ex toto corde &c. Tertia perfecta Christi imitatio est eius gratuita dilectio, patet. Quarta. Nullus peccato mortali inuolutus est in statu perfectionis christianæ religionis constitutus quocunq; dignitatis stẽmate sit intitulatus, patet ex supradictis.

Doctrina de existente in gratia.

Sed fortè hic aliquis contenderet de nomine, & si non de re. Ex quibus patet, quam stultè agunt pleriq; hominũ iactantes se de hoc, vel illo opere bono, ut elemosynarum largitione, temporalium abdicatione &c. cũ tamen Christum imitari nolũt corde perfecto &c. Secus egit beat. Matthæus, qui vt perfectus Christi imitator omnibus relictis secutus est dominum.

## DE EODEM SERMO. II. in ordine. XXXI.

Matthe' quõ sibi & proximo impẽdit misericordiã.

MIsericordiam volo, & non sacrificium. Mat.9.

Festum beatissimi Matthæi Apostoli, & euangelistæ agimus, qui de publicano apostolus, de telonario euangelista a domino factus, prioris vitę crimina subsequentis sanctitate cõpensauit, & peritura lucra relinquens lucris indeficientibus inhiauit. Audiuit enim dicentem dominum: Discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificiũ. Hinc misericordiam sibi exhibuit, & proximis. Sibi, quia suam miseriam agnoscens, medicum omnibus relictis (vt Lu.5 ait) secutus est, quærens spiritualis miseriæ suæ ablationem. Proximis verò, quia multos sibi similes miseros publicanos, & peccatores ad conuiuium, quod medio pręparauerat, inuitauit, vt ipsi a medico curarentur. Sua quoq; conuersione, & doctrina omnibus peccatoribus conuersionis formã prætulit, ac sacrificia agnorum, & taurorum pinguiũ paruipendens, seipsum domino obtulit in sua triumphali passione. Vnde non modo misericordiam exhibuit, sed illo omisso sacrificio, quo dominus non delectatur, aliud placabile sacrificium spiritus contribulati obtulit, secundum domini verbum: Misericordiam volo, & non sacrificium.

Misericordiam volo, & non sacrificiũ. Euãgeliũ recitet, hoc apostoli cõuersionem describit, qui magnam fiduciam oĩbus peccatoribus peccata sua agnoscentibus, & ad dominum conuerti cupientibus præstat. Non autem seipsos iustificantibus, neq; induratis conuerti nolentibus, magnam siquidem fiduciã præstat, quia non venit dominus vocare iustos, sed peccatores. Et qui sunt iusti, cum nemo mundus a sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram? Sunt verè iusti, & sunt, qui putãt se iustos, cum non sint iusti: Non venit dominus vocare iustos in oculis suis, q suam iustitiam constituunt, & Dei iustitiam negligunt, quales fuere pharisæi, & legisperiti, dominum de misericordia reprehendentes, qui decimarunt mentham, & anethum, & ciminum, & quod deforis est calicis (Mat.23. & Lu. 11. mundarunt, intus verò charitatem, misericordiam, & iudicium neglexerunt, propter quod dealbatis mortuorum a foris sepulchris a domino sunt cõparati. Vel iustos, qui verè iusti sũt, & per Dei gratiam iustificati, non venit

Matthæi cõuersio describit.

ait Christus vocare ad pœnitentiam, vt Lucas dicit, hac.n.non indigent, sed peccatores, qui se tales cognoscunt, & confitentur. Hos vocat, ad hos conuertitur dñs, vt eis misericordiã impertiatur. Et quo hi curari possint, insinuat cum ait: Discite, quid est: Misericordiã volo, & non sacrificiũ. Ex verbis illis, atq; eiusdem sententiæ Luc. 11. Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis, nonnulli occasionem erroris accepere, putantes ꝙ scelerate viuentes, & talem vitam, moresq; corrigere non curantes, elemosynarum largitione posse saluari, vt tãgit beatus Aug. in Enchirid. c. 74. Sed fallunt seipsos. Nam vt idem ca. sequẽti ostendit, hi non dãt elemosynam ordinatè, ex consequenti misericordiam modo, quo debẽt, nõ impendunt. Nam qui vult operibus misericordiæ insistere a seipso debet incipere. Misereri.n.effectus est charitatis. Et qui hanc a se non incipiunt, ab ordine charitatis deficiunt, nam charitas ordinata a se incipit: Diliges proximũ tuum sicut teipsum, inquit veritas. Dilectio ergo suiipsius mensura est dilectionis proximi, mensura autem prior est mensurato. Primum ergo misericordiam facientis est, vt sibi misereaẽ. Hinc dicitur Eccl. 3. Miserere animæ tuæ placens Deo. Nam qui sibiipsi misericordiam negat, cui hanc verè præstabit? Qui sibi nequam est, cui alii bonus? Eccl. 14. Hæc autem est prima misericordia, quam nobisipsis debemus, ait Augusti. in Enchirid. vt nosipsos meritò miseros, per miserantis Dei misericordiam requiramus iustũ iudicium eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus, iudicium quidem ex vno in condemnationem. Et magnæ charitati eius gratiam agentes. De qua idem apostolus ad Rom. 5. dicit. Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, cum adhuc peccatores essemus, Christus ꝓ nobis mortuus est, vt & nos veraciter de nostra miseria iudicantes, & Dei charitatẽ, quã donauit ipsi diligẽtes piè rectèq; viuam⁹. Hæc Aug. ca. 74. & 75.

Enumerantur autem opera misericordiæ, cibare esurientem, potare sitiẽtem, vestire algentem, curare infirmitate laborantem, visitare in carcere degentem, sepelire mortis somno dormiẽtem. Et magna crudelitas esset videre hominem famelicum, pauperem, nudũ, in carcere infirmum, & ei non compati. Longè maior est crudelitas animæ suæ non in his omnibus succurrere. Videre animam suam deficere fame verbi Dei ac doctrina salutari, & ei informationem salutis negare, sustinere sitientem ad dominum fontem viuum, & negare potum lachrymarum, considerare nudam virtutibus, & non vestire operibus iustitiæ. Nosse peregrinam, hospitio extorrem, & non paradisum recuperare, scire infirmam, & debilem, atq; in carcere peccati detentam, & per fauum pœnitentiæ & oleum gratiæ non curare, nec a vinculis occasionum liberare. — *Opa misericordiæ enumerãtur*

Animaduertere in somno peccatorũ demersum, & eam non sepelire, ne prauo exemplo alios corrumpat. Quisquis hæc animæ suæ negat, longè est a vera misericordia, nec sibi proficit, ꝙ se neglecto aliis misericordem se fingit. Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? ait dominus Mat. 16. Et subdit. Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? quasi dicat nullam.

Hæc attendit beatus Matthæus, ideo primo misericordiam animæ suæ impẽdit, deindè, & proximo. Primum animę ꝗ in oĩb⁹ ꝓdictis laborabat dũ teloneo ꝓsedit, vt pura lucris pecuniarũ inhiãs, inedia omnis spũalis refectionis famescens, virtutũ vestimentis spoliatus, insuper omni tentationi expositus, secũdũ illud, Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationẽ, & in laqueos diaboli, & desyderia multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt hominẽ in interitũ, & ꝑditionẽ. 1. Ti. 6. In carcere cupiditatis iacebat vinctus. Sepultura carebat mortu⁹. Nã peccator oĩbus innotuit, ꝓpter quod & publicanus dictus fuit. Sed ecce — *Matthęꝰ aię suæ primo miam impendit.*

misertus est animæ suæ, dum vocationi appropinquantis medici parés, eiq; relictis omnibus adhęrens, libertatem ab omnibus his miseriis est cōsecutus. In uno namq; domino Iesu saluatore perfectissimo omnia recuperauit.

Habuit etiam in eo magistrum, pane potuq; cœlestis doctrinę reficiente, in fusis virtutibus infirmitatem curantem & vestientem. Peccatorum remissione a carcere liberantem, viuificante gratia a morte suscitantem.

Matthę⁹ multis claruit virtutib⁹.

Quantis enim post virtutibus dono Christi claruit, patet eius vitam consyderāti. Claruit humilitate, quia q alii euangelistæ ob reuerentiam tacuerunt, ipse non tacuit, sed apertè se publicanum nominauit; & ad perpetuam rei memoriam scripto commendauit suo euangelio. Per eandem etiam post diuinos honores populi sibi sacrificando impendere volentis pęnitus exhorruit, atq; spreuit. Claruit obedientiæ charitatis filia, dum ad vnius vocationis vocem sine mora secutus est vocātem. Claruit largitate, quia omnia dereliquit, ita vt dimissa ratione telonei imperfecta, surgens secutus est dominum, nudus nudum. Maior est Zachęo, qui dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. Ille autem totū reliquit. Neq; per hoc iniuriam dominis suis irrogauit. Tum quia a maiore domino, omniū verò possessore vocatus, deobligatus est ab inferiore. Tum quia nihil abstulit, sed omnia reliquit. Claruit fortitudine, cum carnem, cupiditatem, & diabolum vicit, & in sua vocatione vsq; ad sanguinis effusionem, & vsq; ad mortē perseuerauit.

Claruit etiam iustitia, quia se totum domino obtulit, & quicquid ingenii, & laboris prius in temporalium diuitiarum lucris impendit, totum animabus suo domino lucrandis, & cęlestibus diuitiis mercandis, accommodauit.

Matthę⁹ quō pxi mo est misertus.

Misertus est, & proximis, qui pro salute proximorum a principio suæ conuersionis in finem sollicitè laborauit. Nam conuersus ad domini vocationé, conuiuium magnum præparauit, vt Marcus, c.2. dicit, & clarius Lucas, c.5 in quo turba multa publicanorum, & peccatorum cū Iesu & discipulis eius ad Matthęi vocationem vt credunt, discubuit, vt sic gratiæ quam consecutus fuerat, multi participes existerent. Deinde post domini ascensionem postquā in iudæa prædicauit, & euangeliū Christi prius hæbreo sermone contra insurgentes hæreses scripsit, diuisis per orbé apostolis, Aethiopiā in sortem prędicationis accepit, vbi ciuitatem. Nadaber intrans, ab eunucho Candacis reginæ receptus, eidem rationem notitiæ omnium linguarum reddens, populum a magorum Laroes, & Arphaxat demonstrationibus liberauit. Nam omnia eorum præstigia, & incantationes detexit, & vinculis, quibus populum incantauerant, soluit, dracones ignem, & sulphur spirantes &c. vt in legenda.

Ex hinc gloriam paradisi prædicare cępit, & veritatem euangelii fideliter explicare, verba doctrinæ sequentibus signis confirmans. Nam & regis filiā a morte suscitauit, quem magi deificatū mētiebantur, quo eos ab Aethiopia fugauit. Vnde regem Egippum cum regina tanto viso miraculo, ac totum Aethiopiæ populum conuertit, ac sacramento baptismatis initiauit. Hinc capit ecclesia Ethiopes horridos Matthęe agnelli vellere. Qui maculas nesciat aliquas, vestisti candido Vbi etiam in ecclesia mira celeritate fabricata triginta annis sedit, vbi infinitū domino populum acquisiuit. Epigeniam quoq; regis filiam Deo dicauit, & plus quam ducentis virginibus præfecit. Quæ etiam verbo docuit, & signis confirmauit, sanguinis proprii effusione testatus est. Nā Hirtaco successore Egippi in amore Epigeniæ accenso eius munera spreuit, & publico sermone eius Vesaniam detexit &c. vt in historia. De cōmendatione matrimonii & horrendo crimine violationis sponsę summi regis. Heu heu quot hodie in ecclesia Dei sūt Hirtaci, immo Hirtaco peiores, qui spōsas Christi non legitimo matrimonio sibi copulare, sed execrabili adulterio pollue-

sutere non desistunt. Quæ sunt sponsæ Christi? omnes fideles animę, de quarū singula dicit per prophetam. Desponsabo te mihi in fide. Oseę. 4. & 2. Corinth. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo, loquitur Apostolus ad conuersos fideles, qui sunt constupratores, hi sunt pusillorum scādalizatores, de quibus dominus Mat. 18. Væ homini, per quem scandalum venit. Et pręmisit. Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt mola asinaria suspendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quicunq; igitur proximum ad peccatum mortale sollicitat ex intentione, aut a spirituali cōiugio impedit seu reuocat, vel debitam custodiam, ac sollicitudinem sibi commissorum negligit, ac gregem commissum in abrupta, ac præcipitia peccatorum ire dissimulat, hi sponsas Dei quātum in eis est, constuprant. Qui vt Grego. ait, tot mortibus digni sunt, quot ad mortem irę tacētes sinunt. Sed audiant, qui tales sunt pœnam Hirtaci, & caueant. Triplici pœna percussus est. Prima spirituali, secunda corporali, tertia æterna. Spiritualis fuit gratię desertio, per quam cecidit in homicidium. Siquidem secundum Greg. peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad alia trahit. Corporali, quia lepra incurabili percussus, ac impatientia agitatus in seipsum vltor sęuissimus fuit, & seipsum gladio interemit. Hanc pęnam secuta est æterna, qua irremediabiliter damnatus, fęlicitate perpetua priuatus, æternæ miseriæ est adiectus. Has, qui timet, eius mores fugiat, apostoli doctrinam, ac conuersationem imitetur, quatenus eius suffragantibus meritis, & præcibus gratiam in præsenti, & gloriam mereatur consequi in futuro. Quam nobis concedat dominus Iesus. Amen.

## IN FESTO SANCTI *Michaelis archangeli Ser. I. in ordine. XX XII.*



N resurrectione erunt sicut angeli Dei in cœlis. Matthæi 22. Festum beatissimorum spirituū cęlestium magna gratitudinis deuotione, magna cordis exultatione, magna deniq; zeli sollicitudine quo ad Deum, angelos, nosipsos, hodie agendū est. Quorum nobis similitudo promittitur, non ad horam, vel tempus trāsitorium in terris, sed perpetuò sine fine in cęlis. Magna gratitudine, quia magnum nobis diuini amoris indiciū inde relucet. Quis enim huius magnitudine, scilicet ꝙ erimus sicut angeli Dei in resurrectione æstimare, ne dicā gratitudinem condignam repēdere poterit? Certè si potentissimus imperator pauperem mendicum cum filio suo hæredem faceret. Siquis canem irrationalem humana perfectione donaret, quam tam gratitudinem vterq; teneretur posse tenus rependere. Et nos quidem multò inferiores angelis sumus. Sumus etenim natura mortales, illi immortales, sumus corporei, & compositi, illi spirituales, & simplices. Nos terreni, cœlestes, nos velut puluis, & cinis tenebrosi, illi plus stellis clarissimis luminosi. Et tamen futuri sumus sicut angeli Dei in cœlis. Dignissimum itaq; est cum ingenti gratitudine, & tanti largitoris digna laude, angelorum recolere gloriam quam etiā nobis expectam futurā. Magna quoq; exultatione congaudendo eorum beatitudini, quos nos miro probamus diligere affectu. Meritò itaq; a nobis reciproce diligēdi sunt, qui nos pręueniunt sua syncerissima dilectione, an non diligunt nos, de quorū conuersione tā exultanter gaudent. Lu. 15. Gaudium erit angelis Dei in cœlo super vno peccatore pœnitentiā agēte.

Festū cœlestiū spirituum agēdum quomodo.

An non diligunt, quorum ministerio semper inseruiunt tam diligenter, & ardenter? Facit enim angelos suos spiritus, ps. 13. Omnes denique sunt administratorii spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Heb. 1. An non diligunt, quorum custodiæ tam vigilanter intendũt? Mat. 18. Angeli eorũ, hominum, scilicet semper vident &c. Hinc Hiero. Magna dignitas animarum, quod vnaquæque ab exordio natiuitatis suæ habet angelum sibi delegatum, dist. 9 2. li. sent. Taceo de cæteris eorum ministeriis. Tot ergo effectibus suam erga nos dilectionem insinuantes meritò reamamus, atque eorũ beatitudini, quam præsenti festiuitate honoramus, congaudemus.

Magna demũ sollicitudine propter nosipsos, ne tanta promissa perdamus. Nam sicut preciosus fructus nõ nisi ex proprio semine oritur, ita nec hæc promissa angelorum similitudo confertur in cęlis, nisi præcedat huius similitudinis semen in terris. Siquidem apostolo teste Gal. 6. Nolite errare, Deus non irridetur, quæ seminat homo, hæc & metet &c. Necesse est itaque præcedant in nobis in via piorum meritorum angelicis actibus cõformium semina, vt securè expectetur fructus dulcissimus, similitudo primorum eorundem in patria. Est enim regula diuinæ iustitiæ, nullũ beatificare sine merito. Cuiuslibet denique status est terminus merendi pro quo dicitur esse in via, quo finito cessat omnis facultas merendi. Vnde angeli fuerunt in via, & per gratiam sibi collatam meruerunt exaltari in patria. Si ergo eis assimilari volumus in patria (similitudine, quam dominus innuit, cum tentantibus saducęis respondens inquit. In resurrectione erunt sicut angeli Dei) necesse est hic præcedant in via bona opera angelorum actibus conformia. De quo pro gratia impetranda Aue Maria.

Regula diuinæ iustitiæ.

Quia hodie sancti cęlestes spiritus nobis proponuntur honorandi, & venerandi, ignotum autem venerari non potest. Ideo primum aliqua tangenda sunt, quæ scriptura pandit de tam excellentibus spiritibus ad nostram ædificationem, non ad curiositatem nutriendam.

Angelorum productio.

Dehinc videndum erit, in quo beati similes erunt angelis in resurrectione. Tertiò quibus actionibus nostris hanc similitudinem mereri possumus. Possumus itaque de angelis (sicut in cæteris Dei creaturis) considerare eorum Initium Medium, & Terminum. Initium, in quo esse cęperunt, & naturam acceperunt. Vbi videndum est. A quo quãdo, vbi initium habuerunt, de hinc quales creati sunt secundum naturam, & quales secundum gratiam. Et hæc breuiter tangentur dimissis subtilitatibus multis eis, qui maiora norunt indagare.

Quo ad primum salua manet veritas fidei, quod Deus est factor cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, vt dicitur in symbolo Niceno. Quo supposito dicit scriptura Gẽ. 1. In principio creauit Deus cęlum, & terram, idest spiritualem, & corporalem creaturam. Deus enim sciens suam bonitatem summam, qua æternaliter beatus est communicari posse, & minui non posse, produxit creaturam, quæ eius particeps esse potuit. Siquidem secundum beatum Dionysium cap. 4. de cęle. hierar. Deus sua bonitate est causa omnium. Nam omnis causæ, excellentisque bonitatis proprium est, vt ad consortium sui attrahat, & inuitet omnia, singula pro captu suo, & modo suo. Bonum enim est sui diffusiuum, & communicatiuum, ideo produxit, cui se communicaret.

Communicat autem se essentialiter per diuinarum personarum emanationem. Obiectiuè per cognitionem, & amorem. Similitudinariè per participatam conformitatem. Essentialiter soli filio, & spirituisancto pater communicat suam essentiam, sed nullæ creaturæ. Obiectiuè soli rationali, siue intellectiuæ creaturę. Participatiuè omnibus non diuidendo suũ esse, sed similitudinem aliquam producendo

De quo se cõicat.

do. Prima est æqualitatis, secunda imaginis, tertia vestigii. Prima est substantiæ, secunda beatitudinis, tertia remotæ similitudinis. Cum itaque vidit beatitudinem, qua naturaliter beatus est communicari posse, & minui nō posse, produxit creaturam rationalem, quæ beatitudinis eius particeps fieret. Sed non participatur beatitudo diuina nisi per intellectum, quo cognoscitur, & voluntate, qua diligitur. In hoc enim ipse beatus est, quia se perpetim diligit, & intelligit. Ideò necesse fuit huiusmodi creaturam diuinæ bonitatis capacem esse rationalem. Et quoniā ratio potuit per se subsistere, & etiam corpori vniri. Ideò eam diuisit. Nā partem vnam (ad bonū intellectum hoc est vnam naturam rationalē purè spiritualem angelum. s. in sua puritate reliquit. Aliam. s. animam corpori vniuit. Purè enim corporalis, Deum obiectiuè participare non potest, vna ergo vocatur spiritus, seu nostro modo loquendi angelus, alia homo. Sola itaq; sua bonitate, non necessitate, quē non externæ poluerunt fingere causæ, vt loquitur Boetius, produxit creaturam, qu ia summè boni erat prodesse velle, & omnipotentissimi noceri non posse. Cetera verò propter hominem. Si quæris. Si æternaliter bonus est Deus, & bonum est sui diffusiuum, quare non ab æterno produxit creaturam sese communicando? Solutio. Ab æterno se diffundendo, seu communicando produxit Deus pater filium, & spiritū sanctum, & ita essentialiter se communicauit. Creaturæ verò, quæ æternitatis capax non est, se communicauit ex tempore seu in tempore, quoniam non decuit eam suo creatori esse coæternam. Nec refert an in principio temporis, an post principium, quia temporis ad æternitatem nulla est comparatio. Sed quare tunc produxit? Solutio, quia placuit immensæ suæ bonitati tunc sese communicare creaturæ.

De us cū bonus sit æternaliter cur ab æterno non producit creaturā

Vbi verò creati sunt angeli? Solutio In cœlo Empyreo. Et pro clariori intellectu prædictorum, & dicendorum ponere possumus has duas propositiones, Prima. Angelica natura, & confusa quatuor elementorum corporalis materia, simul cum tempore non ex tēpore, nec in tempore sunt creata. Cum tempore dicitur, quod denotat quandā simultatem. Simul ergo cum tempore facta est angelica natura, & simul cum mundo. Nec antea fuit angelica natura, quam mundus, quia vt ait Augusti. nulla creatura creata est ante secula, hoc est tempora, sed à seculis, cū quibus cępit. Dicitur etiam, non ex tempore, ne intelligatur ordo prioritatis temporis ad alia creata quasi tēpus præcesserit duratione. Nec in tempore, ne designetur excessus temporis sicut continentis ad contentum in eo. Hæc videri solent per doc distin. 2. 2. senten. Secunda propositio. In cęlo empyreo idest igneo sic dicto à splendore, non à calore & cum illo omnes angeli simul sunt creati. In quo quibusdam manentibus, superbientes sunt prolapsi. Nam cęlum visibile, quod & firmamentum dicitur, secunda die factum refertur. De hoc Strabus, & Beda vt habetur vbi sup. dist. 2. & infra sermone tertio de angelis. Allegāt ad hoc Vbi eras cū me laudarent astra matutina? Iob. 38. Non essent astra matutina nisi fuissent in principio simul cum tempore creata. Hoc ergo cęlum empyreum (ait Beda (mox vt creatum est, sanctis angelis est repletum. Dicitur autem repletum quantum ad sufficientiam, & congruitatem ornatus cęli Sufficientiam dico quantum ad numerum à Deo præordinatum. Vnde cœlum repleri nihil aliud est, quam cœlum ornari angelis, secundum eum numerum, quem Deus pro tempore ad inhabitandum ordinauit. Et ita licet plenum fuerit, & repletum, possunt tamen homines angelis secundum merita in resurrectione associari, vt infra patebit. Quod etiam omnes boni scilicet & mali (non ex creatione, sed sua maligna superbia (fuerint in cœlo, probatur per illud Lucæ. decimo. Videbam Sathanan sicut

Angeli vbi sint creati.

fulgur cadentem. Item. Ascendam in cœlum &c. Esaiæ.14. Hoc enim intelligitur non de cęlo empyreo, sed de æqualitate Dei, siue celsitudine Dei, cui parificari voluit. Et est sensus: Ascendam in cęlum, id est ad æqualitatem Dei. Cecidit de cęlo, id est prohibitus, & cohibitus fuit ne sua superbia Deo parificaretur. Item cecidit de cęlo empyreo.

Ex quibus sequitur, ꝙ illa repletio cœli non impedit, quin possit fieri additio. Nec est ibi vacuitas ex lapsu malorum, aut imperfectio. Ibi enim nõ est repletio corporalis. Ibi deniq; super tot sunt angeli, quot Deus pro tempore vult ibi esse. Sequitur ergo imperfectio spirituum cadentium, & non cœli, vnde ceciderunt.

Angeli quales sint creati.

De secunda parte primæ partis breuius procedam: quales, scilicet creati sunt. Primum secundum naturam. Vbi notandum ꝙ Magister distin.3. 2.sent. quattuor attribuit angelis, scilicet. Naturæ simplicitatem, personalitatis discretionem, rationis perspicacitatem, arbitrii libertatem. Sunt enim natura simplices, ideo spirituales, incorruptibiles, immortales, vtputa contrariũ non habentes, personali discretione distincti, ideo immateriales, & incomponibiles. Quod enim componibile est, persona non est. Sicut enim anima rationalis, quæ cum materia cõstituit hominem, est enim cõmunicabilis, vt forma materiæ. Ratione perspicaces per intelligentiam, memoriam, qua nedum sensibilia, sed mere intelligibilia cognoscunt, eorumq; memorantur. [Arbitrio liberi, voluntate enim non necessitate ad vtrumlibet declinari poterant. Et licet in personali discretione, & immortalitate pares fuerint, non tamé ceteris, videlicet naturæ subtilitate, intellectus pespicacitate, & arbitrij libertate. Differẽter enim a domino sunt creati in naturali proprietate, qui differenter accepturi erant charismata gratiæ. Vnde distincti sunt in tres hierarchias, & quælibet hierarchiarum in ordines, vt hierarchia assistentium, disponẽtium, exequentium, vt infra latius dicetur. Non tamen omnes angeli eiusdem hierarchiæ, & ordinis sunt eiusdem speciei, & perfectionis, vt dicit magister dist.9. probat de Lucifero, qui omnibus sui ordinis fuit perfectior. Hinc Damas. quæ nunc dicta sunt in hac descriptione angeli includit: Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, idest infatigabilis, arbitrii libera, Deo ministrans, gratia non natura immortalitatem seruans. An autem fuerint creati in gratia, vel non, nihil certum habetur. Tãtum de eorum ingressu, siue initio dictum sufficiat.

Angelorũ pgressus.

De eorum progressu siue de medio angelicæ durationis, nunc breuiter aliquid videndum, ut ex angelorum morula eis pro merito, vel demerito concessa, studeamus, quomodo, & nos sine merito non saluabimur.

Medium angelicæ durationis, intelligitur tempus viæ. Fuerunt enim & ipsi in via. Siquidem morulam aliquã concessit inter instans creationis eorũ & instans præmiationis, in quo per liberum arbitrium se conuertere poterat ad dominum meritoriè, vel auertere a Deo culpabiliter, & hæc morula fuit tempus viæ, quia tempus meriti. Verum, quia mereri non poterant, nisi per gratiam. Est quæstio, an in gratia fuerint creati, vel an post creationis instans gratia fuit apposita, & siue sic, siue sic. An omnes habuerint gratiam, vel soli boni. Nihil est hic certum, sed varii sunt modi dicendi. Probabilius tamen videtur secundum Scotum, qđ omnibus apposita est gratia, vel omnibus concreata, & ea aliqui bene vsi; alii eam deseruerunt &c. Vnde ponuntur tres, vel quatuor moræ. In prima, in puris naturalibus. In secunda, in gratia. In tertia, boni meruerunt, & mali demeruerunt. In quarta fuerunt in termino. Vel si in gratia creati fuerũt, sufficiunt tres moræ. Quanta verò fuerit mora an instantanea, vel tẽporalis? sine dubio modica fuit, & vtrumq; esse potuit. Sed breuiter tanta fuit, quanta

Angeli an in gratia fuerint creati.

do-

dominus determinauit, qui singulis ter minos suos ponit, qui præteriri non possunt.

Sed hic diligenter aduertendum, quod regula diuinæ iustitiæ est nullum beatificare sine merito siue angelus, sit siue homo. Secundum, quod cuilibet statutus est terminus merendi, pro quo dicitur esse in via, hoc finito cessat omnis facultas merendi. Vnde & angeli mali nunc conuerti non possunt, nec mereri, sicut nec homo post mortem, quia sunt in termino. Hinc omnes sollicitu simus operari bonum, dum in via sumus, secundum exhortationem Apostoli: Dũ tempus habemus operemur bonum ad omnes. Gal. 6. Et in euange. Ioan. 12. ait dominus. Ambulate dum lucem habetis, venit nox, quando operari nemo põtest, ibidem. 9.

Tertiò attendamus, quo actu illi beatitudinem, illi meruerunt immutabilẽ damnationem. Si ad actum attendimus, interior motus animi fuit nõ operatio exterior. Si continuationem, instantanea fuit, vel breuissima, & valde timeamus, & peccata diligentissime caueamus. Nemo sibi blandiatur de peccati paruitate, si pessimas machinationes, immunda desyderia, inflatum animum effectui non mancipauit Ecce nobilissimam creaturam dominus pro instantaneo motu cordis æternaliter, & irreuocabiliter damnauit &c.

Et quod fuit eorum peccatum? Certe auersio a summo bono, & conuersio ad se. In summis naturæ donis nõ Deo honorem rependerunt, sed suum quæsierunt. Seipsum quilibet interroget, cuius bonum in suis operibus quærat, an seipsum, vel Deũ, & inueniet, quod sperare, aut timere possit.

Hic posset aliquis sermonem finire, si placeret. Sin autem, procedat, vt textus iacet. Etsi scholasticus non est dimittat nunc tactã materiam, & prosequatur planiorem, quæ habetur in articulo sequente prout conducit auditori, & prædicatori.

Beati in — Nunc consequenter videndũ de secũ quo erãt da parte principali huius ser. s. in quo beati similes erunt in resurrectione angelis. — similes angelis. Quantum nunc breuitas sermonis suffert considerandum breuiter, quod in resurrectioue electi non erunt similes angelis in substantia, quoniã angeli spirituales sunt substantiæ, & incorporeæ, sed electorũ corpora eadẽ secundũ naturam resurgent, quæ fuerunt ante resurrectionem, & animæ suæ vnientur, alioquin nõ esset idem post resurrectionem, quod fuit ante. Contra illud Ioã. 5. Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, procedent vtiq; de monumẽto, in quo corpora fuerunt &c. Ad Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ &c. Item resurget, quod per mortem cecidit, igitur corpus resurget. Nec obstat, quod dicit Apostolus. 1. Cor. 15. Seminatur corpus animale, surget spirituale, quoniam (vt ibi patenter ostendit) resurget idem corpus in substantia, sed sine defectu corruptibilitatis, infirmitatis, ignobilitatis, animalitatis. i. grossitiei, quia resurget corpus eiusdem substantiæ, sed alterius gloriæ, oportet. n. corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc immortale. Erunt ergo electi in resurrectione sicut angeli immortales, & impassibiles. Sicut angeli nullo corporali cibo indigentes, sicut angeli subtiles, & infatigabiles, & ita de similibus. Et quod omnibus maius est, sicut angeli clara Dei visione, & fruitione æternaliter beati, hæc enim maxima angelorum perfectio omnibus communicabitur, nunc per speculum & in enigmate, tunc autẽ facie ad faciem. 1. Cor. 13. Item. 2. Cor. 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Dei speculabimur. Nec tantum similes erimus quantũ ad obiectum visus, & actus speciem, sed etiam quantum ad intentionis gradũ. Neq; enim homines sub angelis specialem chorum constituent sicut aliqui imaginati sunt, sed secundum diuersas hominum conuersationes diuersis choris angelorum homines inserentur. Vnde Greg. Hom. 34. ait. Distinctæ conuersationes hominum singulorũ agmi-

num ordinibus congruunt & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputantur. Quia autem (vt idē ait) superna illa ciuitas ex hominibus & angelis constat, debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorū ciuium ad vsum nostræ conuersationis trahere,& bonis studiis nosipsos ad incrementa virtutum inflammare, quatenus eos imitantes in via eis iungamur in patria. Vt ergo eis sociemur in patria, eorum officia pro nostro modulo impleamus. Non autem omnium angelorum est idem officium,sed sicut distinctiones sunt inter angelos per hierarchias,& choros, ita & homines varii status,& exercitii, diuersa angelorū agmina imitentur.

Angelorū multitudo in hierarchias diuiditur.

Est ergo aduertendum q̧ secundum Dion. Greg. sanctum Thom. & alios. Angelorū multitudo diuiditur in hierarchias,& hierarchiæ in choros,vt in eis inueniatur duplex trinitas varii sunt modi,sed exemplo facilius declaratur. In curia magni prudentis, & iusti imperatoris sunt primò triplices ministri. Primi semper assistunt principi, & omnia agenda ab ipso immediatè p̄cipiunt. Secundi regis voluntatem a primis cognitam decernunt,præcipiūt, & quomodo executio fiat,ordināt. Tertij ordinata per medios executioni particulari demandant.

Vel sic,primi assistunt, secundi spiritibus præsunt,tertii hominibus. Inter assistentes tria sunt necessaria fidelitas, secretorum notitia,& notitia voluntatis exequendæ,sic sunt Seraphin, Cherubin, throni. Inter medios necessarij sunt,qui auctoritatiuè edicta proponāt hi dominationes. Qui ad propositorū executionem spiritus bonos conuocēt, ac eis iniungant,hi principatus. Qui malis impedire cupientibus potestatiuè resistunt, hi potestates. Inter infimos necessarii sunt executores,qui fortiter operentur, aut operantibus præsint hominibus,hi virtutes. Sunt etiā necessarii, qui maiora nuncient. Et hi archangeli. Qui minora, & hi dicuntur angeli.

Vel sic inter infimos necessarii sunt, qui præsint prouinciæ, ciuitati, vni homini.

Status hominū triplex proportionatur angelis.

His proportionantur tres hominum status,Incipientium s.proficientium & perfectorum vel cōtemplatiuorum,prælatorum, & actiuorum. Penes statum contemplatiuorum, & perfectorum est suprema hierarchia. Penes statū prælatorū,& proficentium media. Penes statum actiuorum,& incipiētium infima. Contemplatiui enim, & perfecti Deo semper assistunt. Prælati, & proficientes,cęteris pręsident,regis edicta proponendo,ordinando, & vt executioni demandentur,dirigendo. Cæteri ea exequuntur. Incipientes imitando angelos minora nunciant, cum sibiipsis peccati malitiam insinuant ex actus deffor mitate,peccatoris damnatione,beatitudinis priuatione,Dei offensione. Peccata autem minima sunt, quia nihil dicūtur,carent enim rectitudine in esse debita actui,seu voluntati.

Nunciant maiora dum transgressiones suas aperiunt in confessione, quod maius est, quam solum peccatum attēdere,& difficilius, ac magis necessariū peccatori volenti cōuerti. Hæc.n.peccati detestatio sequitur eius notitiam. Operantur fortiter cum virtutibus, dū strenuè satisfactioni insudant recidiuā cauentes,occasiones peccatorum declinantes. Et ita de alijs ad satisfactionē pro peccatis necessariis. Ecce officia tria infimę Hierarchiæ, quæ dum homines incipientes agūt,angelorū exercitiis aliquo modo similantur licet in eis peccati detestatio locū non habeat.

In his verò multipliciter impeditur homo per mundum, carnem, diabolū, ideo necesse est,vt & mediæ hierarchię officia assumat,& sic de die in diem proficiat huiusmodi hostibus resistendo,& eos eneruando.

Status proficiētis

Proficientes primò diaboli fraudes diligenter considerant,secūdum consilium sapientis. Fili accedens ad seruitutem Dei,sta in timore Dei,& præpara animā tuā ad tentationem. Eccl.2. Dehinc eas euacuant, secundum illud

Iaco. Resistite diabolo, & fugiet a vobis. Et.1.Pet 5.Sobrii estote,& vigilate,quia aduersarius vester tanquã Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Et hoc modo superatur diabolus, cum quis volens viuere, nedum mandatis (quod est incipientium) sed etiã consiliis pro vberiori virtutum conquisitione voluntati superioris se subiicit per virtutem obedientiæ. Ecce primũ votum religiosorum, & proficientium, in hoc imitantium potestates. Horũ.n. officium est,spiritibus malis præesse, & ne impediãt proficere volẽtes cohibere.

De hinc superato diabolo virtutib⁹, intendunt carnem subiugãdo spiritui, & in obsequium spiritus redigendo. Caro enim concupiscit aduersus spiritum &c. Sic ergo carni principando per virtutem castitatis, officium exercent principatuum. Potes hoc extendere secundum tres gradus castitatis, coniugalis, vidualis, & virginalis, & eorum prçcellentiam declarare. Quo ad virgines,viduas, coniuges,præcellit votum castitatis virginalis &c. Ecce secundum votum religiosorum.

Tertiò proficientes proponunt mundo dominari in prosperis, & aduersis, in omnibus rationis rectè iudiciũ imitando. Et quia mundus maximè superatur morte.(Magis enim est non terreri aduersis, quam non allici prosperis, vt vult Aug. lib.83.q. terribilium autẽ omnium est mors) ideo proficientes vsq; ad mortem mundo in aduersis resistunt,& in prosperis eius fastum,pompam,diuitias,&c. contemnẽdo propter Christum. Quod faciunt religiosi pauperes,pauperem Christum imitantes, & cæteri in mundo manentes, & omnia propter Christum contemnentes, vt stercora,Deum super omnia diligendo. Ecce officium dominationum. Sic ergo proficientes mediæ hierarchiæ officium exercent,diabolum obedientia, carnem castitate, mundum paupertate superando, tam extra religionem, quã intra positi. Possent ad hæc applicari aureolæ martyrum,virginum,doctorũ.

Perfecti primò habent omnia terrena despicere,& exteriorum actionũ sollicitudines (quantum hæc vita permittit) postergare. Cum Maria ad pedes domini sedere,& dicere cum propheta: Audiam,quid loquatur in me dominus Deus. Et item: Loquere domine audit seruus tuus.1.Reg. 3. Et hoc ideo vt intelligat domini voluntatem, cui soli viuere habet,& eius iussa, & beneplacita perficere. Tales autem,quia se sedem Dei constituũt,morientes prorsus mũdo,carni, & diabolo,vt spirituales omnia diiudicando, ideo thronorum exercent officium. Vnde de illis ait dominus. Vos,qui secuti estis me, sedebitis super sedes,iudicãtes,12. tribus Israel. Thronorum enim est assistere domino & eius voluntatem experiri. Status pfectorũ hẽt terrena despicere.

Dehinc enim quod excellentius est per speculationem Cherubicam secreta Dei meditando contemplari, eius perfectiones) prout hæc via permittit) ex creaturis mentiri, secũdum ꝙ loquitur apostolus ad Ro. 1. Inuisibilia Dei a creatura mundi &c. Similiter Dei beneficia contemplando meditari. Ecce Cherubin.

Tertiò ardentissima charitate domino tanquam sponso vniri,illi solum viuere,dicere ex sentẽtia: Dilectus meus mihi,& ego illi. Canticorum.2. In primo perfectus homo subtrahit se creaturæ, conseruat se Deo, perdit sese in Deo,in quo omnia possidet. In secundò se perdit in sua cognitione. In tertio in sua affectione, vt secundum dictum beati Bernardi magis ibi sit, vbi amat, quam vbi animat. Sic ergo per amorem transformatur in Deum. Hæc nouit expertus contemplator diuinorum mysteriorum. In his nos exercẽtes,similes erimus angelis Dei in resurrectione &c.

Applica similiter si placet ad contẽplatiuos prælatos & actiuos &c. Et posset quis hic texere vitam militantium Deo in religione directè ad hierarchias cœlestes. Primum enim mundo mori volẽtes pc̃ti malitiã cognoscunt. Dehinc detestantur, dehinc satisfacere proponunt. Ecce prima hierarchia. Vita religiosorũ qũo assimilatur.

Dehinc

De hinc votis, obedientia scilicet, castitate & paupertate secundo astringunt. Ecce secunda. Demum sedes Dei se constituunt, eique meditando, & contemplando eius bonitatem per amorem semper adhærent vt sponso dilecto.

## DE S. MICHAELE Sermo. II. in ordine XXXIII.

ANGELI eorum in cœlis semper vident faciem patris. Mat. 18. Beatissimorum angelorum omnium festiua commemoratio agitur. In quorum creatione relucet Dei potentia in dispensatione sapientia, in confirmatione misericordia, in desertione iustitia, in opere & exercitio dilectio infinita. Nam angelorum perfectio, & multitudo attestatur omnipotentiam creatoris, Hierarchia, & ordo sapientiam gubernatoris: Confirmatio, & desertio misericordiam, & iustitiam præmiatoris: Exercitiū, & operatio charitatem, & benignitatem saluatoris. Perfectio effectus, & eius multiplicitas arguit perfectionem causæ, sed angeli sunt naturaliter perfectissimi, quia creaturæ spirituales, & intellectuales, & in supremo creaturarū gradu constituti. Vnde de Lucifero dicitur Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delitijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis præciosus operimentum tuum. Quorum tantus est numerus, q̃ humanitus est incomprehensibilis, vnde Dan. 7. millia millium &c. non q̃ nō sint plures, sed quia innumerabiles per maximorum numerorū. 10. 100. 1000. replicationem designati. Tantorum autem angelorū dispositissimus ordo, quo diuersi natura in triplici hierarchia, nouem constituunt ordines, qui ab officiis nomina sortiuntur, & quietissimè, & beatificè eidē summo principi Deo famulantur, & subseruiunt, incomprehensibilem gubernationis probant sapientiam, quippe sapientis est ordinare 1. Metaph. Bonorum verò confirmatio, diuinam misericordiam, & malorum desertio, præmiatoris iustitiam demonstrant, qui vnicuiq; retribuit secundum merita viç, via eorum morule fuerunt inter eorum creationem & finalem confirmationem, aut desertionem. In quibus boni ad Deum conuersi omnia sua bona naturalia, & gratuita intensissimo amore in Deum retulerunt, nihil sibi attribuentes. Apostatę autem ad seipsos recurui se sibi finem constituentes, etiam à se habere, quæ à Deo receperunt, affectarunt, dicentes per eorum principem: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Esa. 14.

Angelorum festiua commemoratio.

Exercitia bonorum & officia, immēsam charitatem & benignitatem nostri indicant saluatoris. Et quæ sunt eorum officia? Audi apostolum Heb. 1. Omnes inquit sunt ad ministratorii spiritus. Non vtiq; propter Dei indigentiam, qui solus sibi sufficit, sed missi propter eos, qui hæreditatem capiūt salutis. O charitas, in obsequium pulueris mittere sublimes spiritus, in famulatū viatoris, etiam peccatoris, mittere beatos impeccabiles, & puros. Famulantur autem nobis officiorum suorum ordinibus nos instruendo quemadmodum ascendere poterimus ad Deum, cui ipsi assistunt. Primum enim huius ascensus est, præcepta Dei inuestigare. Et sic ea quasi omnibus necessaria ad salutem nobisipsis nunciare. Ac deinde consilia quasi superaddita, quasi maiora consyderare, & intelligere. Si quidem maius est, seruare consilia quā præcepta sola. In hoc sequentes angelorum, & archangelorum actus, & officia. Cum verò sic cognita, & intellecta, fideliter obseruamus & exequimur in opere, virtutes imitamur. Verum, quia in his repugnantiam patimur diaboli carnis, & mundi, potenter resistendum est diabolo, principandum carni per subiugationem eius spiritui, & dominandum est mundo, ipsum tanquā, longè nobis inferiorem despiciendo

Angeli charitatē īdicāt saluatoris.

aut

aut in profectum ascensionis in Deum vtendo, in quibus secundæ hierarchiæ officia explemus. Exinde ascendentes supra mundum, etiam nosipsos super grediamur omnem creaturam, spiritu feramur in Deum iudicantes, quæ sit voluntas optima, & beneplacens Deo - nam spiritualis omnia dijudicat. primo Cor. 2. cap. Consequenter per speculationem cherubicam, in Deum eleuemur, eoq; familiari notitia cognitio per seraphicum, & ardentissimum amorem fruamur, in eo tantum delectationem quærentes, cetera velut stercora arbitrantes, vt Christum lucrifaciam⁹ in quo omnis perfectio rationalis creaturæ constituta est. Per hæc enim summos angelorum ordines thronos, scilicet Cherubin, & Seraphin imitamur. Assistunt etiam nobis multiplici suffragio ad salutaria instigando, a periculis defendendo orationes nostras Deo offerendo. Eapropter nostri angeli dicuntur nostri .s. adiutores, nostri defensores, nostri patroni, & intercessores, causas nostras coram Deo fideliter agētes. Testimonia scripturæ clara sunt. Nec tamen nobis seruientes à beatitudine sua impediuntur. Quoniam angeli eorum, quibus seruiunt, semper vident faciem patris.

## DE S. MICHAELE Sermo. III. in ordine. XXXIIII.

MILLIA millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei Dan. 7.

Angelorū festa congruū est celebrare.

Dignum & iustum est fratres dilectissimi, hodiernam beatorum cęlestiū spirituum festiuitatem congruis honoribus celebrare. Dignum vtriq;, quia nobis superiores. Iustum: quia nostri defensores. Superiores nobis sunt natura, & statu. Natura, quoniam teste Dama. spirituales siue incorporeæ sunt substantiæ, & intellectuales, & lumina quædam spiritualia secundum Isido. lib. de sum. bo. ca. 10. quæ longè excel lunt humanam infirmitatem corpulentam, & tenebrosam. Statu verò, quia innocentes, & beati. De quo Grego. 26. moral. Certum est inquit, quia eo ipso nobis sunt altiores, quo lapsi in infimis non sunt. Beatitudini eorum Christus testimonium reddit, quia semper vident faciem patris. Matth. 18. Quia verò defensores nostri sunt, propheta in psal. 90. dicit: Angelis suis mādauit de te vt custodiant te in omnib⁹ vijs tuis. Sed benefactoribus reddere gratitudinis vices scimus fore debitū, atq; iustum. Item dignum est eos venerari, quoniam nobis est fructuosum. Et iustum, quia ab ecclesia speciali reuelatione demādatum. Vtile quoniam dū laudamus eorum perfectionem, ac statum iucundissimum meditamur, ad cęlestia desyderia tanquam ad eundem statum venturi inflammamur, atq; ad incrementa virtutum eorum immissione bonis tendere studiis admonemur. Sententia est beati Grego. homil. 34. Quomodo autem huius diei celebritas reuelatione diuina est instituta, vt etiam iustum sit nos festiuare, historiæ certæ probant. Item adhuc dignū est, quoniam eiusdem magnæ domus patrisfamilias ciues sunt, nostriq; conserui, iustum, quoniam multiplici pluralitate numerosi. Ciues inquam sunt & familia curiæ cęlestis, sicut scriptū est: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Nostriq; conserui, sicut horum militum vnus Ioanni se adorare volenti prohibendo respondit: Vide ne feceris, quoniam conseruus tuus sum, & fratrum tuorum Apoc. 22. Si deniq; quēlibet ex nobis domino fideliter adhærentem, dum viueret mortalis, & post mortem cum Christo regnantem congaudendo festiuè colimus, quantò magis eorum, quorum cooperantibus ministeriis, congaudentibusq; ad beatitudinem aptantur, & feruntur, quicunq; mortales beatificantur, quiq; nostræ con gaudent beatitudini, iustum est festiuare, de ipsis enim apostolus ad Heb. 1. ait: Nonne omnes sunt admi-

ministratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et rursus: Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pęnitentiã agente, eo vtiq; iustius quo eorũ, quos colimus numerosior est exercitus, dicẽte Daniele: Millia millium &c Pro gratia Aue Maria.

Angelorũ numerosa multitudo.

Cum res etiam sensibiles nostro prospectui præsentes, ad plenum inuestigare non possumus: dicente Salomone Eccle. 1. Cunctæ res difficiles, non potest eas homo inuestigare sermone, quãtò minus cum caro simus, altissimorum cęlestium spirituum secreta à nostris sensibus remotissima, consyderationis oculo penetrare valem*. Quid enim de sanctissimis spiritibus viles loquentur vermiculi? Subtilioribus itaq; inuestigationibus de angelica natura nobis tam occulta dimissis, ad horum cognitionem aliquatenus hauriendam, scriptura prodente studiosius laboremus, quæ nostris profectibus magis poterũt deseruire. Inter quæ nunc consyderabimus numerosam beatorum spirituũ multitudinem, qua ab initio sunt creati. Secundò de ministerio eorum, quo à malis boni sunt discreti. Tertiò de bonorum assistentia, qua increato lumini adhærentes perpetuò sunt beati. Hæc enim tria in verbis nostri thematis non impertinenter sunt notata. Primum est verbis numeralibus super se replicatis millia millium, & decies centena millia. Secundum in eo quod dicitur, ministrabant ei. Tertium assistebãt ei, singulis clausulis, doctrinas morum singulas annectemus. Præsens sermo primam tantum partem perstringet, alias duas sequentes speciales sermones per tractabunt. Primò itaq; in prę senti sermone ostẽdetur ineffabilis numerositas angelorum. Secundò inuestigabitur causa multitudinis eorum. Tertiò subiungetur doctrina quædam morum.

Angelorum multitudo vnde pbatur.

Numerosa angelorum multitudo quo creati sunt, tangitur, cum propheta dixit, millia millium &c Non ꝙ per hæc verba numeralia sibi replicata totum, ac determinatum angelorum expresserit numerum, sed secundum scripturæ morem numerum determinatũ pro indeterminato posuit, siquidẽ maximus est angelorum numerus, omnem numerabilem à nobis excedens multitudinem. De quo diuinus ille Diony. cap. 14. cele. hierar. ita dicit. Scripturæ sanctæ traditio de angelis loquens, millia milliũ esse dicit, & decies millies cẽtena millia supmos humanos numeros in seipsos inuoluens, atq; implicans, per quæ hos cęlestium substantiarum ordines nobis esse innumerabiles apertis rationibus pandit. Sunt enim profectò plurimæ cęlestium spirituum beatæ militiæ, quæ mortalium nostrũ numerum infirmum, breuemq; modum longè transcendant, atq; à sola sua eminentissima, & cęlesti intelligentia, atq; notione scitæ sint, ac diffinitæ. Hoc autem duplici signo colligere possumus. Primò quidẽ secundum Nicol. de Ly. super Dan. 7. ca. quia ita se videntur habere angeli respectu hominum, sicut corpora cęlestia se habent respectu elementorum. Nunc autem corpora cęlestia quasi incomparabiliter excedunt elementa, cum vna stella firmamenti visa nobis maior sit tota terra, vt tradunt astronomi. Cum autem angeli homines excedere non possunt quantitate continua siue molis, quam ipsi omnino non habent, sequitur ꝙ eos excedũt quantitate discreta incomparabili scilicet numerositate. Iterum angeli in principio cum cęlo creati, cęlum ipsum repleuerunt. Vnde non paucos, sed innumerabiles esse doctores conuincũt Quia autẽ in principio temporis creati sunt, aperte docet August. lib. 1 super Gen. ad literam di. Per cœlum, & terram (cum dicit scriptura. In principio creauit Deus cęlum, & terram) corporalem, spiritualemq; creaturam intelligi & hæc creata in principio .s. temporis, vel in principio, quia primò facta sunt. Si verò per cœlum intelligitur corpus cęleste, nihilominus simul cum illo angelos creatos in principio. Idem Aug. probat. 11. de ciui. Dei ca. 9. quod

9. quod etiã testatur dominus di. Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Astra matutina, & filios Dei eosdem angelos vocat. Cęlum enim in quo posuit luminaria, non in principio, sed secunda die factum est. Grego. quoq; exponens sup. allegata lib. 28. moral. dicit. Quia enim primo tempore cõdita natura rationalium spirituum creditur, non immerito matutina astra angeli vocãtur: quod si ita est, dũ terra esset inuisibilis, & incomposita, dum tenebræ essent super abyssum, venturum diẽ subsequẽtis seculi, per lucẽ sapientiæ existẽdo fuerunt. Quia autem in cęlo fuere omnes angeli ante lapsum, boni, & mali, & inde corruisse quosdam per superbiã, q vero non peccarunt, illic perstitisse, probat magister dist. 2. 2. p illud Lu. 10. q dominus ait: Videbã Sathanã sicut fulgur de cęlo cadẽtem. Quod exponens Strabus, ait (sicut allegat magister dist. 2. 2. lib.) In principio creauit Deus cælũ, & terrã. Cęlũ non visibile firmamẽtum hic appellat, sed empyreum idest igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore sed à splẽdore sic dicitur, quod statim factum repletũ est angelis. Beda quoq; de eodẽ ita dicit: Hoc superius cœlum, quod à volubilitate mundi secretum est, mox vt creatum est, sanctis angelis est repletum. Cęlum ergo illud quod angeli repleuerunt, amplissimũ est omnes cęlos stellatos, residuum ambiens mundum, cuius quantitas etsi sciri non potest, potest tamen ex quantitate vnius stellæ supra designata aliquatenus æstimari. Idcirco arguitur illos angelos innumerabiles esse, qui cęlum hoc quantitate maximum repleuerũt.

Angelus enim cum sit natura quædam non potest esse nullibi, sed alicui ipsum necesse est fore in aliqua parte certa vniuersi. Siquidẽ solus Deus vbiq; est, etiam secundum essentiã est necesse esse, vt probant quidam articuli Parrhysien. scilicet 24. & 26. de angelis. Nec tamen angeli loco quantumlibet magno coexistunt secundũ suã naturam, sicut nec anima rationalis corpus quantumlibet magnum informare potest. Hoc etiam ex eo patet, quia angeli secundũ Dam. li. 2. ca. 3. cũ sunt in cœlo, nõ sunt in terra, & cũ ad terram mittuntur, non manent in cęlo, q non esset si cęlo, & terræ simul coassistere possent. Determinata itaq; est quantitas corporis maxima, cui secũdũ ꝓpriã naturã assistere põt, non quidẽ ęqualis omnibus, sed maior perfectioribus. Nã posse maiori corpori assistere perfectiõnẽ arguit: propter quod Deus (quia ꝑfectissimus) omnibus coassistit, quanta autem sit hæc quantitas cuilibet determinata quo ad maximum cui assistere possit, quia minima, determinari non potest, cum angelus sit indiuisibilis, & ideò quantumcunq; paruo loco adæquatè potest coassistere, nobis incognitum est. Non tamen dubiũ, quin infimus angelus maiori corpori coassistat secũdum suã naturã, quam anima rationalis possit inherere, eo q perfectior est anima. Si ergo angelus tanto corpori assisteret, quanta est terra tota, manifestum foret innumerabiles esse, qui replerent cęlum empyreum, cum innumerabiles sint stellæ in firmamento longè minores cęlo empyreo.

Sed fortè quæris: Quare dominus tantam angelorum multitudinẽ creauit? Non alia ex causa, nisi propter infinitam suam bonitatem declarandam. Quia enim secundum Dioni. bonũ est suijpsius diffusiuum, Deus summè ac infinitè bonus, suam bonitatem infinitè & ab æterno, non contingenter, sed necessariò cõmunicauit ab intra in eo q ab æterno pater genuit filium sibi coæqualem, ac cum eodẽ filio sine durationis principio spirauit spiritumsanctum eiusdẽ bonitatis supernæ, & perfectionis. Sola autẽ sua gratia, & liberalissima volũtate, suã bonitatẽ post infinita imaginaria secula, finitè prout participari poterat à creatura cõmunicauit, dũ ex tpe visibilia, & inuisibilia creauit de quo magister li. 2. dist. 1. ait: Credamus ergo rerũ creatarũ cęlestiũ, & terrestriũ, visibiliũ, & inuisibilium causam non esse nisi bonitatẽ creatoris, qui est

Angelorũ multitudo cur tanta creata.

vnus

vnus, & verus. Cuius tanta est bonitas, vt summè bonus, beatitudinis suæ qua æternaliter beatus est, alios velit esse participes, quam vidit & communicare posse, & minui non posse. Illud ergo bonum quod ipse erat, & quo beatus erat, sola bonitate non necessitate aliis communicare voluit, quia summi erat prodesse velle, & omnipotentissimi nocere non posse.

Angelorũ multitudo est gloria regis.

Possunt etiam ex parte nostra causæ duæ, vel tres superaddi. Vna vt nobis gloria Dei & inenarrabilis magnitudo potentia ac perfectio summi illius regis declaretur, quia militiæ numerositas, nobilitas, & ornatus gloria regis est secundum illud Prouer. 14. In multitudine populi dignitas regis. De quo Rich. in lib. solil. suorum ait: Tua est ò virtus patris omnis mirificentia beatarum virtutum, quarum agitur ministerio vt verè miretur omne seculum, & exclamet obstupescens in mirabilibus tuis & dicat: Omnia quæcunque dominus voluit, fecit in cœlo, & in terra. Sicq; ad seruiendum sibi amplius incitaremur, magis enim vult seruire quilibet magno principi, quam paruo, & quo dominus potentior tantò ad seruiendũ ei redditur quilibet promptior, sic etiam in nobis docet experientia, quia longè maiori diligentia seruiunt serui regi, quam militi, in quo tamen seruitio non ipse, sed nos proficimus, sicut ait Aug. 1. de doctrina christiana: Deus perfectus & summa bonitate plenus nec augeri potest, nec minui. Quia ergo rationalis creatura facta est à Deo, referendum est ad creatoris bonitatem, & ad creaturæ vtilitatem. Factus ergo angelus, siue homo propter Deum dicitur, non quia creator Deus, & summè bonus alterutrius indiguerit officio, qui bonorum nostrorum non eget, sed vt seruiret ei, & frueretur eo, cui seruire regnare est, in hoc enim proficit seruiens non ille, cui seruitur.

Angelorũ numerositatis causa alia, vt nostræ custodiæ deputarentur.

Alia causa tantæ numerositatis angelorum vt essent qui nostræ custodię singulis singuli deputarentur, & nihilominus copiosior multitudo supremo assisteret regi, propter quod Daniel minorem numerum ponit ministrantium scilicet millia millium, maiorem assistentium scilicet decies millies cētena millia. Loquitur enim ibi ad literam de ministerio, quo mittuntur à Deo in ministerium nostrum. Tertiò vt sic homini quia natura est socialis, ac ciuilis (vt dicitur in politicis) prouideretur de nobili, & copiosa, ac fidelissima societate, cum quibus omni pace, concordia gaudio, & amore conuiueret in æternũ. O quãta sunt gaudia, vt ait Grego. homil. 37. angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere. Quis non toto corde his interesse concupisceret agminibus: qua vt Rich. vbi sup. ait viua sunt celi superioris sydera? In terris paradisi Lilia, Rosæ plantatęq; super aquas, siloe quæ fluunt cum silentio? O flumen pacis. O delitiarum ager. O sapientia sola girum circumiens. Ex te lucent, candent, & rutilant in sapientia multa, in castitate virginea, in charitatis ardoribus sempiternis. De hoc etiam Paulus, omnia ait nostra sunt, superiora scilicet æqualia, & inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, vt Deus trinitas, æqualia ad conuiuendum vt angeli, quia etsi sint superiores nobis, in futuro tamen erunt æquales, qui & modo nostri sunt quia ad vsum nobis sunt. Sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non domini sed quia sunt ad vsum eorum. Ecce cũ innumerabili angelorum multitudine, apertæ sunt etiam institutionis eius causæ.

Doctrina morũ & quõ possim⁹ proficere ad Dei bonitatē.

Restat nunc ex his doctrinã aliquã elicere, ad morum & deuotionis directionem, quæ talis est. Excussa corporis somnolentia, diligentius meditemur mirabilia Dei opera in tam innumerabilis angelicæ multitudinis productione. Si enim opera domini secundum prophetam memoranda sunt, & facta manuum eius meditanda, quantò magis excellentissima eius opera sunt diligentius attendenda. Etsi vt dicitur Sap. 13. magnitudine speciei & creaturæ

turæ cognoscibiliter potest creator videri, quoniam fortior & maior est illis quantò magis creatoris excellentia ex creatura summa, angelica scilicet natura intelligi potest. Cognoscemus re uera si attendimus Deum esse omnipotentem, sapientem, bonum. Ex magnitudine enim eorum vt dicit magister dist. 3. primi, cognoscetur creator omnipotens: Ex ordine, & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus, Quomodo non omnipotens qui tam innumerabiles angelos de nihilo creauit? tam fortes, & potentes, vt vnus ad totum istum mundum sub lunaris circuli concauo sufficeret exterminare? Sicut legitur q̄ vnus angelus de exercitu Sennacherib vna nocte exterminauit cētum octogintaquinq; millia. Esa. 37. Nunquid sapiens, qui tot innumerabiles spiritus natura perfectiore creando distinxit, & in suo ordine in tanta pace, & cōcordia collocauit? Nunquid optimus qui tam largiter suam bonitatem tam innumerabilibus creaturis, & tam magnificè, communicauit, ac eos quos sic magnos condidit, regit, & conseruat in æternum? Nec frustra hæc cognoscere satagimus: Hinc enim vt Guilhel. in de fide, & legibus ait: Omnes diuini cultus partes oriuntur. Considerata enim Dei omnipotentia surgit in nobis timorata obedientia, ex sapientia oritur in nobis honor, & reuerentia, ex bonitate pensata generatur in nobis gratitudo, & charitatiua adhærentia, quia hæc pertractare mente negligimus, ac terrenis immergimur, hinc omnis tepor, ac desidia ad diuina nutritur in nobis. Sicut ostendit Grego. homil. 10. in Ezech. Dulce est inquit esse in reb⁹ humanis, sed ei, qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustauit, quia quātò minus æterna intelligit, tantò delectabilius in temporalibus requiescit. At siquis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici angelorum chori, quæ incomprehensibilis visio sanctæ trinitatis. Hinc quātò illud dulce sit, quod intus videt, tantò in amaritudinem fertur omne, quod foris sustinet. Repudiatis ergo his terrenis, & fugacibus falsis gaudiis, quæramus illa pascua, in quibus eum tantorum ciuium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos lętantium festiuitas inuitet, & tot tantorumq; conuiuantium communis solemnitas desiderium in nobis cęlestium inflammet, quo ita per hęc temporalia curramus quatenus post hanc miseriam non solum mille millibus ministrantibus, sed & decies millies centenis millibus assistentibus semper ante faciem patris mansuri perpetuo coniungamur. Quod ipse angelorum rex, & dominus concedere dignetur per filium suum dominum nostrū Iesum Christum, cum quo, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum: Amen.

## *DE ANGELIS Sermo. IIII. in ordine, XXXV.*

NONNE sunt omnes administratorii spiritus in ministerium missi propter eus, qui hęreditatē capiunt salutis? ad Heb. 1.

Magna nobis spiritualis lętitiæ causa est hodierna celebritas omnium sanctorum angelorum, in qua euidentius admirandam Dei misericordiam nobis beneficia cognoscimus cumulantē. Neq; enim satis visum est clementissimo domino omnem corporalem creaturam nobis ex conditione suæ creationis inferiorem, nostro visui, nostræq; vtilitati commodasse, cęlum videlicet elementa, & vniuersa contraria in eis sunt mixta, prout latè deducit Chrys. lib. 2. de compunctione cordis, & eanit psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius &c. nisi etiam ea, quæ supra nos sunt nostræ vtilitati cogeret deseruire. Magnum vtiq; signum foret clementię si præpotens imperator aduenienti cuipiam hospiti proprios familiares quāuis dignitate minores, vel pares seruire mandaret. Lōgè verò maioris benignitatis

Misericordia Dei magna qui angelos producit ad ministerium nostrum

gnitatis argumentum esset si maiores, nobiliores, & digniore, suæ curiæ insistentes minus dignis aduenientibus cōpelleret ministrare.

Quantum ergo est, ac quam admirandum ꝙ rex vniuersorum nobis factis suis indignis non modo inferiores, aut pares, sed sanctos sui palatij incolas, auxiliatores, defensores, & custodes deputauit, angelicos scilicet spiritus longe nos excellentes gratia, & natura. Nam illi spirituales, nos corporales. Illi incorruptibiles, & perpetui, nos mortales, & caduci. Illi beati, ac cęli ciues, nos verò miseri, & viatores. Vnde non modicum natura dignificatur humana, sicut Hiero. super Matth. ait: Magna dignitas animarum vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis suæ haberet custodiam sui angelum delegatum, & Chrys. super epistolam ad Hebræ. ait: Intelligite quantus honor nobis exhibetur, vt ad nos sicut ad amicos ministros angelos suos destinet Deus. Non ergo nobis hæc festiuitas est negligenter prætereunda sed deuotione intima sanctificanda. Ad laudes quoq; & gratiarum actiones nosipsos excitemus tanti beneficii magnitudinem admirando dicentes cum apostolo. Nonne omnes sunt &c. Pro gratia Aue Maria.

Angelorū materia quō speculanda.

Hodierna solemnitas plurimam nobis de sanctis angelis offert materiam speculandam. Sed quid de sanctissimis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sane & indubitata fide cognoscimus, diuina eos præsentia, & visione beatos, ac sine fine lętari in bonis domini, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sic enim in euangelio hodierno ait dominus. Angeli eorum semper vident faciem patris. Verum quia super nos loqui de ea claritate, & gloria, quæ in semetipsis immo in Deo suo angeli sancti nostris omnino supereminent cordibus, de ea loquamur, quam nobis exhibent gratia, & charitate, quoniam secundum beatum Bern. in ser. præsensenties festi. in supernis spiritibus non admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis inuenitur. Dignum quoq; est vt gloriam non capientes tātò magis amplectamur misericordiam, quæ nimirū constat abundare domesticos Dei, cęli ciues, principes paradisi. Huic misericordiæ nobis impensæ attestatur apostolus ipse, qui raptus in tertium cęlū, beatæ illi curiæ meruit interesse, atq; eius nosse secreta, dicens. Quoniam omnes sunt administratorij spiritus missi in ministerium &c. Dimissis itaq; difficilioribus, ac subtilioribus, videndum est summariè quæ vel qualia sunt beneficia per eorum ministerium nobis concessa, quod in priore sermone suspensum fuit. Secundò cur tantò zelo nobis ministrant. Tertiò qualis in nobis requiritur dispositio vt angelicæ custodiæ congruamus. Vide Gerson super magnificat. tractatu. 8. super illa parte cantici: Exaltauit humiles. Deposuit potentes. vbi inuenies materiam copiosissime.

Angelorū multiplex ministeriū circa nos.

Quo ad primum multiplex est angelorum circa nos ministerium, secundum ꝙ ex diuersis scripturæ passibus colligi potest, potest tamen in genere ad binarium reduci. Nam sancti spiritus angelici. ab hostibus potenter nos defendunt: & ad ea, quæ nobis salutaria existunt cautè dirigūt, quod in hoc versiculo psal. notari potest Angelis suis manda. de te. vt cust. te. .s. ab hostibus In manibus por te. ne. for. of. ad la. pe. tuum. sed cautè ambules ad salutem. Quo ad secundum. Expositi enim sumus multò, grauiq; hostium periculo. Intus nanq; & de nostro nos impugnat lubrica caro, quam deponere non possumus, sed cogimur circumferre Rom. 7. Video aliam legem in mēbris meis repug. legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et sequitur. Infęlix ego homo, quis &c. Foris blanditijs, & terroribus inuadit nos mundus. Amicitia enim huius mundi inimica est Deo, qui ergo vult esse amicus huius seculi inimicus Dei constituitur. Ioan. 4 Deniq; intus, & foris artibus mille insidiatus nobis diabolus

las De quo ait apostolus ad Eph.6.Nō est nobis colluctatio aduer carnem,& sanguinē,sed aduersus potestates,& principes, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cęlestibus. Inter hos tuta mortalium vita non esset, vt Hiero.ait super Mat.nisi contra hos fortior potestas angelica nos defenderet. Hinc ait beata Cecilia.Angelū habeo custodem corporis mei. Siquidem corporis rebellionem domant atq; luxuriam,vt apertè figuratum est. Gen. 32. dum angelus neruum femoris Iacob secum luctantis tetigit, & statim emarcuit.Cōtra mundum deniq; tyrannica tabie sęuientem multipliciter auxiliantur,inimicos infirmando, ac nos fortificando, sicut in angelo percutiente Sennacherip. 4.Reg. 19. & in angelo descendente in fornacem ignis cum tribus pueris. Dan. 3. & Heliodoro, 2. Mach.3. flagellato ab angelo, & Machabeo ab angelo defensato ibidem cap. 10.ostensum &c. Quantum etiam diabolum nobis insidiantem supprimant,nec quo modo ipse desyderat corpori, animæ que nocere permittunt, historia Tobiæ declarat, quæ Raphaelem dęmonem Asmodæum appræhendisse, & in desertum superioris Ægypti religasse commemorat eiusdem. 8. nam & dæmones clamabant se catenis igneis cōstringi ab angelis apostolorum, vt de sancto Bart. & bea. Iacobo legitur Ioan.quoq; in Apoc. ca. 20. ait. Vidi angelum descendentem de cęlo habentem clauem abyssi, & catenam magnā in manu sua,& apprehēdit draconē serpentem antiquū,qui vocatur diabolus, & sathanas,& ligauit eum super annos mille,& misit eum in abyssum, & clausit,& signauit super illū,vt non amplius gentes decipiat donec consumentur anni mille,& post hoc oportet eum solui modico tēpore, quæ exponens Gre. 4. moral. ait.Ille apostata angelus,qui ita conditus est vt angelorum cęteris legionibus emineret, ita superbiendo occubuit, vt nunc stantium angelorū ditioni subbiectus sit,quatenus vel nūc ad vtilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel tunc in fine mundi ad probationem nostram eis relaxantibus totis se contra nos suis viribus solutus exerceat, ab eis funditus destruendus.

Dirigunt quoq; nos sollicite ad salutis consecutionem, & hoc triplici actu hierarchico,purgando, illuminādo,perficiendo. De quibus loquitur diuinus Diony.in de cele. hierar. ca. 3 ostendens hos actus cuilibet ordini superiori conuenire respectu inferioris. Verū aliter superiores angeli purgant, illuminant, & perficiunt inferiores angelos. Aliter angeli homines. Nam secundum eundem ca. 7. purgatio, illuminatio, & perfectio respectu angelorum nihil aliud est, quam diuinæ scientiæ participatio, quare ille actus hierarchicus principaliter consistit in inductione scientiæ, qua inferior caruit. In qua inductione remouetur ignorantia,quare dicitur purgatio, nō a fœditate,sed ignorātiæ nubilo Dicitur illuminatio quia lumē ingerit,quo q̄ prius nō videbantur sublimioris, nunc intelligētiæ luce panduntur.Dicitur etiā perfectio quia est firme,& pseuerātis sciētię traditio. Hæc Diony. in effectu. Nos autem purgant nedū ab ignorātia, sed peccati fęditate,dum primos motus sedant,dum carnalia phantasmata expellunt,quæ sunt primogenita Ægipti,& tenebrarum ab angelo occisa. Exod. 12. Dum scilicet dormientem in latere malæ securæ conscientię percutientes excitant, intus suggerendo periculum status, timorē iudicij, & aliorū quibus sollicitatur ad surgendū,sicut figuratur in angelo latus Petri percutiente,& dicente:Surge velociter,& ceciderunt catenæ &c. Act. 12. Illuminant,dū multipliciter nos docent: quandoq; verbis & visibilibus signis, dum in assumpto corpore mittuntur,sicut in Daniele ca. 9. legitur. Veni (inquit Gabriel) vt docerem te. Quandoq; interioribus illuminationibus,quæ quomodo fiant, etsi nō est ita certū,quia tn̄ fiūr,scriptura teste nō est dubiū,si.n. imm. ssiones

Angeli nos dirigunt ad salutis consecutionē, & quomodo.

fiunt per angelos malos, longè magis per bonos psal. 77. & notat ibi glo. Aug. pulchram Et si aduersarius esse potuit spiritus mendax in ore prophetarum Achab. 3. Regu. 22. longè magis angelus bonus esse potest spiritus verax in mente christianorum. Perficiunt, dum ad feruentem amorem incitant, dum & iam ad consequendũ beatitudinis præmium, orationes nostras, lachrymas & elemosynas offerunt in conspectu dei remuneratoris. De quo Tob. 12. Quando orabas cum lachrymis &c. obtuli orationem tuam domino. Et Apocal. 8. Stetit angelus ante altare habens thuribulum aureum in manu sua, & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sacramentorum omnium super altare. Ecce patuit breuiter quanti nobis ministerio assistunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos &c. Tantum de primo.

Angeli nobis seruiunt cũ magno zelo.

Quo ad secundum exponendæ breuiter sunt causæ, quę ipsos angelos beatos pro nostra infirmitate reddant sollicitos, absq; sua tamen anxietate, sed nõ absq; nostra vtilitate, non ad fęlicitatis suæ detrimentum, sed ad nostræ salutis augmentum, vt dicit Ber. Colligit autem idem doctor mellifluus in serm. præsentis festi tres causas dicens. Funiculus est triplex, quo de excelso cęlorũ habitaculo ad consolandos, visitandos, adiuuandos, nos supereminens attrahitur charitas angelorum, propter Deũ propter nos, propter seipsos. Propter Deum, cuius tanta erga nos misericordiæ viscera, ipsi quoq; vt dignum est, imitantur. Quid enim mirũ, si nostrũ ministeriũ sanctos delectat angelos, dũ ipse quoq; creator, & rex angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis? Matth. 20. cui ipsi in excelsis tota auiditate, & fęlicitate ministrant. Verũtamen aliter ille, aliter isti nobis ministrant. Nã angeli ministrant de alieno offerentes Deo bona opera nostra, sudores nostros lachrymas nostras. Nobis autem eius munera referunt non sua. Vnde scriptura dicens. Ascendit fumus aromatum in conspectu domini de manu angeli, solicitè præmisit, data ei fuisse incensa multa. Apoca. 8. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior vniuersis qui semetipsum obtulit pro nobis sacrificium laudis, qui patri offerens animam suam, nobis ministrat vsq; hodie carnẽ suam. Huius itaque magistri gratia libenter nobis angeli sancti ministrant. Ipsi amant nos, quia nos Christus amauit. Vulgare prouerbium est, ait Bern. Qui me amat, amat & canem meam. Nos catelli sumus illius, quem toto affectu diligunt. Catelli cupiẽtes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum, sanctorum scilicet angelorum. Ministrãt quoq; nobis propter nos, in quibus nimirum propriam simillitudinem miserantur. Constat enim secundum Bern. animas humanas angelicę cognatas esse naturæ. Nam vtraq; natura animarum, & angelorum ad imaginẽ Dei formata est vtraq; rationis particeps, vtraq; beatitudinis capax, vt tangit Magister distin. 1. libri. 2. quamuis illi spiritus angelici beati, istæ verò miserę, isti puri, istæ corporibus immersæ. Non ergo dedignantur secundum legis præceptum proximos amare, proximis consolationem impendere. Rectè proximos dixerim qui ad eandem beatitudinem, quã ipsi nunc possident sunt creati. Propter seipsos denique nobis ministrant, quoniam eorum ordines instaurandos ex nobis toto desyderio præstolantur. Instaurationem murorum Hierusalem in apostasia angelorum, aliquam ruinam passę desyderant. Ideòq; frequenter ante thronum gloriæ preces iterant, dicentes: Benigne fac domine in bona voluntate tua vt ædificentur muri Hierusalem. Diligunt decorem domus domini, ideò zelose ministrant cooperantes vt nos viui, & rationales lapides in restaurationem eius sibi possimus coætificari, cum de alijs restauratio huiusce modi fieri nequeat. Et quia sic nobis ministrando vel beatitudinem quam modo possident merentur

vt quibusdam placuit sic opinantibus, vel quod verius apparet, saltem præmium aliquod accidentale sibi coacervant. De quo magister, & doct. lib. 2. distin. 5. His de causis sancti angeli cupiunt esse omnes administratorij spiritus &c. Tantum de secundo.

Ex præmissis itaq; quo ad tertiũ satis patet, quanta sollicitudine opus est vt dignos nos exhibeamus eorum frequentia, vt eo modo conuersemur in cospectu eorum, ne sanctos offendamus obtutus. Vę enim vobis si (vt Ber. ait) peccatis, & negligentijs nostris prouocati, indignos nos iudicauerint præsentia, ac visitatione sua, ne cogamur plangere cum propheta. Qui iuxta me erant de longè steterunt, itaq; quod sequitur, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, elongatis nimirum eis quorum præsentia protegere nos, & pulsare poterat inimicum. Fit enim nonnunquam (ait Gerson super Magnificat) custos angelicus longè à custodito, non per ignorantiam, non per negligentiam, sed propter malitiã nostram cũ dedignatur astare. Cauenda itaq; à nobis est eorum offensa, & in his maximè exercendum nobis est, in quibus eos nouimus oblectari. Hęc sunt (vt Bernard. enumerat) sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cęlum gemitus, & orationes cũ lachrymis, & cordis intentione. Sed super omnia hæc vnitatem, & pacem à nobis exigunt angeli pacis. Econtra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem prouocat eos, quomodo dissensiones, & scandala si inueniantur in nobis. Audiamus apostolum prima ad Corin. 3. dicentem. Cum sit inter vos zelus, & contentio, tunc carnales estis, & secundum hominem ambulatis. Et beatus Iudas in sua canonica ca. 2. Hi sunt ait, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Membrum quodcunq; à corpore separatum vitæ influxum non participat, & qui contentionibus, & discordiis se à corpore Christi mystico, eius vè membris segregant, sunt sine dubio carnales, vitæ spiritum non habentes. Quibus nõ immerito dicunt angeli. Quid nobis, & generationi huic pessimæ spiritum non habenti. Nam si adesset spiritus, vtiq; charitas diffunderetur, & vnitas non scinderetur? Non permaneamus cum hominibus istis in æternum, quoniam caro sunt Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Nos de regno vnitatis, & pacis sumus, & homines istos in eandem vnitatem, & pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis?

Pax autem, vnitas, & concordia inter eos manere quomodo poterit, quos non copulat fraternæ glutinum charitatis? Hæc fraterna charitas totius dispositionis summa est, qua angelicæ præparemur visitationi. Facile siquidem consyderare est nullam causam visitationis angelicæ ex prædictis inueniri posse in eo, qui non diligit proximum. Nunquid enim diligemur ab angelis si de mutuę dilectionis inopia cõgnouerint, nequaquam nos Christi esse discipulos? In hoc enim cognoscunt homines, & angeli, quod Christi sumus discipuli, si dilectionem habuerimus ad inuicem Ioannis. 13. Nunquid diligemur ab eis propter nosipsos, id est specialis naturæ similitudinem, si inuenimur non diligere humanæ naturæ consortes, si ex eis quæ inter nos sunt contentionibus carnales magis, quam spirituales esse constiterit? Nunquid denique diligent nos propter seipsos, & futuram de nobis ciuitatis restaurationem si quod absit, vnum quo solo vniri, & coædificari possumus, glutinum defuerit charitatis? Quomodo sperabunt reædificandos de nobis perpetuos ciuitatis illius muros. si cognouerint nos minime lapides esse viuos, qui possint inuicem cohærere, sed magis puluerem quem proijciat ventus à facie terræ? Nos si placuerit habere sanctos angelos tanquam administratorios nobis spiritus, curemus inuicem diligere non carnaliter, non ad mundi gloriam sed dilectione illa quã

charitas Christi gignit dilectione ordinata secundum spiritum ad vitam ad salutis hæreditatem, propter cuius consecutionem missos sanctos illos administratorios spiritus testatur apostolus. Quam nobis eisdem intercedentibus, cooperantibusque largiri dignetur angelorum beatitudo Christus dominus noster cum patre, & spiritussancto in secula benedictus: Amen.

## IN FESTO S. SIMONIS, & Iudæ Sermo. I. in ordine. XXXVI.



ÆC mando vobis vt diligatis inuicem. Ioa. 15. Exigit hodierna solemnitas beatissimorum, apostolorum Simonis, & Iudæ, qui & Thadeus dicitur, vt eorum genus, electio, vita, prædicatio, martyrij quoque triumphus exaltetur, & commendetur. Genus qui à patre Alphæo, matre Maria Cleophe sorore virginis Mariæ vna cum fratribus suis Iacobo minore, & Ioseph iusto processerunt, vnde & saluatoris nostri cognati fuere secundum carnem. Electio, qui ad summum apostolatus apicem à domino assumpti, & veluti columnæ constituti ad cælestis Hierusalem ædificium plurimum contulerunt. Vita, qua mundum spernentes, patriam, & seipsos relinquentes, vocantem dominum fideliter sunt secuti. Prædicatio, qua fidem Christi longe lateque, vtpote per totam Persidem diuulgarunt, in breui temporis spacio in Babylonia, & circun. 60. millia cum rege Xerxe, & principibus suis baptizarunt. Triumpho, quo contra diabolum & eius membra maleficos Zaroes, & Arphaxat templorumque pontifices pugnantes, comminutis idolorum statuis 12. sanguinis effusione, qui prædicate fidei testimonium perhibuerunt, coronas perpetuas sunt adepti, de

Simonis & Iudæ genus electio, & vita recitatur.

quibus latius in legenda habetur. Verum quia téporis breuitas vetat de his omnibus extensius loqui, de dilectione nunc principaliter dicendum est, de qua thematis verba. Per hanc enim dño placuerût, & amici Dei facti sunt. Quamuis enim carnalis propinquitas eis honorem præstet, & commendationem, longè tamé maiorem affert cómédationis laudé propinquitas spiritualis, quam gignit dilectio, & charitas, dicente domino: Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, vos auté dixi amicos, quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Ioan. 15. Et item Mat. 12. cum dominus inquit: Quæ est mater mea? &c. Et extendens manus in discipulos ait. Quicunque fecerit &c. Vbi patenter cognationem spiritualem carnali prætulit. Qui enim statuit in animo non sibi, sed Deo viuere, vnus spiritus efficitur cum Deo vniformitate voluntatis, teste apostolo. Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo. 1. Cor. 6. Seseque habitaculû Deo præparádo Christû in se gignit, & charitatis glutino sibi iûgit, iuxta pceptû dñi, Hæc mãdo vobis &c.

Non ab re euangelium id de apostolis his legitur. Ipsi nanque præ ceteris obseruare curarunt preceptum charitatis, inuicem se diligentes, & ceteris diligendi se mutuo in Christo exemplum præferentes. Hinc & epistola euãgelio consonat de dilectione cum ait apostolus. Scimus quoniam diligentib⁹ &c. Dilexerunt auté non solû suos amicos amore reciproco, sed & inimicos, & persecutores amore gratuito, sicut canit legenda de Zareos, & Arphaxat, qui dum ab allatis per seipsos serpentibus grauiter punirentur, quos apostoli impletis pallijs suis in eos proiecerunt, ceteris rogantibus quatenus serpétes eos occidere permitterent, dixerunt. Nos missi sumus reducere de morte ad vitã, non à vita præcipitare in mortem. Et ita qui se occidere voluerunt, & contra regnum apere finxerunt, à morte præseruarût. Patet etiã in téplorû pótificibus in perfide, quos dum Baradah

dux

dux intendere voluisset, pace iam reddita, vt apostoli prædixerant prohibuerunt, vide historiam. Item in Perside plus quam.60.millia cõuerterunt, exceptis paruulis, quos vna cũ rege & principibus baptizauerunt, sed tandem a tẽplipontificibus trucidati, martyrii palma gloriosi ad regna peruolarunt. Vide historiam si placet. Nunc ergo charissimi studeamus hos nostros imitari magistros, & per obseruantiam præcepti dilectionis pacẽ in præsenti cum omnibus habere, eamq; in futuro pleniter possidere. Ad hoc nos dominus constringit iterato præcepto cum inquit: Hæc mando vobis. Est statim præmisit. Hoc est præceptum meum. Et Io 13. Mandatum nouũ do vobis, vt diligatis inuicem. Nouum inquit, ne in vetustate perseueremus. Meum, ne cõtemnamus secundum Aug. super Ioan. trac. 83.

Pręceptũ đ dilectione cur nouũ dicit.

Sed di. quomodo præceptũ illud est nouum, cum & in lege veteri Deut.6. datum fuerit, & sine charitate nemo saluatus sit ex patribus? Respondet Aug. Homi.65. super Io. Nouum dicitur ab effectu, quia exuto homine vetere, induit nos hominem nouum qui secundũ Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Eph.4. & ad Col. 3. Expoliantes vos veterẽ hominem causa, actibus, induite nouum eum, qui renouatur in agnitione Dei secundũ imaginẽ eius &c. Et Ezech. 36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Nouum ergo dicitur ab effectu, quia facit de filio iræ filium regni & Dei. Innouat ergo, vt simus filii regni, hæredes testamenti, homines noui. Dilectio hæc olim innouauit patres, hodie innouat & gentes, & ex vniuerso genere humano quod diffunditur toto orbe terrarum facit, & colligit populũ nouum, corpus nouæ nuptæ, filii Dei vnigenitæ sponsę. De qua Apoc.21. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam &c. vsq;: Ecce noua facio omnia. Et ibidem: Veni ostendam tibi sponsam vxorem agni. Et in Canticis Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, vtiq; dealbata, quia innouata. Vnde? mandato nouo, & innouãte, quo cognoscẽt oẽs quia discipuli sumus Christi. Signũ illud infallibile est separans oues ab hædis, filios regni a filiis gehennæ. Ac si diceat dñs. Alia mea munera cæteri vobiscum participant, qui tñ mei discipuli non sunt, vt puta, vitam, sensum, rõnẽ, salutem naturalem, linguarum genera, prophetas, sacramenta, fidem, scientiã, distributionẽ rerũ in vsus pauperũ, sed quia charitatẽ non habent, nihil sunt, nec aliquid habent. In hoc ergo cognoscent oẽs, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicẽ. Ioan.13 Ecce quanta mandantur de dilectione proximi, quasi in ea sit legis consumma tio, & legis impletio, teste apostolo Ro. 13. Qui proximum diligit, legẽ impleuit, quasi pręter eã dilectionẽ proximi nihil aliud sit in præcepto, tacito præcepto dilectionis Dei, mandato maximo.

Sed sine dilectione Dei proximus diligi non pôt ordinatè. Homil.65. vbi supra. Ordinatè dico, quia est quædam dilectio proximi, quæ potius odiũ, quã dilectio nominatur. Sicut & dilectio sui, quæ est mensura dilectionis proximi. Qui etenim diligit Deum, vult diligere quicquid Deus præcepit diligẽdũ, talis est proximus. Et qui rectè diligit se, vel proximũ, quid diligit finaliter nisi Deũ? Diligit ergo sese, qui Deum ex toto corde diligit, & qui Deum non diligit, sed iniquitatem, odit, & non diligit. Qui.n. diligit iniquitatem, odit animam suam, ait propheta. Nõ erremus charissimi, inquiramus veritatem, & ipsa liberabit nos. Ioan.8. Se diligit, qui sibi bonum vult, se odit, qui sibi malum vult. Patet ex quid nominis vocabuli Et quid est bonũ? solus Deus Luc.18. Nemo bonus nisi solus Deus. Et Mat. 19. Quid me interrogatis de bono? vnus est bonus Deus. Solus ergo Deus bonus est, & essentialiter bonus. Solus ergo se diligit, qui Deũ, qui bonus est, diligit. Qui ergo sibi vult Deũ, se diligit, qui vult alteri Deũ, vel dilectionẽ Dei, alterum diligit. Nihil ergo vnit, & cõiungit Deo, nisi dilectio, & charitas E regione qcquid aduersaĩ, Deo malũ est.

Deũ nõ diligens non pôt pximum diligere.

Et volens alteri, vel sibi quod eum, vel se à Deo auertit, non diligit, sed odit, quia non vult Deum. Hinc saluator. Qui non est mecum, contra me est.

Volens ergo alteri peccata, vel peccati inductiua, nec Deum, nec proximũ diligit, sed odit. Ecce doctrinam patientissimam, sine qua non est salus, quam repeto, dicens. Tunc verè Deum diligimus cum Deum super omnia, & propter Deum omnia nos ad Deum promouentia volumus, & efficaciter quærimus. Hæc sunt charitas, virtutes, & præceptorum obseruantia. Videns ergo proximum peccare velle, & non retrahens cum posset, & deberet, proximum non diligit. Verè autem diligit, qui diligit non solum lingua, sed opere, & veritate. 1. Ioan. 3. Hinc Ioan. 14: Qui habet mandata mea & seruat ea, hic est, qui me diligit. Qui ita diligit se, talis securè, & deificè, & bene proximum diligit, quem sicut se, & ad quod se diligit. Alioquin si ad vitia quæcunq; pertrahit, vel non retrahit, & cohibet, non diligit, sed odit. Et longè melius est hunc solum perire, quam interitus multarum rerum fieri. Posset hoc idem ostendi ex canonica Iudæ vide ibi.

Homo vult omnia bona præter animam.

Sed prohpudor nostram cęcitatem, qui singula etiam irrationalia amam*, nosipsos verò, & proximos non amamus. Siquidem omnia bona esse volumus, domum, tunicam, asinum &c. Audiamus de hoc Augustinum sermone. 1. feriæ tertiæ paschæ. Quid enim vis mali dic mihi in omnibus actibus tuis cogitationibus, cupiditatibus? In terra non vis segetem malam. Non vis vti que malam, sed bonam arborem, æquũ seruum, bonum amicum, bonum filium, bonam vxorem. Et quid hæc magna commemorem, quando non vis vestem malam habere sed bonam, postremo caligam ipsam non vis nisi bonam. Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te velle aliquod bonum, puto villam malam non vis, sed bonam. Solam animam malam vis, Quid te offendisti. Quid de te tu ipsę male meruisti. Inter bona tua non vis esse malum nisi te solum. Hæc ille. Quam vera hæc sint, diutina, probat experientia. Studeamus ergo diligere nos, & proximum ad exhortationem domini dicentis. Hæc mando vobis &c. volendo vobis & proximo Deum, & Dei dilectionem quæ verè facit hominem bonum, & Dei filium. Cętera creata & si bona sint denominatiuè, quandoque tamen eis abutitur homo. & ita sunt sibi malum. Sunt ergo non simpliciter, sed pro Deo volenda. Applica ad hæc vitam, & legendam apostolorum &c. Facit ad hoc doctrina, & exhortatio Iudę in epistola sua cum inquit. Vos autem charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis. Quoniam in nouissimis temporibus venient illusores secundum desyderia sua ambulantes in impietatibus, hoc est peccatis. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei in spiritu sancto orantes vosmetipsos in dilectione ei seruite, expectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam æternam. Ecce doctrinam canonicam nostro themati consonam, quam apostolus iste Iudas (qui & Thadæus) facto & scripto docuit &c. Valet ad idem sermo in dominica quarta post octauas Epiphaniæ, qui facilè & aptè potest de apostolis prędicari.

DE

**DE OMNIBVS SANctis Sermo. I. in ordine. XXXVII.**



OST hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. Apoc. 7. & epistola hodiernæ festiuitatis.

Ioan ne qũo in pathmos magnam turbam vidit.

Beatissim⁹ theologus Ioannes domino dilectus discipulus, dum propter verbum Dei ac testimonium Iesu Christi insuperabilemque euangelizandi constantiam in Pathmos insula exilio damnatus, omni humano solatio destitueretur diuina reuelatione consolatus statum ecclesię militantis vidit, simul & triumphātis Vidit siquidem multitudinem populorum per duodecim apostolos ad fidem conuertendorum, ac baptismatis charactere signandorum, quos describit numero duodecim millium sub qualibet tribu Israel replicato. Duodecim siquidem patriarchæ filij Israel à quibus carnaliter peculiaris Deo populus propagatus est, duodecim figurat apostolos: à quibus per verbi seminationem christianus populus spiritualiter domino est genitus:qui dicuntur per singulos duodecim millia idest plurimi, vt certus numerus ponatur pro incerto, more scripturæ, quorum perfectio per duodecim significata est, quoniam in fide trinitatis quatuor euangeliorum præcepta seruarunt, ter quatuor 'surgit in duodenarium. Hæc vidit quantum ad militantem. Post hæc autem & triumphantis ecclesiæ consolationem conspiciens, turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat, vidit. Numerati autem à Deo in beatitudine stantes ante thronum diuine maiestatis per claram visionem diuinæ simplicitatis in conspectu agni refecti, scilicet exterius Christi humanitate amicti albis stolis gloria scilicet animæ, palmas perfectæ victoriæ in manibus gerentes, magnis charitatis vocibus Deum laudantes, & dicentes: Benedictio, claritas, & sapientia, gratiarum actio, honor, virtus, fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. Sed quomodo sanctorum agmina turba dici poterant? Turba siquidem à turbando dicitur secundum Catholicon, ipsi verò ab omni turbatione sunt alieni. Absterget enim Deus omnem lachrymam, ab oculis sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt. Apocalypsis vigesimoprimo. Sed in scriptura frequenter effectus non retinet nomen causæ, sicut è conuerso nonnunque causam ab effectu nominamus.

Sanctorũ agmina qũo dicuntur turba.

Ita in euangelio dominus beatos dicit pauperes spiritu, beatos, qui lugent, qui persecutionem patiuntur, cum tamen nihil horum compatitur beatitudo, sed quia his acquiritur beatitudo. Sic econuerso beatos martyres dicimus, qui in beatitudine nihil patiuntur, sed quia martyrio beatitudinem sunt consecuti.Sic rectè beatorum multitudo turba dicitur, non quia modo turbantur, sed quia multis persecutionum turbationibus beatitudinem, quam nunc fruuntur, meruerunt.Nam eorum aliqui distenti sunt, non suscipientes redemptionem vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula,& carceres. Lapidati sunt, secti sunt tentati sunt in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis. Hebræ. 11. Et quia omnium horum solemnem hodie celebrat ecclesia memoriam, rectè hanc lectionem de Apocal. legit, vbi sanctorum innumerabilis multitudo post temporalem turbationem æternaliter exultantium exprimitur per Ioannem dicentem. Post hæc vidi turbam magnam &c. De quo Aue Maria &c.

Sancto-rũ om-nium fe-stũ tria nobis proponit

Post hæc &c. Tria nobis in hac solemnitate contemplanda thematis verba includunt. Quorum primum nos instruit. Secundum allicit. Tertium timoratos reddit. Signant nanque charitatiuam sanctorum vnionem, propter quam singulorum, præmia omnibus communicantur in verbo, turbam. Magnitudinem præmiorum, quibus nunc iucundantur, quia magnam. Magnam non modo numero, sed præmio. Incertitudinem saluandorum, qua viatores salubriter terrentur, quia quam dinumerare nullus homo scilicet viator poterat, qualis Ioannes tunc erat, non propter multitudinem, sed beatificandorum incertitudinem. Sed duobus vltimis dimissis, de quibus sermone sequenti dicetur, nunc soli primo intendendum est propter officium mortuorum. Turba itaque nomen collectiuum est, quia significat multa, non quæcunque nec disparata, sed in vnum collecta. Valet enim turba propter singularem numerum idest vna multitudinis collectio, vna non substantialiter, aut simpliciter. Non enim multi homines sunt vnus homo, sed vno participatiuè, vna propter mutuam communionem. Neque homines sibi non communicantes in aliquo turba dici possunt. Propter mutuam igitur vnionem & bonorum communionem sancti Dei non turbæ sed turba dicuntur. Et hoc est, quo communem hanc & beatificam exultationem meruerunt, quam hodie recolimus. Nos quoque si in communione sanctorum manebimus, similiter de turba hac iucunda erimus.

De hac sanctorum cõmunione apostoli nobis vnum articulum ediderunt in symbolo scilicet. Sanctorum communionem, qui articulus meritò hodie venit declarandus, quoniam radix & fundamentum huius festiuitatis est, sanctorum communio. Quomodo enim de eorum beatitudine gauderemus, deoque laudes gratiarum ageremus (prout nos propheta ammonet. Laudate inquit dominum in sanctis eius) si verè cum eis non communicaremus? Quia enim damnati cum beatis nihil communicant, ideò beatitudini sanctorum inuident, non congaudent. Videndum itaque est primò, qui communicant, & in quibus. Secundò quomodo in his communicant. Cõmunicant itaque in bonis suis omnes, qui ecclesiam Dei integrant siue iam beati in patria: siue adhuc peregrinantes in via. Quod confidenter & clarè propheta psal. 118. cecinit. Particeps ego, inquit, sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Nec mirum, quoniam omnes membra sunt vnius corporis mystici, quod est ecclesia, cuius caput est Christus vt latè ostẽdit apostolus 1. ad Corinthio. decimo secundo. In vno, inquit, spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Et ad Ephes. primo dicit. Dedit ipsum caput super omnem ecclesiam quę est corpus eius. In naturali autem corpore hominis, bonum cuiuslibet membri omnibus alijs communicatur, & diffunditur per totum corpus. Sicut enim oculus pro omnibus videt membris, vt à remotis commoda quærantur aut pericula vitentur: Manus operantur pro omnibus, pedes totum portant corpus, os pro omnibus sumit cibũm, stomachus pro omnibus digerit. Propter quod vbi supra. primo. Corinthiorum decimo secundo dicit apostolus. Non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut caput pedibus, non estis mihi necessarij &c. Nec aliquod membrum expers est vitalis influxus, nisi fortè huiusmodi influxus meatus vapore grosso, aut alio oppilaretur impedimento. Tunc enim necessariò membrum huiuscemodi oppilatum aresceret. Sic omnia opera, quæ fiunt ab his, qui in vnius ecclesiæ corpore vniuntur, communia sunt omnibus, singulisque proficiunt, vt vni patienti omnia compatiantur, & vni gaudenti membro, omnia congaudeant secundum apostolum 1. ad Corinthio. decimo. secundo.

Radix autem huius communionis

Communionis radix Charitas

est ipsa charitas, quæ quia non quærit, quæ sua sunt 1. Corinthio. decimotertio omnia facit communia. Charitas quippe siue amor Dei communitatem eorum, qui ad Deum pertinent constituit, sicut amor sui eorum qui diabolum imitantur. Vnde Augusti. 14. de ciuit. Dei cap. vlti. Fecerunt ciuitates duas amores duo. Terrenam amor sui vsque ad contemptum Dei. Cœlestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui, quos August. vocat ciuitatem. Ioan. dicit, turbam magnã, propter quod eam apostolus. 2. Corinth. vlti. vocat communicationem sancti spiritus, quia omnes habentes hoc donum communicant in spiritu sancto. Qui enim hoc donum habet, spiritum sanctum habet. Rom. quinto. Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et August. super Ioan. attendite quanta est charitas, quæ si desit, frustra sunt cętera, si autem assit alicui, habentur omnia scilicet in se, vel in alijs, quam cum homo habere cęperit, spiritum sanctum habebit, quam si non habuerit, sine spiritu sancto erit. Hæc itaque est in corpore mystico, sicut spiritus vitales in corpore vero qui ibi influunt à corde viuificantur membra vt possint in vitalia opera. Ita sola charitas est, quæ membris corporis mystici vitaliter influit, ipsaque viuificat, vt vitalia opera meritoria scilicet æternæ vitæ possint operari, quod si via per obicem mortalis peccati obstruitur, iam mem brum etsi adhuc est in corpore per informem fidem, est tamen velut membrum aridum, non potens vitaliter operari, & ita nec vitaliter alijs communicari. Hæc autem charitas per fectissimè manet in beatis. Siquidem fides, spes prophetiæ euacuabuntur, sed charitas nunquam excidit. 1. Corint. decimotertio. Quare nedum viatorum inter se, aut beatorum inter se, sed & beatorum cum viatoribus, sicut vnum est charitatis vinculum ita & mutua communio in omnibus effectibus charitatis. Et tantum de primo.

Communio qualiter & in quib' sit.

Ostenso iam quorum est communio Videndum est particularius pro secunda parte qualiter, & in quibus est communio. Siquidem aliter communicant sancti inter se, aliter viatores, aliter illi cum istis. Sancti in patria communicant sibi mutuò beatitudinis suæ æterna gaudia. Vnde Augustin. 8. de trinit. & alle. magister dist. 49. 4. Multæ mansiones Ioann. 4. in vna vita erunt, scilicet variæ præmiorum dignitates. Sed vbi Deus erit omnia in omnibus, erit etiam in dispari claritate par gaudium, vt quod habebunt singuli, commune sit omnibus, quia etiam gloria capitis, omnium erit per vinculum charitatis. Gaudebunt quippe sancti singuli de omnium sanctorum felici collegio, quod diuina bonitas illuc congregauit ad tumulum beatitudinis singulorum. Ibi à singulis omnes, & ab omnibus singuli cognoscentur, & propter perfectionem mutuæ dilectionis vnusquisque gaudebit de cuiuslibet alterius quolibet bono sicut de proprio. Vnde beatus Ans. in libr. de simili & suo prosol. ait. Quilibet beatus videbit clarè in verbo scilicet vel propriè totum electorum cętum, ac singulatim quemlibet angelum, & hominem. Neque latebit quemquam qua gente, qua patria, aut de qua stirpe quisquis conditus sit. Videbitque omnium, & cuiuslibet eorum gaudia quilibet, & quicquid Deus singulis dedit, aut daturus est in æternum. Et quia perfecta est ibi charitas tam Dei, quam proximi quæ radix est communionis, quilibet tantum diligit proximum quantum se ipsum, ideò tantum gaudebit de bono proximi, quantum de bono suo.

Quia autem plures ibi sunt sanctorum ordines specialibus præmiorum insignijs pollentes, quilibet singulare gaudium de se ministrat omnibus beatis.

Gaudet siquidem quilibet beatorum de fideli ista multitudine beatorum penitentium, qui pro regni cœlestis desyderio, & spe æternæ remune

muneratiionis ſtrenuè hic de commiſſis peccatis pęnitentiam egerunt, inſtantes ieiuniis, orationibus, vigiliis, miſericordiæ operibus, in fidei quoq; ſynceritate, & diſciplina præceptorum hic Deo ſeruierunt. Pro quibus omnibus, & ſingulariter ſingulis iam præmiantur tantò ſingularius, quantò quilibet hic in via aliquo Dei dono ſingulariter pollebat, ita ut de quolibet canat eccleſia: Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legẽ excelſi. Gaudent de patriarcharũ gloria, qui ſingulari religione, & obedientia meruerunt eſſe patres apoſtolorum, & prophetarum. De quorum germine per vterum intactæ virginis Chriſtus mundo in carne apparuit liberator generis humani, propter quod tam caſtè hic in mundo vxoribus vtebantur, vt merito virginibus coæquentur. De quo ſingularia præmia nunc accipiunt.

Gaudent de prophetarum corona, qui ſpirituales viri a Deo hic electi ſunt, per quos ſpiritusſanctus magiſter ſcripturarum poſteris ſuis ſolacia, & auxilia miniſtrauit, quibus Deus ſecreta ſua, futura quoq; quaſi præſentia reuelauit, quæ fideliſſimè, & vero, & ſcripto intrepidè nunciarunt, nec laboribus, nec vitæ parcentes.

Gaudent de aureola virginũ vtriuſq; ſexus, qui virginis filium ſecuti carnis pudicitiam Chriſto ſponſo immaculatam conſeruarunt. Pro quo terrenos ſponſos, & omnia carnis blandimenta contempſerunt, nunc quoq; ſequuntur agnum, quocunq; ierit, cantãtes canticum nouum, quod nemo alius dicere poteſt. Apoca. 14. Gaudent de ſacrato confeſſorum conuentu, qui veluti lumina clariſſima mundum ſuis expoſitionibus ſcripturarum doctrinis, & vita illuminarunt, eccleſiam ab erroribus purgauerunt, talenta ſibi credita cum vſura retulerũt, propter quod iam in gaudium domini ſui pleniſſimè intrarunt, videntes ſe cum animarum lucro, quæ domino acquiſierunt.

Gaudent de copioſa martyrum purpuratorum palma, qui coram tyrannis Chriſtum non negauerunt, ſed ore, & ſanguine conſtanter confeſſi ſunt, quos a Chriſti charitate non minæ, nõ verbera, non præſentia non futura, non mors, non vita deterrere, aut ſeparare præualuit. Pro quo nunc eos Chriſtus confitetur coram patre ſuo.

Gaudent de glorioſo apoſtolorum choro, quos diuina prouidentia ad cõponendum nouum fidei fundamentum erigendumq; adhuc tenerum eccleſiæ ſtatum, de omnibus quos mundus capiebat, elegit, qui verbum vitæ (vt Io. in cano. ait) audierunt, viderunt, ac manibus contrectauerunt, ſecum ambulauerunt, comederunt, ſibi in tentationibus aſtiterunt, ſuæ conuerſationis, miraculorum, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis, teſtes fideliſſimi fuerunt, ſuæ teſtificationis ſonum in omnẽ terram emittentes, atq; in fines orbis terræ Chriſtum annunciauerunt, & noui teſtamenti partes per euãgelium Chriſto credentes, genuerunt; cui nunc aſſiſtunt, non vt ſerui, ſed vt conciues, & amici.

Gaudent de nouenario angelorum glorioſiſſimo exercitu, quos ſpirituum conditor Deus ad laudem ſuæ maieſtatis tanquam viuentia lumina, ac regni ſui placidiſſimos conrectores, ab initio mundi produxit, natura nobiles, contemplatione claros, amore ignitos, qui beatis adhuc in peregrinatione exiſtentibus fideliter ſeruierunt, greſſus direxerunt, hoſtiles incurſus ne nocerent, propulerunt, ſecreta diuina nunciarunt, ad bona viuaciter peragenda diſſolutos mente roborarunt, orationes eorum ad aureum cęli altare obtulerunt, faciem patris pro eis exorarunt, viuentes cuſtodierunt, morientes ſuſceperunt, & ad regna cęleſtia, vbi nunc de omnibus his congaudent, perduxerunt.

Gaudent deinde plus quam dici valet de mira exultatione ſuper omnes angelorum choros fęminei ſexus puriſſimæ virginis Mariæ, quæ exiſtens mater ſuperexcellentis ſanctitatis virgo admirabilis iucunditatis, nec primam ſimi-

similem visa est, nec habere sequentem. Quam sancta trinitas sicut in terris fecit dignissimum habitaculum filij Dei, ita in cęlis constituit vniuersorum dominam, prælatam post Christi humanitatem omnibus creaturis. Fecitq; matrem misericordiæ, reginam pietatis, & clementiæ, imperatricem totius cęlestis curiæ cuius excellētiæ fęlicitate, qua ad dexteram eius collocatur, quæ olim pauit, lactauit, in cruce astitit, quē mō cū omnibus ciuibus cęli verū Deum adorat, dominantem cœlestibus, terrestribus, & infernalibus inæstimabili dignitate, admirabili pulchritudine, miro modo cęlestem ornat ciuitatem, ac electorum omnium lætificat mentes.

Quis demum hęc gaudia exprimet, quæ de rege cœlorum homine Christo mentes beatorum replent videre clarè hominem, hominis conditorē Christum dominum, summi regis filiū, qui secundum humanam naturam est gloria, & honore super omnia coronatus, & super omnia diuinæ manus opera cōstitutus, qui oculis intellectualibus beatis patefaciet arcanum incarnationis, mysterium ineffabilis deitatis, & humanitatis vnione, qua factum est, quòd Deus verè est homo, & homo Deus, quem adorant angeli, vniuersaq; cœlestis multitudo, in quem omnes beati desyderant prospicere, in quo lętificantur omnium corda sanctorum. Ecce quomodo singularia priuilegia sanctorum non singulariter possidentur, sed omnibus gaudia subministrant, omnibus cōmunia sūt per charitatē, qua omnes perfectè colligantur.

Gaudia multiplicātur in beatis ex cōm.

Consyderate charissimi, si poteritis, quanta in beatis gaudia multiplicentur ex hac communione sanctorum. Est quispiam habens fidelissimum, dilectissimumq; amicum, aut filium, vel fratrem, aut patrem. Consyderet quanto cor suum gaudio dilataretur, si hūc vel ad imperii coronam, aut ad papatus culmen sublimari cerneret. Compertum est nonnullos hic in terris hæc gaudia capere non potuisse, immo ex hoc inter ipsa gaudia defecisse. Et certè maius habet quilibet beatorum de cuiuscunq; sancti beatitudine gaudiū, quam nunquam habitum sit in terra, tanto maius, quanto perfectius diligit, quantoq; adeptio beatitudinis omnem terrenum honorem, aut commodum sine proportione excedit. Poterit itaq; ne huius gaudii modus a quoquam homine penetrari? ait Bern. cum sint mille millia, & decies millies cētena millia idest innumerabiles, qui eadem beatitudine perfruantur, nec vllus eorum sit, qui non tantum de bonis alterius gaudet, quantum de suo. Et quidem omnia gaudia, quæ dicta sunt, accidentalia sunt, puta de creatura. Quantum ergo erit gaudium consequens essentialem beatitudinem quod habetur de ipsa diuina natura clarè visa & plus seipso, & super omnia dilecta. Hæc reuera sunt, quę nec oculus vidit &c. Esa. 64. Et 1. Cor. 2.

Sācti licet gaudeāt de beatitudine cōiter tū sunt inæquales.

Sed fortè aliquis diceret: Si ita singulorum gaudia charitas facit communia, vt omnibus sit par gaudium, ergo omnes æqualiter sunt beati, quod est cōntra doctrinam euangelicam? In domo patris mei mansiones multæ sunt, idest variæ præmiorum dignitates. Io. 14. Et iterum. 1. Cor. 15. Stella a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Nec videtur posse saluari differentia beatitudinis ex disparitate cognitionis cum æqualitate gaudii. Nam æqualitas gaudii præsupponit æqualitatem cognitionis, & amoris. Si quidem clariorem cognitionem sequitur intensior amor, & hunc vehementius gaudium. Nam etiam ex hoc ipso gaudio paritas ostenditur, quia æqualis ibi est amor ad proximum, qualis ad seipsum.

Ad illud dicitur, ꝙ simpliciter non est paritas gaudii, neq; cōsequentis beatitudinem essentialem, quę est respectu Dei in se, nec accidentalem, quæ est respectu boni commodi creaturæ. Plus. n. in perfectionibus amati delectatur, qui amplius amat, non autem æqualiter secundū intensionem amatur Deus

ab omnibus beatis,ſicut nec æqualiter videtur. Similiter plus intenſiuè quilibet ſanctus gaudet de ſua beatitudine quam de beatitudine cuiuſcunq; alterius beati. Sicut plus ſeipſum diligit, plus enim ſibi vult Deum,quam alteri. Sicut ex oppoſito magis vellet Deum ſeparari a quocunq; alio, quam a ſe, vt ait Scotus diſtin. vlt. quarti.Et quãuis inferior ſanctus vult ſuperiori maius bonum,quam ſibi,magis tamẽ vult ſibi bonum minus, quam ſuperiori bonum maius, nec ſemper maius bonum eſt magis diligendum, concurrente ex vna parte vnitate, quæ etiam fundat amorem,quam non ſuperat bonitas niſi infinita. Et ſic ſolus Deus eſt qui magis diligendus eſt beato, quam ipſe ſibi,qui etiam magis bonus eſt diligẽti, quam diligens ſibi ipſi. Gaudium autem maius non eſt de magis bono, ſed de bono magis volito. Paritas autem gaudii de qua Auguſt. & alii ſancti referenda eſt nõ ad intenſionem affectionis gaudentium, ſed extenſiuè ad vniuerſitatem rerum,quia de omni re vnde gaudebit vnus,gaudebunt omnes,vt dicit magiſter diſt.49. ca. penul. Vel ſecundum ſanctum Thom. in 4.eius diſt. 2.q.3.ar.5.erit ęqualitas gaudij omniũ non quantitatis,ſed proportionis,quia quilibet pertinget ad ſummum gaudii ſecundum modum ſuum. Sicut ęqualiter dicuntur abundare rex, & miles, ſi vterq; habeat diuitias ſtatui ſuo competentes. Dicit etiam ſanctus Thom. vbi ſupra, ꝙ licet charitatis præceptũ de proximo diligendo ibi perfectè impletur, & ſic etiam minor gaudet de bono ſuperioris, non tamen tantum quantum ſuperior,quia ratio gaudii in omnibus eſt Deus. Et ideo quantò aliquis plus gaudet de Deo, tantò plus gaudebit de quocunq; alio. Vnde ſuperior plus gaudet de bono inferioris, quam inferior. Hæc ille. Nec tamẽ oportet,ꝙ illud conuertatur.

Ecce quantum augmentat gaudium beatorum communio eorum,quæ fundatur in vnione charitatis, propter quam meritò turba magna dicuntur. Cuius gaudiorum magnitudinem dinumerare nemo poteſt, conemur & nos per eorum ſuffragia ad habendum charitatem, per quam & ipſi nobis,& nos ipſis communicare poſſimus nunc,& in futurum. Quod nobis concedat ſanctorum ſanctus Chriſtus dominus cum patre, & ſpirituſancto Deus in ſecula benedictus. Amen.

## DE OMNIBVS SANCTIS *Sermo II. in ordine.* XXXVIII.

MERCES veſtra copioſa eſt in cęlis. Matth.5.

Conuenimus dilectiſſimi prò honore eorum, quos feſtiuamus, vt ſicut pro eorum implorandis ſuffragiis noctis,& diei huius qualicunq; deuotione tempus exigimus,reliquum diei huius de eorundem fęlicitatis gloria ſermonem audiendo, non minus vtiliter expendamus. Sanctos cõuerſatione ſequamur, ut officio colimus.

Sed reuera (vt Bern. ait ſermone.2. huius feſti) Fidelis ſermo,& omni acceptione dignus, vt quos ſolenni veneratione proſequimur,etiam ſimili cõuerſatione ſequamur. Quos beatiſſimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota auiditate curramus. Sic ſine dubio aderunt ipſi ſuis nos ſubleuantes præcibus, & meritis, quorum delectamur pręconiis. Verum triplici incommodo in via iſta ſalutis retrahimur, aut retardamur. Sumus enim in inceptione ſegnes,& tardi. In progreſſu, errabundi,& in perſeuerantia, infirmi. Ipſi tamen quos veneramur, remediũ afferunt, ſi feſtum præſens agimus, vt oportet. Nam conſyderatione beatitudinis eorum excitatur negligẽtia noſtra.Ignorantia verò noſtra eorum eruditur exemplis, & eorum interceſſione noſtra infirmitas adiuuatur. Quod ſi rectè conſideramus, etiam ipſi ad beatitudinem,quam poſſident, taliſmodi ſuffragiis ſunt profecti, eius magiſterio docti, qui ſolus omnia dirigit, quæ in cęlis ſunt,& ſuper terram. Is enim in ho-

hodierno euangelio cum virtutum scalam erexisset, ascēsu difficilem, per quā vniuersus sanctorum chorus ascendit, præmia simul proposuit, quorum consyderatione, tota vix difficultas vinceretur, dicens: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cęlis, de quo &c. Pro gratia Aue Ma.

Mercedis magnitudo oīum sāctorum.

In verbis istis tria nobis insinuātur in hac solennitate diligenter ruminanda. Primū est labor meriti dignificātis. Secundum, magnitudo pręmii correspondentis. Tertium, sublimitas loci glorificantis. Primum in verbo merces. Merces.n. non dicitur, nisi respectu meriti præcedentis. Hinc dicitur: Reddet Deus mercedē laborum sanctorum suorum. Sap.10. Et ad Rom.4. Qui operatur merces, non imputatur secūdū gratiam. Secundū in verbo copiosa, secūdū illud: Copiosa apud eū redemptio, ps. 129. Tertium in verbo, cœlis, Prou.35. Cęlum sursum, & terra deorsum: Iterū: Altitudinem cęli quis mensus est? Labor meriti, quo sancti digni habiti sunt tanta mercede in euangelio specificatur, cum dicitur: Beati pauperes spiritu &c. Sed hac parte pro nunc dimissa de secundis duabus, præmii s. magnitudine; & loco, vbi contingit huiusmodi possidere, breuius, dicam, vt intuitu tāti præmii fideles sanctorum labores imitentur, & spretis voluptatibus, & delitiis, calcatis honoribus, & diuitiis, abiectis superfluis sollicitudinibus, & seculi curis, ac omnibus, quæ eorū cursum in via impedire potuissent, ad acquirendum per dictas virtutes tanti præmii magnitudinē, tota festinatione cōtēderent. Nolo tamen vos putare ad hoc me niti, quatenus tanti, idest immensi præmii mensuram vobis ēdicam, qūo enim quod indicibile est, p me dici poterit? Et pfectō magnū nō esset, si dici posset. In eo autem magnum, quia sua magnitudine omnium dicentium verba vincit. Nec tantum verba, sed etiam cogitatus, quia vt Esa. cap.64. ait: A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te: Apostolus. 1.Cor.2. addit, nec in cor hominis ascendit. Veruntamen vidit vnus supra se in tertium cęlum raptus, sed hominibus loqui non licuit. 2. Cor. 12. quia hominibus intelligere non licuit. Non enim potest per doctrinam distincta cognitio generari eius, cuius nō est habita cognitio intuitiua, vt tractant docto. 1. sen. dist 2. & 3. & patet de ceco respectu colorum. Dicam ergo aliqua communi populo, & hominibus adhuc carnalibus magis intelligibiliā. Si fortè animus noster apprehensa aliquantulum mercedis magnitudine ad magis desyderandum ac diligentius inquirendum valeat excitari.

Merces vna est tn̄ multis nominibus appellatur.

Merces itaq; illa magna in cęlis, cuius spes nos gaudere, & exultare facit in terra, etsi in præsenti euangelio multis nominibus exprimitur, est tamē vna secundum Chrys. s. beatitudo siue vita æterna. Beatitudo autem (ait Boet.3. de consol prosa.2.) est status bonorum omnium aggregatione perfectus, & hoc non formaliter, sed vnitiuè, vt exponit Sco. di.40. 4.q.1. Ita, scilicet perfectus, q qui eo adepto, nihil vlterius desyderare quærat. Si enim aliquid abesset, quod desyderari posset, iam status ille nō esset perfectus aggregatione omniū bonorum. Huic consonat illud beati August. Beatus est, qui habet omnia, quæ vuult, & nihil malè vult, & Sco. vbi supra. Beatitudo est bonum sufficiens, excludens defectum, vel indigentiam. Perfectum, vel completum, excludens imperfectionem, vel diminutionem. Vltimum vel finale, excludens tendentiam, vel ordinabilitatem in aliud completius quo habito complerè, bene est habenti. Ex quo patet secundum deductionem philosophi. 1. Ethic. & Boet. quòd beatitudo est status per se sufficientissimus, quia in eo est perfectio omnis boni.

Est & honorabilissimus, atq; reuerentia dignissimus, quia summi boni refertus.

Est potentissimus, quia nullius extra se indigens. Est clarissimus, quia omniū excellentissimus. Est & iucūdissimus,

mus, & delectabilissimus, qa omnis anxietatis, tristitiæ, & doloris, & cuiuslibet displicentię exclusiuus. Est demũ maximè appetibilis, & ab omnibus desyderatus, quia vltimus operationum finis. De hoc Aug. 13. de trini. ait: Omnes homines esse beati volunt, idq; ardentissimo amore appetunt, & propter hoc cætera quæq; appetunt immo propter hanc omnia sua opera agunt, vt probat philosophus in principio Eth. & pulchrè Boetius 3. de consola. prosa. 1. Nam mentibus hominum veri boni naturaliter inserta est cupiditas.

Beatitudo qd̃ & cur eã hoĩes in oĩbus q̃rant.

Quod etiam clarius apparebit si ad particularia hominum studia descendamus. In his enim omnium hominum labores & curas versari videmus, quia aut sufficientiam diuitiis terrenis aut pecuniis acquirere, aut reuerentiam honoribus adipisci, aut potentiam regnando apprehendere, aut claritudinem populari fama procurare, aut iucunditatẽ gaudiumq; corporali voluptate sortiri putant. Et pro his laboribus multis, periculis plurimis, & modis variis anxiãtur. Quã etiam media prædicta, atq; fines sæpe permutant, vt diuitias propter potentiam, vel voluptatem, vel nominis famam, aut econuerso, potentiã, aut famam propter diuitias quærunt. Et cætera quæcunq; quærunt, propter aliqua dictorum quærunt, vt nobilitatẽ generis, populi fauorem, propter claritatem nominis. Corporis robur & magnitudinem propter potẽtiam, pulchritudinem, agilitatem, propter famam, sanitatem propter potentiam, & voluptatem. Et ita de aliis omnibus est facile demonstrare. Cum autem hæc omnia, sufficientia, & reuerentia &c. sunt conditiones beatitudinis, immo soli beatitudini perfectè conuenientia, liquæt apertè omnes homines in cunctis suis operationibus beatitudinem quæritare.

Homines triplici errore confusi non

Sed cur non adipiscuntur, quod tota sollicitudine quærunt? Ratio huius est, quia triplici errore confusi deuiant. Vnus est, quoniam quæ separabilia non sunt, parunt, de reliquis nihil curantes, idcirco nec illud, quod affectãt, possunt adipisci, nec totum, pro quo non laborant, vt ostendit latè Boetius 3. de consol. prosa. 9.

adipiscitur beatitudinẽ

Secundus error, quoniam per inepta media quærunt, atq; in his, vbi minime inuenire possunt. Stulti siquidem per terrenas diuitias sufficientiam quęrunt, cum tales amplius faciunt egere, & nequaquam satient, sicut dicitur Prouer. 27. Infernus, & perditio non replentur, & oculi hominum insatiabiles, & quantò plures sunt diuitiæ, tantò pluribus indigent ad eorum conseruationem. Neq; popularis dignitas honorabilem facit, sed magis despectũ ostẽdit. Prouer. 3. Exaltatio stultorum ignominia, quia secundum philosophũ, principatus virum ostendit, ipsas quoq; cõtingere pessimis, plena est scriptura, sicut patet de tyrannis. Ita nec regna potẽtes efficiunt, aut familiæ multitudo, quia omnibus impotentiores efficiunt quos continuis, metu, & periculis immergunt. Hinc Eccl. 10. Omnis potẽtatus breuis vita est, & Eccl. 18. Sepe dominatur homo homini in malũ suũ. Vulgaris deniq; opinio, quæ merita rerum pensare non nouit, famæ claritatem & gloriam præstare nequit. Quid enim turpius esse poterit, quam ꝙ suis ipse laudibus erubescit? Gloriam ergo & famæ claritudinem oportet conscientiæ veritate metiri, sicut 2. Cor. 1. dicitur Gloria nostra hęc est, testimonium conscientię nostræ.

De voluptatibus deniq;, quia syncerum gaudium præstare non possunt, probat admixta tristitia, quæ finem voluptatum occupare solet, propter quod Salo. Melius est (inquit) ire ad domũ luctus, quam ad domum conuiuii. Et iterum. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudia luctus occupat. Prouer. 13.

Tertiò errant, ꝙ hunc statum sufficientissimum in terris quærunt in hac mortali vita, in qua nullo modo haberi potest. Tum quia nullus appetitus hic quietatur, dicente Boeti. 2. de consol. prosa. 4. Quis est tam compositæ felici

licitatis, vt non aliqua ex parte, cũ status sui qualitate rixetur? Inest enim singulis, quod inexpertus ignorat, & expertus exhorreat. Tum quia nulla est hic stabilitas, cum omne mortalium genus in miseriam mortis fine labatur, & vltimus vitę dies mors est fortunæ manentis, non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Tum quia præsens vita plena est miseriis, est vita laboris & pugnæ, quæ omnia statui beatitudinis quieto, & pacifico repugnant. Sic enim Iob ait, cap. 13. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis &c. Iterum: Homo nascitur ad laboré, & auis ad volatum. Et cap. 7. Militia est vita hominis super terram. Patet ita, quanta est merces illa, & quam periculosè homines huius mundi in terra quærentes, aberrant.

Beatitudo in cœlo dũtaxat inuenitur.

Vbi verò hanc inuenire contingit, in fine thematis innuitur cum concluditur, in cœlis, quoniam secundũ Aug. in suis meditur. In cęlis est, quicquid homo rectè amat, quicquid desyderat, & quicquid hominem meritò delectat. Si tantum quis sufficientiam, & desyderiorum suorum satietatem affectat, ille plenissimè inuenitur in cœlesti sanctorum conuiuio, quod seruulis suis magnus ille virtutum dominus, & rex gloriæ abũdantissimè præparauit. De quo Beatus Bern. in ser. 1. præsentis festiuitatis. O verè (ait) fœlix, & gloriosa satietas o sanctum conuiuium, ò desyderabiles epulæ. Vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desyderium. Quicquid.n. vt Augustinus ait, 22. de ciui. Dei, in illo cęlesti regno amabitur, hoc aderit, nec aliquid desyderabitur, quod non adsit. Et omne, quod erit ibi, bonũ erit, & summus Deus summum bonum erit. Hoc est, quod apostolus vult. 1. Cor. 15. cum dicit, q ibi Deus est omnia in omnibus. Hoc est Deus omnipotés, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, erit finis desyderiorum nostrorum, quia in seipso satiabit rationalem creaturam, & eius appetitum totaliter quietabit. Quod omnis creatura simul, & vniuersa eorum iucunditas, suauitas, & affluétia facere non posset. Sic enim institu ta est rationalis creatura, q si in illa patria Deus ostéderet ei claré alia omnia, abscondendo seipsum, daretq; omnes delitias mundi, & omnes suauitates creaturarum, se autem ei subtraheret, ipsa imperfecta, & vacua, & plena desyderiis remaneret. In solo autem Deo creatore suo, etiam si omnes creaturę subtraherentur, reperient omniũ desyderiorum suorum repletionem, delitiarum redundantiam, & omnimodę voluptatis. Hinc in ps. Satiabor inqt, propheta cum apparuerit gloria tua. Et Aug. in li. confes. Domine fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te, & August. vbi supra. 22. de ciui. Dei c. 3. Prǽmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit. Eiq; seipsum quo melius, & maius nil possit esse promisit. Quid enim est aliud, quod per prophetam dixit. Ero illorum dominus, & ipsi erũt mihi plebs, nisi, ego ero vnde satientur. Ego ero, quæcunq; ab hominibus honestè desyderantur, vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, & omnia bona? Hæc illę.

Si verò delectat aliquem reuerẽtia, & honor siue nobilitas generis: Ecce ibi omnes filii Dei, & dii vocabuntur. Sicut in ps. dicitur: Dii estis, & filii excelsi omnes. Ecce nobilitas. Quid nobilius esse poterit, quam esse filium summi imperatoris Dei omnipotentis? Ibi deniq; Deus electos suos iam nõ vt seruos, sed amicos supra multa cõstituet. Ecce honor magnus. Quid deniq; honorabilius, magisq; reuerendum dici poterit, quam tam dignæ societati sanctorum angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrũ, confessorum, virginum, ac omnium electorum cum charitate perfecta, ac summa concordia sociari, habereq; partem in omnium illorum bonis? Sed & quod dictu admirabile est, & plenum reuerentia esse conciuem virgineæ lampadis

Reuerentia & nobilitas in cęlo.

dis super solem,& lunam rutilantis matris Dei Mariæ virginis, atq; cum ea plena libertate conuersari. Sed & hoc stupendum est, dominum & creatorem suum habere fratrem in naturę suæ conformitate,& esse illi cohæredem. Incomparabilis est honor ille seruos, scilicet de nihilo creatos, cum naturali filio Dei in domo patris morari, iam non vt seruos, sed sicut apostolus ait Rom.8. vt hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Quoniam illam æternam beatitudinem Deus pater habet a natura, & quam ab æterno communicat filio per generationem. Adoptiuis filiis suis communicat in cęlo temporaliter perpetuò tamen ex gratia secundũ modum suæ capacitatis.

Potentia & in corpore, & anima in cœlo.

Si iterum aliquem delectat potẽtia, ibi verissima est fortitudo, & potentia, in corpore,& anima. In corpore quidem,quia corpora beatorum erunt impassibilia & ad omnem motum,ac velocitatem potentia sine labore, sine fatigatione, sine diminutione. Nam secũdum August. Vbicunq; voluerit spiritus, ibi protinus erit corpus. Et Esa.40 Current,& non laborabunt, volabunt, & non deficient. Et iterum Sap.30. Tãquam scintillę in arundineto discurrẽt. De impassibilitate verò,& immortalitate corporum,dicit Apostolus 1. Cor. 15. Mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionem,& Apoc. 7. Non esurient, neq; sitient amplius, neq; cadet super illos sol,neq; vllus estus, quoniã agn⁹, qui in medio throni est, reget illos &c. & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ. De quo August: in libro solilo. In ista beatitudine sanctorum est lætitia sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte omne bonum sine omni malo,ibi iuuentus nunquam senescit,ibi color nunquam pallescit, ibi gaudium nunquam decrescit, ibi dolor nullus sentitur, ibi gemitus nunquam auditur, ibi triste non videtur, ibi malum non timetur, quia summum bonũ possidetur. In anima verò,quæ similiter nihil patietur aduersum, non tentationem dæmonum,non maculas peccatorum, non beatitudinis priuationem,quia ut dicitur Mat.13. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala, idest vniuersa mala. De quo Cæsarius in quadam admonitione. Cognoscamus, quã iucundum erit comite bona conscientia ad vera, & solida transire gaudia,& ad illam vitam ascendere vbi nulli erũt labores,dolores nulli,nulla damna, nulla incommoda, & quod semper bonum est,nulla ibi erunt peccata, sed æterna innocentia,inuiolata iustitia, inconcussa securitas,ac sempiterna fęlicitas.

Quis deniq; edicere sufficit, quanta potentia sit animæ in cognoscendo, ac memorando? quæ secundum Cassio. in li. de anima, & Prosperum in de vita contempla. rerum humanarum,& diuinarum notitiam,& innumerabiles veritates,quas hic laboriosissimè quærim⁹ & paucas,& dubitatione plenas inuenimus, ibi certas,& clarissimas recipiũt, non per partes,sed vno contuitu. Quid enim non videt,ait Greg. qui videntem omnia videt. De hoc quoq; Bern. O quam beata est regio cęlestis regio omnium delitiarum, ad quam suspiro de valle lachrymarum,ibi est sapientia sine ignorantia,memoria sine obliuione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate. Quanta etiam est eius potentia in volendo? quia vt ex supradictis patet, quæcunq; potest velle, non potest non habere. Quanta deniq; est potentia respectu inferiorum, quæ sceptra regni tenent cum Christo, sicut dicit Apostolus Rom. 8. Si compatiemur, & conregnabimus?

Famę claritas est in cęlo.

Si deniq; quem delectat famæ claritas. Quis dubitat illum esse fama clarissimum non apud vulgus indoctum, sed illuminatissimos cœlestes spiritus cuius nedum corporalis pulchritudo, quæ solis vincit claritatem? secundum illud Matt.13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum,atq; sine vlla deformitate, vitio, vel corruptione corpora patebũt. Verum longè pulchriorum con-

conscientiarum libri aperti, fulgore admirabili radiabunt; ibi innocentia sine spirituali macula; ibi omnium virtutum ornatus, scientiæ & merita, ibi charitas, & gratia, dona, & vniuersa charismata, ibi cogitationes mundissimæ ac pulcherrimæ affectiones, & super omnia formalis fœlicitas consummata. Facit ad hoc auctoritas Cæsarii superius allegata, quæ congruentius hic poneretur, quam supra.

Si demum quem trahit iucunditatis, ac gaudiorum affectus, sicut ad hæc omnes inclinamur, siquidem nemo eligit tristari, ibi tanta est gaudiorum affluentia, vt cor humanum non possit totum in se capere, sed potius ab ipso gaudio capiatur, secundum illud Matt. 25. Intra in gaudium domini tui. Quid dicam de beatorum gaudiis, cum ita omnia, quæ sunt vertentur eis in gaudium, vt horrendas damnatorum pœnas non sine gaudio ineffabili possunt cogitare, secundum illud: Lætabitur iustus, cum viderit vindictam &c.

Iucunditas gaudiorũ effectus in cęlo.

Quantum gaudium affert beatitudo propria, & cęterorum electorum, de quorum quolibet immo cuiuslibet electi quolibet bono amplius gaudet, quam vnquam mortalis de suo bono, aut dilectissimi amici in terris gauisus est, pro quanto perfectior, ibi est charitas sui, & proximi, vt sermone præcedenti patuit?

Quis autem gaudium illud potest exprimere, quod habetur de summo bono omnium beatificatore Deo, quod secundum Ans. in proslo, tantum differt a gaudio, quod de creatura habetur, quantum differt creator a creatura obiectiue non formaliter? Si vita creata iucunda est, quam iucunda est creatrix essentia? Si iucunda est salus creata, quam iucunda est salus, quæ fecit omnia. Penitus itaq; ineffabile est gaudium, & superexcellens quod quilibet beatus habebit in vnico summo bono, quod omnium aliorum bonorũ est fons & origo.

Hęc ergo est merces copiosa, & mensura supereffluens, quam sancti nunc possident perpetua securitate, quam & nos possidebimus, si eorum vitam imitabimur. Pudeat ergo dilectissimi amplius semper decipi, semper inaniter laborare, ac illam in terrenis, vbi inueniri impossibile est, frustra quærere. Scio omnes vos ad gaudia hæc aspirare. Viam ergo salutis rectam arripite, omnem laborem spe mercedis cum gaudio vincite, sicut olim discipulis, ita omnibus vobis dictum sperate. Gaudete, & exul. quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Quam omnibus nobis omnium suorum electorum præcibus concedere dignetur Iesus Christus cum patre, & spirituſancto in secula benedictus: Amen.

## DE OMNIBVS SANCTIS *sermo III. in ordine.* XXXIX.

VIRTVS eius in nihilo, ps. 97. Sacratissima hodiernæ festiuitatis celebritas tantò nobis exhibetur solennior quantò plurium commemoratione noscitur generalior. Hodie namq; regem regum in suis veneramur exercitibus solem æternum speculamur in montibus, fontem indeficienter manantem participamus in nubibus, dum omnium memoriam colimus electorum.

Sãctorũ quos colimus cõmẽdatio

Ipsa siquidem diuina natura (teste Damasce. in suo primo) Pelagus est infinitę substantiæ. Infinitum verò secundum ꝙ tale ignotum nobis esse tradidit Aristo. 1. Phy. Idcirco summæ illius maiestatis claritatem infirmi oculi, & in se, ac simul contemplati non valent, sed in suis effectibus, ac per partes aliquid cognoscere oportet. Per partes dico, non Dei in quo nihil partiale, aut partibile (quod imperfectionem sonat) reperitur, sed per partes cognitionis nostræ successiuè acquisitę Deum capimus, dũ diuersa, & miranda eius opera in suis sanctis, cę-

terisq; creaturis cōsyderamus, propter quorum pluralitatem, simplicissimam diuinæ naturæ perfectionem, etiā Apostolus pluraliter exprimit. Inuisibilia inquit ipsius, scilicet Dei a creatura mūdi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Rom. 1. Conspiciuntur autem clarius in creaturis nobilioribus beatitudinalibus, quæ sunt electi Dei, amici, homines, & angeli beati. Hi sunt exercitus illi, & castra, in quibus summi regis potentia relucet. Sicut de obuiantibus angelis Iacob ait: Castra Dei sunt hęc. Gen. 32. Hi montes, in quorum verticibus, id est altis, & admirandis operibus verę, & incompræhensibilis sapientiæ sol refulget, sicut scriptum est. Erit mons domus domini in vertice montium. Et iterum, Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles Cant. 2.

Hi nubes, per quas diuinæ nobis bonitatis rorida stillicidia se infundunt, immo cœli, qui variis sancti spiritus donis quasi stellis micantes Dei gloriā enarrant, sed & terra, quæ fœcundis virtutum actibus germinat saluatorem. Hinc clamat Esa. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem, eiusdem. 45. Per hos itaq; nobis ortus est sol diuinus, cum vt Greg. Homil. 30. dicit, in seipso nobis inuisibilis se visibilem per seruos suos mira sua virtute agentes, quasi per illustratos a se, siue montes, siue cęlos, siue nubes dicere magis placet. Aptius tamen nubes appellari eos conuenit, quia de terra nati, huius virtute solis a terra subleuati, tonant verbis, fulgent signis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis, non sua, sed illius actione, cuius secundum sententiā prophetæ virtus est in nubibus, de quibus pro gratia Aue Ma.

Electi Dei nubes dicū.

Videndum est primò particularius, quæ sint nubes illæ, in quibus Dei fore virtutem propheta contestatur. Secundò quam variæ multisq; modis hæc a nobis participatur. Tertiò quo ordine ad hanc percipiendam, nostra infirmi [illegible]ocatur. Primum manifestat, quos honorare debemus. Secundū propter quid. Tertium quomodo. De primo nunc sermo habendus est: Virtus eius in nubibus; nubes illas, quibus Dei magnificentia, & virtus inesse perhibetur, electos Dei homines, atq; angelos intelligi debere, in hoc propheta expressit, dum quasi exponendo, quod dixit. Virtus eius in nubibus, continuo subiungit? Mirabilis Deus in sanctis suis, vt dicit glo.

Multis autem de causis electi sancti Dei nomine nubis in scriptura accipiūtur. Sed omnibus prætermissis hæc sola nunc sufficit, quia per hos velut per nubes terra, irrigamur pluuia gratiæ salutaris. Licet enim solis latio in obliquo circulo, id est circulo signorū, qui zodiacus dicitur secundum philosophum. 1. de generatione, sit causa generationis in terra, & in istis inferioribus, non tamen immediatè, sed per media quædam, præsertim per nubes. Solem enim in sua claritate, & feruore terra diu ferre non potest, sed velut ad se contracta marcescit, ac sterilis redditur. Idcirco nubes eleuari necesse est, quibus feruor solis temperetur, eisq; resolutis terra sitiens imbribus irrigetur. Ita sol iste diuinus, qui nescit occasum omnia producens, & fęcūdans, quāuis in seipso immediatè in omnibus ad omnia sufficit, tamen vt nostræ infirmitati contemperetur, & ut sancti eius honorentur in terris, quorum gloriā immēsam cumulauit in cęlis, per eos tanquam per interpositas nubes, pluuiam non necessariam, sicut sol materialis, sed voluntariam suę segregat hæreditati. Quod figuratum esse non incongruè putatur. 3. Regum 17. dum Helias post longam terræ siccitatem dominum pro pluuia orasset, hanc obtinere non potuit, donec de mari ascenderet nubecula parua quasi vestigium hominis, per quam sonum magnæ pluuiæ, regi Achab instare nunciauit.

Hanc nubeculam quid prohibet intelligere gloriosissimam Dei genitricē Mariam virginali puritate lucidissimā?

quæ

Maria virgo nubes dicit. quæ de mari huius seculi calore æternæ solis longè eleuata (sicut in eius persona sanctusspiritus ait: Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis) meruit nobis pluere iustum, ac mundi saluatorem. Vnde sonus magnus factus a cęlo egressus, in terra est auditus, dum angeli sancti cecinerunt in subilo, Gloria in excelsis Deo.

De hac nube euangelicus propheta cecinit: Ecce dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti a facie eius. Esa. 19. Quæ exponens beatus Ambro. super Beati immaculati, ait, Ascendit dominus super nubem leuem, hoc est in virginem Mariam. Nubes erat secundum hæreditatem Euæ. Leuis secundum virginitatis integritatem. Leuis erat, quæ nō homini quærebat, sed placere Deo. Leuis erat, quæ non in pondere iniquitatis, sed spiritusancto superueniente conceperat hunc, qui per eam Ægyptum huius mundi ingressus vniuersa simulachra, idest peccatorum genera morte destruxit.

Hanc ergo nubem hodie in primis veneramur, in quo virtus eius est corporaliter inhabitans, quæ super omnes ascendit, vt hauriret, quam refunderet hominibus aquam viuam. Siquidē teste Bern. nihil nos Deus habere voluit, quod non infunderet per hanc nubem.

Post hāc autem nubem multas alias ascendere nubes, etsi minus lucidas propheta vidit. Nam cum verteret se huc, atq; illuc, ecce inquit cęli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis Fortassis enim huius nubis (virginem loquor) præclaram maiestatem, lippientes oculi intueri imitando non possunt, opportunè nobis nubes eleuatæ sunt densiores, ac vēto spiritussancti moti, quibus cęlum illud lucidissimum sanctæ trinitatis contenebratum est, & obnubilatū, ut tempe rata nobis eius claritas, quæ in seipsa intendentes reuerberat oculos, valeat intueri. Siquidem Deus a libano veniet, a monte vmbroso, & condenso.

Hæ nubes sunt beatissimi Apostoli & euangelistæ, qui illuminati a sole splendorem veritatis diuinæ, formamq; virtuosæ agonis pro vniuerso mundo, vento cœlesti permoti, velut pluuiam grādem efficaciter intulerunt. Quorum virtutem in spiritu præuidens Esaias simul & admirans ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Eiusdem 60. Apostoli qūo nubes dicantur.

Tales nubes sunt quoq; fortissimi milites, sancti martyres, in testimonium veritatis vitæ, ac doctrinæ quasi pluuiam magnam, præciosum sanguinem fundentes.

Non enim aqua sola sapientiæ salutaris Christo testimonium perhibuit, sed & sanguis martyrum, & spiritus in miraculis declaratus. Tres sunt enim qui testimonium perhibent in terris, spiritus, aqua, & sanguis, ait Ioannes 1. Ioan. 5. De his nubibus hoc intelligi potest, quod Ecclesiastici 43. scribitur. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis. In magna fortitudine, & potentia has nubes eleuauit dominus, quibus confregit lapides grandinis frigidissimæ, quas nequam spiritus excitauit, quæ sunt pœnæ, ac tormenta tyrannorum. Has confregerunt martyres, dum pro nihilo minas eorum duxerūt, fortiores facti patiendo, quam miseri inferendo, sicut ad Dacianum sententialiter Vincentius magnus ait.

Sunt quoq; nubes doctores sancti, & confessores, qui aquas catholicæ doctrinæ primarum nubium in seipsis collectas prout ecclesiæ cursus requisiuit exponendo, declarando, abiecto hæreticorum luto ordinata vicissitudine dispensabant. De quibus Iob. 26. ait: Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpat pariter deorsum. Non enim aqua diuinæ scientiæ simul fusa opprimeret potius, quam irrigaret mentes humanas, eam ligauit in nubibus, sanctis, scilicet doctoribus, super quos familiam suam constituit, vt darent illis in tempore spiritualis potus mensuram.

Tales nubes fuere patriarchæ & prophetæ, qui prophetico agitati spiritu, veritati venturæ adhuc a longe, quidam de prope testimonia, occultaq; diuinæ sapientiæ mysteria figuris, factis, & doctrinis mundo instillabant. De quibus vnus ex eis, qui cæteros, & regia dignitate, & mysteriorum profunditate præcelluit, ita inquit: Tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Quæ exponens beatus Gregorius 17. moralium ait: Tenebrosa in nubibus aqua est occulta scientia in prophetis, quia aquæ ante aduentum domini, dum occultis sacramentis grauida mysteria immersa gestarent, intuentium oculis eorum intelligentia caligabant.

Angeli quō sint nubes.

Sunt deniq; sacratissimæ virgines nubes candidæ, virginali puritate lucentes, longè a terra eleuatæ, dum in terris non terrestrem, sed cœlestem atq; angelicam duxere conuersationem. In terris quidem tanquam fideles pedissequę secutæ sunt virginum primiceriam, lumbis accinctis, & lucernis ardentibus, expectantes dominum, quando veniat ad nuptias. Nūc verò nuptiis ipsis intromissæ, sponsum virginem, & agnum virginis filium sequuntur, quocunque ierit, cantantes canticum nouum, quod nemo alius cantare valet, vt testatur Ioannes in Apoc. De quibus sapientia eadem patris ait; Tronus meus in columna nubis. Ecclesiast. 24. In cuius persona canit ecclesia: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.

Sunt demum nubes omnes sancti angeli, per quos nobis dominus multiplicium distillat ministeria gratiarum, super quas ad Dei æqualitatem ascendere cupiebat, qui ait. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo, Esa. 14. Non materiales loquebatur nubes, quæ nondum erant, & si fuissent, longè tamen sub eo, qui in cœlo empyreo constitutus fuerat, substitisset. Sed detractus est in infernum, luce sua priuatus, ac vmbra teterrima obuolutus. Per has itaq; nubes dominus nedum nos illuminat, sed & iustificat, vt in omnibus reducat inferiora ad summa per media, secundum verbum Diony. Cum enim filius per illos nos iudicabit, cui tamē pater omne iudicium dedit. Ioan. 5. quomodo non per illos nos saluabit? Sic enim scribitur Mar. 13. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.

Nubes hæ sunt sancti angeli, qui & virtutes cœlorum ibidem dicuntur, & electi Dei, qui hic in terris omnia relinquentes, secuti sunt Christum. De quibus dominus ait Matt. 19. Vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes 12. iudicantes duodecim tribus Israel, idest vniuersitatem hominum. Omnia ergo nunc ad salutem necessaria per illos præstat, per quos tunc cunctos iudicat. Quod attendens propheta, ad eos oculos leuans, adiutorium deprecatur dicens: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ne tamen illi principaliter potentur auxiliari, subdit: Auxilium meum a domino, scilicet principaliter, per sanctos tanquam per ministros, quia ipsi de plenitudine eius accipiunt, ipsi ministri, Deus auctor est cuius virtus est in eis, per quos dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, vt sic mirabilis in sanctis suis cognoscatur, & potens, esseq; virtus eius in nubibus.

Festiuitas oīum sanctorū est etiā illorum qui sint.

Verum non solum nubes illę, quæ iam sublimatæ sunt in cęlis, & adepta beatitudine sunt firmatæ, honorandæ sunt, atq; defensiua eorum vmbracula requirenda, sed etiam eorum, qui a terris saltem conuersatione semoti, adhuc in carne viuentes, vel in purgatorio satisfacientes, suam beatitudinem expectant. Omnium enim illorum hodie festiua agitur memoria sicut Beatus Bernardus sermone 5. de hac solennitate ait. Omnes siquidē inquit, nouimus festiuitatē omniū sanctorum dici & esse (quam hodie celebramus) Om

niyum

nium inquam siue cęlestium, siue terrestriũ. Sunt enim sancti de cęlo. Sunt sancti de terra. Itemq; eorũ qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui iam in cęlo. Nisi enim in terra adhuc viuentes sancti essent, quomodo diceret propheta. Custodi animam meam quoniam sanctus sum? Et Apostolus. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia copperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti? Quam meritò autem sancti adhuc in terris inuocandi sint, attestantur innumera beneficia, quæ huiusmodi electi Dei, & iam in cęlum velut nubes de syderio leuati, suis orationibus inuocãtibus se præstiterunt tam præsentibus, quam absentibus. De quibus multa loquitur scriptura & sanctorũ legendæ propter quod Iacobus hortatur. Orate pro inuicem vt saluemini, multum .n. valet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex, & rursus orauit, & cęlum dedit pluuiam. Iaco, 5.

Oratio eorũ qui sunt in purgatorio ꝓ nobis.

Neq; negandum est eos, qui in purgatorio sunt pro nobis orare, quorum integra ad nos charitas perseuerat, eos atq; à Deo exaudiri, quia in gratia existentes amici Dei sunt, cum eo in æternum regnaturi, & multis iam beatis maiores futuri. Nobis ergo sunt præsidio, qui sibiipsis auxilium ferre nõ possunt. Sic enim de sancto Seuerino legitur, ꝙ iam miraculis claruit in terris dum adhuc purgatorijs tenebatur in pęnis. Nec mirum, dum etiam apud nos hæc contigisse leguntur. De se .n. testatur Augustinus, quia sanitatem quam sibi obtinere nõ potuit, alijs ipse infirmus impetrauit. Et de beato Paulo abbate testatur Cassiodorus colla. 6. ca. 26. quod cum propter modicum eius indiscretionis excessum à domino correctus esset surditate, cecitate, & omnium membrorum cõtractione, ita vt nec linguam ad formandum verba mouere posset, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt oleũ quod suum corpus tanta infirmitate percussum tetigisset, cęteros infirmos à cunctis languoribus curaret. Nec mirum nubes has virtutes influere, in quibus Dei virtus esse non dubitatur, verbis thematis attestantibus. Virtus eius in nubibus.

Sed ecce si iam in purgatorio existẽtes ac pęnarum acerbitate compediti pro nobis solliciti sunt, quid facient liberati, & in gloria domino sociati? Idcirco nostrum erit instantissimè orationibus, elemosynis, ieiunijs, oblationibus, cęterisq; pietatis officijs pro eorum liberatione occupari, maximè in instanti generali animarum commemoratione, attento quoque nos ad id multipliciter obligari fraternæ charitatis vinculo, & quia ad Dei imaginẽ creati, sanguine agni redempti in summa necessitate constituti, nec se iuuare possunt, quia fratres nostri, & quia nihil nobis decrescit, sed magna vitalitas accrescit in præsenti, & futuro, quia eorum obsequia hic accepimus, eorum hæreditatem possidemus, vicissitudinẽ deniq; talem, qualem nos retribuimus à nostris superstitibus expectamus quã tò ergo fideliores in eorum liberatione laborauerimus, tantò & nos citius liberandi, sanctis iam in cęlo consummatis pręsentabimur, gloriam cum eis perpetuam percepturi. Quam nobis concedat &c.

Reliquæ partes huius sermonis, & plura alia de cultu sanctorum, & errore circa eundem. Deque sanctorum multiplici virtute assistentia suffragio &c. clarent ex lectura canonis, lec. 30. 31. 32. & ideò propter. breuitatem (quia materia ibi tacta est loco nunc allegato) hic rescinduntur, tam etsi auctor eam ipsam materiam in sermonibus declamatoriis compilauerit. Vide ibi.

*OMNIVM SANCTORVM Sermo IIII. in ordine. XL.*

GAVDETE, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cęlis. Mat. 5.

Beatitudiné oẽs hoĩes naturaliter desyderant.

Naturale est omnibus hominibus beatitudinis desyderium. Nemo vult miser esse. Est .n. mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas, vt ait Boe. Omnes deniq; bonum appetunt, vnde desyderium satietur, & hoc quicquid fuerit, est beatitudo. Id enim bonum est, quo quis adepto nihil vltra desyderare queat. Boe li. 3. prosa. 2. Et Sco. in 4. dist. 49. quia beatitudo est bonum, quo habito completè, bene est habenti. Sed ab ea errare plures aspicim⁹, errorum deuia pro reduce via amplectentes. Primi testis est Aug. 13. de tri. Et habet magister lib. 4. dist. 49. Secundi propheta Omnis homo mendax. Vtriusq; Boe. 3. de consol. prosa. 2. Cũ inquit omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum beatitudinis finem nititur peruenire. Et sequitur Hanc diuerso tramite mortales conantur adipisci, sed ad falsa deuios error abducit, de quo aliqd sermone. 2. de festo præsenti bene ad propositum seruiens dictum est.

Sed cum non solum desyderium beatitudinis naturaliter nobis insit, sed etiam necessitas perueniendi, aut miseria damnandi (Matth. 25. Statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et sequitur, descripto finali iudicio. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam) Summopere nobis vigilandum est, & cautissimè procedendum, ne erremus in via, quoniam si errare contigerit, non solum beatitudine priuabimur, sed etiam malis perpetuis deputabimur. Vtrunq; autem in hodierna solennitate proponitur nobis speculandum, scilicet beatitudinis immensitas, & viæ securitas, dum omniũ sanctorum nunc in beatitudine florentium, & merces copiosa tanquam excellentissimum pręmium, & via laboris tanquam fidelissimum meritum, in euãgelio nobis proponitur, in quo post ascensum gradus septemplicis vocantur ad gaudia ęternę mercedis, cum ibi dem concludit: Gaudete, & exultate. Aue Ma. Recitetur euangelium.

Patet, ꝗ de duobus loquendum foret, de sanctorum præmio, & merito. Sed de indicibili quis eloqui poterit? Pręmii magnitudo tanta est, vt non solum verba, sed & cogitationes excedat. Vnde Esa. & post eum Paulus. Nec oculus vidit &c. Vt autem generaliter dicatur, includit omne verum, & desyderabile bonum, excludit verò omne fugibile, & detestabile malum.

Hó qd hic ꝗrit in cęlo inuenit.

Quicquid homo hic magnis quærit laboribus, ibi paratum est, & perfectũ. Quicquid homo hic fugere nititur, ibi non est. Si quæris diuitias, ipsorum est regnum cœlorum, nihilominus & terram possidebunt. Si gaudium, & voluptates, ipsi consolabuntur, & saturabuntur. Si honorem; ipsi Deum videbunt. Quis honor maior, summo assistere, & sua visione continuo honorari? Si potentiam, filii Dei vocabuntur. Et quis filio regis potentior, de quo propheta: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis? Si defectuum, infirmitatum, & cunctarum miseriarum amotionem affectas, misericordiam consequentur. Quid est: Misericordiam cõsequentur id est ablationem omnium miseriarum. Nã per suam misericordiam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ, & mors non erit vltra, neq; luctus, neq; clamor, quæ prima abierunt. Apocal. 21. Et ita quicquid boni desyderari potest, ibi inuenitur, ibi dumtaxat satiatur appetitus, vt vult August. in libro confes. non quidem in diuersis, sed in vna principaliter visione, & fruitione, quibus anima summo bono vnitur, qui est ei omnia in omnibus 1. Cor. 15.

Hæc est mensura, quam dominus pollicetur se daturum, scilicet Bonam,

nam, per exclusionem omnis anxietatis, timoris, tristitiæ, doloris. Confertam, id est plenam, vt nil sit expers huius boni, non anima, non corpus. Coagitatam: per plenissimam satietatem, & totius appetitus repletionem. Supereffluentem, idest vndiq; circundantem, quoniam ex omnibus gaudebunt, ita vt etiam de pœnis damnatorum, vt vult Magister lib. 4. dist. vlti. secundum illud prophetæ. Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, & habet Magister distinct. vlti. quarti. Sed o stultitia, o periculum, o irrecuperabile damnum, hæc quærere in falsis, & fallentibus bonis seculi. Sic enim filii huius seculi quærunt in perituris æterna, in periculis secura, in defectu sufficientia, in vanitate vera, in vilibus preciosa. Potentiam in infirmitate, honorem in turpitudine, pacem in confusione, vitam in morte, gaudium in dolore. Non ita ambularunt sancti, sed transcenderunt omnia labentia, & peruenerunt ad æterna.

Mensura bona, & conferta inuenit. Prohpudor velle ad beatitudinem peruenire, via, qua nec Christus, nec aliquis sanctorum vnquam peruenit. Decipimus nosipsos & turpiter volentes erramus. Nonne volens errat, qui omnium peruenientium iter declinat, ac deuia sectatur? Non sic impii non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ, ideo non resurgent &c. Quoniam nouit dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit. Quapropter charissimi, corrigamus errores nostros, & si cum eis, quos hodie colimus copiosa mercede exultare cupimus, viam, quam ipsi transierunt, & nos arripiamus. Aderunt & ipsi nos expectantes, nos suis meritis, & præcibus adiuuantes, & contra rugientem inimicum nos defensione fidelissima munientes. Et tantū de primo.

Nunc pro secundo articulo attendenda est nobis via, per quam sancti exultantes, id est extra se salientes, peruenerunt ad mercedem copiosam, quæ est in cœlis. Via hæc ascensus grandis est, quæ de terræ imo eleuat, perducit ad summa cœlorum, habens certos gradus, quia nemo repente fit summus. De quibus illud ps. 83. intelligi potest. Beatus vir, cuius est auxilium abs te. as. in cor. s. dis. in v. la. in loco, quem posuit, idest in loco pęnitentiæ quem homo sibi per peccatum posuit. Et quamuis vnus sit ascensus, quo attingitur Deus, quem beatus August. 14. de ciuita. vocat amorem Dei vsq; ad contemptum sui. Sicut econuerso amor sui vsq; ad contemptum Dei mergit in infernum. Sunt tamen gradus certi, quibus ad hunc amorem peruenitur, & in amore ipso proficiendo, & crescendo ascenditur, propter quod in ps. prę allegato additur. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorsum in Sion.

Septem ergo gradus ascensionis in euangelio designat, per quos exultantes ascendere oportet, vt sanctos imitantes feramur ad perfectionem.

Ad quorum summariam memoriam aduertendum, q. duæ sunt partes rectitudinis, scilicet fuga mali, & operatio boni. Rectitudinis p̄tes duæ.

Quia autem bonum quoddam est necessarium, quoddam voluntarium, ideo tota Christiana conuersatio in tribus consistit. Quorum primum est, peccatorum vitatio, secundum bonorū præceptorum operatio, tertium consiliorum adimpletio. Quæ eodem ordine propheta in psalmo. 33. commemorat, dicens: Diuerte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Ratio ordinis est, quia posteriora fine prioribus esse non possunt. Non enim potest fieri bonum præsente malo. Siquidem opus meritorium, quod verè bonum dicitur, fieri non potest inexistente sibi contrario, scilicet malo culpæ. Sed nec consilia seruari possunt cum transgressione præceptorum, dicente Bernardo super Cantica. Ingratum est spirituisancto, quicquid obtu- Cōuersatio christiana in tribus cōsistit.

leris neglecto eo, ad quod teneris.

Primum principaliter respicit incipientes, secundum proficientes, tertium perfectos. Vel sic secundum beatum Bonauenturam in breuiloquio, parte quinta. Ad integritatem perfectionis requiritur necessariò perfectus recessus a malo, perfectus processus in bono, & perfectus status in optimo.

Secũdum hæc possunt distingui gradus scalæ euangelicæ, qui secundum beatum Augustinum in sermonem in monte, & in expositione psal. 11. super illud: Probatum terræ purgatum septuplum, & beatum Bonauen. vbi supra, septem sunt, scilicet Paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries iustitia, misericordia, munditia cordis, & pax. Octaua enim beatitudo ignis persecutio est, quo septupliciter probatur argentum. Hæc enim examinat, & clarificat, & quod perfectum est, demonstrat.

Gradus scalæ euãgelicę

Distinguuntur autem sic, q tres primi respiciunt declinationem a malo, & ita incipientes. Duo medii operationem boni debiti siue necessarii, hoc est præcepti, & ita proficientes respiciũt. Vltimi autem duo operationem boni supererogationis, & consilii respiciũt, & ita iam perfectos.

Per victoriam tentationis declinatur a malo. Est autem triplex, quo impugnamur ad malum. Res exteriores, quæ nos circumstant. Peruersi homines, qui nos moribus, & iniuriis perturbant. Sensualitatis rebellio, & fomes, quæ rationem obnubilant, & diuinum saltatorem inclinant. His omnibus quasi armis diabolus contra nos vtitur, qui istis victis exarmatur. Contra hęc mala declinanda, ac vincenda ordinantur tres primæ beatitudines, videlicet. Paupertas spiritus, qua exteriorum diuitię appetitum illicientes contemnuntur, & contemnendo vincuntur, contra primum. Et nota q paupertas spiritus non solum facit cõtemnere diuitiarum copias, sed etiam omnem fastum potentiæ sęcularis, & honores. Ideoq; paupertatem spiritus Be. Augus. vocat humilitatem. Similiter & Bonauen. Vnde dicit sic in breuiloquio. Cum paupertate simul iungitur humilitas, vt sic elongetur vir perfectus a fomite omnis culpæ, scilicet a superbia, & cupiditate. Et hinc est, q pauper tas spiritus est fundamentum totius perfectionis euangelicę. Vude primò oportet hoc fundamentum sternere, q vult ad culmen perfectionis peruenire, secundum illud Mat. 19. Si vis perfectus esse. vade, vende omnia, quæ habes: Ecce perfecta paupertas, quæ sibi nihil retinet, & sequere me: Ecce humilitas, quę facit q homo abnegando seipsum tollat crucẽ suam, & sequatur Christum, qui est totius perfectionis principalissimum fundamentum. Hæc Bonauen. Attendendum q non simpliciter pauperes nominat propter plebeios pauperes, necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Alia enim est paupertas rerum, alia spiritus. Sed de his secundum Bern. ser. 1. de festi. omnium sanctorum loquitur dicens. Qui possunt dicere cum propheta. Voluntariè sacrificabo tibi. Hæc enim nihil aliud est, quam abdicatio propriæ voluntatis. Hęc sola nostra est, quia nolentibus eripi non potest. Talis pauper fuit Dauid & progenitores Abraam, Isaac &c. multarum rerum possessores. Ait enim. Pauper ego sum, & egenus sicut omnes patres mei. Vide principium scalæ. Hic enim despicit temporalia contra auaritiam, despicit seipsum, contra superbiam, ideo Aug. hic paupertatẽ nominat humilitatem.

Attamen nec voluntaria paupertas omnis laudem habet apud Deum Nam & philosophi omnia sua reliquisse legũtur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius. Hos discernit cũ dicitur, spiritu, idest spirituali voluntate. Beati pauperes spiritu, spirituali, scilicet intentione. Desyderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Vide Bern. ser. 1.

Cõtra secũdũ. s. perturbantes hoĩes mi-

mititas. Nā seculares homines pauperem seculum fugientem sequuntur irrisionibus, molestiis, probris, contumeliis, variis detractionibus,& iniuriis quia omnia vincit mansuetudo, siue mititas. Hæc enim ita erigit hominē, vt quicquid molestiæ infertur, perturbare non possit nec lædere, sed magis sursum impellit. Sicut arca Noe crescentibus undis sublimius attollitur. Hinc in psal: dicitur. Exultauit mansuetos in salutem. Nihil enim relinquere prodest uoluntatem propriam, si contra occurrentia adhuc mouetur animus per irascibilem. Oportet ergo vt intus sit mititas,& foris mansuetudo, quibus irascibilis frenetur, uoluntariè enim pauperibus aduersatur mundus, eosq; impugnat multis molestiis, ita vt statim insurgat irascibilis, nisi per mititatē intus,& foris per mansuetudinem frenetur.

Contra tertium sensualitatis vitium nos munit beatitudo tertia luctus spiritualis. Per hanc enim cœlestis cursor proprium corpus superat, exemplo Abraæ egredientis de domo patris sui &c. Qui in primo gradu reliquetat terram suam. In secundo cognationem suam conformiter ad uerba scripturæ Genes. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua,& de domo patris tui. De terra tua, hoc est de terrenis opibus. De cognatione tua, hoc est hominibus cognatis, amicis, & affinibus. De domo patris tui, idest de sensibus proprii corporis. Quod qui uoluerit vincere, lugeat, necesse est, quia nisi per fletum lachrymarum, idest generaliter per moderatam corporis castigationem dometur sensualitas, & diluuio talium aquarum dimergatur sensibilis Pharao cum æquitibus suis, animam israeliticam sursum tendentē compræhendit, comprehensam circūligat funibus peccatorum, vt trahat in damnationis abyssum. Quo cōtra reducantur aquæ maris, idest amarę penitudinis, vt submergantur Ægyptii, motus illiciti sensualitatis, de absentia gratiæ,& glorię & dilatione. Hic luctus vanam letitiam, & omnem carnalis voluptatis appetitum extinguit. Quomodo enim se continebit, qui se Deo totum deuouit propter Deum, videns Deum offensum per se, & alios?

Hos gradus tres, & si omnes sancti ascenderunt, nullaq; virtutum,& beatitudine propter earum connexionem caruerunt, tamen per appropriationē singulis statibus sanctorum beatitudines singulæ attribuuntur. Apostolis paupertas spiritus, Patriarchis mititas, prophetis luctus, Esuries, & sitis iustitiæ martyribus, Confessoribus misericordia, Cordis munditia virginibus, Pax mentis continentibus, vel angelis. Aut si placet mediatrici Dei, & hominum, quæ pacem terris dedit, reconcilians ima summis. Omnium verò est perseuerantia, & persecutionis tolerantia, quia omnes, qui volunt piè in Christo viuere persecutionem patiuntur. 2. Timo. 3. Apostolis ergo paupertas spiritus attribuitur. Hi enim relictis omnibus secuti sunt Christum, dicentes Mat. 19. Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te. His erat cor vnum, & anima una in domino. Erant deniq; eis omnia communia, & nullus quid suum esse dicebat. Act. 2. Extende, ut placet, paupertatem spiritus in eis commendando.

Beatitudines singulæ singulis statibus sāctorum.

Secundum verò gradum, & si post Christum omnes sancti ascenderunt, specialiter tamen sancti patriarchæ, de quorum semine Christus descendit secundum carnem, se hunc transilisse ostendūt, qui relinquētes,& gentē,& patriā inter incognitos peregrinati sunt, quorū multiplices iniurias pro māsuetudinē vicerunt. Sicut de Abraā, Isaac & Iacob Genesis prodit historia. Idcirco Moysen uirum Dei mitissimū scriptura appellat. Num. 12. qui cuncta populi sui opprobria vicit, nec ad eos amaricatus est, sed instātius pro eis orauit, quo magis eū iniuriis affecerunt, ut habetur Exo. 32. & Numeri in multis capitulis. Dauid quoq; cæteris virtutibus tacitis de sola māsuetudine gloriaē, dicēs Memento domine Dauid & omnis māsue-

ſuetudinis eius. Propter quod patribus terrena poſſeſſio cum trãquillitate promiſſa eſt in figura, quia manſuetis, & mitibus hæreditas terræ viuentium tribuetur. Hinc dicitur. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Illam vtiq; de qua manſuetus propheta ait: Portio mea domine ſit in terra viuentium. Tertium verò per appropriationem quandam poſt Chriſtum aſcenderunt prophetæ qui pro peccatis populi gemitum, & luctum quaſi pro proprijs aſſumpſerunt. Vnde ex eis vnus gemens ait: Aut dimitte populo noxam hanc, aut dele me de libro, in quo me ſcripſiſti. Exod. 32. Alius lugens inquit. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum &c? Hieremiæ 9. Sic Samuel Saulem amarè fleuit 1. Reg. 16. Et Ezechiel peccata populi in lateribus ſuis dormiens portauit. Eiuſdẽ. ca. 4. Dilationẽ redemptionis humani generis & Chriſti (quem prædixerant) aduentus, multiplicatis ſuſpirijs deflebant, vno clamante: Vtinam cęlos dirumperes, & deſcenderes. Eſaiæ. 64. Alio: Excita potentiã tuam & veni vt ſaluos facias nos pſal. 79: Hi tres gradus aſcenſionis ſiue ſcalæ euangelicæ figurati ſunt in Abraam, dum primo vocaretur à domino. Gen. 12. ſibi dicente. Egredere de terra tua, quo ad primam beatitudinem. Et de cognatione tua, eorum iniurias manſuetudine ſuperando, quo ad ſecundam beatitudinem. Et de domo patris tui, per aſcenſum ſuper corpus proprium, & ſenſualitatem. Quid enim congruentius ſignificat hic domus patris, quam contubernium proprii corporis, cum turba noſtrarũ paſſionũ, quod a carnali patre accepimus, à quo malæ inclinationis fomitem traximus? Hanc ergo turbam proprium ſcilicet corpus, & ſenſualitatem, in qua eſt turba turbulentiſſima paſſionum, motuum, & cupiditatũ ex originali fomite, in hoc moribundo corpore ſcatentium ſuperare oportet luctu, contra peccata propria, contra aliena, contra beatitudinis dilationem, deſyderium hauriendo eſſe cum Chriſto. Philippen. 3. Ortum habens taliſmodi lachrymæ & luctus ex meditatione malorum, & periculorum præſentium, & futurorum, dum lugens conſyderat, quam terribilis Deus ſuper filios hominum, quam certa mors mortis hora incerta: An odio, vel amore dignus reperiatur &c. Sed ſic lugentes conſolabuntur. Eſt enim pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Ecce pugnam, & aſcenſum ſcalarem incipientium. Vnde etiam athleta Chriſti dirigitur, & regulatur, quo ad dilectionem ſuijpſius, per certificationem concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis, quæ fit per paupertatem ſpiritus, mititatem, & luctum.

Nunc ſequuntur duo alij gradus reſpicientes dilectionem proximi, quæ menſuranda venit ex dilectione ſui, & ita tam proximi, quam ſuijpſius .ſ. Eſuries, & ſitis iuſtitiæ, & miſericordia, reſpicientes proficientes, quorum ſtudium eſt in bono virtutis, triumphatis iam paſſionibus, ac vitijs proficere vt in eis charitas augmentetur. Hunc gradum p.. quatuor beatitudines ſaltum attingimus, qui eſt eſuries, & ſitis iuſtitiæ, per quam redditur Deo, quod Dei eſt, ſibi quod ſuum eſt, & proximo quod illius eſt. Deo .ſ. obedientia, ſibi caſtigatio, proximo dilectio. Non enim dimittitur à proficiente profectus anterior, ſed augetur, vt Dei charitas cum augmento recipiatur. Hunc ergo attingimus, cum depoſita affectione commodi anima iam non quærit, quæ ſua ſunt ſed affectione iuſtitiæ tota accenditur, ſolumq; ea concupiſcit, & eligit, ac amplectitur, quæ ratio recta lumine fidei illuſtrata dictat forè ãmplectenda. In quo omnis virtus, & virtutis ratio perficitur, ſecundum philoſophum 2. Eth. Dum iam non commodo proprio, gloria, vel voluptate etiam ſpirituali trahitur, ſed recto gradu incedit, per arma iuſtitiæ à dextris, & a ſiniſtris per gloriam, & ignobilitatem, per infamiã & bonam famam 2. Corin. 6. clamans cum propheta: Concupiuit anima mea deſyderare iuſtificationes tuas in omni

Gradus duo ſcalæ reſpicientes dilectionem proximi.

ni tempore, dum talis in nobis virtuo ſus accenditur affectus, recte eſuriei, & ſiti comparatur, quia ſicuti ſitis, & eſu ries hominem non permittit quieſcere ſed compellit quærere vnde reficiatur. Ita & talis affectus dum ortus eſt in ho mine recte ſitis iuſtitiæ dicitur, quia fa cit hominem Deum in omnibus recto zelo intendere, & velle, cum iam per priores tres gradus eruti ſunt frutices, & ſpinæ peccatorum. Hoc enim neceſ ſe eſt præcedere ſecundum Boetium. 3. de conſol. metro. 1. Et iam homo recõ ciliatus eſt Deo per pœnitentiæ luctum victis Ægyptijs vniuerſis. Talis ergo ſi tis nil aliud eſt niſi firmum propoſitum diuinam implendi in omnibus volunta tem. Hunc gradum per appropriatio nem quandam aſcenderunt ſancti Dei martyres, dicentes cum apoſtolo Pau lo. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, an gladius, an mors &c? Item. Propter te mortificamur tota die. Æſti mati ſumus ſicut ouis occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Roma. 8. Ad idem plu ra habentur ad Hebræos. 11. iuxta finẽ capituli. Extende, quomodo animas ſuas & corpora pro Chriſto in mortẽ dederunt, dimiſſis iam exterioribus per primam beatitudinem: Turba hominũ per ſecundam. Turba paſſionum intra corpus proprium per tertiam.

Cum verò iuſtitia reſpicit nedum ſeipſum, ſed & proximum, & non ſolũ ea, quæ ſunt præcepti, ſed & quæ ſunt conſilij. Ideo cum athleta iam Chriſti præcepta amore iuſtitię ſeruare ſtatuit extendit ſeſe etiam ad alterum, vt per fectæ iuſtitiæ ſitis amplius, & amplius inardeſcat. Miſericordia enim effectus eſt iuſtitiæ, & charitatis geminæ, per quam quis proximorum defectibus cõ patitur, qui ſuis non parcit. Sibi durus, proximis lenis, ac ſuauis, vt cum apo ſtolo omnium infirmitates ſuas faciat, dicens. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem Chriſto. Quis in firmatur, & ego non infirmor? Et mul ta ſimilia, quæ habentur 2. Corinth. 11. Vnde Bern. Sic oportet fieri vt non quam propter aliũ peccet homo, quod eſt iuſtitiæ, & libenter aliena portet peccata, quod eſt miſericordiæ.


Hunc gradum quintum per appro priationem aſcenderunt Chriſti con feſſores, qui ex miſericordia ad proxi mum ſicut boni Chriſti milites impor tune, & opportunè verbum Chriſti prę dicarunt, quatenus diabolũ nedum ex cordibus propriis, ſed & aliorum expel lerent, & veritatem euangelicam, quã à Chriſto veluti noui teſtamẽti idonei miniſtri didicerant, infererent. Potes hic amplius extendere de magna miſe ricordia, & dilectione doctoris gentiũ in ſua prædicatione ex epiſtola. 2. Cor. 11. Etiam libris, & ſcriptis ſanctorum doctorum, & euangeliorum &c. prout placuerit. *Confeſſores gradum quintum aſcenderunt.*

Aliæ duæ beatitudines hominẽs di rigunt ad Deum, per intellectum in co gnoſcendo, per affectum in diligendo, & reſpiciunt perfectos, qui iam ſupera to mundo, & carne cum ſuis concupi ſcentiis, ac deinde per miſericordiam, & iuſtitiam ſe communicantes proxi mis, per mentis purificatæ intelligen tiam, & voluntatis pacatiſſimam tran quillitatem in Deum ſe conuertũt in tellectu, & voluntate per cordis mundi tiam, & hominis interioris pacificatio nem, quibus cum apoſtolo viuere Chri ſtus eſt. & mori lucrum. Vel aliter qui per excluſionem phariſaicę duplicita tis, ac aſſumptionem ſimplicitatis in tentionis omnia in Deum ordinandi, ac quicquid ad Deum non pertinet pe nitus excludendi Deo intendunt Mun datur enim cor diuinis imaginationi bus, polluitur verò terrenis. Per hunc omnes priores perficiuntur, & rectifi cantur. Hanc etiam dominus præce pit cum dixit. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Hæc cordis munditia virginum eſt per appropriationem, quæ ſequuntur agnũ quocunq; ierit, quę ſine ſollicitudine cogitant, quæ domini ſunt, quomodo placeant Deo. Qui autem cum vxorę eſt ſollicitus eſt, quę ſunt mundi. Mu lier enim innupta, & virgo cogitat, *Beatitudines duæ dirigunt homines ad Deũ quõ.*

quæ

quæ sunt domini, vt sit sancta corpore, & spiritu. Vnde hortatur eos, qui habent vxores vt sint sicut non habentes &c. 1. Cor. 7. Hi enim angelicam vitam in carne præter carnem ducunt, soli sponso, quem elegerũt, syncero corde seruientes, & fidem inuiolabilem tenentes. Potes exemplificare de virginibus, & præsertim de Virgine Maria. Ab hoc gradu, qui est per mentis, & corporis puritatem solum Deum contemplari, ascẽdit homo in Deum affectu amoroso, vt nullo extrinseco delectetur, vel turbetur, sed in tanta mentis tranquillitate Deo fruitur, vt etiam ab eo timore filiali metuat separari dicens. Audiam quid loquatur in me dominus Deus vt sup. & Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Cert⁹ sum ꝙ neq; mors, neq; vita, neq; vlla creatura poterit nos separare à charitate Dei. Hic ascensus appropriari potest angelis Dei, qui sunt throni, Dei, aut Virgini Mariæ, prout placuerit. His gradibus additur octauus, qui dirigit in patiendis, sicut prior in agendis. Necesse est enim contra impugnationem in singulis armari patientia, per quam habetur perseuerantia, quæ sola coronatur, secundum illud: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et Apoca. secundo. Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & dabo illi stellam matutinam. Ecce scala Iacob, cuius cacumen attingit cęlum. Hanc scalam ascendere oportet cum Dei amicis, & sanctis, si audire volumus domini vocem: Gaudete, & exultate &c. Quod nobis pręstare dignetur &c.

## *IN DIE ANIMARVM Sermo vnus in ordine XLI.*



SANCTA, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 2. Machabę. 12.

Inter cętera moralium virtutũ exercitia opa misericordiæ in scriptura plurimum commendantur. Nam in vniuersali iudicio de eis solis exhibitis, vel neglectis disceptatio fiet, vt habetur Matth. 25. Ipsa deniq; duplicem fructum afferũt. Proficiunt nanq; exhibentibus ea, hos enim sanctificant. Sicut scriptum est: Date elemosynam, & omnia mũda sunt vobis. Luc. 11. Saluant quoq; proximos & à miseria subleuant, quibus impenduntur. Vnde dicit apostolus 2. Cor. 8. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Tanto autem huiusmodi misericordiæ opera sanctiora sunt, & magis salubria quantò hi, quibus exhibentur, miseriores sunt, sibiq; minus subuenire possunt. Ideò dominus non diuites, sed pauperes, claudos, & debiles ad refectionem vocare docet Lucæ. 14. Tales sunt animæ defunctorum in purgatorio igne detenti, siquidem pęnas acerbas sustinent, & sibijpsis subuenire non valent, nam statum merendi excesserunt. Qua propter licet vniuersa misericordiæ opera sancta sint exhibentibus, & salubria eis, quibus exhibentur maximè tamen ea quæ defunctis impẽduntur. Hinc vir fortissimus Iudas iustissimus vltor in blasphemos, misericordissimus in fratres pro eis qui in bello ceciderant suis demeritis exigentibus duodecim millia drachmas argenteas Hierosolymã misit, vt offerretur sacrificium pro peccatis, sciẽs quia non superflua, & inanis, sed sancta est cogitatio, & salubris pro defunctis exorare. De quibus pro gratia Aue Maria.

Misericordiæ opera cõmendant in scriptura.

Sup-

Animæ defunctorū triplicē habēt differentiam.

Supposito nunc tanquam manifestè fidelibus ex scripturæ testimonio, ac ecclesię ritu, q̧ defunctorum animę triplicem habent differentiam: Sunt .n. valde bonæ, sunt valde malæ, sunt mediocriter bonæ & malæ, vt vult Aug. in suo enchiri. & Magister dist. 45. quarti. Primæ, quia iam beatæ sunt, viuorū suffragia non requirunt. Secundæ tanquā à facie domini profectæ & perpetuæ obliuioni traditæ, iuuari non possunt. Tertijs tantū prosunt quæ eis misericorditer à viuentibus impenduntur. Hę sunt quæ hic sine mortalibus criminibus in gratia decedunt, cum debito satisfactionis pro peccatis in hac vita non pęnitus quantum ad pęnam remissis: Ideò nunc de duobus videndum est. Primò quam debitum est nobis, & vtile talibus auxilia impendere. Secundò quibus suffragijs eis est succurrendum, vt sic apertè cognoscamus, quia sancta, & salubris est cogitatio, quo ad primum pro defunctis exorare, quo ad secundum.

Quantum ad primum duo sunt in genere, propter quæ diligenter animabus purgatorio igne afflictis, nostris subuenire oportet suffragijs. Primum est debitum, quo ad id obligamur. Secundum vtilitas propria, quam ex huiusmodi suffragiis diligenter impensis consequimur. Obligamur autem ad defunctorum suffragia generaliter omnibus impendenda, & quibusdam specialiter exhibenda. Omnibus debitores sumus propter charitatem duplicem, Dei scilicet & proximi. Propter charitatem Dei, nam quicunque diligit Deum, diligit omnia, quæ illius sunt, & quæ ad illum pertinent. Sicut Bernard. ait prouerbium est: Qui diligit me, diligit & canem meum. Charitas denique Dei inclinat ad diligendum Deum, & omnem Deum diligentem, vt ostendit Sco. in suo 3. distinct. 28. Nunc animæ in purgatorio ad Deum pertinent multiplici respectu. Sunt nanque ad imaginem beatissimæ trinitatis creatæ, quæ imago adhuc in eis perseuerat incorrupta, gratia, charitate, ac virtutibus exornata, per qua est in potentia ad capiendum Deum, secus de damnatis. Sunt etiam præcioso sanguine filii Dei efficaciter redemptæ. Nam propter eas ascendit, animam assumpsit, quam pro eis in crucis ara moriens pati non solum quantum ad sufficientiam, quomodo etiam obtulit pro damnatis, sed etiam quantum ad efficientiam quomodo pro solis prædestinatis, secundum sanctum Thom. obtulit. Sunt denique inter amicos Dei in libro vitæ indebiliter conscripti, quia in gratia confirmati, hæredes Dei Roma. octauo cohæredes Christi. Cum ergo Christo impendit, quisquis aliquid vni ex minimis eius impendit Matth. vigesimoquinto multo magis quod animabus in purgatorio exhibetur, Christo exhibetur, quoniam non iam sunt de minimis, sed de confirmatis amicis eius. Similiter tenemur eis propter debitum fraternæ charitatis, sunt nanque proximi, & fratres nostri, eiusdem corporis Christi membra, futurique conciues beatitudinis. Siquidem corpus Christi mysticum tripertitum est, cuius vna pars iam cum Christo in beatitudine regnat, alteram purgatorium ad regnandum præparat, tertia adhuc in terris militat, quod significat diuisio eucharistiæ in tres particulas, vt dicit magister distinct. decimasecunda quarti Quomodo autem eas diligimus sicut nosipsos, si in tantis pęnis constitutis non subuenimus? Ait enim Ioannes in prima canon. cap. tertio. Qui habuerit substantiam huius mundi, & vi. fra. suum ne. habere, & clauserit vi. sua ab eo, quomodo cha. Dei manet in eo? Filioli, non diligamus ver. nec ling. sed opere & veritate.

Nos habemus huius mundi substantiam, hoc est facultatem merendi, & pro peccatis nostris, & aliorum satisfaciendi, quod solum dum sumus in via in hoc scilicet mūdo, possumus. Sed animę in purgatorio maximā sustinēt necessitatem, quia talem pęnam quæ om-

nes passiones huius vitę incomparabiliter excedit, vt dictũ ẽ in canone missæ ideò si non subuenimus, reuera non diligimus, nec proximum nostrum curamus, contra illud: Vnicuiq; mandauit Deus de proximo Eccl 17. Videamus denique quomodo sibi communicant eiusdem corporis membra, quemadmodum sibi compatiuntur, sibiq; auxiliantur, alterumq; pro alterius salute exponitur, puta manus pro capite, sicut latè deducit Apostolus 1. Corint. 12. Ideò his admoniti sollicita esse tenemur mébra pro membris in afflictione positis, hoc est viuentes pro defunctis, cum quibus, vt dictum est, membra sunt eiusdé corporis. Videmus quoq; quantum sibi assistunt contra inimicos eiusdem ciuitatis siue domini ciues, nec princeps bono susciperet animo, si alter subditorum suo consubdito non succurreret, sed indefensum in necessitate desereret. Itaq; malè feret dominus noster, si eorum animas, qui futuri conciues sunt supernæ Hierusalem, nostris auxilijs à pęna purgatorii non subleuamus. Hinc Prouerb. 18. ait Salomon. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Obligamur etiam ad specialia suffragia quibusdam particulariter, vel quia eorum donis, & beneficiis naturalibus, spiritualibus aut fortunæ quæ accepimus fouemur quomodo filii parentibus, discipuli magistris, oues pastoribus, hæredes legatariis, & quicunq; temporalia bona possident vel posse derunt à defunctis &c. Hi quoq; qui pro temporalibus, quæ tenent se ad obsequia spiritualia, obligarunt, sicut omnes beneficiari, & qui stipendia ad hoc ordinata recipiunt. Ad quos sine intermissione clamant de pœnis illud Iob 19. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus domini tetigit me. Quare me persequimini sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Audiant ergo clamantes, qui temporalia suscipiunt, caueantq; ne debita obsequia, siue missas, siue alia subtrahant si non à domino de spolio mortuorum grauissimo peccato voluerint iudicari. Deniq; qui præbendam accipit, & obsequium non reddit, non facit fructus suos, & spoliat ecclesiam, teneturq; ad restitutionem, vt dicunt domini canonistę.

Vel etiam, quia eis fuimus occasio peccatorum quibus has pęnas meruerunt malo nostro exemplo, aut inductione, vel correctionis negligentia, siue quia nobis nimio amore inhæserũt, ac pro nobis superfluis curis ac mundanis negotiis vt nobis prouiderent nó sine peccatis saltem venialibus immerserunt. Qui ergo occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, vt dicit regula iuris. Qui verò damnificauit, tenetur restaurare damna, quæ intulit. Hinc Cancellarius parisiensis fideliter auisat omnes in suo Tripertito, vt caueant ne sint aliis in laqueum peccati, ostendens quanta requiritur satisfactio &c.

Secundum propter quod diligenter subuenire debemus animabus in purgatorio, est vtilitas nostra Duplex vtiq;. Vna vt dum ad eundem statum veneri mus, & nos superstitum suffragiis liberemur. Nam sicut August. in Enchiri. ait, & Greg. in 4. dialo. Illis prosunt suffragia viuorum, qui dum viuerent, hoc meruerunt, vt possent eis post mortem hæc prodesse. Sed quomodo hoc meruerunt nisi misericordiam faciendo cum prędecessoribus defunctis suis? Nam scriptum est: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Matthæi. 7. capitulo. Et iterum. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matth. 5. Ita reuera & nos si modo misericordes fuerimus in defunctos, meremur, vt defunctis nobis similibus suffragiis superstitum subleuemur. Alioquin iudicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiã. Iac. 2. Quam putatis causam esse cur tam tarda sit testamentorum expeditio cur filii hæredes tam negligenter agunt &c. nisi quia testatores ipsi similiter dum vixerunt, negligentes circa suos prædecessores extiterunt. Ita sine dubio nobiscum futurum erit. Altera

Vtilitatem multam consequitur quis animabus suffragãdo.

vtilitas


vtilitas, vt eos, quibus nunc suffragamur habeamus diligentissimos pro nobis intercessores. Licet enim nunc purgatorio igne teneantur, sunt tamen amici Dei, ac magni apud dominum meriti. Tanti vtiq; vt adhuc in purgatorio cruciati apud nos magnis fulgeant miraculis. Sicut de sancto Seuerino Petr⁹ damian⁹ scribit, & beatus Grego. de Paschasio romanæ ecclesiæ diacono, qui sine dubio liberati suis liberatoribus ingrati non sunt, sed pro eis vicem rependentes potenter apud Deum orabunt, qui etiam nondum soluti viuentibus beneficia impendunt. Nec negandum est multos diutius purgari, qui maioris meriti sunt apud Deum quibusdã citius purgatis, aut fortè euolantibus. Deniq; quis nouit si fortè per alicuius iam in purgatorio detenti preces, & merita ipse sit saluandus. Non ergo nobis negligendum est eis suffragia impartiri, quorum precibus, & nos Deo confidimus conciliari: Hinc apostolus cum 2. ad Corinth. 8. ad elemosynam faciẽdam adhortatus fuisset, dixit. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, subiecit, vt illorum abundantia sit vestræ inopiæ supplementum. Ecce alia consyderatione sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. Et tantum de primo.

Animæ eorum q sunt in purgatorio ꝓ nobis orãt.

Sed hic est dubium vtrum opus piũ pro defunctis actum, etiam valeat actori? Et si sic, an tantum valeat actori quãtum si pro seipso hoc faceret, & intentionem suam ad alium non dirigeret? Cuius solutionem extensam vide in expositione canonis, quam olim in vniuersitate Tubingensi edidimus, lect. 58. iuxta finem, cum multis alijs de suffragijs animarum, lec. 56. 57. & 58. Et de hoc tantum hæc dixisse sufficiat.

Op⁹ piũ ꝓ mortuis factum an valeat actori.

## IN FESTO S. MARTINI Episcopi Sermo. I. in ordine. XLII.



ECCE vir oriens nomen eius. Zachariæ. 6.

Verba ista de Iesu filio Iosedech sacerdote magno, qui post captiuitatem Babylonis data redeundi licentia à Cyro Persarum rege fundauit, atq; extruxit templum domini in Hierusalem, vt habetur 1. Esdre. 1. & 2. dicta sunt per prophetam ad literam. Nunc autem assumpta sunt ad laudem, & gloriam sanctissimi patroni nostri Martini episcopi. Et rectè, quoniam vir ille, cui hæc dicta sunt ad literam, nostri patroni figuram nomine, vita & officio prætulit. Iesus quippe Iosedech fuit filius de Babylonia, multò cum labore Hierusalem adijt, templum domini destructum reparauit, in quo summo sacerdotali officio fungebatur. Nunquid beatissimũ Martinum Iesum Iosedech filium appellari congruit, qui à domino iustificatus plurimorum saluator extitit, corpora sanans pariter, & mentes? Iesus quippe saluator, & Iosedech iustificatus à domino interpretatur. Cum enim ex eo q à domino iustificatus est, factus est etiam aliis ad salutem. De Iosedech natus est Iesus, & ille captiuitatis terram deseruit, ad Natalæ solum Iudęã properauit. Martinus verò reliquit propria, pro lucrandis animabus properauit ad aliena, vbi non modo materialia templa plurima construxit, sed viua tabernacula, conuersorum scilicet corda domino preparauit, summo funct⁹ episcopali officio, obtulit dona, & sacrificia pro peccatis populorum. Rectè igitur ei, q de oriente processit, & vt oriẽs in vitæ discursu splenduit, demum ad oriẽtẽ euectus æternaliter hilarescit, dicitur verbũ assumptum pro themate Ecce vir oriens nomẽ eius. De quo &c.

Martino qũo applicent verba ecce vir oriẽs nomẽ eius.

Ecce

Legen de sancti Martini singularis cómédatio.

Ecce vir oriens nomen eius. Verba ista beato Martino non inepte attributa, nobis eundem omni demonstrat veneratione dignissimum, cuius laudabiles virtutes & opera (si verbis compræhendere eniterer) stulto penitus labore consumerer. De quo disertus ille Seuerus Sulpitius lib. 1. ca. vlti. ita ait. Etsi facta illius explicari verbis vtcunq; poterunt, interiorem vitam illius, & quotidianam conuersationem, & animum cęlo semper intentum nulla vnquam verè profiteor explicat oratio. Omnia siquidem in Martino maiora sunt, quã in verbis concipi queant. Nec si ipse ab inferis Homerus emergeret posset exponere. Verum animo tacere patroni laudes impium quis non iudicabit? Sed nec ipse Seuerus omnia siluit, quinimo etsi pro facto minora, multa tamen nobis colenda conscripsit. Nec silentio in primis prætereundum quoniam inter cęteras sanctorũ legendas, beatissimi Martini descriptio singulari fulget auctoritate, cui tantæ auctoritatis viri Ambrosius, Seuerinus Alcuinus &c. testimonium præbẽt, propter quod libellus de eius vita, & moribus, sicut olim patres Ægypti, ita hodie viri religiosi pro singulari munere amplectuntur. Scripsit autem de vita eius, & moribus lib. 4. Seuerus Sulpitius cooperantibus Postumiano, & Gallo viri sancti discipulis, quem Seuerum non modicè commendat Augu. in epistola, eumq; inter viros illustres conscripsit Gennadius. De cuius scriptis aliquid prolaturus pro faciliori memoria verbis thematis coaptabo. Trifariam enim in themate vir Dei commédatur, videlicet: Ex insolita admiratione, quia ecce. Frequenter enim euangelistæ res miraculosas locuturi, proferunt ecce. Ex perseueranti fortitudine quia vir. Viriliter agite, ait propheta, & confortetur cor vestrum. psal. 26. Ab excellenti sublimitate, quia oriens. Cũ te consumptum putaueris, orieris vt lucifer. Iob 11 Fuit quippe admirandus in portentis, in virtutibus virilis, in cõsummatione sublimis. Primum incitat ad reuerentiam: Secũdum instruit ad imitationem. Tertium eleuat ad cęlestium desyderationem. Fuit enim vir sanctus admiratione dignissimus, nedũ proximis, & cohabitantibus discipulis verum & longè distantibus viris vtiq; in diuina religione perfectis. Vnde de ipso canitur in prosa. Hic celebris est Ægypti patribus, Græciæ quoq; cunctis sapientibus. Qui impares se Martini meritis sentiunt, atq; eius medicamini. Scriptum siquidem librum à Seuero de viri sancti moribus, & vita, quẽ idem Seuerus occultum putabat, & à paucissimis visum: Postumianus triennio mundi partes orientales perlustrãs sanctos patres visitando, perquirendoque qualiter in oriente fides Christi floreat, quæ sit sanctorum quies, quæ instituta monachorum, quantis virtutibus, & signis in seruis suis Christus operetur, vbiq; delatum inuenit, nec aliquid apud librarios promptius, nec carius vendebatur. Hunc Paulus Romam inuexit. Hic in Carthagine legebatur, in Alexandria, in Ægypto in Thebaida, in Mẽphiticis regnis. Hinc de viro sancto idem Postumianus ait: Ego quo ad viuam, semper monachos Ægypti prædicabo. Laudabo anachoritas, mirabor heremitas: Martinũ semper excipiam. Non illi audebo quemquam monachorum certè non episcoporum quempiã comparare. Hoc Ægyptus fatetur, hoc Syria, hoc Ethiops cõperit: hoc Indus audiuit, hoc Partius & Persia nouerunt, nec ignorat Armenia &c. Pudeat ergo nos hunc, quem proximum habemus, vt patronum non nosse, quem fortè idcirco pleriq; nedũ laicorum, sed & clericorum nouisse reputant, quia si virtutes illius nossent, sua vitia non ignorarent. Attente ergo miraculorum signa aliqua saltem colligamus: vt virum Dei non tam miremur, quam veneremur. Tanto enim diuina sibi virtus adhæsit, vt pene ei omnis creatura pareret. Insensibilia, vegetabilia, sensitiua, homines, angeli, dęmones, infirmitates, mors, atq; vita.

Martinus trifariã comendatur.

Insensibilia quidem. ignis scilicet & aqua

& aqua & aer. Incenso nãq; ab eo phano antiquissimo, cum ignis agente vento domum proximam incenderet, tectũ domus scandali, obuium se venienribus flammis inferens vt dicitur lib. 1. cap. 9. contra vim venti ignem retorsit, sicq; Martini virtute ibi tantum ignis operatus est vbi iussit. Item in epistola Seueri ad Eusebiũ dicitur. In strato deniq; dormiẽs in sacratario ecclesiæ, igne, quem clerici pro eius cõsolatione adhibuerunt, stramenta accensa virum Dei vndiq; flammæ inuoluerunt. Sed refugientes ad orationis scutum, cesserunt flammæ, ita vt non sentiret. Item lib. 3. cap. 6. Valentinianum imperatorem Martino nec aditum concedenti, nec honorem, eo contra imperatoris decretum palatium intrante ignis sellam regiam operiens, regem inuitum de solio excussum, viro Dei assurgere coegit, & quem spernere decreuerat, emendatus, ei omnia prius quam peteret, concessit. Aquæ etiam sancto parebant. Nam lib. 4. cap. 17. In Tyrreno mari Ægyptio nauiganti non christiano, ortis subito turbinibus in extremo vitæ discrimine magna voce clamauerit. Deus Martini eripe nos, mox tempestas sedata est.

Martino quó insẽsibilia paruerunt.

Aeris deniq; tempestates obtemperabant. Nam lib. 4. cap. 7. Cum pagum in regione Seonum annis singulis grãdo vastaret, incolæ extremis malis compulsi à Martino auxilium poposcerunt. Qui oratione facta vniuersam regionem ita liberauit, vt toto tempore vitæ eius 20. videlicet annis grandinem in illis locis nemo pertulerit.

Martino vegetabilia se subiecerũt.

Vegetabilia quoque se Martino subdiderunt. Nam lib. 1. cap. decimo cum in vico quodam templum antiquissimi diruisset, & arborem pinum, quæ phano erat proxima, esset aggressus excidere, gentilium turba obsistebat, quæ suis exhortationibus non consentiens, tandem audacior de turba ait Si habes aliquam de Deo tuo (quem te dicis colere) fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborem, tu ruentem excipe, etsi tecum est Deus tuus, euades. Pollicetur se facturum confisus in domino Martinus, consentit gentilium turba libenter arboris patiens iacturam si inimicum sacrorum suorum casu illius obruisset. Statuitur ergo vir Dei eo loco vinctus, quo arborem casuram nemo dubitabat, succidunt arborem rustici cum lętitia. Ille autem confisus in domino, cum iam pinus sui fragorem edidisset, supra se iam iamque ruenti crucis signum opponit, statimque retroacta, in partem oppositam cadit, ita vt rusticos, qui tuto in loco steterant, penè prostrauerit. Quo miraculo totam illam multitudinem ad fidem conuertit. Cumque lib primo. cap. quarto in Gallinaria insula Arriana perfidia extra ciuitatem eiectus, radicibus vixit, venenatum elleborum sumpsit, sed veneni vim sentiens, mox oratione repulit, statimque eius dolor fugatus est.

Auiciani quoq; comitis vxor oleum diuersis infirmitatibus necessarium lib. quarto cap. tertio beato viro benedicendum in vase vitreo ventroso produ cto ore, ad cuius concauum oleum attigit, non repleuit, misisset ita ad Martini benedictionem oleum creuit in vitro, vt copiosè exundando deflueret, ac portantis pueri vestimenta operiret nec fluere cessabat donec matronæ prę sentaretur, quæ plenum vsque ad labrum recepit, vt pessulo quo claudendum erat, spacium in vitro non esset, sed & ipsum vitrum in fenestra collocatum, ac linteo opertum, familiaris puer ignarus ampullæ linteum attraxit, vas super pauimentum marmore constratum cecidit, sed ne Martini benedictio periret, illæsum permansit.

Bruta etiam animalia Martini virtutibus sunt subiecta. Senserunt siquidem eius imperia aues, bestiæ, reptilia, pisces.

Pergens siquidem vir sanctus ad Cõdacensem diocesim visitationis causa (in epistola Seueri ad Basulam) sanctos discipulos in comitatu habens

mergos in flumine conſpiciatur piſces continuis vrgere capturis, forma hæc inquit dęmonum eſt. Inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captos deuorant, ex ſaturari nequeunt deuoratis. Imperat denique vt relinquentes gurgitem, deſertas peterent regiones continuo omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, ſyluas, monteſque petierunt. Ipſo beato viro de Treueri reuertenti. lib. tertio cap. 10. furibundam vaccam homines impetentem ac confodientem quã dęmum agitabat habens obuiam, eleuata manu, conſiſtere iubet, quæ mox ad verbum illius ſtare cepit immobilis Cumque videret Martinus dorſo illius dęmonem præſidere. Deſcende inquit funeſte de pecude, innocentum animal, & agitare deſiſte. Paruit nequam ſpiritus, vaccaque ſe ſentiens liberatam, ante pedes viri ſancti recepta quiete proſternitur. Deinde iubente Martino gregem ſuum petit, & ei ſe oue placidior immiſcuit.

Dum iterum dioceſes circumit, leporem lato ſpacio victum dum à canibus iamiamque capiendus crebris flexibus mortem differret, liberauit ſolo verbi imperio, quo audito, canes quaſi affixi in ſuis hæſere veſtigiis. Dum quoque lib. 4. cap. quarto canis quidam importunior Gallum Saturninum, cęteroſque oblatraret, quidam eorum ait: In nomine Martini iubeo te obmuteſcere. Cani hæſit latratus in gutture, & quaſi abſciſſa lingua obmutuit. Serpens quoque littori, in quo ſteterat ſanctus, adnarabat lib. 4. cap. 12. In nomine, inquit, domini iubeo te recedere, mox ſe mala beſtia ad verbum ſancti retorſit, & in vlteriorem ripam tranſmeauit. Mirantibus diſcipulis, altius ingemiſcens ait: Serpentes me audiunt, & homines audire contemnunt. Paſchæ lib. quarto. cap. decimo tertio. proinde diebus piſcem edere conſuetus, cum neque diacono ſuo, ad quẽ miniſterii adminiſtratio pertinebat, neque cęteris piſcationibus captura ceſſiſſet, ad verbum ſancti in prima iactura in rete per modico, immanem piſcem diaconus extraxit, ac in monaſterium lętus portauit.

Homines nihilominus reſiſtere non poterant Martini virtutibus Martinus ſiquidem lib. 1. capitu. nono. tempore quodam iter agens, ruſticorum exercitum pagani cuiuſdam corpus ad ſepulchrum deferentem obuium excepit quo quingentorum fere paſſuum ſpacio remoto prophanos putabat ſacrificiorũm agi ritus. Conſuetudo ſiquidem Galliæ ruſticis erat, ſimulachra candido tecta velamine per agros circumferre. Eleuato ergo in aduerſum ſigno crucis, impetrat turbæ non mouere loco, onuſque deponere, protinus velut ſaxa riguerunt, & cum multo conamine ſe mouere niterentur, vltra accedere non valentes, in vertiginem rotabantur, donec victi corporis onus deponunt attoniti. Sed cum vir beatus comperiſſet exequiarum eſſe illam frequentiam, eleuata rurſum manu, dat abeundi tollendique corporis poteſtatem. Ita eos cum voluit ſtare, compulit, cum verò libuit, abire eos permiſit.

Martini virtutib. homines reſiſtere non potuerunt.

Auicianus inſuper comes libr. quarto. cap. quinto. ſęuiens Barbarica feritate? ingreſſus Thuronum ciuitatem, ſecum trahens miſerabiles catenatorum, ac diuerſis pęnis poſtera die perdendorum ordines: Quod vbi Martino compertum eſt, Paulo ante mediam noctem, prætorium illius adijt. Et cum fores obſeratæ eſſent; proſternitur ante limen. Interea Auicianus in ſomnis ab angelo grauiter percutitur, dicente: Seruus Dei ad tua limina iacet, & tu quieſcis. Ille verò lecto perturbatus excutitur, conuocat ſeruos: Martinum præ foribus eſſe clamat, ſibi reſerari iubet. Sed illi vix prima limina egreſſi, negant quenquam eſſe præ foribus, dominum ſuum ſomno illuſum putantes. Auicianus rurſum ſoluitur in ſoporem. Sed mox vi maiore cõcuſſus, exclamat Martinum ſtare præ foribus & ideò ſibi nullam quietem animi, corporiſque permitti, tardantibus

ſeruis

seruis ipse ad limina exteriora progreditur: ibi Martinum deprehendit: quid inquit mihi hoc domine fecisti? Nihil te loqui necesse est, scio quid desyderas, discede quantotius, ne me ira cęlestis, quam non leuiter sensi, consumat. Aduocat officiales omnes, iubet omnes custodias relaxari. Valentinianus imperator, lib. tertio. capi. sexto quem supra memoraui, qui omnem audientiam viro Dei interclusit, diuino correptus igne quæcunque voluit priusquam peteret, concessit, colloquio illum, atque conuiuio frequenter associauit, abeunti munera plurima obtulit, quæ tamen vir beatus, vt semper paupertatis suæ custos cuncta reiecit. Trāseo hic de plurimis, quorum Martinus nedum corpora, sed animos sua virtute superauit. De quibus inferius sermo erit.

Demones deuicit Martinus

Dęmones denique multipliciter deuicit, eijciendo ab obsessis corporibus, à phanis, & idolis confutando in formis varijs. Tetradii viri consularis seruus à dęmone corripitur, rogatus Martinus vt ei manum imponeret, iubet deduci ad se Sed cum ex cella deduci spiritus nequaquam posset, sęuiebat inquam, rabidis dentibus in ipsos aduenientes. Tetradius ad genua beati viri prouoluitur, rogans vt dęmonia cum adiret, quo negante se gentilis hominis domum adire posse. Spondet Tetradius se errorem gentilitatis relicturum si dęmon à puero fuisset depulsus. Mox aggreditur Martinus, dęmoniaco manum imponens, istum à vexatione diaboli illum ab errore paganitatis liberauit, ac prius catecumenum fecit, non longè postea baptizauit.

In domum quoque lib. 1. ca. decimo septimo cuiusdam patrisfamilias intraturus, cum dęmonem, quem horribilem in atrio vidit discedere mandaret, quendam e familia arripuit. Sęuire dentibus cępit miser, & obuios quoscunque laniare. Cunctis in fugam conuersis: Martinus se furenti obiecit, ac primum stare ei imperat. Sed cum dentibus fremeret hiantique ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit. Si habes inquit, aliquid potestatis? hos deuota. Cum verò quasi candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere. Cumque fugere de obsesso corpore cogeretur, nec per os eius exire licebat, fluxu ventris egressus est.

Dęmonem quoque libr. quarto cap. octauo. qui Auiciani crudelissimi ceruici insidebat, cuius instigatione immaniter insęuiebat, vir sanctus fugauit quo facto Auicianus mitior apparuit. Nonnunquam etiam libr. quarto cap. decimoseptimo energumeni ad eius cellulam pertracti, priusquam limen attingerent, sunt curati.

Martinus idolorū destructio.

Quis denique dinumerare posset, quot dęmonum aras, quot phana, quot templa idolorum euertit? De quibus vel hoc referam. In vico Auaciensi li. quarto cap. nono. idolum grandi opere constructum erat saxis politissimis quasi turris erectum. Huius destructionem cum Marcello presbytero mandasset, ille quoque tantam molem subuertere non valens: Martinus noctem totam in oratione peruigilat, mane orta tempestas, idolum vsque ad fundamentum prouoluit. Aliam quoque inexpugnabilem columnam libr. quarto, capit. decimo cui idolū superstabat, cum euertere non posset humana virtute, ad orationem suo more conuertitur & ecce parilis columna de cęlo ruens, totam illam fortissimam molem soluit in puluerem, vt cœli virtutes etiam visibiliter cernerentur Martino seruire.

Martinus dęmoniis terribilis.

Quid plura? lib. quarto cap. sexto adeo dęmoniis inualuit, vt dum pedem extra cellam (quæ duobus à ciuitate distabat miliaribus) ad ecclesiam iturus extulerat, per totam ecclesiam energumeni, & arreptitii rugitibus, & gemitibus nunciabant. Dum quoque diabolus lib. primo ca. vigesimoquinto. Anatolium iuuenem non sine sui culpa illuderet, tandem candida

splendentique veste,ad sui aliorumque monachorum illusionẽ operuisset, monachus quidem pariter vita,& nomine clarus, cum Anatolium ad beatum Martinum plurimum renitentem pertraheret, inter trahentiũ manus vestis disparuit, neque enim phantasiam suã in Martini oculis diabolus potuit diutius dissimulare. Diabolum denique se tentantem vir sanctus mirabiliter superauit. Siquidem ita subiectum oculis habebat dęmonem, vt siue se in propria substantia contineret, siue se in diuersas figuras transformaret lib. primo cap. vigesimoqxinto qualibet ab eo sub imagine videretur. Appetebat quippe virum Dei quinque blanditiis. Nam die quadam diabolus purpuratus, luce circumfulsus, regio diademate, auro gemmisque redimitus, calceis deauratis, sereno ore, facie lęta in cellula apparuit. Martino hebetato silentium tenente, ait dęmon: Agnosce Martine, quem cernis, Christus ego sum, descensurus ad terrã, prius me tibi manifestare volui. Martino adhuc tacente, addidit: Quid dubitas credere, cum videas? Christus ego sum. Tunc ille, reuelante spiritu, non hunc Deum, sed diabolum esse intelligens. Non se inquit dominus Iesus purpuratum, aut diadema te renitentem venturum prædixit. Ego Christum nisi in eo habitu formaque, qua passus est, nisi crucis stigmata perferentem venisse, non credam. Ad hãc vocem ille confusus vt fumus euanuit, tantoque fetore cellulam repleuit, vt non dubia indicia relinqueret diabolum se fuisse.

Quandoq; nimis eum aggreditur, habuit siquidem hunc vir sanctus obuium dum matrem conuertere properabat, qui viro Dei quocũque pergeret comitẽ se esse spopondit. Alcuinus etiã lib. 1. ca. 4. Cui intrepidus respondit: Dominus mihi adiutor, non timebo minas tuas. Cũq; terrore insidiabatur, vt in extremis &c. quem superarẽ nõ posset, sępius conuitijs etiam audientibus fratribus arguebat, sed omnia vana,& falsa cognoscens, nihil mouebatur, vt habetur lib. 5. cap. quinto.

Quid mirum si dęmones obedire coegit, cui & sancti angeli, cęlorumq; ciues famulando obtemperabant? Nam sanctos angelos plerumque vidit familiariter visitantes colloquebantur libro 1. cap. 24. id etiam sentientibus discipulis. Sed & à Virgine matre, Agnete, & Tecla visitatus est, frequenterque à beatis apostolis Petro, & Paulo audientibus Sulpitio, & Gallo vocum murmura. *Martino angeli obediuere.*

Astiterunt denique angeli sibi famulantes in templorum destructionibus, compescentes hastati, & scutati ad instar cęlestis militiæ, prohibentes rusticos, qui etiam viso miraculo, ad fidem penè omnes conuersi sunt. Protegebãt insuper ne lęderent lib. 1. cap. 14. Cuidam siquidem gentili cum gladio impetenti in templi destructione laborantem, in ipso ictu ferrum de manib[us] eius excussum est. Et iterum libr. primo cap. 13. cum alius in pago E duorum stricto eum gladio peteret, nudam ceruicem relicto pallio percussuro opposuit. Sed cum dexteram altius extulisset resupinus ruit, consternatusq; veniam precatur. Læsum quoq; grauiter virum Dei ex casu, quo deuolutus erat de cenaculo,& penè exanimem in cella iacẽtem, ipsa nocte angelus sacra membra vngens, perfectè ei restituit sanitatẽ. Futura nunciabat & quæ longè ante facta fuerant. s. in Cõcilio Nemausino absenti, angelus nunciabat l. 13 cã. 15. Nihil reuera incredibile, angelos Dẽi sibi frequẽter sociatos, cũ (scriptura testt Eccl. 13.) natura omne ens sibi simile diligit, quippe q in terris angelica puritate niteret, angeli in vita, & in morte sedulis eum frequentarunt officiis. *Martin[us] futura nunciauit.*

Quis demũq; narrare sufficit quantũ illi infirmitates mors atq; vita paruerint? Curationũ nanq; tanta in eo gratia erat vt nullus ferè ægrotus eum accederet, qui nõ cõtinuo sanitatẽ reciperet. Quod ex subiectis patet miraculis. Nam in Treueri li. 2. ca. 15. puellã totis paralysi resolutis mẽbris sacri olei infusione astãte populo sanauit. In oppido

do quoq; Carnoti li.4 ca 2. duodennis puellę ab vtero mutæ, olei benedicti vnctione linguam soluit.

Leprosum lib 1.ca. 19. horridum in ciuitatis Parrhysiensis porta, osculo, ac benedictione mundauit.

Paulini oculum sanauit a dolore lib.1. ca.21. & crassa nube, cum eum penulo tegisset. Euancius Seueri auunculus in extremo mortis periculo constitutus lib.3.c.3. Martinum euocauit, quo properante, priusquam viæ medietatem transisset, recepta sanitate venientibus obuiam processit.

Cuius puerum lætali vulnere a serpente percussum, iam tumefactum, iam exanimem per singula membra pertractans, per idem vulnus, quo serpens virus infudit, ex omni parte infusum venenum euocauit, & sic puerum continuo surgentem sanauit.

Liconcii domum li.4. ca. 18. totam ęgritudine infectam, absens septem dierum oratione, atq; ieiunio ab omni infirmitate liberauit.

Tres quoq; mortuos suscitauit.

Martini tres mortua susci tauit.

Primum quem in monasterio apud Pictauiam iam cathecumenum sacris instituit disciplinis, eo quippe absente, nondum baptizatus expirauit.li.1. c.5.

Veniente Martino cum luctu, & oratione super corpus se expandens, suscitauit, baptizauit, per multos annos postea victurum. Solitus erat hic dicere, ꝙ exutus corpore, ad tribunal iudicis ductus fuerit, vbi cùm tristem excepisset sententiam, obscuris eum locis deputantem, duos vidit angelos iudici suggerentes, hunc esse, pro quo Martinus oraret. Itaq; per eosdem se iussum reduci, & Martino reddi, vitæq; pristinę restitui.

Alterum Lupicini viri honorati secundum seculum seruum lib.1.ca.5. qui laqueo sibi vitam extorserat, prostratus super defuncti corpus oratione suscitauit.

Tertium verò in campo oppidi Carnoti. Nam cum ibi coram magna gentilium multitudine prædicaret, mulier quædam pro vnici filii defuncti (quem viro sancto protensis manibus obtulit) vita rogauit. Vir Dei propter circumstantium salutem, arrepto corpusculo, flexis genibus omnibus coram positis, viuificatum reddidit matri suæ. Quo viso miraculo, omnes ad Christi fidem sunt conuersi.

Quid plura? Martini fimbriæ lib. 1. ca.19. ciliciorum fila stramina, in quibus cubuerat, missę epistolę sanandis egris profuerunt. Siquidem mulier quędam li.4.c.11.a sanguinis profluuio liberata est, dum sancti viri vestem contigisset. Martini uestis miraculosa.

Stamina quoq; de strato viri Dei sublato (li.3 c.8.) virgo quędam in energuminis collo suspenso a vexatione dęmonis liberauit.

Arborii præfecti filia (li.1 c.20.) attactu epistolæ viri sancti a grauissimis febribus quartanis subitò liberata est, propter quod puellam pater perpetuæ virginitati dedicauit. Quid multa? nulla est infirmitas quæ non Martini cedat imperio, propter quod rectè de eo canit ecclesia: O per omnia laudabilem virum, cuius meritis ab omni clade &c.

Verè per omnia laudabilis vir, per quem vnum impleta scimus, quæ per singulos alios sanctos diuersa sunt esse cta. Hunc ergo nostrum patronum semper veneremur, semper miremur, continuas ad eum in omnibus necessitatibus præces porrigamus, tantæ potentiæ virum in terris adhuc ambulantem quantæ nunc æstimamus in cœlo triumphantem? Siquid in isto, uel in illo mirabile venerandumq; prædicatur, quantis hic laudibus attollendus est, quantũ admirabilis, in quo tot omnium congestę sunt virtutes? Recteq; illius virtutum potentia admirantes alterutrum dicemus: Ecce vir. Et tantum de primo diuisionis membro, quo claudendus est præsens sermo, in crastinum sequentibus reseruatis.

## SERMO II. DE EODEM in ordine. XLIII.

ECCE vir oriens nomen eius Zachariæ.6.

Martin° quomodo oriés dicatur cum hoc Christo côueniat

Verba ista de Christo secundũ allegoriam à propheta principaliter dicta,& de beato Martino in eius præconio thematizaliter sunt assumpta. Christus siquidem verus est oriens, de quo alius eiusdem nominis propheta,pater .s. Baptistæ ait Luc. 1. Visitauit nos oriens ex alto. Solet autem id quod capitis est nõ nũquam secundũ scripturæ consuetudiné,& mébris attribui.Christus caput est ecclesię:Martinus insigne eius membrum, sicut & ceteri sancti. Oriens est caput,oriens est & membrũ. In oriente primum astra lumen diffundunt terrã collustrãdo, nedum sol, sed & stellæ. Christus est sol iustitiæ,qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioa. 1. Stellæ sancti sunt, qui per lumen, quod à sole recipiũt,suis vita,& exemplis terrenas mé tes illuminant ad iustitiã. Dan.12.Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebũt quasi stellę ad perpetuas æternitates. Dominus itaq; Christus postquam ad alta polorum ascendit, & in maiestate paterna Deus consedit, multa seculis doctorum lumina concessit, quatenus ignorantiæ tenebris effugatis ad verũ lumen cognoscendum gentes vbique conuerteréťur,beatissimum Martinum de orientali Sabariæ Pannoniorum oppido progenitum Gallię direxit in partes,vt Alcuinus ait,vt populos tetra caliginæ torpétes luce veritatis vt oriés ex alto irradiaret, plurimas de antiqui hostis faucibus extraheret gentes, & sacratissimo Christi insereret corpori. Tandem virili peracto triumpho ad se verum orientem assumpsit cum gloria. Recte igitur sicut capiti Christo,ita & membro eius Martino dici potest. Ecce vir, oriens nomen eius. De quibus vt aliquid dignè dicatur pro gratia Aue Maria.

Ecce vir oriens &c. Audistis heri de primo eorum quæ his verbis in beato viro consyderanda signantur, viri .s. beatissimi insolita admiratione,qua in signis in portentis totus admirabilis fuit.Nunc verò restat de aliis duobus sermonem contexere .s. perseueranti fortitudine, qua viriliter vitia fateat non minus,quam virtutes in finé quousq; cumulauit,in quo vt verum fatear non minus, quam ex signorum potentia est admirandus, magis autem imitandus ex finali consummatione qua sublimiter cęlo est euectus. Primum tã gitur in verbo,vir, sed secundum refer uatur sermonibus futuris. Solet nanq; ait Grego. 28. moral. scriptura viros vocare qui vias domini fortibus, & nõ dissolutis gressibus, sequuntur vnde Prouerb. sapiens ait: O viri ad vos clamito, acsi aperte diceret, ego non fęminis, sed viris loquor, quia hi qui fluxa mente sunt, verba mea percipere nequaquam possunt. Reuera vir fuit Martinus noster,qui virilibus gressibus per virtutum vias indeclinabiliter ad Deũ ambulabat, vtroque pede, cognitione scilicet & affectione. Sunt siquidem septem virtutes, quibus ascenditur in Deum, quatuor morales,quibus homo bene ordinatur ad creaturam scilicet prudentia,temperantia,fortitudo,iustitia. Iustitia in subueniendo miseris. Fortitudo in perferendis molestiis.Prudentia in præcauendis insidiis. Temperantia in coercendis delectationibus prauis. De quibus Sap. 8 .dicitur: Sobrietatem, & sapientiam,docet, & iustitiam, & virtutem: quibus in vita nihil vtilius est hominibus, per sobrietatem temperantia, per sapientiam prudentia, per virtutem intelligitur fortitudo. Quibus adduntur tres theologicæ,per quas rectè homo disponitur ad Deum. Hæ sunt fides, spes, charitas. De quibus. 1. Corinth. 13. dicit apostolus. Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, maior horum charitas. Hos ascensus virtutum Salomon figurauit dum thronum ædificauit eburneum sex gradus habentem 3.Reg. 10.

10. Sex gradus sex sunt virtutes, quibus ascēditur ad thronum, in quo quiescit verus Salomon rex pacificus Deus. Charitatem quippe non gradum singularem ponit, quia sine charitate nulla virtus est ascensus ad Deum, sed omnes virtutes charitas format, vt gradus in Deum esse possint. Quia ergo charitas est in omnibus gradibus, non separatum facit gradum. Vel etiam sex sunt gradus idest sex virtutes, quibus ascenditur ad thronum. Charitas autem, quæ septima virtus est, non gradus ad thronus, sed sedile in throno est, cui insidet rex pacificus. Quippe charitas ea est, quæ nos Deo iungit, per quam Deus mentes hominum inhabitat, & eas thronum, & habitaculum Dei facit: Sola quippe in charitate non in aliis donis datur nobis inhabitator spiritussanctus. Roma. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, immo tota trinitas inhabitat, vt dicitur Ioan. decimo quarto. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ecce apud diligentem Deus trinitas thronum suum collocat. Harum virtutum duæ, intellectus pedem habilitant, fides, & prudentia. Reliquę quinque pedem affectus rectificant ne declinet. Hoc itaque ascendendum erit ordine, vt præcedat intellectus, quasi oculus, sequatur feruens affectus. Primum nanque est vt intellectus recta fide illumine tur quo ad finem omnium Deum, & per prudentiam, quæ rerum exitus metitur, in agendis dirigatur, quo ad seipsum, & proximum. Deinde appetitus rectè disponatur, quo ad se respectu primo concupiscibilium, honoris, scilicet & delectationis per pęnitentiam, respectu secundo concupiscibilium idest vtilium per fortitudinem. Quo ad proximum per iustitiam, ex quorum exercitio assurgat ad Deum per spem, quæ est desyderium æternæ beatitudinis ex meritis proueniens, vt habetur 3. sentent. 24. Inhæreat Deo per amorem, qui est consummatio virtutum.

Vt in hac vita ascēdere possimus, patronum nostrum & intueamur, & imitemur. Ipse siquidem vt vir viriliter in his virtutum gradibus ambulauit. Fide nanque Christi intellectum imbuit in tenera adhuc constitutus ætate. Nam vt Alcuinus ait lib. 1. cap. 1. Vir beatissimus paganis parentibus in regione Pannonię, Sabariæ oppido genitus, in Italia verò Papiæ nutritus. Cum esset annorum decem inuitis parentibus ad ecclesiam confugit, seque cachecumenum fieri postulauit, animusque eius circa ecclesiam ad monasteria semper intentus adhuc in puerili ætate meditabatur: quod post deuotius impleuit. Crescente denique corpore creuit fides, nec intra cordis angustias contentus, ore sanctæ trinitatis fidem confessus, immo nunquam in eius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Contra Arianos libro. 1. cap. 26. licet multipliciter persecutus, fidem tamen trinitatis nedum voce, sed & scripto defensauit. Nam & de sancta trinitate librum composuit, verbis quidem compendiosum, sententia profundum. Quantos verò hic populos sua prædicatione ad fidem conuertit quis dinumeret? cum ante ipsum pauci admodum in ista regione Galliæ Christi nomen receperūt, quod adeo fidei illius exemplis conualuit, vt adhuc eo viuente nullus relinqueretur locus, quo non ecclesijs frequentissimis aut monasterijs fuisset repletus. Nam vbi phana destruxerant, statim ibi aut monasteria, aut ecclesias construebat.

Fides fuit in beato Martino

Quid de eius scientia intellectus claritate, aut prudentia referam? de quo Seuerus vir clarissimus lib. 1. capitu. vigesimosexto. ita ait: Iesum testor spemque communem, me ex nullius vnquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam boni, & tam puri sermonis audisse, ita quod mirum est homini illiterato ne hanc quidem gratiam de-

fuisse. Probat idem philosophiæ spiritus, quo claruit, discretionisque virtus, quo & omnia callidissimi ( vt supra memoratum est ) fraudes nouerat, & commenta. Et illud quod libro. 1. cap. quarto refertur de altari, in quo latro sepultus à populo honorabatur.

Martin' ambulauit pede affectionis p affectiuas virtutes.

Ambulauit deinde altero pede affectionis per affectiuas virtutes viriliter. Quarum prima est temperantia, qua homo bene afficitur quo ad se circa cõcupiscibilia propter seipsa quę & primo concupiscibilia dicuntur. Hæc secundum Aristo. in Ethic. lib. 2. ca. 3. sunt honor, siue bonum honestum, & bonum delectabile. Ambulauit circa honores per gressus humilitatis. Adeo siquidem in iuuenilibus annis mundi gloriam fugit vt non nisi raptus vinculis compelleretur, cum iam. 15. esset annorum militatem statum assumeret. Sic tamen primo ( lib. 1. ca. 1. ) sub Constantino, deinde sub Iuliano imperatoribus militauit, vt simplici veste vno seruo contentus, cui tamen ipse seruiebat, adeo vt plerumque calceos detraheret, & tergeret, cibum vna capiens sępius ministrabat, deinde omnem mundi pompam renuncians, Deo in humilitate studuit militare. libr. 1. cap. 4. vbi cum beato Hilario adhæsisset, ordinem diaconatus, quem ille sibi imponere nitebatur, refugit, dicens se indignum, exorcistam se passus est ordinari. Qui procedente tempore. Cum à Thuronensibus in Episcopum peteretur, extra monasterium erui non poterat donec Turicius vxoris languore simulatæ. lib. 1. cap. vigesimoseptimo. ad pedes eius volueretur, & vt exiret, obtineret. Quo exeunte à turbis custoditur, magisque in episcopatum rapitur, quam postuletur. Eadem tamen in corde eius humilitas, eadem in vestitu vilitas erat, ita episcopi implebat dignitatem, vt propositum monachi, virtutemque non desereret. Refert de seipso Seuerus lib. 1. ca. vigesimosexto. quanta humilitate à patre sancto susceptus est, cum ad eum visitandum fama fidei, & virtutum eum allexerat, siquidem eum conuiuio suo asciuit, manibus aquam obtulit, ad vesperam pedes abluit, nec frustra renitebatur, ne sublimaretur. Nouit planè tutiorem esse paruitatem humilitatis quam sublimitatis dignitatem. Puluis siquidem quantò erigitur, tantò spargitur, & fumus cum magis extollitur, amplius annullatur: ait Cyrillus libro secundo apologiæ.

Hinc testatus est vir sanctus libro tertio capitulo quinto, nequaquam in episcopatu sibi tantum virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset. Siquidem duos mortuos ante episcopatum, vnum tantum in episcopatu suscitauit, quæ vtinam attenderent indignissimi homines, summos prælaturarum apices improbe ascendentes.

Martini castitas qualis.

Quantum verò ad bona delectabilia carnis, maximè castitate, & abstinentia se temperauit. Nam adhuc in armis militans, integer ab his vitiis fuit, quibus illud hominum genus implicari solet. Tantæ fuit vir castitatis vt in libr. quarto. cap. 19. cum fratrum quidam ad fornaculam suam se calefacturus se plus licito nudasset, vt sanctus fornaculæ sensit iniuriam, clamãs voce magna: Quis nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Confusus frater, aufugiens, cęteris fratribus & pudorem suum, & Martini virtutem confessus est. Dum dęmones aliquando energumenis sublatis in sublimi pedibus quasi de nube suspenderent prohibere compulsi sunt defluxum vestium, ne faceret verecundiam viro Dei castissimo nudata pars corporum lib. quarto cap. sexto. Ipsum denique vt ait Seuerus ad Basulam, virginitatis bonore non fraudatum, declarat iam exanimis candor corporis, & q in artubus eius, non vtique pudendis septennis quodammodo pueri gratia videbatur.

Sobrietatem verò eius, & abstinentiam quis enumeret? nec fragilitatem eius laudare necesse est. libr. primo.

cap. primo qua etiam tempore suæ militiæ ita vsus est, vt non miles, sed monachus putaretur. Episcopus verò factus cum propter hominum frequentiam cellulam à ciuitate per duo millia distantem construxisset, discipuli octoginta sibi adhæserunt. libr. I. cap. septimo, qui ad exemplum boni magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habuit, non emere, aut vendere licuit. Ars ibi (exceptis scriptionibus) nulla habebatur, cui tamen operi iuniores deputabantur, maiores orationi vacabant, cibum vnum omnes post horam ieiunii sumebant, vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. Sed nec carnes gustabant, quin dumtaxat in paschate pisces manducare solebant. Vnde satis elicitur solis leguminibus contentum fuisse.

Martini festum à nobis p[ro]fanatur.

Sed si tanta abstinentia domino beatus Martinus famulabatur, quid est, quod tanta ingluuię, & luxu profestum eius ducitur, vt qui pene per totum anni spacium sobriè viuant, in Martini festo nisi inebrientur, festiuare se non putant? O misera hominum insania, velle honorare sanctos crapulis, qui Deo placuere ieiuniis. Certè ille sanctos honorat, qui eorum vestigia imitatur. An fortè quia largus fuerat, vel. sic eum imitari putatis? Sed ò fatuitas. certè non ad se, sed ad alterum exercetur largitas. Quippe sibi parcus erat, pauperibus liberalis. Rectè ageretis si quæ gulosè deuoratis pauperibus ob sancti honorem erogaretis.

Sed vanã excusationem prætenditis, dicentes: Sic ad nos progenitorum inoleuit consuetudo, patres nostri sapientiores nobis fuerunt. O callida excusatio in peccatis, sic enim peruersi estis, vt in solis criminibus patrum vitia insectemini.

Cur non patrum virtutes degeneres sequimini? Nonne & ipsi diem hunc festiuum instituerunt? Vos autem mercibus vestris publicè expositis, plus die feriata vacatis. Sed væ his qui Martini gaudent patrocinio, & hæc in Martini ædibus patiuntur &c. Sed quoniam falsò à patribus vestris hanc putatis introductam consuetudinem, verius abusionem: Dicam vobis vnde orta sit. Scribit Gregorius episcopus Thuronensis in epistola ad Archadium, & Honorium de transitu beati Martini, & altercatione Pictauiensium, & Thuroneum. &c. Pictaui omnes somnolenti, & fortassis ebriosi, perdiderunt Martini corpus &c.

Vel quia diabolus sicut in vita sancto insidiabatur, ita iam gloriæ beati inuidebat, videns quia per deuotam festiuitatis beati Martini celebritatem, plurima præstabantur corporibus, animabusque beneficia. Hac via, & arte deuotam eius celebritatem impedire nisus est. Sicut prohdolor in multis perfecit.

Ecce eos imitamini, quasi patres, qui sua somnolentia corpus viri perdiderunt. Aut diabolo obeditis, qui sancto contrarius semper fuit. Nonne vobis sic paternos mores allegantibus, rectè posset dici hoc verbum Christi Ioa. octauo. Vos ex patre diabolo estis, cuius opera indesinenter perficitis? Si ergo patrem gloriamini habere Martinum, & patronum, non diaboli, sed Martini, perficere opera satagiter.

Ambulauit vir noster in gressibus fortitudinis. Nam viriliter contra Arrianos pugnauit, ab eis multas passus iniurias, minime cessit. Publicè nanque in terra Illiricum cesus est, virgis de ciuitate quoque expulsus, missus est exilium in insula Gallinaria ab Auxentio prencipe Arrianorum, percussus insuper grauiter à rusticis libr. quarto capitulo. quarto sępe conuitiis affectus patientissimus fuit, ita vt cum summus sacerdos esset, impune ab infimis lęderetur. Vnde ad Aurelium diaconum scribit Seuerus. Impleuit sine cruore martirium Nam quas humanorum dolorum non pertulit passiones, fame, vigilijs, nuditate, ieiunijs, opprobrijs, inuidorum

Martin[us] q[uo]mo ambulauit in gradibus fortitudinis.

rum, insectationibus impiorum, cura pro infirmantibus, solicitudine pro periclitantibus, quo enim dolente ille non doluit, quo scandalizante non est vstus? li. 1.ca.26. quo pereunte non gemuit? Et inter hæc omnia nemo vnquam illum vidit iratum, nemo mœrẽtem, nemo ridentem, vnus, atq; idẽ semper cęlestem quodammodo lætitiã præferens extra naturam hominum videbatur.

Quantum autem in iustitiæ semitis ascenderit vsque ad supremam eius speciem misericordiam scilicet, quæ iudicium superexaltat, quis dicere sufficit? Parum est, ꝙ pauperibus quæcunq; habere poterat temporalis substantiæ, erogauit, vsq: ad habitus proprii nedũ detruncatione (quod sępius fecit) sed expoliationem, quod in episcopatu eũ fecisse certum est. Seipsum persecutoribus suis tradidit. Largiter siquidem flebat pro his, qui sibi absenti detrahebant. Hæc, quia nota sunt, transeo.

Ascendit per hæc ad spem, quæ ex meritis oritur. Quę quanta in eo fuerit ad Deum, in cunctis periculis patet, quia inermem se offert coram Iuliano hostium cuneos penetraturum, pro quo vincitur in ciuitate Vangionum, idest Vuormacia, vt habetur in principio secundi li. Eccl. Spes Martini mirabilis.

Securum se inter latrones cõfitetur. Ac iam moriens magna cũ fiducia præsentem diabolum confutauit, dicens. Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies: Abraæ me sinus recipiet. Ascendit deniq; ad charitatis perfectionem, quæ quanta fuit, cum homines edicere non possent. li.3.ca.2. dominus ipso globo igneo super caput eius viso, dum missarum celebraret solennia, declarauit, in quo visibiliter sicut apostoli in linguis igneis, ita ille igneo plobo spiritumsanctum monstratur recepisse, propter quod & compar apostolis prædicatur.

Tantum ad proximos charitate accensus fuit, vt cum intensissimè Deo beatificè vniri desyderaret, misertus tamen discipulis, contentus est a sua beatitudine propter discipulorum profectum ad tempus suspendi, dicens: Domine si adhuc po.t.sum necessarius, no. r. l. s. v. t. Ecce breuissimè virum nostrum Martinum, qui viriliter pugnando virtutum gradus percurrit, quem diligenter imitemur. Omnibus enim imitandus est, quonia ipse est forma militum, exemplum iuuenum, clericorum regula, institutio monachorum, speculum episcoporum. In eo omnis probitatis magisteria sunt expressa. Tãtum de secundo. De cæteris patebit sermone.3.4.& 5.

## *IN FESTO SANCTI Martini episcopi: Ser. III. in ordine XLIII.*

BEATI pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum Mat. 5.

Sacra nobis hæc hodierna solennitas cum summa dilectissimi reuerentia est excludenda, in qua dominus, noster, & patronus beatissimus sacerdotum Martinus paupertatem suam, quam in præsentis vitæ suæ exilio, corpore, & spiritu propter eum, qui pro nobis pauper factus est excoluit, in summas cęlestis gloriæ diuitias fęliciter commutauit hodie dilectorem suum Christus dominus noster, cuius sicut nõ cordi, ita nec aliquando ori absuit, de præsenti seculo nequam eripuit, & pauper tatis suæ, ac laborum bonorum fructu glorioso deducentibus, & concinentibus angelis in cœlestibus coronauit. Martini paupertas qualis.

Gaudete charissimi, & congratulamini in hac sua festiuitate venerabiliter amplectenda. Sua dicam an nostra? sed verius & sua & nostra. Sua quidẽ, quia nedum humanis hodie, sed angelorum omniumq; cęlestium ciuium laudibus honoratur. Cur non venerarentur eum iam suum conciuem? iam in diuitias gloriæ Dei sublimatum quem adhuc desyderata paupertate modicũ cęlestis curiæ nedum ciues, sed imperatrix, & princeps cœlum paululum dimisso

missio frequenter & laudabiliter visitarunt, cuius ipse testimonium discipulorum constrictus sacramentis perhibuit, prout Seuerus, & Gallus illi miraculo præsentes in libro dialogorum. 2.c.14. contestantur. O verè beata paupertas tantorum cęli reginæ, & principũ con solatione honorata, nostra quoque est hæc festiuitas, quoniã potentiora adiu toria, ac dona vberiora nobis in ea col lata nouimus, & concessa, an paruipen dendum est donum, quo hodie conspectui iudicis perpetuè assistere iussus est, semper exaudiendus aduocatus? Qui licet in toto orbe nominatus, noster tamen specialiter est patronus. Hinc ta libus eum beatus Ansel. verbis in suis meditationibus alloquitur. Cur es do mine per orbem ab omnibus vocatus, nisi vt omnium rogantium sit aduocatus? Ad quid sonat in ore omnium: Do minus meus sanctus Martinus, domin⁹ meus sanctus Martinus, nisi vt dicere possint: Adiutor meus sanctus Martinus, adiutor meus sanctus Martinus, vt quid est nomẽ tuum vbiq; diffusum? vt mundo sit aliquod magnum bonum infusum. Et in quodam sermone ad po pulum Thuronen. Magna nobis charissi mi consolatio, dum tam magnum patronum datum consyderamus, sed negligentiæ corporis, & ignauiæ nostræ pertimescimus talentum magnum, & inæstimabile sacramentum nobis, in ip so concessum est, quod veraciter apud idoneos proficere potest, ad negligentias deperire non potest. Nequaquam ergo ab eius laudibus cessemus, atq; inuocationibus, quoniam laudationis tempus opportunum aduenit transiit illa eius cõmendabilis paupertas, adest diuitiarum æternitas, in qua laudum titulis securè præconizatur, quas vtiq; immarcessibiles diuitias paupertatis inedia genuit. Ideo rectè eas dominus beatas dixit per thematis verbulum, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. De quibus &c. Pro gratia Aue Maria.

Martin⁹ triplici

Beati pauperes &c. Quamuis verbũ illud a domino ad omnes perfectę paupertatis amatores dictũ noscitur, propter singularem tamen paupertatis emi nentiam, qua beatissimus patronus noster marcebat carne, pinguescebat spi ritu, singulariter ei conueniunt. Vnde & de ipso ecclesia canit, & sunt verba Seueri ad Basulam. Martinus hic pauper, & modicus cœlum diues ingreditur, pauper rebus, spiritu modicus.

paupertate præditus.

Notantur ergo ad beatissimi patroni nostri commendationem duo in dictis verbis, videlicet viæ securitas, per quam processit in paupertate, atq; præmii immensitas, ad quod accessit in re gni cęlorum possessione. De his duobus breuissime aliquid dicẽdum. Quã tum ad primum: In paupertate notatur securitas viæ. Quid enim viatori securius paupertate? sicut Boet. ait 2. de conso. prosa 5. Tu qui nunc contum, gladiumq; pertimẽscis, si vitæ huius cal lem vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. Siquidem qui perfectę paupertatis cultor est, omnes in via insidiantes exarmauit. Et quę est vera paupertatis beatitudo? Hanc puto, qua delectabiliter propter Deum spernitur, quicquid est sub Deo. Qualem affectus fuit, qui ait: Quid enim mihi est in cęlo, & a te quid volui super terram? Quomodo enim impugnabit mundus, qui temporales diuitias, & omnes mun di concupiscentias abnegauit? Quomodo caro vincet, quem carnis amaricant delitiæ? Quomodo aduersabitur diabolus, cui inimica est omnis elatio spiritus? Hanc autem paupertatem quo modo perfectè ab ineunte ętate custodiuit sanctissimus patronus noster domino Martinus, quamuis pertinens esset exponere, quia tamen aliquantulũ in prioribus meis sermonibus tactum memoror, ideo nunc de ea sola, quæ in eius transitu reluxit, quæ regnum, cę lorum iamiamq; administrauit modica referam.

Historiam autem transitus eius pro ut Seuerus refert in epistola ad Basulã, & Greg. Episcopus Thuronensis ad Archadium, & Honorium, quia auditu dulcis & doctrina noscitur moralem di sci-

Historia transitus B. Martini.

sciplinam moriendi cunctis fidelibus administrans plane recitabo. Beatissimus itaq; Martinus longęua ætate meritis,& virtutibus plenus, cum tempus appropinquasset, quo domino fidelem seruum, & prudentem supra multa constituere,& in gaudium domini introducere placuit, obitum suum longè ante pręsciuit,fratribus suiq; corporis dissolutionem imminere prædixit &c. sicut habetur in epistola Seueri &c. Cũ hac ergo voce.81.ætatis suæ anno.Episcopatus autem 26.apud Condacensem diocesis suæ vicum excedens a seculo, spiritum diuinis opibus plenum, cęlo reddidit laureandum. Quantus putatis mæror,quantus dolor,quanta tristitia pia perculit corda de tanti patris abscessu? De quo & Seuerus ad Balulã ita scribit, & canit ecclesia. O quantus luctus omnium, quanta præcipuè merentium lamenta monachorum, qui eo die fere ad duo milia conuenisse dicuntur, qui omnes exemplo, & institutione sancti viri domini seruitio se manciparunt, quoniam & si fides flere prohibuit, gemitum tamen extorserat affectus. Et ante tam erat sancta de illius gloria exultatio, quam pia de morte confusio. Ideo & si congratulandum est gaudentibus, ignoscendum tamen erat flentibus,quoniam pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinũ, dum vnusquisq; & sibi præstet,vt doleat, & illi debet,& gaudeat.

Vultis audire, quam tristia vnus e discipulis protulerit dolentium more verba. Me miserum, me infælicem inquit, in quo mihi post hæc homine similis requies? In cuius erit charitate solatium? Potero ne vnquam, si diutius vixero, non dolere, q̃ Martini superstes sum? Erit post hæc vita iucunda? erit dies, & hora sine lachrymis? Potero vnquam illius mentionem habere sine lachrymis? Fluunt nanq; lachrymæ, immo de pectore gemitus erumpunt, nec vllum impatientissimi doloris admitto solatium, quamquam sciã virum illum nõ esse lugendum,cui post euictum, triumphatumq; seculum,nũc demum reddita est corona iustitiæ Sed tamen ego non possum mihi imperare quin doleam. Pręmisi quidem patronum,sed solatium vitæ præsentis amisi. Hæc de se Seuerus ad Aurelium.

Quomodo autem corpus illud sanctissimum in medio Pictauorum, ac Thuronensium pro eo concertantium positum, a Thronenensibus tandem ablatum, ac terræ commendatum fuerit, pro breuitatis gratia nunc silebo.

Placet nunc charissimi animaduertere,quomodo vir sanctus paupertatẽ, quam a puero dilexerat, in finem vsq; professus demonstrabat elucescet hinc pulcherrimę morum regulæ si libuerit imitari. Aduertite,rogo,summam tẽporalium rerum in archiepiscopo inopiam, cui nec vilia fuerunt stramenta, cui p̃ lecto eburneo cinis,& terra,pro plumis humus dura, saccus cilicinus pro sericiis,pictisq; tapetiis Quid dicemus ad hoc fratres charissimi, nos vtiq;, qui seruos nos esse Martini, & in officio successores tota die gloriamur? Martin' semper pauper.

Nũquid erit seruus dominus,aut discipulus super magistrum? Verè sufficit discipulo (ait veritatis magister) si fuerit,sicut magister suus, & seruus vt dominus suus. Mat.10. Pudorosum valde est seruo effluere diuitiis, verbi dominus tanta paupertate gloriatur. Quid,putatis,audituri sumus, dum diuino tribunali astabimus, ac quærenti qui simus?nos Martinianos fatebimur. Num timetis dicet iudex, si ad Martinum pertinetis, si suæ ecclesiæ præfuistis, si suarum ciuitatum,aut terrarum incolæ fuistis,quid sibi vult tamlongus famulorum ordo, quid tampomposa vestium varietas,& multitudo, quid tam superbus vniuersę suppellectilis apparatus &c.quid tantus auri,& argenti thesaurus? Hæc omnia & si dominus vester Martinus habere potuit, tanquam terreni regni soboles, nihil sibi exhibuit, sed omnia,quæ habere potuit,in pauperum necessitates ipse omnibus pauperior erogauit, verum non Martiniani, sed magis estis Luciferiani,cuius superbiam tantò cultu imitamini, ipse enim

est

est rex super omnes filios superbiæ. Iob. 21. Caueat reuera, necesse est, quoniam argentum eorum, & aurum eorum non valet liberare eos in die furoris domini. Ezech. 7. & cætera terribilia, quæ sequuntur ibi.

Paupertas Martini in corpore.

Paupertatem deniq; corporis eius quis satis æstimare poterit, cui nedum omnes delicias negauit, verum instante resolutionis tempore quiescere non cōcessit, sed nec in extrema infirmitate pepercit? Presciens nanq; suam resolutionem, atq; Condacensis cleri intestinā discordiam, cupiens pacem reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ob huiusmodi causam non negauit. Bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans si pacem ecclesiæ redditam reliquisset. Agonizans tandem, nec tantū corpusculo solatium admisit, vt vel in alteram partem volueretur. Confundātur hoc merito delicati iuuenes, confundātur & voluptuosi decrepiti, & senes, qui si quantulacunq; modica corporis afficiuntur discrasia, primum spiritum relaxant, omnia diuina officia, & seruitia postponunt; nulla de animæ valitudine est quæstio, dummodo corporis curam in concupiscentiis agere possint contra apostoli prohibitionem. Rom. 13. Vtinam cum patrono nostro attenderent illud Gal. 6. Bonum facientes non deficiamus, dum tempus habemus, operemur bonum, & illud Eccl. 9. Quæcunq; potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quid verò de paupertate spiritus dicere possum, quam moriendo exhibuit, dum nedum se terram, & cinerem per profundam humimilitatem iam cęlo inferendus professus est? dum non nisi in terra, & cinere mori elegit? sed quod perfectius est per integerrimam obedientiam Christo exhibitam etiā spirituales delitias, & gaudia paruipendit.

O veræ perfectionis philosophia, ac consummata obedientia, non solum seipsum & terrena, sed etiam fælicia cœlestis patriæ gaudia pro Christo non attendere. Quid enim iam longa ætate confectus, quid desyderio Christi, quem summè dilexerat, accensus dixerit, dum se illi coniungendum nihil dubitauerit audistis. Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Quæ verba per longum pertractans mellifluus doctor beatus Bernardus, spiritualium delitiarum non ignarus in sermone præsentis festiuitatis ait. O verè sanctissima anima, o inæstimabilem charitatem, ò obedientiam singularem, bonum certamen certasti, cursum consumasti, fidem seruasti, de cætero est tibi reposita corona iustitiæ, quam reddet tibi hodie iustus iudex. Et adhuc dicis: non recuso laborem, fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac vnicum illum, quem diligebas. Quod in te est, iugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia deuotione paratus redire iterum in pericula, innouare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta fœlicitate, & diu desyderata societate spirituum beatorum, atque in huius mortalitatis ęrumnas in ipso introitu gloriæ reuocari.

Postremò quam maximum est a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Et sequitur. Magna quidem obedientia uestra sancti angeli, sed quod dicere audeam pace vestra, nescio, an inueniatur in vobis quisquam paratus in tali aliquando ministerio mitti, in quo necesse habeat non videre faciem patris. Magnum est Petre, quòd dominum secuturus omnia reliquisti, sed audiui te in monte dicentem, vbi transfiguratus est coram vobis. Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, paratum cor tuum, siue manere cum corpore siue dissolui, & esse cū

Chri-

Christo. Et magna quidē in non horrenda morte securitas, magna in visione Christi desyderanda,& tam feruenter desyderanda pertectio reperitur. Sed illud quidem longè amplius per omnem modum, ꝙ qui mori non metuis,immo qui tantò desyderio præsentiam domini concupiscis,viuere quoq; non renuis,& expectatione molestissima fatigari. In quo alio non obedire poterat, qui in hoc tanto articulo tam deuotè clamabat: Fiat voluntas tua. Hæc Bernardus.Exemplum hinc & doctrinam egregiam accipiant, quicunq; tota cura domini seruitiis se mancipaπunt,qui cum omnia propter Deum reliquerint, seipsos relinquant,nedum in corporalibus commodis,sed & in Christo in spiritualibus deliciis, ut non se in Deo quærant, sed Deum propter Deum toto corde diligant, ne seipsos adhuc amantes, si spirituales domino retrahere placuerit consolationes, continuò remurmurent.

Sed nunc attēdamus charissimi quātum ei, qui de se humilimè sensit, de domino confisus est,in cuius virtute tāpotenter cruentam illam bestiam confundens abegit dicens. Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies, Abrææ me sinus recipiet.Quid facturi sumus dilectissimi? Quid facturi sumus nos ab infantiæ, annis peccatorum sordibus obuoluti? Qui enim tanti viri (qui etiam mortuos suscitauit) extremis interesse non timuit,nobis morientibus sine dubio non deerit. Veniet & sua in nobis terribiliter requiret. Vt Gregorius ait Homilia. 39. Quid itaq; miseri dicturi sumus requirenti aduersario, & multa sua in nobis inueniente? Est tamen nobis spes firma, si nunc patrono nostro deuotas fundimus preces,si modo apud eum mereamur, quatenus tunc nobis assistere dignetur,ac protegere,hic potens adiutor erit nunc regnans in cęlis, qui aduersus eos multipliciter potuit adhuc peregrinus in terris.

Sed quid actum sit mortuo sancto viro, quanta gloria despectam paupertatem secuta vel breuiter audiamus. Nam testati sunt,qui viderunt,quòd in exanimi corpore glorificati hominis viderunt gloriam. Nam vultus luce clarior renitebat, membra verò cętera nec tenuis macula fuscabat. Hinc Seuerus ait. Quis istum vnquam cilicio tectum,quis cineribus crederet inuolutum? qui vitro purior, lacte candidior iam in quadam futuræ resurrectionis gloria,& natura mutatæ carnis ostensus est. Qui autem tanta gloria corpus statim in cinerem resoluendum ornauit,quo decore putatis spiritum semper victorum glorificauit? Spiritum verò viri sanctissimi cęlestes exercitus cū iubilo canore a plurimis audito occurrentibus cęli ciuibus cœlò inuexerunt diabolo turpiter confuso. Cuius rei idoneus testis beatus Seuerinus cum archidiacono suo existit: Beatus quoq; Ambrosius qui funeri interfuit &c. Sed & Seuerus Sulpitius, cui ipse vir beatissimus rutilanti facie in cęlum ascendēs apparuit. Hinc de eo scribitur. O virum,in cuius transitu sanctorum canit numerus, angelorum exultat chorus, omniumq; virtutum occurrit exercitus,diabolus præsumptione confunditur,ecclesia virtute roboratur,sacerdotes reuelatione glorificantur. Quem Michael assumpsit cum angelis: Maria suscepit cum virginum choris, paradisum retinet lætum cum sanctis. Quantam autem anima in cęlo consecuta sit gloriam, alteri exponendum relinquitur sermoni. Nunc autem tanto nostro patrono humiles preces offeramus quatenus suis nos meritis, & præcibus adiuuet, & quo ipse æterna perfruitur gloria nos hinc exeuntes deducat. Amen.

## DE EODEM SERMO quartus in ordine XLV.

ADEST dilectissimi cunctis optata beatissimi Thuronensis archipræsulis Martini confessoris eximii festiuitas, quo sanctissimam animã fœlicibus meritis plenam cœlo intulit coronãdam. Nobis autem eo deuotior, iucundior meritoq; festiuior, quo ipsum a domino singularem patronum recepimus,& patrem, ac pro nostris necessitatibus,& peccatis potentissimum oratorem.

Dignum est itaque præcipuis, eum in hac die laudibus attollere, quam nedum hominibus, sed & angelis, ac cœli ciuibus exultabilem reddidit transitus tam beatus. De quo ita legitur: O beatum virum, in cuius transitu sanctorũ canit numerus, angelorum exultat chorus, omniumq; cęlestium virtutum occurrit exercitus. Diabolus præsumptione confunditur, ecclesia virtute roboratur, sacerdotes reuelatione glorificantur. Quem Michael assumpsit cum angelis: Maria suscepit cum virginum choris, paradisum retinet lætum cum sanctis. Sed quid miser homuncio de tanto patre eloqui possum, indignus de digno, peccator de sancto, de doctore ignarus, de disertissimo mutus? Martinus enim de quo loquendum erit, maior est, quam eloquio dici queat. Quem (sicut beatus Odo cluniacensium abbas testatur) vsq; quaq; Deus mirificãs etiam in hoc glorificat, q omnes, qui de illo vel prosaicè, vel metricè, vel ẽt rythmicè scripserunt, & sancti perhibẽtur,& periti fuisse,& dulci eloquio noscuntur, quæ protulerunt edidisse. De quorum numero fuit magnus iste Ambrosius Mediolanensis antistes, cuius flores eloquii hodie per vniuersam ecclesiam redolent. Beatus Seuerinus Coloniensis archiepiscopus, sanctus Seuerus, Sulpitius, Postumianus, atq; Gallus beatissimi viri discipuli, beatus Fulgentius episcopus: Sed & magister Alcuinus magni Caroli præceptor eruditissimus, dulce deniq; spiritussancti organum Bernardus doctor mellifluus: Anselmus Cantuariensis episcopus. Alii quoq; plurimi, doctrina, & virtutibus clari, vtinam vel pauca de tantorũ laudatorum præconiis collecta recitare valerem, satisfecisse me iudicarem. Sed nec ipsum potero, nisi adsit ipse dominus noster Martinus, qui omnibus omnia factus, nullius vnquam fideliter deprecantis necessitatibus absuit: Sicut canit ecclesia: O per omnia laudabilẽ virum, cuius meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corpore quærunt illum. Impetretq; vt qui dedit magnos viros multa in laudem sui nobiliter proferentes, infirmo mihi præstare dignetur, vt modicum quid balbutiens valeam elatrare.

*Martini q scripserũt vitã scti Eua serunt.*

Adiuuet quoq; peccatrix virgo huic suo capellano, ac conciui præ cæteris familiari, & cęlestis eiusdem dum adhuc in terris vitam ageret, visitatrix, in eius laudibus singulariter delectata. Quam salutantes dicamus: Aue Maria.

Recolo me decurso anno in hac ipsa festiuitate sub hoc themate: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorum, pauca de gloriosa præciosaq; morte beati patris nostri, quam in triplici, rerum, corporis, & spiritus, exoluit paupertate, pauca & merè indigna recitasse. Alteram eiusdem sermonis partem quam de anima sanctissimi illius gloria, quam in cęlo possidet, verborum ordo popolscerat proprio sermone contexere repromisi, vbi primò de meritis, & signis quibusdam gloriam sancti viri in genere attestantibus præloquendum fore. Deinde de ipsa gloria aliquid particularius differendum putaui. Adsum quidem promissioni meæ ad satisfaciendum conatum faciens, sed infirmitas denegat facultatem. Nam quæ oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ poterit lingua eloqui? Et cum talis sit gloria, tale gaudium cuiuslibet beati. Esa. 64. & 1. Corint. 2. testantibus,

*Merita, & signa gloriam B. Martini contestantia.*

bus, quis patris nostri beatissimi, qui non inter infimos, vel medios, sed supremos beatorum ordines meruit corona ri, gloriam cogitare, nedum edicere attentabit? Siquidem præmia meritis correspondent. Qui parce seminat (ait Apostolus 2. ad Corinth. 9.) parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Sic qui in paupertatis, cunctarumq; virtutum merito summis æquiparatur patribus quomodo non in regni cœlorum adeptione supremis ordinib⁹ sociatur? Aperta siquidem testimonia nulli hunc fuisse secundum testatur. Ait inquam beatus Sulpitius, cuius laus est inter viros illustres, vt scribit Genadius in epistola ad Eusebium. Est enim ille (quod pace sanctorum omnium dixerim) in illo iustorum grege nulli secundus, vt spero, credo, confido. Et in primo suo dialogo, plurimo verborũ ornatu Martinum dicit in media turba, & conuersatione populorum inter clericos dissidentes, inter episcopos sęuientes tanta operatum esse, quanta nec eremitæ, nec anachoritæ, qui ab omni impedimento liberi sunt. Quodq; inexpugnabili virtute aduersus omnia stetit. Postumianus quoq; postquam triennio orientis fere cunctos patres, ac monachos in vastissimis solitudinibus plustrâsset, ita de viro sanctissimo testatus est: Ego quoad viuam semper, & sapientia Ægypti monachos prædicabo, laudabo Anachoritas, mirabor eremitas: Martinum semper excipiam, nõ illi ego quemquam audebo monachorum certè non episcoporum quempiã comparare. Hoc Ægyptus fatetur, hoc Syria, hoc Æthiops comperit, hoc Indus audiuit, hoc Parthus, & Persa nouerunt, nec ignorat Armenia, Bosphorus exclusa cognouit. Et postremo. Si quis aut fortunatas insulas, aut glacialem frequentat Oceanum, cui satis alludit illa virtutum eius summaria narratio magistri Alcuini, qui cunctas virtutes eius collegisse cognoscitur. Ait enim sic: Ne lucerna domini modio tecta lateret, dulcissimis abstractus est sedibus; multorumq; precibus alligatus, electus est in episcopum Turonicæ ciuitatis, vbi plurima sanctarum insignia gessit virtutum, & multa cœlestis vitæ dogmata sparsit. Tamen priuatæ vitæ continentiam in turbis non amisit. Humilis in habitu, iucundus in sermone, deuotus in prædicatione, verax in iudicio, venerabilis in moribus, peruigil in orationibus, assiduus in lectione, cõstans in vultu, pius in affatu, honorabilis in ministerio sacerdotali, infatigabilis verbi Dei seminator, impiger acceptã domini pecuniam multiplicare, cum gaudentibus gaudẽs, cũ lugẽtibus lugens. Omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret Christo, virtutibus insignis, bonitate laudabilis, pietate amabilis, multis in episcopatu fulgens virtutibus. Hæc ille. Quis tantorum meritorum digna præmia æstimabit?

Gloriam deniq; beatissimę illius animæ, quam cognoscere non valemus, ex signis licet conijcere. Quanta etenim animæ illius est beatitudo, quę a corpore egrediens tot signis, reuelationibus, ac hymnidicis angelorum choris gloriosa certissimè comprobatur. Testati namq; sunt nobis, qui affuerunt ait Seuerus ad Basulam, iam exanimi corpore glorificati hominis vidisse se gloriã. Vultus luce clarior renitebat, cum mẽbra cætera, nec tenuis quidem macula fuscaret. Quis istum vnquam cilicio textum, quis cineribus crederet inuolutum, ita vitro purior, lacte candidior, iam in quadam futuræ resurrectionis gloria, & natura mutatæ carnis ostensus est? Haud dubium hac tantummodo ratione, vt inuisibilis gloria animæ visibili claritate corporis notaretur. O quanto decore hospitem spiritum, scilicet semper victurum glorificauit, qui extinctum eius hospitiolum iamiamq; dissoluendum, corpus loquor incinerandum, tanta gloria decorauit. In ipsa quoq; gloriosę mortis hora beatissimis patribus Ambrosio, Seuerino, ac Seuero Sulpitio legitur reuelatus. Ambrosio in Mediolano missas celebranti: Seuerino in Colonia, loca sancta ex consue-

Martin⁹ factus ẽ omnib⁹ reconciliatio.

suetudine visitanti. Sulpitio verò iam post spiritualia meditationis exercitia quiescenti. Dubitamus primis reuelationibus (quia notæ sunt) transitis, tertiam placuit inserere, quam idem. Sulpitius in epistola ad Aurelium diaconum ita scribit.

Postea quam à mane digressus essem, eram residens solus in cellula, subierat que me illa, quæ sæpius occupat cogitatio, spes futurorũ, præsentiumque fastidium, iudicii metus, formido pęnarum, & quod consequens erat, atque inde cogitatio tota descenderat peccatorum meorum consyderatio, tristem me confectumque reddiderat. Deinde cum fatigata angore animi in lecto membra posuissem, vt plerumque ex mæstitudine solet, somnus obrepsit, qui vt semper matutinis horis leuia incertusque ita suspensus ac dubius per membra diffunditur, vt quod in alio sopore non euenit penè vigilans dormire te sentias, tum repente sanctum Martinum episcopum videre mihi videor, prætextum toga candida, vultu igneo, stillantibus oculis, crine purpureo, atque ita mihi in ea habitudine corporis formam, qua noueram, videbatur, vt quod eloqui nobis penè difficile est, non possit aspici, cum possit agnosci.

Arridensque mihi paululum, libellum, quem de vita ipsius scripseram, dextera præferebat. Ego sancta genua eius complexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam, suppositamque capiti meo manum, tactu blandissimo sentiebam. Cum autem inter benedictionis verba solemnia familiare illud ori suo crucis nomen iteraret, in eum luminibus intentis, cum exsatiari vultus illius conspectu non possem, subito mihi in sublime sublatus eripitur, immensa aeris istius vastitate.

Cum tamen rabida nube subiectum acie sequerer oculorum, patenti cœlo receptus videri vltra non potuit, nec multo post sanctum præsbyterum Clarum discipulum illius, qui nuper excesserat video eandem quam magistrum viam, scandere. Ego impudens sequi cupiens, dum altos gressus molior, euigilo, somnoque excitatus congratulari cœperam visioni. Ingrediens quoque puer vultu tristis, dominum Martinum obiisse nunciauit. Hæc ille.

Quod perinde angelicæ voces beatissimum viri sancti comitabantur spiritum, Alcuinus narrat ita dicens. Hora obitus appropinquante, febrium tactus dolore, lætus in laude Dei inter diuina prædicationis verba, inter angelicas cęlestium hymnorum voces suis astantibus discipulis, sanctam Cristo tradidit animam. Quantis autem angelorum laudibus sancta hæc anima in cœlum vsque deducta, diabolo turpiter confuso, referat nobis beatus Seuerinus cum suo archidiacono, qui hæc audire diuino munere meruerunt. Sed quid miramur concinentes Angelos animam sanctam deduxisse, quos etiam longo post tempore circa corpus iam humanum lętissimas duxere excubias? In tempore Ganslini abbatis in solemnitate Innocentium, vt supra in historia habetur. Ecce euidentia argumenta, atque miranda, quantam in cœlis gloriam consecutus est vir beatus. *Angelicę voces Martinũ duxerein cęlũ Alcuinus.*

O vera saluatoris prædicatio, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. O fidelis Dei promissio, Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, sorores, patrem, matrem, filios, aut agros propter me, & euangelium, qui non centies tantum accipiat, nunc in hoc tempore, & in futuro vitam æternam. Marc. 10. Ecce Martinus noster hæc omnia reliquit, adeò pauper effectus, vt teste Bernardo, pauper, & modicus nominaretur. Sed quid? Nunquid semper pauper? Absit. Nam Martinus, qui pauper & modicus, cęlum diues ingreditur. Diues inquam vt Bernard. ait, meritis, diues miraculis, diues virtutibus, diues in signis. Quod si gloria terrena sanctis concupiscenda

da foret, addere licet, Diues gloria, & honore, immo beneficiis, & potestate. Comparetur enim si placet, ait Seuerus ad Basulam, secularis illa pompa, non dico funeris, sed triumphi, quid simile Martini exequiis conferetur? Ducant illi prae curribus suis vinctos, post terga captiuos. Martini corpus hi qui mundum ductu eius vicerant, prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania. Martino diuinis plauditur psalmis. Martinus hymnis caelestibus honoratur. Illi post triūphos suos in tartara sęua trudentur. Martinus Abraę sinu lętus excipitur. Transit itemque illorum memoria cum sonitu. Martini memoria manet in ęternum, dum eius actus, atque virtutes ab vniuersa ecclesia memorantur, benedicuntur, praedicantur. Si denique de potentia est sermo, potentius est exanime corpus Martini, quam vniuersi seculi reges, principes, tyranni. Siquidem vniuersos morbos sanat & mentis & corporis in suis; quos illi inuiti coguntur perpeti in seipsis. Denique ait Grego. quidam Martini nostri laudator. Corpus Martini cum paruissima iaceat in teca, terrenorum principum rigida subigit colla, & cum pusillo claudatur in cespite, triumphat vbique. Ecce quantis diuitiis etiam in terris commutata est paupertas voluntaria, & laudabilis. Quod nihilominus omnibus terribilis mortis hora, soli nostro Martino suauissima, omnimodis abstulit, & supremum cęlorum regnum contulit possidendum. Et tantum de primo.

Regnum cęlorum non cuius libet dicitur esse sed pauperū. Ipsorum est regnum cęlorum. Regnum, quod libet illius esse non dicitur, qui aliquam modicam regni possidet partem, sed illius, qui vel totum, vel maiorem continet portionem. In regno cęlorum mansiones multę sunt, teste qui regit, & regnat Ioan. 14. Siquidem ibi mansio innocentium in sola baptismali gratia saluatoris. Ibi mā sio continentium, pęnitentiumque, ibi cubicula virginum, ibi scholę confessorum, ibi gymnasia martyrum, ibi senatus apostolorum, ibi thalamus, regalis, ibi demum thronus regius super benedictae trinitatis, quae sunt diuersi gradus beatitudinis tam accidentalis, quam essentialis. Martinus noster hodie caeli possessor effectus, throno regio perfruitur, dum sedentem in throno facie ad faciem contemplatur, adorat plenis brachiis dominum, & Deum suum, quem olim veste sua tectum ad momentum, vidit se iam gloria & honore coronantem, ac praemia largissima dantem amplectitur in aeternum. Quae cōsyderans beatus Ambrosius in praefatione ait, Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quā titate vestis exigue vestire dominum meruit, & videre? Ad virginalem thalamum castissimis gressibus appropinquare, matrem quoque domini sui venerabiliter, familiariterque alloqui quis dubitet, quę in eis delectata colloquio, coassumptis Tecla, & Agna pedissequis, intermisso paululum cęlo, capellanum suum, terrae adhuc habitatorem dulciter visitauit? Caeteras autem mansiones pleno iure possidet, quoniam omnium gloria perfruitur, atque gaudet. Hinc de eo quidam suorum venaratorum ecclesiae Traiectensis episcopus in legenda de sancto O done ita scribit, Martinus est gemma haec praeciosissima, quae quemadmodum sydus principale flammis perennibus ardens, inter choros angelorum splendida, inter patriarcharum decora, inter prophetarum honestissima, inter apostolorum grata, inter martyrum purpurea, inter virginum candida, intēr confessorum habetur praecipua, omnibus his in cęlesti arce merito comparanda quorum habitudines in huius seculi valle est prosecuta.

### DE EODEM SERMO V. in ordine. XLVI.

Inuectiua cõtra eos q crapulantur in festo S.Martini.

SEMINA dabunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Mat. 13.

Adest iterum dilectissimi festiua beati Martini Turonensis episcopi solemnitas, omni spirituali gaudio celebranda, qua finitis seminandi, seminatoque colendi laboribus, ac resoluto corpore sacro, & commendato terris, fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum metere non cessat in cęlis. Vnde & nostrę peregrinationis regio stillicidia salutis suscipit, ac multiplicis gratiæ incrementa. Neque enim vt beatus Bernard. serm. de beato Malach. ait, ei⁹ feruentissima charitas obliuisci poterit filiorum, & probata sanctitas non obtinere gratiam apud Deum. Et infra. Absit, vt imminuta nedum exinanita tua tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore cuius & ipse prius stillicidia sitiebas. Non potuit morti cedere charitas fortis, vt mors, immo morte fortior ipsa. Cantic. 8. Vtinam autem à nobis replicata hæc sancta solemnitas, vel tanta mentis deuotione exciperetur, quanta crapulę ac ebrietatis præparatione, à vanis seculi huius hominibus præuenitur, verò filii huius seculi prudentiores filiis lucis sunt in generatione sua. Luc. decimosexto. Plerique Martinum temulentis licet vocibus pauci hunc honorauere, pauci admodum digni visi sunt laudare. Carnaliter exultant plurimi, spiritualiter pene nulli. Inter hæc ambiguitate anxior, si digitum ori meo supponam, an ad Martini beatitudinis fructus vtcunque proferendos laxem linguam. Persuadent silentium ecclesiæ grandes columnæ, Gallus, Postumianus, Sulpitius, qui sedentes pariter & de meritis, ac signis sancti viri conferentes, indignum iudicabant ea referre coram multitudine, quæ ad audiendum magis curiositate quam religione conuenerant, vt habetur capitu. primo tertio dialo. Sed id ipsum dehortatur, quod de viro Dei in legenda de sancto Odone scribitur. Quis de Martino tacet, nisi qui mutus est? Quis eum non laudat, nisi qui non amat?

Postremo quis de eo narrantem fastidit, nisi qui Christum non diligit? Nihil etenim Martinum fecisse aliud scimus, nisi quod Christum præcepisse cognouimus. Atque ideò qui illi non obtemperat, Christo repugnat. Qui ab illo refugit, à Christo discedit, in vtroque miser in vtroque infęlix, dum nec conditorem sequitur, vt habeat vitam, nec doctorem imitatur, vt pertingat ad veniam. Sed inter hæc id solum se offert medium, vt semota carnalitate, deposita curiositate, deuotioni corda præparemus, & aures, quatenus fructus quos Martini semina germinarunt cognoscamus fideliter, & religiosè concupiscamus. Ab eo implorantes auxilium gratiæ, à quò Mart. nr̃ accipere meruit iacti seminis fructus tricesimos, sexagesimos, & centesimos. Quas nostras preces vt promoueat imperatrix veniæ, dicatur ab omnibus Aue Maria &c.

Semina dabunt fructum &c. vbi supra. Fructus mensuræ bonæ, coagitatę, ac supereffluentis, quos pullulantibus diuinis in beatissimo viro seminibus maturatos in messe non finienda Martinus carpit in patria. Verba hæc sub triplicitate quadam nobis innuunt euidenter. Et quamuis triplicitas illa variè à patribus sanctis exponatur, placuit tamen nunc expositionem beati Augustini, quam & ordinaria glosa recitat, paucis mutatis imitari

Intelligit enim per fructum centesimum prӕmium, siue coronam martyrum, per sexagesimum virginum, per tricesimum cæterorum. Aptè ita & nos per triplicem fructus distinctionem intelligamus non præmium essentiale, quod vnum est, atque idem

obiectiue apud omnes beatos, significatum per denarium diurnum, qui vnus omnibus est datus vineæ cultoribus, licet diuersis horis, diuersisque conatibus laborarint. Matth. vigesimo. Sed pręmium accidentale, quod respectu diuersorum obiectorum, creaturarum, scilicet variatur. Nec tamen quodlibet accidentale, sed singulare illud, & præcipuum, quod aureolam sancti doctores dicunt, hoc triplex est, martyrum, doctorum, atque virginum. Et virginum aureola fructu tricesimo, doctorum sexagesimo, martyrum autem centesimo poterit designari. Pro cuius intellectu supponitur hic ex dictis sancti Thomę in quarto distinct quadragesimonona, quod pręmia coronis aureis comparantur. Nam & viginti quatuor seniores, de quibus Apocal. 4. coronas aureas in capite habuisse describuntur. Et secundo ad Timo. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ &c. Et quia respondent triumphis in pugnis vitiorum & militia huius vitæ viriliter obtentis. Et quia regia dignitate omnes beati sublimantur. Apocal 5. Fecisti nos Deo patri regnum, & sacerdotes. Et quia perpetua sunt, & incorruptibilia, quod figura, & materia idest aurum, & rotunditas repræsentant. Præmium autem essentiale eo, quod omnibus accidentibus supereminet, aurea dicitur. Accidentale autem aureola, eo quod diminutum ab essentiali vocitatur. Nec tamen quodlibet accidentale, sed quæ præcipua sunt aureolę nuncupantur, qui, scilicet respondent excellentioribus, victoriis trium hostium, qui sunt Caro, Demon, Mundus.

Carnis pugna excellentissimè vincitur virginitate. Diaboli in veritatis prędicatione, qua suggestiones eius, & fraudes non solum in seipso, sed in proximo, quibus dum rectè reprobantur, perfectius vincuntur. Mundus verò martyrio, quo contra vltimum mundi huius supplicium triumphatur. Qui itaque in his gradibus dictos hostes vincunt, præter essentiale præmium consequuntur speciale gaudium de tā sublimi victoria, atque decorem quendam singularem animę, & corporis post resurrectionem generalem, quæ præmia aureolæ nominantur.

Latior declaratio hic rescinditur. Vide latius in sermone primo de assūptione beatæ virginis, cuius thema. Veni de libano sponsa &c

Videamus nunc quomodo diuina semina in beato Martino seminata, omnium aureolam fructus cremento saluberrimo genuerunt. Sunt enim hæc semina (vt in quadam homil. dicitur) Gratia Dei siue charitas, quam in agro cordis seminat Christus bonus sator. Verè bonum semen semen salubre est gratia, quæ rectè semini comparatur, quoniam seminarium est, & origo virtutū, quem quia in omnes virtutes libero concurrente arbitrio ramificatur, non tam semen singulariter, quam semina pluraliter appellatur. Hoc itaque gratiæ semen ditissimum à domino in cordis sui agro seminatum, beatissimus Martinus noster non frustra suscepit, non neglexit, sed summa diligentia semini agrum suum coaptauit, exercuitque, vt prodiret germen, surgeret multa virtutum seges, proficeretque in messem. *Martinus quale semen seminauit.*

Custodiuit sollicitè, nec dormiuit, ne inimicus homo diabolus, mundus, vel caro, zizaniam superseminaret. Nec tempestates, & adulationes mundanæ prosperitatis, & aduersitatis, bono noceant semini. Ne ventus diabolicę inflationis dispergat, ne æstus carnalis immunditiæ exurat. Cum his tribus inimicis congressus, ac victor nedum in gradu quolibet, sed sublimiori inuentus est semper, propter quod merito est triplici aureola laureatus. Carnis nanque concupiscentias virginali edomuit puritate, qua in gradu perfectissimo vincitur carnis pugna. Hanc enim pudicitiam mente tenuit, & corpore. In omni suo statu. Nam de statu militari scribit. Sulpi. lib. 1.

cap. 1. Triennium ferè ante baptismа in armis fuit, integer tamen ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet, quorum primum carnalis impudicitia, sed crescente viri religio næ quis dubitet virtutem creuisse castitatis? Quoniam & si tanquam Episcopus omnium curam gereret, nunquam tamen fœminam ad familiare colloquiũ admisit, teste Gallo eius discipulo, vt refert Sulpi. li:3. ca. 7. Martinum nulla vnquam fœmina contigit. Nulla propiꝰ Martino astitit, excepta Maximi imperatoris coniuge, quæ beato viro iam septuagenario, & lachrymis pedes abluit & crine (velut Magdalena Christo) tersit. Cœnam quoq; instruxit, in quo regina Marthæ officio functa, viro Dei deuotè ministrauit. Cuius ministerium semel in vita iam septuagenarius admittere coegit, & reginę fides, & captiuorum, exulumq; non aliter liberandorum necessitas.

Sed nullius vnquam xenium, nulliꝰ munus accepit, ne fortè infirmioris sexus memoria mentis puritatem vel cogitatione incauta turbaret, excepto castissimæ cuiusdam Virginis munere, quæ etiam à Martino visitationis causa veniente videri recusauit, eique lęto abscedenti munusculum misit. Munus itaque laudabilis castimoniæ Virginis recepit ne repulsam illam ad suam contumeliam duxisse putaretur, qui magnificauit illius cum exultatione virtutem, ac de inusitato gaudebat exemplo. Quo instructę virgines fores suas, si malos eas obsidere noluerint, etiam bonis claudant. Et ne ad se improbis sit liber accessus, non vereantur excludere etiam sacerdotes. Hæc Sulpitius. Nec solum carnis, mentisque pudicitiam custodiuit, sed & habitaculo suo iniuriam fieri æstimauit, si in eo quoddam minus pudicum in solo etiã corporis gestu contigisset. Sic enim quendã e fratribus plus debito ad ignẽ residentem nudatum acclamauit voce magna, dicens. Quis inquit nudito inguine nostrum incestat habitaculum, vt habetur lib. 4. cap. 12. Tanta itequm fuit viri sancti castitas vt dæmones (licet sibi infestissimi) dum aliquando energumenos sublatis in sublime pedibus quasi de nube suspenderent, prohibe re compulsi sunt defluxum vestiũ, ne faceret verecundiam viro Dei castissimo nudata pars corporis. lib. 4 ca. 6. Quid multis moror? virginalẽ sibi cõseruatum honorẽ exanimis candor corporis, vultus luce clarior, & in artubus eius non pudendis, septennis quodam modo gratia pueri contestantur, vt scribit Seuerus ad Basulam. Propter hanc itaq; excellentissimam carnis suæ victoriam ex semine gratiæ diuinæ fructum merito tricesimum est assecutus. Nunc enim coronatur aureola liliis dealbata. Nunc choris virginum iunctus cantat canticum nouum, solis virginibus datum, & cum eis agnum sequitur, quocunq; ierit. Apoca. 14. Adhæret virgini virginum, Teclæ quoq; suæ, & Agneti, à quibus adhuc mortalis meruit visitari. O quanta animæ illius gloria ex virginitatis aureola lucet, cuiꝰ facies corporis iam extincti luce clarior videbatur. O quanta erit corporis illius claritas immortalitate vestiti, quod nec tenuis quidem macula, iamiamq; redigẽdum in puluerem offuscauit.

Vicit etiam diaboli vniuersas versutias in seipso veritatis clarissima cognitione, ac in aliis studiosissima prædicatione, sequentibus signis confirmantibus factis. Gladio itaque verbi Dei viriliter illi restitit, ac falsitatis suæ laqueos resoluit. Transeo, quoniam horæ breuitas ita exigit. Marrinꝰ diabolũ, vicit studiosa p̃dicatiõe

Quanta sollicitudine contra hæreticorum Arrianorum non sine multa sui iniuria errores vigilauit. Ideò canitur in prosa. Atque illius nomen omnis hæreticus fugiat pallidus, quam diligenter fidei synceritatem exposuit, quam cautè ad fidem conuersos confirmauit, quam rigidè reprobos cõpescuit quam deniq; quicquid occurrit ad prædicationis operam cõtulit, informationis instrumentũ materiã ministrauit. Non enim solum illi scripti fuere libri, sed omnis creatura, atq; spatio copiosissima

 doctrinæ

doctrinæ ministrabant fluenta. Quicquid beato viro in oculos venit, vel aures continuo ad morum, fideiq; doctrinam inflexit. Et sicut Alcuinus dicit, multa cœlestis vitæ dogmata sparsit iucundus in sermone, deuotus in prædicatione, verax in iudicio, venerabilis in moribus, infatigabilis verbi Dei seminator, impiger acceptam domini pecuniam multiplicare, cum gaudentibus gaudens, cum lugentibus lugens, omnibus omnia factus vt omnes lucrifaceret Christo. Et beatus Seuerus Sulpitius lib.1.ca.10. ad idem testatur, dicens. Verè ante Martinum pauci admodum, immo pene nulli in illis, idest Galliæ regionibus Christi nomen receperant, quod adeo virtutibus illius exemploq; conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus. Et in eodem li.c.26. ita ait. In exoluendis quæstionibus sacrarum scripturarum promptus, & facilis, Iesum testor, spemq; communem ex nullius vnquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam boni, & puri sermonis audisse. Itaq; mirum est homini illiterato, ne hanc quidem gratiam defuisse. Deniq; eum verbo, vitaq; sine intermissione docuisse ecclesia canit. Eius ori nunquam Christus affuit, siue iustitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Pro hac itaq; perfecta dęmonis doctrinali victoria, & seminis verbi Dei plantatione, possidet fructum sexagesimū, merito iam doctrinali aureola coronatur. Corona inquā aurea, sed iuxta verbū sponsæ in canticis Cāt. 1. uermiculata argento ad eloquiū, atq; prædicationis claritatem. Sicut scriptū est. Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatū. Quo charitatis eloquio, sicut vermis terram penetrat, atq; cauat, ita terrena penetrabat corda, cauabatq; dum carnalia desyderia expulit, ac habitationem eā domino præparauit.

Vicit demū & mundi huius furorē, minas, & torturas, quibus neqnaquam a via iustitiæ auelli poterat, ita vt nō immeritò cum beatissimis martyribus fructum centesimum siue aureolam mereatur. De quo beatus Seuerus in epistola ad Aurelium diaconum ita scribit? Est illud haud dubium, quin Martinus, vt spero, credo, confido illis potissimum qui stolas suas in sanguine lauerunt, aggregatus, agnum ducem ab omni labe integer comitteur. Nam licet ei ratio temporis nō potuit præstare martyriū, gloria tamen martyris non carebit, quã voto, & virtute & potuit esse martyr, & voluit. Quod si ei Neronianis, Decianisq; temporibus dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli, atq; terræ, sponte equuleum ascēdisset, ultro se ignibus intulisset, hebræisq; pueris equandus inter flammarum globos media licet (hymnum domini) in fornace cantasset, quod si fortè Esaianum illud supplicium persecutori placuisset, nunquam profecto impar prophetæ serris, & laminis desecari membra timuisset, ac si præcisis rupibus, abruptisq; montibus agere felicē furorem impius maluisset, perhibeo confisus testimonium veritatis, sponte cecidisset. Si verò gentium doctoris exemplo gladio deputatus inter alias, vt sæpe prouenit victimas duceretur, primus omnium carnifice compulso, palmas sanguinis occupasset. Iam vero aduersus omnes pœnas, & supplicia, quibus plerumq; humana cessit infirnitas ita a confessione domini non recedens, immobilis obstitisset, vt lætus vltricibus congaudens cruciatibus, quælibet inter tormenta risisset. Siquidem teste Ambrosio in prefatione dignè amore martyrii persecutorie tormenta non timuit. Sed quamquam illa non pertulit, impleuit tamen etiam sine cruore martyrium. Nam quas pro spe æternitatis humanorū dolorum non pertulit passiones? fame, vigiliis, nuditate, ieiuniis, opprobriis inuidiorum, insectationibus improborū, cura pro infirmantibus, sollicitudine ꝓ periclitantibus? Quo enim dolente nō doluit? Quo scandalizato non est vstus? Quo pereunte non gemuit? Hæc Seuerus. Et ne putes illa magis orato-

riè laudis consuetudine, aut personali fauore quam amore veritatis recitata, defendunt ab hac supicione, si memoriæ reuocentur, quæ passus est opprobria,& tormenta. Nam conuitia nedũ ab exteris, sed & a suis summa patiẽtia sustinuit. Arrianorum multiplicia supplicia,exilium,virgas,percussiones,vulnerationes, ita vt exanimis putaretur, venena cæteraq; plurima passus est,maioribusq; periculis se sponte obtulit in audita mansuetudine. Nunquam persecutoribus suis iratus, sed dum ab eis grauiores passus est psecutiones,& verbera, detractionesq;, pro eorum solebat flere peccatis.

Tantam aduersus omnes iniurias patiẽtiam assumpsit,vt cum esset summus sacerdos, impunè ab infimis clericis lęderetur.Nec propter id vnquam aut loco eos amouerit, aut a sua quantum in ipso fuit charitate repulerit. Dicit Seuerus li.1.prope finem.

Martini persecutiones quas passus est. Harum persecutionum aliquas recitat beatus Bernardus sermone de sancto Martino, ita dicens. Persecutiones, quas sustinuit propter iustitiam, longum est numerare. Quanto apud Iulianum Augustum ciuitate Vangionum, id est Vuormacia intrepidus,immo & illato terrore constantior,custodiæ mancipatus est,vt inermis posteriori die barbaris obiiceretur. Quomodo circa alpes sub securi, quam in vertice eius latro vibrat,securissim⁹ fuit. Quomodo illum Mediolani Auxenius Arrianus grauiter insectatus, multisq; ap petitum iniuriis, tandem de ciuitate exterminauit. Quomodo & alibi prius aduersus sacerdotum perfidiam acerrimè pugnans, suppliciis affectus, publicè virgis cęsus,inde quoq; exire compulsus est. Quomodo item in cuiusdã phani euersione, cum gentilis eum stricto gladio peteret, nudam reiecto pallio ceruicem præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus. Quomodo alter cũ cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus eius elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus, dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consummatę passionis, sed totiens martyr fuit affectu deuotissimę passionis. Hæc Bernardus. Ad idem loquitur. Adam in sermone,vel epistola quæ incipit. Omnibus,beatus Martinus,inquit,per effusionem sanguinis martyr non fuit, nisi ꝙ tota eius vita martyrium fuit:Apostolos certè & volũtas,& temporis necessitas martyres fecit. Sed quid propter hoc gloriæ Martinus perdere debuit, cui etsi temporis necessitas non intulit gladium persecutoris, a corde tamen eius non defuit voluntas passionis? ergo caret gloria martyris,quem constat desyderio martyrem fuisse? Alioquin Ioanni Apostolo,quia vitam suppliciũ non extorsit, martyris negatur gloria, cum tamen Christus testetur, ꝙ sit suũ calicem bibiturus, immo, & gloriosa virgo Maria martyrii aureola carebit, cum tamen eius animam gladius doloris pertransiens plus, quam martyrẽ fecit, secundum Hieronymum in sermone Cogitis? Siquidem nulla historia gladio eam consummatam refert. Calicem ergo passionis Martinus sine dubio bibit, qui inter innumerabiles incredibilis abstinentię cruces seipsum voluntariè macerans, in cinere, & cilicio testis Iesu inuictissimus spiritum exhalauit. Si itaq; Martinus quantum in ipso fuit martyr erat apud eum, qui de voluntatibus iudicat, non habebit facti pondus sanctissimæ efficatia voluntatis, præsertim cum omne hominis meritum in bona voluntate consistat, non opera hominis merita sunt, sed signa meritorum? Hæc Adam.Cui consonat quod ecclesia canit. O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, martyrii tamẽ palmam non amisit. Quod si contendis interesse inter aureolam martyrii, & palmam, aureolam quoq; non deberi, nisi quibus persecutio vitam ademit. Palmam verò eis, quos non gladius, sed voluntas martyres fecit, non contendo de nomine, dum constat de re. Necesse enim erit taliter loquen-

tem concedere palmam quandoq; esse maioris gloriæ, quam aureolam, dum scilicet voluntas martyrii maior est in aliquo in pace quiescente, quam in cer to qui martyrio consummatus est. Præmium ergo martyrum, quod fructus est centesimus, secundum Augustinū, Martinus consecutus est, coronam scilicet auream, purpuream & rosis distinctam. Vnde & recte Martinus quasi martyrum vnus est dictus. Ecce fructus, tricesimum, sexagesimū, & centesimum in aureola triplici, qua hodie coronatus est beatissimus patronus noster Martinus messem abundantissimam sacri seminis nunc adeptus.

## MARTINI SANCTISsimi. Sermo VI. in ordine. XLVII.

IN tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Eccl. 44.

In hodierna solenni & singularissima festiuitate magni Thuronorum præsulis beatissimi Martini, qua certaminis sui præmiū accepturus, nostramq; causam summo coram iudice patrocinando acturus, sanctissimam animam carne solutam cęlis intulit, nos decet deuotione præcipua gratulari. Hodie nanq; sicut beatus Bernardus de eodem in sermone loquitur, beatus Martinus plenus fructu obediētiæ, & virtutum locuples, solum deseruit, polum subiit; terræ commendans, quod habebat de terra, spiritum dirigens ad patrem spirituum, cui fideliter in adoptionis spiritu deseruiuit. Et licet ille toti mundo venerabilis est, sicut in prosa canitur: Sacerdotem Christi Martinum cuncta per orbem canat ecclesia pacis catholicæ. Siquidem virtutes eius ab vniuersa ecclesia memorantur benedicuntur, & prædicantur. Ipse enim est gemma illa speciosa, quæ omnem suo fulgore Christiani nominis orbem irradiat, omnes vrbes, & municipia, vicos, & regiones angelici luminis splendore circumfulsit, sed & ipsos rusticorum agros iuxta modum capacitatis eorum quadam vmbratili claritate collustrat. Hinc in hymno canit ecclesia. Cunctis candelabrum luminis extitit, a multis tenebras mortis expulit, virtutum statuit crescere germina, in quorum fuerant peccatore crimina.

Ipsa quoque gemma in conspectu domini, quemadmodum sydus principale flammis perennibus ardens inter choros angelorum splendida, inter patriarcharum decora, inter prophetarum honestissima, inter Apostolorum grata, inter martyrum purpurea, inter virginum candida, inter confessorum habetur præcipua, omnibus his in cœlesti arce merito comparanda, quorum habitationes in huius seculi valle est prosecuta. Hæc Traiecten. Hunc tamen quia singulariter a domino patronum obtinuimus, singulariter nobis gaudendum est, congaudendum quidem illi, nobis autem gaudendum. Illi congaudendum de multiplicato laborum glorioso fructu, ac corona immarcessibili adepta.

Nobis autem gaudendum de tanti patroni præsentia apud iudicem, qui in tempore iracundiæ reconciliationem nobis præualet impetrare. Et hoc vno apud dominum indigemus reconciliari, videlicet post peccata; sicut scriptum est: Fili peccasti, non adijcias vltra, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur Ecclesiast. 21. Hinc hortatur Apostolus 2. Corinth. 5. Obsecramus vos, inquit, pro Christo reconciliationem Deo. Quid autem ille non posset beatus iam, & comprehensor in cœlis, qui nihil non potuit viator adhuc in terris? Ipse namque quia per omnia Christo placuit, reconciliationem quibus voluit meruit. Sicq; quoniam causam reconciliationis suorum ipse est, cuius merito indigni ex se reconciliantur domino, merito

non solum in tempore iracundię reconciliator dicitur, Sed magis ipsa reconciliatio, id est reconciliationis causa, secundum verba supradicta In tempore &c.

Martin' Noe assimilatur.

Primo ostendendum erit quemadmodum beatus Martinus in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Secundò incidentis replicę annectenda est solutio. In tempore iracundię factus est reconciliatio. Verba ista, quæ ad literam de beato Patriarcha Noe exarata leguntur, sanctissimis episcopis ecclesiæ Dei rectoribus ab ecclesia per mysterium attribuuntur. Nam vt glosa dicit eorundem verborum. Noe rectores significat, qui inter fluctus tentationum, ecclesiam Dei regunt, & prædicant baptismum pęnitentiæ, orationibus & sacrificiis Deum placantes humano generi. Quod propriè ad pontificale officium pertinet. Sicut ad Hebræos quinto ait Apostolus. Omnis pontifex pro hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerens dona & sacrificia pro peccatis. Cui concordat Grego. Homil.16. in Ezech. Noe inquit arca in vndis extitit, ideò figuram rectorum tenuit, verum hodie non inmerito beato Martino specialiter ascribuntur, cuius typum Noe prætulisse specialius legitur, qui in reconciliationis officio præceteris confessoribus commendatur. Noe quippe cum filios enutrisset, atque in arca receptos, ne cum mundo perirent Deo reconciliasset, priorem natum derisorem sustinuit, & paterni beneficij male gratum, Genesis nono. Ita & beatus Martinus cum plures Deo filios spiritualiter genuisset, eosque ne in mari huius mundi procelloso perirent, in arcam religionis, locum securiorem collegisset, sicque domino reconciliasset, vnum quē quasi priorem natu tenerius dilexerat, ac à primęua ætate susceptum in monasterio enutriuerat, illusorem passus est, & conuitiatorem. Nam vt in legenda eiusdem Brictij, post beati, legitur. Dum die quadam infirmus quidam medicinam expeteret, Brictium adhuc diaconum in platea conuenit, cui simpliciter ait. Ecce ego præstolor beatum virum, & nescio vbi sit, vel quid operis agat. Cui Brictius. inquit delirum illum quæris, prospice eminus.

Ecce cœlum solitè sicut amens respicit. Crebro siquidem ait Bernardus homo Dei, vt pote terram despiciens cęlum suspiciebat. Nempe sciebat ad hoc sese rectam in ipso corpore accepisse staturam, sciebat illic esse thesaurum suum, sciebat illic in dextra patris sedere Christum suum, sciebat nunquam sese, donec illuc perueniret, quod desyderabat assecuturū. Vnde & hoc ipsum, quod delirus vocabatur in terra, meritò non attendit, cuius nimirum conuersatio esset in cęlis, cuius oculi sicut de sapiente, Salomone legitur in capite suo, id est in Christo, Ecclesiastes secundo. Hunc autem Brictium cum vir Dei corripiendo alloqueretur. En Brictij delirus ego tibi videor, illeque confusus hæc audiens dixisse se denegaret, ait sanctus Martinus. Nonne aures meæ ad os tuum erant, cum hęc eminus loquebaris? Brictius irridebat eum, dicens.

Nonne verum dixi illum delira verba proferre. Sed & præsbiterij honore præditus sępius beatum Martinum conuitiis lacessiuit. Nam vt refert Seuerus cap. vlti. lib. quarto. Cum certo temporę à viro beatissimo obiurgatus fuisset, cur qui nihil vnquam ante clericatum (quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus) habuisset, equos aleret, mancipia compararet, commotus ille dęmonum agitatus instinctu Martinū aggressus est die postera, ita vt vixei' manibus se liberaret. Dū quoq; sanctus vultu placido, mente trāquilla infęlicis amentiam per mitia verba cohiberet, ille verba peccati rotabat, se afferens sanctiorem, quia primis annis in monasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas ipso Martino educante creuisset, Martinum vero

& à

& à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ actibus sorduisse, & nūc per inanes superstitiones, & phatasma ta visionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse.

Consona planè similitudo, nisi ꝙ veterior ille dum irrogatā à filio iniuriā didicisset, irrisoris sui sobolem maledictioni subiecit, ac seruituti. Maledict⁹ Chanaam seruus seruorum erit fratribus suis Gen. 9. Noster verò Martinus, qui suum irrisorem, a quo longè plura sustinuit conuitia, non modo non maledixit, sed sua deuotissima præce ei pęnitētiam impetrauit, & ita ipsum Deo per eum grauiter offenso reconciliauit à seruitute peccati liberauit, eumq; (vt Bern. ait) ex omnibus sibi successorem elegit, & de tanta post futura aduersitate præmouit. Postremo in Fide, & lenitate ipsi⁹ sanctum fecit illū. Ex quod vel maximè patet quā rectè sibi singulariter attribuitur verbum illud: In tempore iracundiæ factus est reconciliatio qui nedum ad se confugientes, sed etiā auersos, & persequentes reconciliauit Deo.

Martin⁹ qūo omnib⁹ fact⁹ est reconciliatio.

Quia autē prioribus sermonib⁹ aliquid licet ꝑ materiæ dignitate modica, tā de vita ipsius, de miraculis, de trāsitu suo de corona triplici, quā in beatitudine possidet sine fine, dictum recolo, placet nunc parumper aduertere qūo factus est omnibus eū ritè inuocantib⁹ in tempore iracundię reconciliatio. Reconciliat autē non tantum iram iudicis ammouendo, sed etiā gratiam multiplicem, & beneficia impetrādo, ita vt cum in necessitatibus singulis singuli sancti à miseris implorantur: Martinus signi potens in omnibus vtiliter inuocatur. Nā beatus Seuerus Sulpitius cū multas sanctorū orientalium virtutes Postumiano referente audisset, ait. Cū te iam dudum de sanctorū virtutibus, intentus audirem, tacitus ad Martinū in eum cogitationibus recurrebam, meritò perspiciens omnia illa quæ singuli diuersa fecissent, per vnum istū facilè completa. Teste. n. beato Ambrosio in præfatione. Martinus prophani erroris templum destruxit, vexilla pietatis erexit, mortuos suscitauit, ab obsessis cor poribus dęmonia sęua exclusit, ac variis languoribus laborantes salutis remedio subleuauit. Nanq; (Bern. ait) reddidit visum cecis, surdis auditum, mutis loquelam claudis gressum, aridis sospitatem, mundauit leprosos, curauit paralyticos, veneno infectos sanauit. Sed hæc ceteraq; huiusmodi altissima, quæ fecit magnalia, ac mirifica trāseūtes ad id singulariter reuertamur ꝙ factus est nobis in tempore iracundiæ reconciliatio, eo ꝙ id ad illius charitatē, & ad nostram pertinet vtilitatem. Consyderato autem quantum in hoc opere laborauit in terris, planè intelligemus quantū nunc suorum agit curā potentior factus in cęlis. Et quidem vrgebat eum copiosissima charitas omnibus omnia fieri, vt omnes Christo lucrifaceret, omnium necessitates suas æstimare. Nam vt dicit Seuerus ad Aurelium diaconum. Affectus est cura pro infirmitatibus, sollicitudine pro periclitantibus. Quo enim dolente ille nō doluit? Quo scandalizato ille non vst⁹ est? quo pereunte non gemuit? Et sequitur. O verè ineffabilem virū, pietate, misericordia, charitate, quæ quotidie etiā in sanctis viris seculo frigescente frigescit. In illo tamen vsq; in finem aucta in dies perseuerauit. Hinc tanto pere omnibus succurrere, quicunque diffidebant conciliare laborabat.

Quem pietatis affectum non modo hominibus, sed & bestiis impendebat. Nam & vaccam à dæmone agitatam absoluit, & proprię naturę atq; suo gregi reconciliauit. Lepusculum quoq; à canibus insecutū liberauit, sed & Gallinarum pullos à beato Vrso Bituricēsi Episcopo ne cantarent interdictos, sua benedictione obluens reconciliauit, ac voces eorum diu mutas in naturalis cātus tripudium relaxauit: Sicut legitur in vita beati Siluani. Pisces etiā à mergorum voracitate liberauit. Quæ pietatis, & potentiæ eius indicia spernenda non sunt quoniam, & si parua videātur hinc tamē maximè declarātur, quoniam

niam ipse in tempore iracundiæ est nostra reconciliatio. Quicunq; enim tales sumus ( dicit beatus Odo in sermone quodam ) qui nullum genus commendationis apud illum ex nostra iustitia habemus, non plus nobis aliud miraculum, quamuis grande placitum videtur Quoniam si in aliis maiorem potentiam, in istis tamen monstrat propensiorem miserendi affectum, seq; suis meritis posse, vbi neq; eorum, quibus miseretur, merita cooperantur. Hominē ergo quando negligeret, qui etiam brutis animalibus compatiendi indulsit affectum? Siquidem gladium hominibus submouere diligenter laborabat, temporalemq; pacem discordes reconciliādo restituere. Huius nanque præcibus Barbarorum feritas Gallias inuadentium apud ciuitatem Vangionum mitigatur vt dum ferire venissent, & contra imperatorem Iulianum bellare, in mansuetudinem crudelitate mutata, pacis legatos miserint, sua omnia seseq; dedentes lib. 1. ca. 3. Huius deniq; meritum fuit, vt dum Auicianus comes ferus, & crudelis, miseras vinctas cateruas diuersis pęnis perdere festinaret. Martinus noster media nocte hoc comperto ad prætorium illius veniret, nec foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosterneretur, angelo ingruente percellitur, à quo & audiuit: seruus Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis. Sicq; diuina coactus virtute, & sancto de lecto exiliens, prius quam rogaret, omnia se facturum spondet, omnes captiuos reddi iubet omnibus reconciliatus lib. 4. ca. 5. Sic quoq; dum Valentiniani imperatoris pro re simili palatium ingredi cupiēs ille quoq; Martinum ea petere, quæ concedere noluisset, agnouit, eumq; foribus palatij arcere iussit, dum semel, atq; iterum superbum principem adire tētauit, nec potuit, recurrit ad nota præsidia, cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuq; abstinet, orationibusq; die b', ac noctibus perpetuat. Septima die astitit angelus, iubet eum ad palatium ire securum, regias fores quantumlibet clausas sponte reserandas, imperatoris spiritum superbum molliendum. Hinc palatium petit, liber ingreditur, & im peratorem nequaquam assurgere dispo nentem ignis in sella regia accensus de ipsa sella excussit, atq; regis animū omnia prius concedere Martino quam ab eo rogaretur, cum culpæ suæ confessione perdocuit li. 4. ca. 6. Quid charissimi putatis roganti Martino dominus negabit, qui passus non est, vt ei quicquā ab homine etiam Barbaro negaretur? Sed quēadmodum Alcuinus dicit, ad nota semper orationibus præsidia recurrens: Vnde si quid ei potestas renuit secularis, mox diuina præstitit pietas.

Tam pia quoq; erat sollicitudo Martino vt non solum christianos, sed etiā ipsos hæreticos ab occisione gladij liberaret, vt per longum recitat Seuerus li. 4. ca. 15. Deniq; ita pacificando discordes reconciliationi operam impendebat, vt in opere pacificorum (sicut Ber. dicit) planè feliciter consummans labores suos, licet dierū suorū finem non ignoraret, clericos adiit dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quieuit. Ecce qui temporales hominū, discordias, ac damna inde surgētia nō sustinebat, quando ad pacē æternam reconciliare cessaret peccatores? In quo tantopere laborabat, vt etiā vberrimè pro persecutoribus suīs fleret. Pro his qui eum remotum, & quietum venenatis linguis, & vipereo ore carpebant, sicut scribit Sulpitius libro. 1. capitulo vlti. Qui attestatur ꝙ latronem, cui à conlatronibus traditus est ad custodiēdum, euangelica prædicatione conuertit ad Christum. Et cui traditus est ad pęnam, factus est ei ad salutem, vt dicit Alcuinus. Quantis per inde laboribus libro. 1. ca. 12. quantis periculis se exposuit, in idolorum destructione, vt populum diabolo exciperet, domino reconciliaret, quis enumerabit? Nam & dæmones pro energumenos in ecclesia, dum de suo monasterio duobus fere milibus à ciuitate desperato venturus ante ecclesiam pedem extulisset vlulando, & rugien

Martini solicitudo etiā erga hæreticos.

rugiendo suum aduentum trepidi nunciarunt, dolentes se damnari, & e possessorum corporibus repelli, ipsosq; possessos sic liberatos Deo conciliari. A quibus dum certo tempore proteruis vocibus increparetur, cur intra monasterium aliquos e fratrib^9, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset, exponentibus etiam crimina singulorum: Martinus diabolo repugnans respondit constanter antiqua delicta melioris vitæ conuersione purgari, & per misericordiam domini absoluendos esse a peccatis, qui peccare desinerent. Contradicente diabolo non pertinere ad veniã criminosos, & semel lapsis à domino nullam præstari clementiam. Tunc in hanc vocem fertur exclamasse Martinus. Si tu ipse ò miserabilis ab hominum insectatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cũ dies iudicij est in proximo peniteret, ego verè confisus in domino, Christi misericordiam pollicerer. O quam sancta de domini pietate præsumptio, in qua si auctoritatem præstare non potuit, ostẽdit affectum. Quod etiã idcirco dixit secundum Odonem in sermonibus, vt fratres quorum vitia dæmon ille exponebat, à desperatione retraheret.

Martini efficacia apud dominũ.

Quanto denique libro. 3. ca. 2. feruore & virtute apud dominum pro commisso populo ipsumq; Deo concilians do sacrificaret episcopali functus officio, & si linguis explicari non potest, globus tamen igneus super caput eius in ipsa immolationis hora apparens, atq; vestis nobilissimis lucentibus gemmis micãs li. 4. ca. 14. offerẽtis dextrã contegens satis comprobarunt. Quib^9 quid aliud significatũ est miraculis, quã acceptum semper esse domino Martini sacrificium? Sicut olim illud de Helia, ignis de cælo missus ad sacrificii veteris assumptionem 3. Reg. 18. & manue Iudicum 11. figurabat.

Neq; omnino diffidendum est de efficacia precum beati Martini, quoniã non solum potens est viatores domino reconciliare, sed etiã vitam hanc excedentes, & ad pristinam reuocare vitam & à sententia iudicis liberare. Nam & cathecumenus iste, quem à morte reuocauit efficacia suæ orationis. Et cum per baptismum, quem nondum acceperat, domino acquireret, referre solitus erat. Se corpore exutum ad tribunal iudicis ductum, deputandumq; obscuris locis vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam. Tum per duos angelos iudici fuisse suggestum hũc esse pro quo Martinus oraret libro 1. ca. 5. Ita per eosdem angelos se iussum reduci & Martino redditum, vitæq; pristinę restitutũ. His & aliis, quæ pro sua multitudine, ac magnitudine referri non possunt, satis puto ostẽsum quã potens erat apud dominum in peccatorum reconciliatione, dum adhuc in corpore peregrinaretur à domino. Quis rogo enarrare præsumet, quã potens est apud illũ, dum illi conregnat, quanque pro suis sollicit^9 de propria salute, pro qua pri^9 sollicitari oportuit securus? quod innumera miracula nunc breuitate suadente per transeunda post viri sancti transitum ostensa, luce clarius cõtestantur. Quemadmodum & illud insigne, quo pro viuis mortuus pugnãs Turonenses suos ab Histingi ferocissima obsidione in tempore iracundiæ, & flagellorũ Deo reconcilians potenter liberauit, inuasore cum suis satellibus turpiter confuso.


Hinc in eius laudem Odo primus Cluniacen. abbas ita exclamat. O admirabilem per omnia virum, qui dum viueret signipotens appellatus, fulgorem virtutum astris intulit. Defunctus etiam bellipotens triumphatos ostium cuneos sola sua præsentia conuicit. Ex quibus omnibus sufficienter deductum æstimo quam rectè de ipso legit ecclesia in epistolari officio. In tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Et tantum de secundo.

Eia nunc dilectissimi hunc magnipotentem reconciliatorem fortissimumq; auxiliatorem deuotius amplectamur, hunc honoremus, hunc imitemur, precesque nostras in eum tota fiducia con

feramus

feramus, à Deo nobis prouisus est, in patronum datus, ac pignus. Noster est ad nostram salutem, nostro vtamur, hic est gemma illa (ait cultorum suorum non minimus) quæ fulget in cęlo, corruscat in terra, in mari obsecratur, in insulis honoratur, vbique diligitur. Si quis istam mercatus fuerit, perenni thesauro gaudebit. Si quis possederit, non deficiet omni bono. Currite ergo pauperes vt hanc assecuti, verè diuites esse queatis. Currite diuites, vt per huius commercium pauperes spiritu esse mereamini. Currite infimi, vt hac adepta salutem consequi valeatis. Currite lassi vt per hanc inueniatis requiem animabus vestris. Omnes pariter, quos tenet mundus iste captiuus, vt huius obtentu liberi effecti, per cęlum discurratis, sempiterno gaudio perfruentes, & quocunq; ierit sequentes. Per huius quippe subsidium omnis mundi huius potestas reprimitur, omnis superbia conculcatur, omnis amaritudo transitur. Quisquis huius amminiculo fultus fuerit. non eum ambitio inflat, nó paupertas, contristat, non conditio mortis excruciat, quoniam Martinus (sicut in eius laudem canit ecclesia.) vota, fidelium transcendens tribuit cuncta salubria. Sciamus nihilominus q̃ impunè eum non negligimus. An qui eum adhuc in exilio viuentem non est passus sperni ab imperatoribus patietur illudi sibi in cęlo, conregnanti à puluere, & vermibus &c.

*IN FESTO SANCTAE Catharinæ virginis, sermo vnus in ordine XLVIII.*



SIMILE est regnum cęlorum decem virginib9 Matt.25. Veritatis doctorem necesse est auditorum attendere qualitatem, vt vult Gregorius homil. 12 in Ezechielem. Idcirco magister veritatis, immo veritas ipsa, docturus profundiora populum rudem, domesticis, ac sensu perceptibilibus vtitur parabolis, quatenus illis manuducta eorum intelligentia, quæ à sensibus oritur 1. Posteriorum, spiritualia facilius contempletur Eapropter secundum Gregorium Homil. 11. celorum regnum terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit surgat ad incognita, quæ non nouit, quatenus exemplo visibilium se ad inuisibilia rapiat, & per ea, quæ visu didicit, quasi confricatus incalescat vt per id, quod scit notum diligere discat, & incognita amare. Regnum autem cęlorum dominus non ecclesiam triumphantem in hodierna euãgelii lectione accipit, sed magis militantem. Dum. n. id comparat virginum choro, quarum aliquas prudentes, aliquas designat fatuas nó ecclesiam triumphantem (quã cóstat reproborum neminem ingredi) sed eam præsentis temporis ecclesiam, quæ bonis malos, & electis commiscet reprobos, vt vult Gregorius. Rectè autem ecclesia præsens. ad regnum cęlorum dicitur, quia ipsa porta est ad regnum. Neq; regnum cœlorum intrare poterit, quisquis se ab ecclesiæ vnitate secernit. Sicut clarè docet Aug. in de fide ad Petrum. cap. 32. Firmissimè tene, & nullatenus dubites nó solum omnes paganos, sed & omnes Iudæos, & Hæreticos atq; Schismaticos, qui extra ecclesiam sanctam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Verum tamen non omnes, qui intra ecclesiam sunt numero ad nuptias regni admittentur, quoniã fatuis virginibus additus negatur quamquã virgines inter ecclesiam numerantur. Ne ergo nos in ecclesia virgines fatuas imitari, & cum eis ad beatitudinem excludi contingat, doctrinam hanc euangelii, diligentius aduertamus, memoriæ commendantes, & opere comprobantes. Aderit nobis beata virgo & martyr Catharina, cuius hodie natalicia festa colimus vna de numero pru-

Christ9 se contéperás populũ ad inuisibilia inducit.

prudentium duplici suffragio, exemplo vitæ, & meritorum patrocinio nobis fauens. Requiramus ad idem nihilominus reginam virginum cuius hęc virgo se gaudet pedissequam, matrem domini, vt sua intercessione vtrunq; nobis impetret, quam salutantes dicamus. Aue Maria. Videndum erit quomodo fidei lucem ostendit, & olei lucentis ardorem accendit.

Fideles secundũ animam virgines dicũtur.

Quod regnum cęlorum decem virginibus simile dicitur, status ecclesiæ militantis idest omnium Christi fidelium quantum ad ea, quæ aguntur nũc & in futuro iudicio designatur. Omnes enim Christi fideles secundum animã virgines sunt, & Cristo despõsatę. Sicut enim incorruptio carnis Virginem corpore nominat, ita fidei integritas Virginem facit mente. Hinc idolatria, & omnis error in fide fornicationem inducit spiritualem, sicut libidinosa contagio corporalem. Hinc frequenter improperauit fornicationem, & adulteriũ populo Israel, eo q̃ idola coluerunt, vt patet Hier. 3. Ezechiel. 16. & Matth. 12. vbi dicitur. Generatio praua, & adultera signum quærit. Deniq; apostolus scribens Corinth. ait. Despondi vos vni viro Virginem castã exhibere Christo. Quã virginitatem in hoc conseruari docet, si vni .s. Christo, & non alteri fide incorrupta adhærent, vt textus, q̃ subijcitur manifestat. 2. Cor. 11. Hęc autẽ despõsatio fit per fidẽ. Oseæ. 2. Desponsabo te mihi in fide. Est autẽ fides vera, & incorrupta, qua creditur, quicquid ecclesia credit, sicut Aug. in epistola fundamenti. Euangelio non crederem nisi ecclesiæ autoritas me compelleret. Sed nunquid sola fides sufficit ad salutẽ cũ baptismo, sicut scriptũ ẽ: Quicunq; crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit? Mar. vlti. Sed docet euangelium quoniam fatuæ virgines fidem habuerunt, quia virgines, & tamen beatitudinis ianuam ingredi non potuerunt. Quare? quia non habuerunt oleũ in vasis suis, quo lumen fidei viueret. Oleum ergo necessarium est in vase cũ lumine lucente in lampade. Oleum in vase charitas est in mente. Hac enim viuit, & pascitur fides recta, sine qua fides non prodest, immo mortua est. 1. Corinth. 3. Si fidem habeam ita vt mõtes transferam &c. & Iaco. 2. Fides sine operib⁹ mortua est in semetipsa. Quare sine operibus? quia sine charitate. Si quidem operatur magna charitas si est, si operari renuit, amor non est. Greg. homil. 30.

Animæ saluari volenti duo sunt necessaria.

Ex quibus nobis sollicitè attẽdendũ quia duo necessaria sunt omni animæ volenti ingredi ad vitã, ad illas scilicet nuptias æternas, in quibus non solum stabit sponso congaudens, sicut sponsi amica: sed tanquam sponsa in cubiculum introducetur diuinis, ac beatificis amplexibus satianda, vt .s. sit virgo per fidem incorruptam, & habeat oleum p̃ charitatis obedientiam. Nam qui non credit, iam iudicatus est. Ioa. 3. Qui verò credit, & voluntatem dñi, quã nouit per fidẽ, non perficit obediendo, iudicabitur, & penis grauioribus condemnabitur, quã infidelis, qui ignorans domini pręcepta transgreditur, sicut domin⁹ ait: Seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum eam, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Lucæ 12. Vtriusq; exemplũ egregium habemus in gloriosa virgine & martyre Catharina, quę mẽtis, & corporis virginitatem habuit, & oleo charitatis non caruit. Corde enim ad iustitiam credidit, ore verò pariter, & actione confessa est fidei veritatem ad sui, & aliorum salutem.

Ostendit verò fidei lampadem in imperatoris repræhensione, in Imperatricis, & Porphirij conuersione, in philosophorum victoriosa conclusione. Cum enim ex regio genere nata, communẽ cum cęteris accepisset natiuitatis originem, nemo enim ex regibus aliud p̃ ceteris habet natiuitatis initium, vnus enim est introitus omnibus ad vitam, & similis exitus. Sap. 7. attamen cum didicit, & experimento sensit, quoniam sapientiæ, & sciẽtiæ donum habere nõ posset, nisi Deus, qui est omnis doni

prin

principium, illud cōferat homini, licet hoc ipsum scire scilicet ꝙ omne datū optimum, & omne donum perfectum à Deo est, summa sit sapientia, varias scholas petijt, & cum ingenio polleret optimo, & animam bonam sortita à domino Sap. 8. indagatione sedula veritatis magistrum cognoscere studuit. Cum verò in hominum occupatione laboriosa nil aliud nisi vanitatem comperisset, eo ꝙ solum ad pascendum intellectum, non ad inflammandum affectum omnem impenderent operam. Ne vana, & superstitiosa hominum studia imbecillem præoccuparent animum adhuc tenerum, & periculosis mendaciis, atq; phantasmatibus deludentes, præiudicarent aliquid contra sanam, quam ex animo optauit intelligentiā, & veritatis cognitionem, adiit dominū fide recta, & charitate perfecta, iam illustrata, atq; succensa, & dixit: Domine pater, qui verbo tuo omnia fecisti, & sapientia tua hominem constituisti vt dominaretur creaturæ tuæ à te factæ, da mihi sedium tuarum assestricem sapientiā, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ancilla tua sum. Sapientiæ 8. ca Optauit itaque & datus est ei intellectus. Inuocauit, & venit in eam spiritus sapiētiæ. Quam mox præposuit regnis, & sedibus, & diuitias regni sui nihil esse dixit in comparatione illius. Nec comparauit illi lapidem preciosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena exigua, & tanquam lutum ęstimabitur argentū in conspectu illius. Hāc à domino sine fictione didicit, & sine inuidia communicauit, & honestatem illius non abscondit. Dedit ergo ei dominus horum quæ sunt scientiam veram vt sciret dispositiones orbis terrarum, & virtutes elementorum initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum &c. De quibus Sap. 7. sapiens loquitur. Omnium enim artifex docuit eam sapientia, ita vt omnes artes liberales mira celeritate, & intelligentia mox caperet. Verum hāc liberalium artium scientiam nō vt pleriq; solent ad solum intellectum pascēdum habuit, non ad seculi fastum, non ad hominum pompam sed ad Dei amorem, qui vera est sapiētia, & sapida sciētia, reflexit. Sola enim scientia sine charitate (apostolo teste) inflat, charitas verò ædificat. Non ergo more gentiliū philosophorum cum inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt in vestigio, vel imagine cognouisset, sempiternamq; virtutem, & diuinitatem euanuit mox in sua cognitione, sed nec in eam prolapsa ē insipientiam, vt mutaret gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem imaginis corruptibilis, quemadmodum fecisse legitur imperator, quē redarguit (dum audiret in palatio sedens mugitum hominum, & animalium, quæ ad sacrificium ducebantur in templum, in quo imperator manebat sacrificijs insistens) de vana deorum suorum cultura, quin potius spretis idolis fide recta, spe secura, charitateque perfecta suum venerata est latria adoratione conditorem potentissimum iustificatorem benignissimum, redemptorem misericordissimum, gubernatorem sapientissimū largissimumq; glorificatorem Cunque huius errorem confutasset, & eos, quos coluit imperator Deos, non Deos, sed dæmones esse ostendisset, in necessitate aduocati non adsunt, in tribulatione non succurrunt, in periculis non defēdunt, in custodiam mittitur, & mox sapientissimorum virorum caterua ad cōcertamdum cum virgine conuocatur, vt in historia.

Sed inuicta virgo, & martyr Catharina se domino commendans, & ab angelo confortata, omnes oratores constantissimè superauit, & vicit, ostendens eisdem incarnationis verbi possibilitatem, congruentiam, necessitatem &c. pro humani generis redemptione, etiam ex libris gentilium philosophorum, & sibyllarum, vt in historia patet diffusè. Demum imperatricem, & Porphirium ab idolorum cultu ad vnius Dei cultū conuertit. Vide historiam.

Ecce Virginem mente purissimam quę

Charitatis oleũ ostendit multipliciter in beata Catherina.

quæ nullum alium præter Christũ sponsum habuit, huic fidem seruare studuit huic tota dilectione adhæsit. Ab hoc sponso vnico nec mors nec vita, nec fames, nec gladius eam separare potuit. Huic conformari gaudens charitatis oleo, quam lampas fidei semper exarsit vestibus spoliari, scorpionibus cedi, ceca in teterrimum carcerẽ recludi, sine potu, ciboq; inedia macerari, probris suffundi irrisionibus circundari non timuit. Hinc cum in carcere vinculata maneret, lux cęlica fusa refulget, fragrat odor, dulces cantant cęli agmina laudes. Sponsus amat sponsam salutator visitat illam, faciens in agone prouentum, & consolationem, vt inuicta omnem Tyranni rabiem, omnes sapiẽtum argutias & versutias perfectè superaret. Deniq; vt famis inedia cum iam toto corpore vulnerata, & liuore plena esset, non periret, columbino ministerio pasci, angelicaq; medela curari digna fuit. Sed nec rotarũ ferris ferreis, & clauis acutissimis circumseptarum immanem crudelitatem expauit. In omnibus enim mente virum induit, & fęminei sexus oblita, talismodi fortitudinis bello, inuicta sponsa Christi Catharina quot pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Sicq; charitatis oleum ostendit in corporis castigatione voluntaria, in virtutum operatione strenua, in carceris pęnarũ ex mortis passione lęta. Quæ extende ex legenda. Spiritus enim erat, qui eiꝰ adiuuabat infirmitatem, per quem diffundebatur ad eius inuocationem in cor suum sol lucens, & ardens Charitas fortis, vt mors, immo & fortior morte.

Sed quid dicturi sumus nos cum dominus ad iudicium venerit, qui tot & tantorũ sanctorum vestigia sequi recusamus, qui viam nobis certam fecerũt? Transierunt martyres, transierunt virgines, & puellæ minorennes, & nos sequi piget? Transeamus & nos, & domini viam sequamur. Ducet nos Christꝰ Catharinæ sponsus, qui via est veritas & vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo veritas in promisso, vita in termino. Hinc Aug. in quodam sermone Tot ait viri, tot mulieres, tot pueri & tam delicatæ puellæ flammas & ignes gladios, & bestias pro Christo æquanimiter pertulerunt. Qua ergo fronte, & qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem desyderat, quorum exempla nec in rebus minimis imitatur?

Hortatio ad beatæ Catherinæ imitationẽ.

Studeamus ergo nostræ Virginis sequi vestigia, si pręmiari cum ea placet in æterna patria. Vicit enim mundum cum concupiscentiis suis morte amarissima, tam & si regali semine nata, omnia pro Christo reputans vt stercora. Hinc iam martyrum decoratur aureola. Tenerrimam domuit carnem geminæ virginitatis pudore florido, & quam venusto. In cuius signum ex eius ossibus oleum manat, quod languidos sanat. Hinc virginum gaudet palma, & sequitur agnum, quocunq; ierit. Sathanæ fraudes in se, & in oratoribus quinquaginta ex cunctis mundi sapientioribus in Alexandrinam ciuitatem vocatis, & electis prorsus eneruauit, & victoriosè prostrauit, dum plures ad fidei cognitionem, Christiq; amorem conuertit. Hinc doctorum gaudet aureola. Si ergo delectat Catharinæ præmium delectet etiam par circa cultum Dei obsequium &c. Qui .n. non laborat, nec manducare habet. Qui non pugnauerit, non coronabitur, &c.

FINIS.

